John
Cranford,
M.D.


DISPUTATIONES
AD MORBORUM
HISTORIAM ET CURATIONEM
FACIENTES.

QUAS COLLEGIT, EDIDIT ET RECENSUIT

ALBERTUS HALLERUS.

TOMUS SEXTUS.

AD MORBOS, QUI CORPORIS
UNIVERSITATEM OBSIDENT.



LAUSANNÆ,
Sumptibus MARCI-MICHAEL. BOUSQUET & Socior.

MDCCLVIII.

19227

UNIVERSITY OF MARYLAND
LIBRARY
Founded 1813
OF MEDICINE

Digitized by the Internet Archive
in 2012 with funding from
LYRASIS Members and Sloan Foundation

http://archive.org/details/dispadm06unse

DISPUTATIONUM

AD

HISTORIAM

ET

CURATIONEM MORBORUM

PERTINENTIUM.

PARS QUINTA

MORBI CORPORIS OBSIDENTES UNIVERSITATEM.

CXC.

JOANNIS ZELLER

ET AUCTORIS

CHRISTOPH. ABRAHAMI RUOFF

DISPUTAT.

DE

MORBIS EX STRICTURA GLANDULARUM PRÆTER NATURAM NATIS.

Tubingæ Decemb. 1694.

Library of the UNIVERSITY OF MARYLAND 1813 SCHOOL OF MEDICINE

PARS PRIOR.

PRÆFATIO.

V*Aria* Glandularum, *quæcunque in corpore noſtro ſunt & recenſentur, facies eſt* p. n. *ſecundum quarum diverſitatem alia atque alia generantur aut naſcuntur ſymptomata. Innumera ſequuntur earum* apertionem nimiam, dilatationem atque laxitatem, *quæ eruditiſſime ac perſpicue* Ampliſſimus facultatis Med. Decanus atque Senior Dn. D. Camerarius, *cui Deus vires vitamque largiatur ad Neſtoreos annos*, in Diſputatione ſua de glandulis p. n. patulis *habita oſtendit. Non minora fluunt ex earum* Strictura, anguſtia, compreſſione atque obſtructione *in omnibus partibus corporis noſtri, quæ omnes fere glanduloſæ ſunt, oſſeæ æque ac carnoſæ; potiſſima brevibus hiſce tabellis adumbrabimus. In enumeratione autem eorum hanc obſervabimus methodum, qua uſi fuerunt hactenus Phyſici recentiores naturaliſſimam, quæque ob hoc ipſum, medicis non familiaris ſaltem, ſed neceſſaria eſt, ſine qua aliquid concludere difficile eſt. Quotieſcunque enim ægros vel accedunt, vel hi medicos conveniunt, omnium primum eſt, ut vel ægri referant, quid ſenſerint hactenus incommodi, quales actiones fuerint læſæ, quidque exinde metuant: ad minimum obſtinati & rudiores urinam exhibent, ut morbum exinde colligant medici, & quid deficiat corpori, edicant. Sapientiores autem ægri, niſi timor & triſtitia nimia obſtet, non venerabuntur conſilium medicum aut ſpem de valetudine recuperanda exinde concipient, ſi medicum vix audito uno vel altero de ſtatu patientis verbulo, ad chartam & calamum, recipeque ſuum conſcribendum confugientem vident, non penſitatis prius omnibus phænomenis, quorum in diverſiſſimis morbis nonnulla eadem eſſe ſolent, ſicque veram morbi cauſam indagaſſe medicum non ſine ratione ſæpiſſime dubitant. Hanc itaque methodum cum potiſſimi obſervent ægri, medici autem ſequi debeant in praxi ſua, & hinc ſecundum omnes actiones corporis noſtri & alios fontes in inſtitutionibus notatos in veram cauſam mediantibus illis inquirere, animus eſt eadem quoque via incedere, & primo omnium effectus, variaque phænomena, ſymptomata contingentia & obſervata, horumque circumſtantias, una cum differentiis recenſere, ea inter ſe invicem conferre, quæque cauſa vera ſit ſponte ex eorum collatione fluens, quæque demum medicamenta illi ex vera hypotheſi opponenda ſint, oſtendere. Deus nobis aſſiſtat ſapientiæ ſuæ ſpiritu, ut omnia plane & plene tradamus in ſupremi ſui nominis honorem, proximique commodum atque ſalutem.*

CAPUT I.

Recenſens phœnomena, effectus & ſymptomata glandularum p. n. ſtrictarum.

Accenſiones ſanguinis, inflammationes, tumores, dolores, ſuppurationes naſcuntur ex p. n. anguſtia & ſtrictura glandularum corporis noſtri, ſive conglomeratæ, conglobatæ, conglutinatæ, ſive ſimplices, miliares, lenticulares illæ ſint, aut quocunque nomine veniant.

1. *Febris Ephemera*, imo *Synochus ſimplex* ſæpiſſime accenditur in puerperis poſt ſubito natos in *mammis* earum *tumores*, dictos vernacula noſtra *die Knürtzel*, poſtquam vel vinum copioſius juſto hauſerunt, (licet in illis, quibus potus hic non quotidianus eſt, ruſticis ſc. aliiſque impune hoc ut plurimum fiat; modo non adeo exceſſerint;) vel primo aut ſecundo a partu die juſculis non contentæ cibis ſolidioribus ſeſe replerunt, vel nimium locutæ fuerunt, vel aerem frigidiorem admiſerunt in partibus ſolum ſuperioribus, quæ propter calorem externum apertæ ſunt, ubi mox dolorem tenſivum ſub axillis mammas verſus ſentiunt, calorem totius p. n. ſitim, vigilias, quæ omnia ceſſant evaneſcentibus in mammis tumoribus & ſubtracta ciborum quantitate.

2. Nec ephemeræ ſolæ ſunt vel ſynochi ſimplices, quæ ſedem ſuam atque focum in glandulis ſecundum recentiores figere dicuntur; ſed & *putridæ*, *continuæ*, *ardentes*, *catarrhales*, *eryſipelata*, imo *febres intermittentes*, *ſive ſimplices*, *duplices*, *triplices*, *aut magis compoſitæ* ſint.

3. Dum autem dictorum morborum & ſymptomatum focum in glandulis eſſe dicimus, id intelligimus, ac ſi omnium febrium aut unius ſpeciei una ſemper ac conſtans ſedes eſſet; h. e. quod ſemper vel ex miliarium externarum vel conglobatarum vitio oriantur, vel internarum, pancreatis, ventriculi, inteſtinorum, meſenterii, ſed nunc hæ laborent, nunc aliæ, nunc externæ, nunc internæ, & hinc etiam variare horum circumſtantias, nec conſtantes aut unas eaſdemque ſemper in omnibus obſervari vel in continuis, vel in intermittentibus

4. In *Synocho* enim *putrida* ægri præter communia, laſſitudinem, virium proſtrationem ſubitaneam (quæ quidem proxime præteritis annis, ubi febres iſtæ continuæ larvatæ admodum fuerunt & morbis, ægris alias domeſticis quaſi, tuſſi, podagræ, arthritidi, calculo, catarrhis ſeſe aſſociarunt, non ſtatim a principio ſeſe manifeſtavit, ſed quinto, ſexto aut ſeptimo demum die, donec neglecta cum impetu erupit, multoſque jugulavit) ſentiunt, *horrorem*, *rigorem*, *calorem*, *lancinationes* totius corporis, *tenſiones*, *contractiones*, *dolores ulceroſos* in artubus maximos & *gravitatem*, *inquietudinem*, *jectigationes*, *anguſtiam* circa ventriculum,

cor

cordiſque ſcrobiculum *preſſionem*, *dolorem* & *anxietatem* inexplicabilem, *ardorem*, per totum œſophagi ductum, ut & *apthas*. Interdum in toto corpore elevantur *puſtulæ*, interdum in una parte major percipitur *dolor* ac in altera; ſæpe etiam *tumores* exoriuntur particulares, qui poſt mortem *lividi* apparent & evaneſcunt. Alii in *abdomine* conqueruntur de *igne*, qui abſque omni dubio *inflammationis* indicium.

5. De *catarrhis* conſtat, illos *in capite* & circa *caput* frequentiſſimos eſſe, ab his *partem brachii ſuperiorem ad humerum* uſque & *collum*, ubi nil niſi *glandulæ* & *vaſa lymphatica* præ aliis affici, illoſque in tuſſes ac coryzam terminari, cauſamque ex remotioribus communiſſimam eſſe frigus externum vel improvide, potiſſimum calefacto prius corpore, vel ex neceſſitate inevitabili in itineribus & negotiis admiſſum, ubi ſimul prima incommoda febrilia in dictis partibus deprehenduntur.

Obſervatur porro *eryſipelas* pedum quam maxime naſci præter errores in diæta commiſſos, potum vini liberaliorem, varios corporis animique motus vehementiores, ab *aere pluvioſo*, *frigido*, *auſtero*, *acido*, huncque effectum eo facilius obtineri, ſi partes illæ non bene munitæ, vel idem malum, aliaſque injurias antea perpeſſæ fuerint, quæ elaterem fibrarum tum carnearum, tum glanduloſarum, h. e. nervearum ac tendinoſarum debilitarunt, illas laxando, harum poros comprimendo, obſtruendo, adſtringendo, ut ſpiritus tam libere & ſufficienter influere nequeant, nec eas debite tendere, expandere, roborare, munire poſſint, ut cauſas ſtagnationem producentes vel non admittant, vel eas iterum ejiciant; in quo robur & debilitatem partis conſiſtere credimus.

7. Denique notatur, *febres intermittentes* antecedere *laſſitudinem* ſpontaneam, conqueri ægros ſæpiſſime de *appetitu dejecto*, *gravitate quadam* & *anguſtia circa ventriculum*, ordiri has a *frigore*, *horrore* & *rigore*, *contrahi cutem* pariter ac ab *aere externo frigido*, *nec pulſum debilem* eſſe, uti in defectu cordis fieri ſolet; ſed ſenſim ſenſimque tardiorem illum evadere ut a frigore externo contingit, a quo partes & vaſa contrahuntur, ut libere ſanguis influere nequeat; unde etiam fit, quod propter contractas alias fibras os ad loquelam diſponere aut formare nequeant, hincque vel plane non, vel difficulter loquantur, qui in aere frigido diu verſati fuerunt; interdum una cum acceſſu febris accedere *tormina ventris*, *ſuffocationes hypochondriacas*, *interdum tuſſes* & *aſthma* cum difficili reſpiratione invadere; in *dorſo* deprehendi *gravitatem*, *exæſtuationem* quandam & *dolorem* (*auch ein Gruſſel*, uti loqui ſolet vulgus) poſtea calorem in totum corpus propelli, & tandem calorem ſequi *ſudorem*, qui ſi copioſus eſt & facilis cum refectione virium, non ſolum particularis paroxyſmi finem, ſed plerumque univerſalis terminum indicat, e contrario ſi vel in fine paroxyſmi particularis non laudabilis eſt, vel poſt exhibitionem ſolennium febrifugorum alias decantatorum ante acceſſum neque largius neque cum euphoria profluit, diutius duraturam febrem colligere oportet, quæ alias

illo ſubſecuto vel penitus ceſſat vel brevis eſt. Sæpiſſime illæ tolluntur aſſumpto vomitorio abſque ulla recidiva nullo alio exhibito medicamento, certius autem ſupperadduntur febrifuga.

8. Huc pertinent *febres malignæ*, *peſtilentiales*, *ut & aliæ inflammationes*, *quarum deſideratiſſimus D. Screta l. 4 lib. de febr. caſtrenſ.* limatiſſimo meminit, quarum nomina adduxiſſe ſufficiet: *phrenitis*, *lethargus*, *pleuritis*, *peripneumonia*, *cholera*, *dyſenteria*, *diarrhœa bilioſa*, *variolæ*, *morbilli*, *purpuræ*, *maculoſæ febres.*

Haud raro inflammantur quoque *aurium glandulæ* in meatu auditorio, doloremque movent acutiſſimum; hanc inflammationem ſequuntur ſæpe *abſceſſus & ſuppurationes*, continuusque materiæ purulentæ atque feroſæ effluxus abſque ullo incommodo. Novi hic locorum virum, cui ex eadem cauſa tale contigit & cui continuo ex hoc meatu quaſi ex fonticulo materia ſeroſa & purulenta effluit, quo fluxu ſalvo manente bene ſeſe habet, impedito vero dolores ſentit enormes, Similium meminit *D. Duvernay in tract. ſuo de auditus organo.* Dictas has inflammationes aurium comitatur tinnitus, murmura atque ſibili.

10. Grave *incendium* exoritur quoque in *glandulis ſinuum frontalium* totum corpus in flammam rapiens. Retulit *exc. Dn. D. Magerlinus Archiater Oetingenſis primarius*, *ſenex venerandus*, *rara experientia chymicus* Dn. Præſidi reverendum D. *Filium* ſuum paſtorem in dicto principatu ante triennium ſubito correptum fuiſſe ſymptomatibus febrilibus, calore intenſiſſimo, dolore capitis, præprimis autem *frontis* intolerabili; inter deliria, metum convulſionum continuo digitis raſiſſe *frontem*; perfoſſurum quaſi unguibus illam; (ibi enim manus ubi dolor) ab hoc non ſolum partes vicinas capitis, ſed totum corpus intumuiſſe, imo omnia ſymptomata ita exaſperata, ut de vita ejus actum eſſe adſtantes judicarint, donec accedens *Excell. parens* atque prudentiſſime injectiones in nares ſuadens ex °o°. amygd. dulc. ac ∼ ✱c. copioſiſſimum pus abſceſſu rupto fuerit excretum, quo facto omnia ſymptomata remiſerunt, continuatiſque ſudoriferis corpus detumeſcere incepit, moxque æger per *Dei* gratiam feliciſſime evaſit, qui morti fuit proximus.

11. Eundem furorem expertus fuit *Dn. Præſes* in proprio ſuo corpore & quidem in *ſinu maxillari* dextro: ſenſit is calorem p. n. in dextra parte capitis, temporum præprimis atque anguli in dextro oculo: (non bulbi) ut & totius diſtrictus, quem occupat os maxillare ſuperius, cui dolor acceſſit, qui in principio mediocris fuit, ſenſim autem ſenſimque auctus atque pulſatorius factus in medio dicti oſſis maxillaris, quem nec pro ſingulari habuit, nec quod plus portenderet ac vicinarum partium dolor exiſtimavit, licet ille quin in dicto oſſe hærebat, major erat, nec etiam inflammationem aut abſceſſum modo memorati ſinus metuebat, ſed a defluxionibus lymphæque acris ſtagnatione natum dolorem judicavit, hinc acida, deobſtruentia, demulcentia & anodyna aſſumpſit, partique de-

dolenti ſacculos diſcutientes impoſuit, donec continuato horum uſu dolor ceſſaret: dum autem convaluiſſe viſus fuit, ex inopinato fœtorem ſenſit graviſſimum, qui cito periit citoque rediit: neſciebat autem an ille externis vel internis cauſis adſcribendus eſſet cum vaporis inſtar acceſſerit & evanuerit, donec magno iteratoque niſu emunctis naribus obſervavit ex earum caverna illum prodire, cum non ſolum in muccinio eum deprehenderit graviorem, verum & punctula albicantia purulenta lympha narium diluta reperierit, quorum occaſione demum in illos conceptus incidit, in *ſinu maxillari*, ubi dolor omnium intenſiſſimus ſentiebatur, *inflammationem & abſceſſum* fuiſſe, facto pure illum imminutum, rupto abſceſſu, quod & alibi in levioribus tarde contingit, pus cum lympha iſtius ſinus ad nares delatum eaque dilutum aerem quidem infeciſſe, propter paucitatem vero emungi non potuiſſe; ſponte autem abſque ullo medicamine fœtor ille ſenſim diminutus fuit, donec penitus ceſſavit.

12. Haud levem dolorem & moleſtiam inferunt *glandularum lachrymalium inflammationes*, ut & *narium in* coryza tam *humida* quam *ſicca*, quas egregie deſcripſit ſupra laudatus *Excell. Dn. D. Camer. in Diſp. de coryza ſicca.*

13. Sub *axillis* naſcuntur *bubones*, nunc *benigni* ex inflammatione & abſceſſus manus in parte præſertim tendinoſa, vel ex punctura tendinis vel nervi manus aut digiti; vel *maligni peſtilentiales*, iique vel *critici* vel *ſymptomatici*, dum primo ſtatim inſultu per ſe, antequam adhuc peſtem ſuſpicamur, exoriuntur; generantur autem hi non ſolum in *axillaribus & inguinalibus glandulis, ſed etiam in parotidibus*, imo ſuſpicandum eſt *internas varias, inteſtinorum, meſenterii, ventriculi, pancreatis, glandulas* affici, harumque inflammationes & necroſes ſine dubio celeriorem mortem inferre ac externarum corruptiones. Qui in *inguinibus* exſurgunt benigni, eryſipelas vel antecedunt vel ſequuntur, aut læſioni vel puncturæ pedis ſuperveniunt. Vidi nuper quendam, qui ſublaturus ſaccum frumentarium tritico plenum in dictis rupturam ſenſit, quam mox calor atque tumor ſecuta ſunt, totiuſque inflammatio, ruptumque abſceſſum copioſi puris evacuatio. In Venere vetita & impura valde quoque patiuntur hæ glandulæ, buboneſque contrahunt, qui vero raro inflammantur.

14. *Proſtata* una cum *teſticulis* & *ſcroto* mirum in modum inflammantur atque intumeſcunt, quando fluxus earum, gonorrhœa notha dictus, intempeſtive per repellentia & adſtringentia ſiſtitur; fluxus hic naſcitur ab impuro coitu, quando virus in vagina uteri latens & rarefactum ab æſtu venereo, mediante aëre impellitur in urethram, & ad proſtatas uſque propellitur, vel ſecundum alios attrahitur, & in orificia earum, quæ propter illam efferveſcentiam veneream valde patent, mediante itidem aëre intruditur, illas rodit, exulcerat, fermentat, fluxumque dictum producit; hic intempeſtive ſiſtitur per topica frigida & adſtringentia, vel per interna ſimilia, unde fermentum iſtud venereum acidum retinetur, quod

quod ſuccos coagulat & ſanguinem, ut in debita ac ſufficienti quantitate, uti par eſſet, non revehantur, ſed ſtagnent, & hinc dictas partes in talem tumorem, qui caput infantis ſæpe referre ſolet, elevent, quod eo facilius contingit, in quantum virus illud mediante ſanguine, qui in proſtatis infectus refluit, ad alias remotiores & vicinas quoque defertur, acorem conceptum vel aliam qualitatem ſpecificam occultam illis imprimit, glandulis præſertim, ſuccoſque in illis craſſiores reddit, ad reditum & refluxum tardiores atque difficiliores, qui poſtmodum accedentibus illis externis adſtringentibus facile retinentur, & ſtagnantes neceſſario in dictum tumorem partes memoratas diſtendere debent.

In externarum partium glandulis varii quoque deprehenduntur tumores & ex dicta diſpoſitione naſcuntur *phyma*, *phygetlon*, *furunculus*, *anthrax*, &c. aliis ſuperſedebimus.

II. Phoenomenon.

Non omnes tumores, qui ex glandularum anguſtia naſcuntur, inflammatorii ſunt, nec ſubito, ſed ſenſim generantur & abſque calore ſenſibili & colore rubicundo deprehenduntur.

1. Hujus generis varii ſunt variam ac diverſam materiam continentes, nunc lympham tenuiorem, nunc craſſiorem pituitam dictam, nunc chylum crudum, aut aliam quamcunque.

2. In *Hydrocephalo glandulam pituitariam* una cum infundibulo muco obductam totumque cerebrum inundatum vidit *Excel. Dn. Brunnerus*, ejuſque in *Diſp. ſua de glandula pituitaria* meminit.

3. Poſt febres malignas ſæpiſſime critico modo dejicitur materia morbifica *in glandulas meatus auditorii*, ibique *ſurditatem*, vel *obauditionem* relinquit; idem contingit in catarrhis aurium ab aëre frigido, auſtero contractis; in eandem difficultatem incurrunt quoque lue venerea affecti.

4. *Gravedo* adeſt in capite, obtuſio, ſomnolentia, dolor capitis gravativus *naribus* ſiccis vel non debite aut ſufficienter fluentibus.

5. In *oculis* ſentitur nonnunquam motus eorum difficultas abſque ſenſibili inflammatione in vaſis vel palpebris obſervanda, obnubilatione interim præſente moleſta atque gravedine.

6. Valde etiam intumeſcunt *glandulæ parotides*, *colli*, *ut & maxillares inferiores* in ſtrumis, quæ nunc latam nunc minorem baſin habent: in- & decreſcere dicuntur ſecundum in- & decrementum lunæ, conſtans tamen illud non eſt, præprimis ſi illi principio inſiſtitur, humorum matrem & dominam eſſe lunam.

7. Frequentiſſime delabitur *uvula* & deglutitionem difficilem reddit, quando humoribus turgida eſt.

8. Ex tumoribus *glandularum œſophagi* varia naſcuntur ſymptomata, partibus vicinis alias adſcribi ſolita; dolor gravativus ſentitur ſæpe a ſcrobiculo

biculo cordis per medium pectus, reſpiratio ſit inde difficilis & *tuſſis* adeſt ſæpe gravis; tum plerumque accuſari ſolent pulmones, qui tamen ſalvi & immunes ſunt, curaque longe felicius & facilius ſuccedit, quando illa ad hanc partem, ejuſque glandulas dirigitur potius, quam ad pulmones. Pariter *aſthma* fit affectis unice *fere hiſce glandulis*, quod itidem pulmonibus organiſque reſpiratoriis adſcribitur ſemper, in dictis vero cauſa ſæpe unice hæret; cum reſpiratio facilior ſit, nec tanta laſſitudo conjuncta, copioſioremque auram una inſpiratione haurire poſſint, ac ſi in pulmonibus malum ſederet, imo aſſumto uno vel altero cochleari ⁓ uum ſolvatur, qui etiam tuſſim, quæ antea deerat, in ipſa deglutitione movere poſſunt in ipſo hoc canali.

9. Dum hæ intumeſcunt *glandulæ*, cibi difficulter demittuntur in ventriculum, ut inde homines ex hac unica cauſa fame necentur. Retulit modo laudatus *ampliſſimus Dn. D. Camerarius Dn. Præſidi*, ſe vidiſſe, cum adhuc ſtudioſus erat, *Excell. Dn. D. Brotbequium* hoc in loco tractare ægrum, qui ex hac unica cauſa, uti tum colligere licuit, obierit, cum de nullo alio malo conqueſtus fuerit, niſi de abolita deglutitione; quoad cætera enim bene ſeſe habuiſſe, facile in conclavi reſpiraſſe, appetitum fuiſſe ſalvum, nec tuſſiiſſe, nec raucum evaſiſſe, quamprimum vero cibos vel craſſioris conſiſtentiæ vel potulenta deglutire voluerit, ilico inſtitiſſe ſuffocationem; ab initio quidem res mediæ conſiſtentiæ inter potulenta ciboſque ſolidiores demiſit, ægre tamen, donec difficiliori ſemper reddita hac actione, imo abolita ſpiritum miſere emiſerit. In cura exhibuit *excell. Dn. D. Brotbeq.* ſal commune ⊖-li vomitivum hac intentione, quod ſi forte mucus vel aliud quid in gula hæreret, per vomitum ejiceretur, ſicque via cibis libera redderetur, ſed fruſtra res fuit tentata, poſt mortem cadaver fuit apertum, pulmones toti exſucci & exſangues quaſi fuerunt deprehenſi, ita ut *excell. Dn. D- Camerarius* crediderit, expreſſos pulmones vix ℥ſs. liquoris præbuiſſe; œſophagus quidem quoad faciem externam videbatur ſalvus & naturalis.

10. Porro obſervantur quoque in his *gulæ glandulis catarrhi*, & *raucedines*, ex potu vel nimio, vel ab aëre frigido, auſtero inſpirato & deglutito contractæ.

11. Harum *glandularum gulæ ſcil.*, *vel œſophagi tumores* & *exulcerationes* ſæpe fingunt phthiſin, quando copioſa mediante tuſſi pituita varii coloris exſpuitur, poſt hauſtum aquæ frigidæ in incaleſcentia nimia ſumptæ, ubi ægri pariter de reſpiratione difficili conqueruntur, non tamen tanta ac in illo pulmonum ulcere alias deprehenditur; gravitas inſuper non in toto pectore, ſed prope faucium principium & clavicularum medium ſentitur, inſpiratio quoque plenior atque fortior hoc in caſu deprehenditur, vires ad quosvis labores ſuſcipiendos integræ ſunt, ſecus ac in pulmonum ulcere, alacritas autem hic minor, & promptitudo poſt ſomnum ac ante illum erat, obſervata fuit.

 12. Huic

12. Huic *glandularum* diſpoſitioni debetur quoque *ſoda* affectus alias communiſſimus, ratione naturæ ſuæ ut cognitu, ita curatu difficillimus ſæpe: ſenſus ardoris illius in ventriculi parte ſuperiori ac tota gula eſt, familiaris ſcorbuticis, cachecticis & hypochondriacis; oritur poſt pinguium, aliarumque rerum uſum: poſt potationes nimias, vini præſertim auſteri & muſtei potum nimium, poſt digeſtionem vitioſam, ut & in febribus tam benignis, quam malignis; poſt exhalationes calidas acres: leviſſimis ſæpe tollitur, potu lactis, præcipitantibus, creta aliisque, ſpiritu vini item; ſæpiſſime omnia hæc ridet, & contumax admodum eſt.

13. Pariter ſymptomata *phthiſin* minantia imo veram inducentia ex *glandularum ventriculi & inteſtinorum* tumoribus & exulcerationibus oriuntur teſte *Barbette aliiſque.* Iſtiuſmodi ægrum tractavit *Dn. Præſes*, qui ab eſu pomorum gelatorum incidit in tuſſim cum dolore gravativo ventriculi totius; quotieſcunque is tuſſire incepit, in illa regione titillationem ſenſit, conatus ille diu ſemper duravit, antequam aliquid egerere potuit, ſenſit autem æger in ipſo conatu materiam ex ventriculo provenire, qui tandem conſumptus tabe obiit.

14. His ipſis *glandulis ventriculi* forſan adſcribenda eſt hujus *palpitatio* ejuſque orificii, ſcrobiculi cordis cum cardialgia conjuncta; quam *Dn. Præſes* obſervavit hic loci, in ægro quodam qui venenum ſibi exhibitum fuiſſe conſtanter ad mortem uſque aſſeruit, id quod exinde collegit; quod ab iſto tempore, ex quo a perſona ſibi ſuſpecta antequam ad labores ſuos rurales progreſſus placentulas quaſdam frixas ferventes comedendas ſumpſerit, male ſeſe habuerit, atque hanc palpitationem (quæ adeo vehemens fuit, ut & togam elevarit in regione ventriculi) cum preſſione, gravitate atque anxietate, difficili item reſpiratione abſque notabili tuſſi, viriumque ſumma debilitate, ſenſerit. Huic *Dn. Præſes*, poſtquam diu variis medicamentis abſque ullo felici effectu uſus fuiſſet, propinavit tandem vomitorium, ſupperadditis poſtea & continuatis terreſtribus, alcalinis & demulcentibus, a quibus per integrum ſemeſtre haud exiguum levamen ſenſit; ita ut labores ſuos longe melius abſque tanta laſſitudine perficere potuerit; ſed mox redierunt priora ſymptomata, donec ſubito expiraverit; cum ſanus ad ſpeciem cubitum iviſſet, & peractis laboribus ſuis diurnis, bene cœnatus, ad horam quartam matutinam placide dormiviſſet, excitatus inſuper ab uxore, quæ illa hora domum ex torculari rediit, bene adhucdum valeret, facile cum ea loquutus, quæſtione habita, quota hora ſit; vix autem exuit veſtes uxor, lectum petens, audit virum bis leviter ingementem, quem mox interrogavit, quid rerum ageret, cum autem nihil reſponderet ad interrogata, etiam ab ipſa concuſſus, candelam accendit, virumque mortuum deprehendit, qui vix elapſis ante aliquot momentis optime ſe valere dixit. Doluit ſummopere *Dn. Præſes*, id in abſentia ſua nullo medicorum apertum fuiſſe, ut per ſectionem inquiſitum fuiſſet, quænam vera cauſa ſymptomatum

per

per *6.* annos toleratorum ac mortis ſubitaneæ, quiſque ſtatus ventriculi fuerit.

15. Ab *hepatis glandulis* p. n. tumidis abdomen diſtentum vidi cum *Dn. Præſide* & D. Condiſcipulis meis in infante rachitico, ac ſi a flatibus tenſum eſſet, uti in tympanitide fieri ſolet. Infans erat XI. annorum, laboravit *rachitide* 6. 7. annos, ni fallor, venter ejus, uti modo dixi mirum in modum tumuit, pedes erant incurvati, pectus elevatum, nodi circa articulos, gibboſus inſuper, in reliquo corpore totus emaciatus, mortuum tandem diſſecuit *Dn. Præſ.* me præſente & condiſcipulis meis. Concepimus tum omnes, tumorem ventris a flatibus eſſe, hinc etiam exiguum foramen in abdomine fecit *Dn. Præſ.* ut ſenſim illos emitteret, poſtquam autem nihil auræ egreſſum eſt, ampliavit foramen, ventre autem nil diminuto, ſed tumido manente, imaginati fuimus flatus in inteſtinis incarceratos eſſe; cruciatim itaque incidit totum ventrem, mediocriter autem diſtenta inteſtina deprehendit, detruſa vero ab hepatis corpore mirum in modum tumido quaquaverſum, non ſolum in latere dextro, ubi multum deſcendit, verum etiam ſub ventriculo & latere ſiniſtro, ubi lobus hepatis longius ac ipſum lien deſcendit. Turgebant quidem inteſtina, ſed parum. Acor qui expiravit ex abdomine aperto inſignis admodum atque penetrantiſſimus fuit, ſanguis & ſuccus ex vaſis extillans lentus & tenax valde, digitoſque conglutinans. Meſenterii glandulæ pariter inſignes erant magnitudine aliquot piſorum connexorum, nonnullæ autem inſtar globulorum, quæ alias vix viſibiles ſunt; oſſa adeo mollia fuerunt, ut tibiam incurvatam aliaque facili levique opera ſcalpello diſcindere potuerit, ſanguine turgentia. Eo in loco, ubi ſternum jungitur coſtis, nodi erant inſignes in utroque latere; diſciſſi iſti pariter ſanguinem ſtillarunt; vertebræ itidem dorſales facile ſcalpello ſciſſæ fuerunt. Qualis itaque ſtatus glandularum meſenterii & oſſium in rachitide præter hepatis glandulas, quæ forte ſæpius ita intumuerunt in ſimili caſu, ac creditum & traditum fuit, egregie ex hac ſectione patuit. Parum muci in inteſtinis, præter naturalem, vidimus.

18. Has ipſas *glandulas meſenterii* obſtructas & tumidas ſequitur *hydrops aſcites*, vel ſubito poſt potum frigidum copioſum in incaleſcentia nimia hauſtum, vel ſenſim generatus, uti *Lowerus*, aliique teſtantur.

17. In *abdomine* vel toto, vel parte ejus dimidia, aut aliqua ſolum, ſi ad tactum ſentiuntur *granula miliaria*, *vel hordei*, haud raro ſignum eſt imminentis hydropis, notant enim intumeſcentiam glandularum miliarium, quarum tumores mox majorum intus latitantium obſtructiones ſequuntur.

18. In *mammarum* corpore plures ſæpe *tumores duri* absque calore & dolore ſenſibili, niſi rudius tangantur, deprehenduntur, & vel a compreſſione, vel aere frigidiori admiſſo, vel a pleniori victu lacteque generato & non ſufficienter ab infante exſucto, eoque ſtagnante naſcuntur. Ubi plures

iſtiusmodi tumores in mammis exoriuntur, lac deficere ſolet; tumores iſti facile quoque exulcerantur; ſæpe etiam ſcirrhoſi fiunt, imo cancroſi, prout ſanguis vel corrumpitur, vel tractantur, evadunt.

10. Totum corpus a capite ad calcem usque intumeſcit, nunc æqualiter, nunc inæqualiter, in habitu & ambitu ſuo, tumore aquoſo ſeroſo pituitoſo in *anaſarca* & *leucophlegmatia*, ob eandem *miliarium glandularum* anguſtiam & ſtricturam.

20. In *artubus* aliquoties obſervantur *tumores ſ. globuli* copioſi albicentes, molles, mobiles, rotundi, ovales, nunc magnitudine ovi columbini, nunc majori, nunc minori, ſine dolore, calore & colore rubicundo, qui non animadvertuntur, donec ſenſibilem jam magnitudinem contraxerint; ſignum ſunt podagræ, interdum etiam luis venereæ.

21. In *inguine* fiunt tumores ſeu *bubones* benigni absque calore in *glandulis iſtius loci*, & vel ob equitationes aut motus fortiores, a quiete diuturna factos, aut in pueris dum creſcunt (quod etiam ſub axillis accidit) naſcuntur.

22. Haud inepte aut male *glandulis* ſpecifice infeſſa dicitur *lues venerea*, utpote quas præ aliis infeſtat & afficit, & a quarum ſtrictura ab hoc veneno facta innumera in corpore oriuntur ſymptomata: prima principia quidem in partibus genitalibus aut his proximis ponuntur, *proſtatis ſcil.*, *veſiculis ſeminalibus*, *glandulisque inguinalibus*; vel in *labiorum*, *linguarum*, *faucium*, *palati*, *nariumque glandulis*, prout ſcilicet communicatio veneni iſtius venerei facta eſt, per coitum, vel per oſcula; poſtea vero cancellis illis haud contentum ſerpit ad omnes, *frontis*, *ani*, imo haud raro *aurium*, *oſſium*, *totiusque corporis glandulas*, & nunc diſtrictum certum miliarium occupat, puſtulas elevat, & ulcera excitat, donec auctum valde in oſſibus non ſolum dolores moveat intolerabiles, ſed & nodos, atque exoſtoſes producat. Dolores illi, qui in tibiis ejusmodi infectorum, vel cubito aut radio, imo cranii oſſe præ aliis ſentiuntur, & manum tangentis vix ferunt, non ſemper nodos aut exoſtoſes inferunt, utut oſſis jam infecti vel infecturi ſignum ſint; ſed ſæpe iterum evaneſcunt absque iſtiusmodi vel excreſcentiis vel tumoribus, & absque cura eo directa, remanentibus interim reliquis ſymptomatibus, quæ lues illa induxit; ſed demum ſalivationi ſuperveniunt, rite etiam peractæ ſecundum omnes leges & requiſita: ita ut diu absque interrupione continuata illa, materia inſuper copioſa eaque fœtidiſſima excreta, totumque os exulceratum fuerit, ut inde noctes diesque illa fluxerit. Poſt illas inquam ſalivationes bis etiam, vel ter aut quater ſuſceptas, doloribus in ipſa ſalivatione ceſſantibus penitus, elapſo aliquo tempore poſt ſalivationes redeunt non ſolum dolores in oſſe tibiæ, ubi antea quoque cruciabant, vel oſſe frontali & maxillari ſuperiori, in quibus ante ſalivationem pariter ſentiebantur intenſiſſimi, verum nodi & exoſtoſes, quæ ante ſalivationem plane deerant, accedunt, tum ſcilicet temporis

poris, ubi maſſa ſanguinea correcta videbatur, reliquaque ſymptomata omnia ceſſarunt. Fit autem hoc, quando virus diu in corpore latuit, totamque maſſam ſanguineam corrupit, & hinc oſſa eorumque glandulas invaſit; licet itaque ſalivatio ſecundum omnes regulas peracta fuerit, ſanguis inde quidem corrigitur, dolores remittunt, ex oſſibus vero terreſtreitates illæ mediante ſalivatione non educuntur; nec caries cedit, etiamſi centies inſtitueretur; reliquiæ igitur in oſſibus hærentes leviſſimo admiſſo errore reviviſcunt, repullulant, iterum iterumque in partes ſuperjacentes agunt, eas rodunt, ſcindunt, vellicant, dictumque dolorem primo etiam majorem non ſolum, ſed & nodos iſtos & exoſtoſes producunt, quæ præ dolore indicibili tangi non poſſunt, ex quibus apertis materia picis inſtar nigerrimæ extrahitur. Quo autem modo fiat, quod hæ partes glanduloſæ præ carnoſis afficiantur ab hoc veneno, non omnium eadem eſt ſententia: licet enim rejicias modum ſpecificum, terminum præter unicum verbum nihil explicantem, qualitatem occultam, & certæ pororum configurationi inſiſtis, qs. res longe melius & clarius inde illuſtraretur & qs. demonſtraretur, multis tamen æque obſcura illa ac occulta qualitas videtur, quia in morbis epidemicis una ſemper eademque cauſa præſente eædem ſemper partes in diverſiſſimis licet ſubjectis, afficiuntur, & anginæ, pleuritides &c. naſcuntur, ac unæ ſemper eædemque, non diverſæ partes inflammantur, licet una eademque configuratio pororum omnium vaſorum capillarium, ratione circulationis ſanguinis nonnullis dicatur, cauſaque inſuper in aëre hæreat communis, quæ omnes partes ambit & pervadit, nihilominus autem una eademque pars ſemper afficiatur; ubi ſane ſpecifica hoſtilitas aut convenientia non in ſola pororum configuratione conſiſtens, ſtatuenda videtur, ſed peculiari modo hanc & non aliam afficiens; uti cantharides veſicam urinariam afficiunt, non alias, etiam morboſas partes, quarum gratia illæ in empl. veſicatoriis imponuntur, nihilominus veſicam præ aliis lædant. Verum cum cauſæ illæ communes morborum epidemicorum modificentur, cujus, ut & aliarum circumſtantiarum ratione aliquid peculiare in illis, puta cauſis, deprehenditur, earum intuitu fit, quod hæc ſolum pars a cauſa alias communi afficiatur & non aliæ quoque, ut itaque poſterior illa ſententia de pororum certa configuratione in ſpeciali hac invaſione glandularum in lue venerea plus veritatis atque favoris recipiat.

III. Phoenomenon.

Glandularum ſtricturam p. n. variæ ſequuntur roſiones, puncturæ, tenſiones, contractiones ſpaſmodicæ, dolores contumaciſſimi, potiſſimi autem absque inflammatione.

1. In *capite* eſt *Hemicrania*, affectus moleſtiſſimus, pertinaciſſimus, reci-

cidivans nonnunquam, certis ac ſtatis temporibus accedens, nonnunquam erratica, utraque nunc ſiniſtram capitis partem occupat, nunc dextram.

2. Eundem fontem h. e. *glandularum* indiſpoſitionem ſtricte ſic dictam & quidem infimi ventris agnoſcunt *affectiones hypochondriacæ*, *hiſtericæ*, *colica ſpaſmodica*, *ſcorbutica*, quando tormina in ventre ſentiuntur & dolores acuti valde, ubi nunc hypochondrium dextrum, nunc ſiniſtrum contrahitur, nunc globuli in hac vel illa parte abdominis exoriuntur, umbilicus nunc retrahitur, nunc inteſtina contrahuntur, contorquentur, ventriculus invertitur, facies icterica evadit, veſica [illegible]aria comprimitur, & hinc urina vel plane non emittitur vel guttatim cum ſummo ardore & rubore: teſticuli re & extrahuntur, nunc artus ſpaſmodice trahuntur, nunc totum genus nervoſum afficitur, nunc caput dolet ac ſi diffringeretur, nunc dolor lumbos occupat ſecundum lineam oſſis ſacri regionis inguinalis & hypogaſtricæ, ut æger, corpus flectere nequeat, ubi ſæpiſſime dolores inter ſe invicem reſpondent, ita ut ſi in oſſe ſacro ſentiuntur, inſimul in ventre & circa umbilicum ſint acuti; præſentibus his doloribus modo omnibus, modo quibusdam ſolum, imo ceſſantibus etiam, æger contabeſcit.

3. In inteſtinorum ambitu atque circuitu ægri *ſenſum inflammationis* percipiunt, quaſi ignis inibi accenſus eſſet, absque tamen ſiti p. n., non tamen absque torminibus colicis.

4. Aliquoties *ardoris ſ. uſtionis ſenſus* ille occupat in *hypochondriacis utraque hypochondria* cum parte anteriori, ſpatiumque cinguli cingentis ſumit, contumax pariter diuque durans, nullis neque mucilaginoſis, ♂alibus, alcalinis, neque emulſionibus, antacidis cedens, extinctus tamen uſu diuturno & continuo jusculorum alterantium ex antiſcorbuticis paratorum, hæcque excipientium acidularum, ut & confortantium analepticorum.

IV. Phoenomenon.

Dictæ glandularum diſpoſitioni debentur quoque ſiccitates variæ, extenuationes, atrophiæ, variæque actiones læſæ,

1. *Glandulæ miliares*, dictæ alias *nutritiæ* ubicunque ſint, ſi intumeſcunt, *maciem & contabeſcentiam* inferunt, ſive intra, ſive extra corpus ſit.

2. *Atrophia* generalis, febres hecticæ pariter harum vitio naſcuntur.

3. Similiter contabeſcunt *rachitici* infantes non ſolum ab intumeſcentia *glandularum meſenterii*, ſed & aliarum nutritiarum anguſtiam, unde parum ſucci nutritii & alibilis ſecernitur.

4. Ob eandem glandularum diſpoſitionem contabeſcunt etiam lue *venerea affecti*.

5. In *febribus*, iisque vel *benignis*, vel *malignis* aut *continuis*, a cacochymia

chymia item pituitoſa, ab aëre calidiori & acidiori oris atque linguæ glandulæ ſi ſtringuntur, deficit ſaliva in ore, in faucibus naſcitur ſitis, deglutitio difficilis evadit, in ventriculo appetitus dejicitur, digeſtio vitiatur, in naribus olfactus diminuitur, in auribus auditus, alvus ſiccior evadit in hypochondriacis vitio dicto glandularum inteſtinalium, urinæ ſecretio imminuitur, imo ad tempus aboletur ob infarctas glandulas renales, ſudor nullus contingit ob eandem miliarium diſpoſitionem, ſeminis generatio læditur ob ſcirrhum, compreſſionem & contabeſcentiam glandularum teſticulorum in hominibus æque ac animalibus, & quidem in illis per infortunium, aut aliam cauſam, in his ſtudio in caſtratione per compreſſionem facta, non exſciſſionem. Motus imminuitur, imo qs. aboletur ſimili vitio glandularum cerebri. Tacebo plura ob pagellarum anguſtiam.

FINIS.

C X C I.

P A R S   P O S T E R I O R.

C A P U T   I I.

De Cauſis & Obſervationibus tanquam fundamentis futuræ deductionis phœnomenorum in primo Capite enarratorum.

O B S E R V A T I O   I.

Copia materiæ, ſanguinis, ſeri, lymphæ, aliorumque ſuccorum viam ſibi ipſi intercipit, motum eorum tardat, vaſa, canales comprimit, coarctat, fluxumque impedit.

EA quidem vaſorum, ſive ſanguivehorum, ſive ſerivehorum aut aliorum quorumcunque canalium mollium eſt conſtitutio, ut dilatari quidem mirum in modum poſſint & diſtendi ſæpe absque ruptura, debitum tamen tempus requirunt, intra quod illud contingat, niſi ſubito diſrumpi velint: hoc ſi ipſis conceditur, ſucceſſive illa, quæ vix atomum tranſmittere viſa fuerunt, adeo ampla redduntur, ut digitum admittant; porro neceſſe eſt quoque ad obtinendam hanc in corpore vaſorum extenſionem celeriorem ac promptiorem, ut libera ſint, partibus non adeo impacta; nec ut partes ipſæ firmioris compactiorisque ſint texturæ aut ſtructuræ; ac denique ut ſemper aliquid vehant & tranſmittant liquoris, h. e. non quieſcant nunc ab iſta transcolatione, nunc iterum aliquid transvehant; eo n. pacto contrahuntur vaſa, illis ſc. temporibus, quando otioſa fuerunt, ut vel penitus nihil ſecundum nonnullos, vel parum liquoris, quod verius, per illa ttajiciatur. Præterea notandum quoque eſt, partes corporis noſtri inſervire vel ad motum, vel ad ſecretionem & præparationem alicujus liquoris; in his vaſorum etiam exilimorum in ſe convolutionem; contorſionem ac complicaturam majorem eſſe, ac in carnoſis; licet & ibi ob ſecretionem ſucci nutritii aliqualis ſit & requiratur. Denique vaſa illa majora ſanguiveha materiamque pro ſecernendo peculiari quodam liquore advehentia, quando viſcus aut aliam partem, in qua ſecretio aliqua fiat, ingrediuntur, non ſtatim in ingreſſu obliterantur, ſed quia omnibus acinis glanduloſis ramuſculos impertiri debent, eousque progrediuntur, ſenſim diminuta, donec penitus deficiant. Si itaque ſanguis, vel alius quicunque liquor ad partem quandam glanduloſam tranſmittendus citatius juſto movetur, a quacunque

demum

demum cauſa id factum fuerit, ſique in majori copia affluit, ac alias, ſalvo manente circulo, deberet, illa ipſa materia ſive ſanguis, ſive chylus vel lympha copioſior advecta, vaſa majora diſtendit; hæcque poſtmodum glandulas, quas tranſeunt, ob ſuam diſtenſionem comprimunt, ut & vaſa minora, eaque tam venoſa, quam ſecretoria, ut tam promte materiam revehendam ſufficienter, prout quantitas affluxæ requireret, non recipiant, hinc neceſſario urgente a tergo eadem vi continuanteque fluxu, illa ſuo modo ſtagnare atque morari cogitur, quo facto partes non poſſunt non diſtendi, elevari, intumeſcere, nunc magis nunc minus, pro diverſitate copiæ materiæ, aliarumque cauſarum. Aucto autem motu ſanguinis, hujus influxu & compreſſione partium, vaſa etiam magis diſtenduntur, e contra capillarium extremitates magis coanguſtantur; quod enim diametro vaſorum & canalium mollium accedit ante illam extremitatem, huic demum decedit. Si tandem cauſæ conſtringentes, ut *aer externus*, aliaque *frigida*; vel obſtruentes, *pinguium* titulo accedunt, eo facilius effectus ille obſtructionis obtinetur atque producitur: clauduntur enim non ſolum pori externi, materiaque ſtagnationem fovens retinetur, ſed & interiores, & nunc admiſſo leviori ſæpe aere frigido externo, nunc rigidiori, qui profundius longe agit & penetrat, quam intrat: ruditer enim affectis extremitatibus fibrarum nervearum ad cutem terminantium, ſenſus ille ingratus & moleſtus introrſum quoque vergit, & quidem eo magis, cum partes tum rarefactæ ſint ob calorem & motum, laxioresque redditæ; dumque extremitates illarum fibrarum nervearum contrahuntur & conſtringuntur ab aere illo frigido, interiores pariter trahuntur, ſtringuntur cum partibus quibus adhærent & inſertæ ſunt, ut itaque accedentibus dictis hactenus cauſis omnibus externis & internis, copia materiæ eo fortius agat. Hanc autem copiam & abundantiam materiæ augent varia ex rebus *naturalibus*, *nonnaturalibus*, *& p. naturalibus*; præter *temperamentum* & *ætatem*, *exceſſus ingeſtorum variorum; evacuationes conſuetæ ſuppreſſæ*, ut & p. n. varia, quibus hac vice ſuperſedebimus.

OBSERVATIO II.

Fluida quæcunque corporis noſtri, quam primum evadunt viſcida, lenta, craſſa, difficilius non ſolum atque tardius moventur ſed & facilius ſubſiſtunt, adhærent, ſtagnant, & obſtruunt, præprimis ſi illa etiam eveniunt acida.

Sanguinis motus inteſtinus ſecundum *ingenioſiſſimum Bohnium Circul. Anatom. Progymnaſ. 4to p.* 57. fit, quando non tantum globuli, tanquam partes magis compoſitæ, & ſenſibiliores portionem ejus rubicundam conſtituentes, quam diu hæc fluorem naturalem retinent, modo ſurſum, modo-

modo deorſum, modo ad hæc vel illa latera feruntur, prout quidem per microſcopia cernere licet, & *Excell. Dn. Præſes*, quoque oſtendit, ſed ſimpliciores quoque & ſenſus noſtros fugientes moleculas ſcil. pingues, ſalinas, aqueas, terreas, quæ diverſos ſuos impetus & niſus habent. Hiſce globulis ſi accedunt multæ *ramoſæ* h. e. *lympha viſcida & chylus crudus indigeſtus*, quæ difficulter a ſe invicem disjunguntur, ſed ſibi implicitæ manent, ſique moleculæ iſtæ non minus crudis iſtis involvuntur, circumvolutio globulorum iſtorum non ſolum tardior atque difficilior evadit, ſed & actio molecularum ramoſis intertextarum & obvolutarum ſegnior eſt; hinc motus totius mixti debilior in vaſis, ſpiritusque minus activi fiunt. Præterea hæ ipſæ particulæ, ſi tranſcolentur per capillaria, ob figuram ſuam irregularem in anfractibus vaſorumque complicaturis anguſtiſſimis, glandulis ſcil. facile *adhærent*, & auctæ reliquis humoribus moram injiciunt, ut *ſtagnent*, *partemque tumidam* reddant. His *ramoſis* poſtea ſi accedunt iſtæ *rigidæ*, *acidæ*, tenacius longe ſibi invicem combinantur, conglutinantur, motusque ſanguinis non ſolum redditur tardior, ſed & parietibus iſtorum capillarium firmius adhærent, pertinacioresque producunt ſtagnationes & obſtructiones. Si denique uti ſæpius contingit, illis *acredo* jungitur, dum in vaſorum anguſtiis ſubſiſtunt, rodunt, lacerant, pungunt, lancinant, conſtringunt, contrahunt fibras nerveas, quæ iſtis glandulis intertextæ ſunt, doloresque producunt acerbiſſimos, qui non ſolum in parte, cui infixæ ſunt, ſubſiſtunt, ſed & ad alias vicinas & remotas mediantibus nervis propagantur & transferuntur; utque dictarum fibrarum ope modo dicti dolores in glandulis harumque plexibus exorti aliis quoque partibus communicantur; ita ob vaſa ſanguiveha diſtenta pariter, ſanguinemque ſtagnantem ſi dolor natus eſt in parte quadam aut certo illius diſtrictu, vicinam quoque in conſenſum rapit, doloremque ibi excitat; vaſa n. ſanguiveha, v. g. capitis (quod a. de capite dicitur, de reliquis corporis noſtri partibus valet quoque) cohærent inter ſe invicem, non ſolum ratione majorum, verum etiam minorum ramorum, ita ut rami cum ramis correſpondeant, venoſi ſc. cum venoſis, arterioſi cum arterioſis, & mediantibus his &.. partes capitis externæ cum internis; ſi itaque in uno horum vaſorum fit ſtagnatio quædam, ita ut motus ibi aliquando impediatur, illico in vicinis idem vitium quoque ſentitur, ut nec ibi circulatio libera ſit, ſed pariter ſanguis tardius moveatur, hincque vaſa magis diſtendantur & dolor naſcatur; econtra in vicinia ſolvantur obſtructio & dolor, ſi vel depletio quædam ſanguinis in prioribus vaſis præceſſerit aut alio modo obſtructio ſublata fuerit; reddito enim liberiori motu ſanguinis in uno vaſorum, mox in reliquis in vicinia ſanguis, qui in aliqua parte ſtagnare coactus fuit, libertatem ſuam nanciſcitur, vaſaque omnia in priſtinum ſtatum redeunt, dolorque ceſſat exinde natus, & quidem non ſolum in partibus externis, ſed etiam internis. Hæc lympha autem craſſa,

viſcida,

viſcida, acida, acris, aut ſi magis placent, particulæ hæ ramoſæ acidis & acribus mixtæ, non ſolum ubi ſtagnant, & ſubſiſtunt fibras tendinoſas & nerveas vellicant, pungunt, rodunt, ſed & illas lacerant, ſcindunt & diſrumpunt, eo penitus modo, ac ſi ab externis acidis corroſæ fuiſſent, excavant certum aliquod, ubi ſtagnant, ſpatium, in quo ex ſciſſis illis & diſruptis fibris, tubulis & vaſis humores confluunt, quorum particulæ, ex quibus conſtabant, a ſe invicem ſecedunt in primam quaſi materiam ſuam, hinc pus, ulcera & abſceſſus generant. Sique partes iſtæ glanduloſæ, fibroſæ, carnoſæ, in quibus ſtagnabant dictæ particulæ, oſſibus adſtant aut ſuperincumbunt, nec has rodere, ſcindere deſiſtunt, donec & illorum fibras corroſerint, illasque ut carnoſas conſumpſerint, ut integra fruſtula extrahi poſſint, ac ſi a ſpiritibus acidis corroſæ fuiſſent, quod dentibus, uti *Muys* loquitur, accidit ab oleo vitrioli, quod ipſis applicatur, a quo carioſi redduntur ac fruſtulatim nigri excidunt. Ad fluidi autem hujus vel M. S. corruptionem viſcidam, acidam, acrem, varia conferunt: *ex naturalibus* multum ſane contribuit *temperamentum* ſic dictum *phlegmaticum*, ut & *melancholicum*, vel quorum *ſanguis a prima quaſi conceptione vel ætate ſuccis craſſis, crudis, vel ⊖ bus fixis, tartareis & acribus ſcatuit*, talemque labem tenellis partibus impreſſit non ſolum, ſed & partium poros ita formavit, ut illorum collectioni poſtmodum faverent magis: cui demum ſuccedit *hæreditaria diſpoſitio* non minus valida. In *nonnaturalibus* ſunt aer frigidus, humidus, craſſus, ſalſus, acidus, acribus particulis impræegnatus; cibi craſſi, crudi, ſalſi, acidi, infumati, pinguia, piſces varii recentes, & exſiccati, legumina, fructus horrei, dulcia, ſaccharata; omnia hæc frequenter ac in nimia quantitate aſſumpta, potus inconveniens, quantitate, qualitate ac utendi modo peccans, ſomnus turbatus, vigiliæ exceſſivæ, lucubrationes, quies ſtatim poſt paſtum, fæces alvinæ, urina, menſes, hœmorrhoides, tranſpiratio ſuppreſſa, &c. Ex *P. naturalibus* eſt vitioſa præprimis digeſtio ventriculi, quæ omnem paginam abſolvit; hæc enim ſi infelix eſt, partesciboſæ non attenuantur aut debite ſolvuntur, viſcoſæ evadunt, aceſcunt, aut ſi particulis acribus conſtant, illæ quoque remanent, nec ſecernuntur, inde non poteſt non talis maſſa indigeſta, cruda, acida, ſalſa, acris evadere & talis quoque ſanguis; *malum hypochondriacum*, *ſcorbuticum*, *ovula degenerantia in ovario & corrupta*, *lues venerea &c.* ſimilem characterem imprimunt.

OBSRVATIO III.

Stagnationem humorum in glandulis producunt & fovent eorum morbi intemperiei, conformationis & ſolutæ unitatis.

Duplex maxime ab authoribus hic accuſari ſolet *intemperies* in glandulis, occaſionem præbens ſtagnationi & ſubſequentibus obſtructionibus, *calida* ſcil. & *frigida*; utraque vel *univerſalis* vel *particularis*, quæ quidem a M. S. non dependens a recentioribus rejicitur, quanquam rationibus ſuis deſtituta non ſit, & glandulæ ſæpe intemperatæ ſint, etiam ſi non a ſanguine intemperato, puto quoad ſubſequentem quandam qualitatem exceſſivam, a qua intemperies illa tum in corpore determinatur, & quæ poſt primam partis ſcilicet intemperiem & ab illa nata eſt: ſi ſcil. a cauſis externis variis, aere, ☿is, mercurio, fermentis variorum morborum qualitates quædam ſive particulæ, a quibus demum illa exoritur, glandulis inferuntur, ut tonſillarum, aurium, narium, aut proſtatarum, a quibus primo intemperies particularis, poſtea univerſalis exurgit. Si v. totus ſanguis eſt intemperatus, facile in & afficientur quoque glandulæ, ſique is incaluerit, & hæ calorem concipiunt, quem haud raro ſtagnatio & obſtructio ſequuntur; tum enim partes rareſiunt, ſanguis qui celerius movetur, impetuoſius irruit & admittitur inter interſtitia, imo propter acidum præſens in glandulis etiam magis efferveſcit, ut copioſior influat, qui cum prompte refluere nequeat, intra complicaturas vaſorum ſtagnat & ſubſiſtit. In *intemperie frigida* contingit hoc, vel quod ſanguis aut lympha iſta glutinoſa, viſcida, craſſa, ob frigiditatem ſuam tardius nimis moveatur, vel ob particulas activas ſuppreſſas, vel quod ſpiritus non ſufficienter influant, fibras glandularum non debite, ut ita dicamus, animent, ut propellere ſanguinem in motu ſuo tardum poſſint, ſed aliquid ex iſta viſciditate hæreat, donec ſenſim ſenſimque aucta viam occludat. Per *compreſſionem* vaſa glandularum coarctantur, ut ſanguis vel alia materia ſecreta debite pergere nequeat, illaque obſtruantur. Compreſſio autem illa eſt vel *interna* vel *externa*, *immediata* vel *mediata* mediantibus ſc. vaſis, & vel â *corpore ſolido*, *vel humoribus*, *vel flatibus* contingit. Interdum autem *a niſu violentiori* vaſa in illis *rumpuntur*, ut ſanguis extravaſetur, in interſtitiis, & pelvibus confluat, vaſa revehentia potiſſimam partem comprimat, cum novo affluente ſanguine efferveſcat, calorem in toto accendat, ut inde affluxus major fiat, majorque ſtagnatio, obſtructio & intumeſcentia. Vel ab *externis* variis vulnerantur etiam & ſcinduntur.

OBSER-

OBSERVATIO IV.

Obſtruuntur, obſtrui poſſunt omnes glandulæ totius corporis noſtri; imo ſecundum nonnullos etiam obſtrui debent ad inferendam ebullitionem, effervescentiam, & deſpumationem ſanguinis, ad dolores diuturnos, intumeſcentias & abſceſſus vel leves, vel graves; nec ſtagnant humores, niſi in folliculo incarcerati hæreant, aut inepti plane ſint, qui non exhalationes tranſmittant in ſanguinem; utque materia ſtagnans diverſa eſt, ita & diverſi vapores putridi, calidi, acres, acidi, frigidi exſurgunt, diverſique inde naſcuntur effectus frigoris, accenſionis, caloris, lancinationis, roſionis, conſumtionis. Ob varietatem autem organorum nunc debilium nunc robuſtiorum, cauſarumque diverſitatem, nunc in has nunc alias agentium, præ aliis quoque contingit obſtructio nunc in his, nunc aliis, nunc pluribus, nunc paucioribus glandulis. Si obſtructio valida eſt & ſtricta, vaſa tenuiora ſimplicibus, quoad viſum, membranis inſtructa, tranſeuntia, ob denegatum materiæ tranſitum facile rumpuntur; eamque in cavitatem effundunt.

Vix ulla exiſtit glandula, minima etiam corporis noſtri, in qua non *obſtructiones* vel experientia aut ſectio anatomica deprehenderit: ad illarum vero generationem *aptas eſſe illas* nemo, qui ſanæ rationis uſu adhuc gaudet, inficias ibit, ob vaſorum mire contortorum anguſtias & materiæ in corpore noſtro ad adhærendum & ſubſiſtendum convenientiam. An vero ad dictos affectus producendos neceſſario *ſtagnatio & obſtructio* requiratur, aliud eſt, multum tamen probabilitatis præ ſe fert atque favoris: ut effervescentia ſanguinis fiat, opus eſt, ut fermentum aliquod, ſive heterogeneum, confundatur ſanguini, cum quo partes ejus colluctentur; ut vero iſtud generetur, quiete opus habet, quæ in vaſis concipienda non eſt; ergo ibi, ubi contorſio eſt, ubi anguſtia, quæ non niſi in glandulis reperitur; niſi autem & ibi, a quacunque demum cauſa externa vel interna factum fuerit, ab humoribus aut rebus nonnaturalibus obſtructio ſit, illud generari aut colligi non poterit; ſanguine enim continuo a corde propulſo, pariter ut in vaſis, ita in glandulis quoque propelletur atque promovebitur; ut ergo colligi poſſit ac in debita quantitate generari, qua ſcil. ſufficit ad bellum illud & pugnam, obſtructio neceſſaria eſt. In febribus catarrhalibus res eſt palpabilis, ut & in lacteis *den Milchfiebern*; in utrisque vulgus accuſat ab aere frigido conſtrictionem & obſtructionem glandularum narium, oris & colli quarundam, mammarum item, ita, ut etiam mulierculæ calore febrili obſervato ſtatim mammas inſpiciant, an tumores adſint, illisque proſpiciant. De *intumeſcentiis* res clara eſt. *Dolores diuturni* pariter requirunt talem focum & locum, qui conveniens ſit iſtorum generationi. Horum enim cauſa gravis non

levis eſt, incarcerata, non libera eſſe debet aut facile mobilis; præſupponit enim corruptionem magnam & intuitu qualitatum ſuarum & conditionum acidam, ⊖nam, acrem, & ut talis evadat, ſtagnationem, quæ vero non in cavitate aut canali libero, ubi facilis abſterſio eſt, ſed locum anguſtum & talem quidem, ubi affluxus eſt, & ſpatium nihilominus ad luctum & pugnam particularum ſanguinis aptum requirit, & denique talem partem, quæ nervis ſit inſtructiſſima. Jam ſi totum corpus examinamus, omnesque partes luſtramus, nullam ſane deprehendemus, cui omnia hæc competant, niſi glandulas; quo magis autem tenſæ illæ ſunt, vel liberæ, aut membranis etiam intertextæ, eo intenſior eſt dolor, quia vibratio fortior eſt, perceptio auctior. Intenditur autem ille etiam pro diverſitate materiæ, prout vel acrior eſt, fervidior vel acidior. *Abſceſſus* omniaque *ulcuſcula* omnium conſenſu obſtructionem dicunt, fibrarumque diſciſſionem: ubicunque a. eſt ſtagnatio, *ibi humores eorumque particulæ incipiunt in ſe invicem agere, ſubtiliores avolare, & nunc citius, nunc tardius, prout 🜍eæ magis vel acidæ, acres, ⊖næ, terreæ immixtæ ſunt.* In naturali ſecretionum opere idem fit, & videmus, quod ubicunque ſecretio fiat, ibi naturam glandulas conſtituiſſe, in quarum anfractibus & anguguſtiſſimis contorſionibus ſanguinis motus tardior eſt, imo ſubſiſtere cogitur aliquantulum, ut partes ſecernendæ ob paulatinam ſolum moram disjungantur & poſtmodum tranſcolentur. *Ex illis 🜍eis* omnium conſenſu & ſenſu *exhalant vapores ignei* in inflammationibus glandularum, inde non poteſt non ignis accendi in corpore, continuoque durare, quia in inflammationibus illi non deficiunt: *ex acidis prædominantibus* exſurgunt *acidi*, ſenſum frigoris inducentes, quocunque incidant & ubicunque nati fuerint; hi vero non uno in loco in febrium paroxiſmis ſentiuntur, ſed nunc in dorſo, nunc in ventriculo, nunc in interioribus, nunc magis in exterioribus, nunc in pectore &c. & œſophago, uti hiſce diebus obſervavit Exc. Dn. Præſes, quod frigus in pectore inceperit cum gravitate quadam, deglutitionisque difficultate, hancque majorem fuiſſe durante frigore, leviorem vero effuſo calore. Frigus autem, ejusque ſenſum ab acidis provenire externa acida ingeſta illud ſatis abunde probant. Ab *humoribus acribus ⊖inis* tales itidem in ſanguinem redeunt, cum eo in toto corpore per omnes partes feruntur & rapiuntur, hinc etiam omnes rodunt, abradunt, earumque gluten abſumunt pro indole & natura ſua, quæ illis competit & quod ab externis acidis in corpore contingit. Quod autem non eædem ſemper glandulæ afficiantur & obſtruantur, ſed nunc externæ in febribus, nunc internæ, nunc meſenterii, inteſtinorum, pancreatis, ventriculi, pulmonum, œſophagi, aſperæ arteriæ, narium, ſinus frontalis, maxillaris &c. id tam a parte, quæ præ aliis a cauſa, licet communi, afficitur, dependet, quam ab ipſis cauſis, quarum alia fortius in hanc, ac aliam agit; e. g. ſi partes externæ totius corporis noſtri incaleſcentes aeri frigidiori exponuntur, aut in aquam immittuntur; aut non-

nullæ

nullæ ſolum; tunc vel omnes, l. nonnullæ etiam obſtruentur; aër ferit præ aliis partibus corporis noſtri collum, nares, aſperam arteriam & œſophagi partem ſuperiorem, hinc etiam præ aliis ab eo læduntur, conſtringuntur. Errores in diæta commiſſos omnes quidem partes luunt, primario vero ventriculus, inteſtina parteſque glanduloſæ vicinæ, quæ a chylo iſto crudo, lympha viſcida, muco ſeu pituita obſtruuntur præ reliquis, hinc etiam prima ſymptomata ſentiuntur ibi, imo medicamenta eo directa felicius etiam operantur, obſtructioneſque citius ſolvunt, ac ſi reſpectus ad totum haberetur. In lue ♀ea immediate virus ſeu fermentum immittitur in proſtatas, hinc & illæ præ aliis laborare incipiunt. In equitationibus nimiiſque motibus patiuntur magis glandulæ inguinales; in potu frigido faucium, aſperæ arteriæ, gulæ, ventriculi, pancreatis, inteſtinorum & meſenterii. In reliquis aliud peccabit. Denique ſi in glandulis conglobatis obſtructio atque humoris infarctura ſtrictior & firmior eſt, vaſa lymphatica, quæ tranſire debent, & haud raro in illis in minimos ramulos deſinunt & obliterantur, non poſſunt non etiam comprimi & obſtrui, & quidem eo facilius, cum & lympham viſcidiorem vehant; facta autem obſtructione, fluxuque ulteriori denegato, vaſa illa tenuiſſima poſt factam nimiam dilatationem rumpi debent & lympham in cavitatem effundere; ſi enim orificia vaſorum lymphaticorum in cutaneis glandulis ita obſtruuntur, ut nihil amplius per ea refluat & revehatur; & vaſa ſanguiveha, quorum ſtructura tn. fortior eſt, non minus comprimantur ſæpe & ita obſtruuntur, ut refluxus ſanguinis per illa penitus inhibitus ſit, hincque etiam rumpantur; qui reſiſtent tenuiſſima illa lymphatica? diſrumpentur ergo pariter & lympham ſuam dimittent.

OBSERVATIO V.

Ubi obſtructio, ibi nulla eſt ſecretio, nulla excretio aut reductio.

Obſtructio fit, quando lympha quædam viſcida aut craſſa collecta & infarcta eſt non ſolum in interſtitiis vaſorum, ſed & quando in ipſis vaſis vel orificiis eorum, vel etiam ante eorum extremitates illa hæret, omneque ſpatium occupat, vel aliquam ſolum partem; ſi tota cavitas aut orificia repleta ſunt, totalis obſtructio eſt, hinc etiam plane nihil admittere, emittere vaſaque excretoria recipere poſſunt, defectuſque variorum ſuccorum naſcitur, prout partes ſunt aut liquorem ſecernunt; lactis ſc. in mammis, ſalivæ in ore, muci in inteſtinis naturalis &c. dum vero hæc dicimus, non ab hac ſola cauſa defectum illum oriri ſemper ſtatuimus, cum ratione materiæ varia adhuc accuſanda veniant, quæ vero hujus loci non ſunt.

CAPUT.

CAPUT III.

De Hypotheſibus quibusdam nonnullorum authorum de ſubjecto atque cauſis phœnomenorum recenſitorum.

1. Ut collatio phœnomenorum cum cauſis fieri poſſit in præfamine promiſſa, veriorque nonnullorum pateat ſtatim, atque in ſenſus incurrat, neceſſe eſt, ut aliquot authorum hypotheſes enumeremus. Tribus autem, cum potiſſimæ jam ab authoribus diſcuſſæ & excuſſæ ſint, referre illas pagellarum anguſtia jubet.

2. De *febribus* earumque *ſubjecto cauſali* hypotheſes tantum non innumeræ ſunt; conſule de his *eruditiſſimam atque utiliſſimam Diſput. Spectatiſſ. D. D. Camerarii Senior. de febribus in genere*; *reperies ibi quæ animum tuum ad votum ſatiant, meliora dici aut ſcribi non poſſunt. Egregie n. tradidit eſſentiam earum, & diverſorum authorum ſententias conciliavit, rogamus ipſius nob. excell. velit propter bonum publicum, quod hactenus in omnibus obſervavit ardentiſſime, reliqua, quæ ſuperſunt, ſuperaddere, atque difficultates illas de intermiſſionis, ſtatarumque periodorum cauſis enodare, veramque tradere.* Has uti in vaſis nunc majoribus, nunc minoribus, nunc mediis, pro ſpeciei diverſitate, ex putredine humorum oriri antiquitas veneranda ſtatuit; ita ex recentioribus nonnulli intermittentium omnium focum anguſtum pariter conſtituerunt. Ex omnibus brevitatis ſtudio adducemus *Celeberrim. Sylvium, qui Pr. Lib. I. p. m. 227. de febr. omnium intermittentium* cauſam eſſe dixit *ſuccum pancreaticum*, aliqua ſui parte in uno pluribusve pancreatis ductibus lateralibus obſtructis ſtagnantem, remora ſua ibi acriorem factum, atque acrimonia iſta acida per pituitam plus minusve viſcidam & notatæ obſtructionis cauſam via vi parata penetrantem ac in tenue inteſtinum effuſum, vitioſamque ibi cum bile atque pituita effervеſcentiam excitantem.

3. De *Tuſſi* communiſſima eſt ſententia, ſubjectum partemque affectam eſſe organa reſpirationi inſervientia primaria & principalia, cauſamque immediatam organorum horum contractionem ſpaſmodicam, magna cum vi aerem inſpiratum repellentem; cum enim tuſſis varium ſonum edat, qui ab aeris percuſſione partiumque quas tranſiit varia diſpoſitione dependeat, ſymptomatis hujus ſubjectum eſſe debere illas partes, quas ille ingreditur & in quibus circulatur; has autem nullas alias eſſe niſi *laryngem, aſperam arteriam ac bronchia*, ergo etiam nullum aliud ſubjectum tuſſis immediatum exiſtere poſſe niſi dictas partes, non autem *œſophagum* aut *ventriculum*. Continere quidem poſſe partes haſce cauſam mediatam proximiorem, continuoque illam ad pulmones transmittere, tuſſim tamen immediate non excitare; cum hujus cum reſpiratione haud adeo proximum intercedat commercium, ac præterea ab acrioribus ſuccis ad ſingu-

ſingultum atque vomitum concitari ſaltem obſervetur. Ita haud inepte contra *Lindanum* argumentatur *Juncken in praxi ſua Med. Cap. de Tuſſi.*

4. Ex eodem fundamento communis fert opinio, *aſthma* tam *humoroſum* quam *ſiccum* non niſi in pulmonibus fieri, cum hoc reſpiratio difficilis atque læſa ſit, quæ non in *œſophago* perficiatur aut *ventriculo*, ſed in reſpirationis organis.

5. Non minus recepta & ubivis comprobata eſt illa de *raucedine* ſententia, quod ſubjectum ejus immediatum & quidem levioris ſit *larynx*, contumacioris & gravioris *aſpera arteria & bronchia*, cum *vocis depravatio* ſit illa, quæ nullibi fieri poſſit, niſi in illis partibus, ubi alias naturalis vox formatur, aer circulatur & modificatur.

6. *Catarrhorum faucium*, *oris*, *colli*, *ejusque partium internarum* cauſam qui negant a cerebro defluere, illam vel in principio laryngis circa fauces, vel in aſpera arteria aut bronchiis quærunt, illamque lympham eſſe dicunt ex partium harum glandulis extillantem, illas inundantem & irritantem; ſique illa acrior fuerit, ſubitoque in epiglottidem inciderit, illam conſtringere, & alias partes inferiores aſperam atteriam ſcilicet, ſi nempe eo quoque venerit, vel ex ejus glandulis effluxerit, ſuffocare, *catarrhum* dictum *ſuffocativum* producere. Hi, inquam, cauſam hujus catarrhi unice in dictis partibus, non vero extra illas, & ſic nec in *œſophago* ſtatuunt.

7. In *ſoda* ejusque cauſa communiter confugiunt ad *exhalationes calidas*, *acres*, *ventriculi partem ſuperiorem gulamque* ferientes valde, ab eſu pinguium aliorumque rerum excitatas, vel ab effervescentia humorum in ventriculum regurgitantium cum ingeſtis natas, vel a lympha acida in ventriculum effuſa, vel a prava ejus concoctione, dum vel fermentum nimis calidum eſt, vel crudiores humores in eo permanent & aceſcunt, & accedente bile ſeu ⊖e lixivioſo ebulliunt, ut conquerantur etiam *die Gall ſey ihnen in Magen geloſſen.* Hi cauſam unice in ventriculo exurgentem quærunt, membranas gulæ afficientem doloresque producentem.

8. Ex *Ephemerid. N. C. Obſerv.* 47. *Ann.* 1. quæ ſectionem *Hydrocephali* diſſecti continet & ubi notatum fuit, in capite neque de *glandula pineali* neque de *pituitaria* ullum apparuiſſe veſtigium, nonnullis oborta fuit cogitatio, ac ſi pituitariæ obſtructio illius cauſa eſſe nequeat, alias conſpicua magis fuiſſet.

9. Lympha acris abundans ⊖e ſcorbutico, graveſque illos dolores hinc inde in corpore producens *hemicraniam*, *colicos*, *nephriticosque dolores* intra membranas libere ſtagnare dicitur. Plura poſſemus adducere, quæ tamen cum e re eſſe dubitamus, brevitati ſtudentes, mittemus.

CAPUT IV.

Deducens pleraque phœnomena Cap. I. recenſita ex obſervationibus tanquam cauſis ſuis, quæque verior atque probabilior ſit, oſtendens.

Præmiſſis itaque fundamentis ſeu cauſis generalioribus viſuri nunc erimus phœnomenorum rationes, quæque veræ eorum cauſæ ſint.

Cum ingeſta laudabilia augeant chylum & ſanguinem *juxta Obſ.* I. ejusque motus pariter affluxum liquoris ſecernendi in partem ſecretricem præprimis, vaſa autem anguſtiora omni quantitati vehendæ aut recipiendæ non ſufficiant, nec ſubito diſtendi patiantur, imo potius in extremitatibus contrahantur, juxta *eand. Obſ.*, in promptu cauſa eſt *tumorum acinorum glanduloſorum in mammis*, *doloris tenſivi* ſub axillis, vaſorum ſc. diſtentorum nimis, in quibus propter obſtructionem, quæ ab aere augetur externo, ſanguis pergere juxta quantitatem influxus non poteſt; cumque *juxta Obſerv. IV.* ex ſanguine ſtagnante & inflammato ſtatim particulæ ſecedant ♃ eæ, iſtæ in ſanguinem tranſmittantur, quibus adhuc via patet, ratio coloris iſtius accenſi in toto corpore quoque facilis eſt, ut evaneſcentis tumoris; ſoluta obſtructione aut ſubtracta & diminuta materiæ quantitate.

Uti res confecta eſt & abſoluta, efferveſcentiæ febrilis cauſam eſſe fermentum quoddam heterogeneum, & *ex Obſ. IV.* patet, illud non niſi ex obſtructis glandulis naſci poſſe, apparet febrium putridarum, continuarum, ardentium, catarrhalium, eryſipelatum, febrium intermittentium, quæcunque demum ſint, ſive ſimplices, duplices, triplices aut magis compoſitæ, focum & ſedem eſſe glandulas obſtructas.

Conſtat etiam ex *Obſerv. IV.* & teſtatur *experientia quotidiana* non ſolum pro diverſitate febrium, ſed & ægrorum acceſſum febrilem ſecundum varia ſymptomata ſentiri in variis partibus corporis noſtri, h. e. primum frigus exoriri nunc circa ſcapulas; nunc in ventriculo, inteſtinis, nunc in ambitu corporis, nunc in pectore, aut antecedere cardialgias, anxietates, tormina ventris, tuſſes, aſthmata &c. quæ omnia ſane diverſum locum indicant, a quo febres iſtæ ordiuntur. Si autem unica ſemper & conſtans febrium intermittentium ſedes atque focus eſſet, etiam circa iſtum locum ſemper prima ſymptomata ſentiri deberent, quod autem experientiæ reclamat; concludendum itaque eſt febrium dictarum intermittentium ſubjectum aut focum non eſſe unum idemque, ſed omnes glandulas totius corporis noſtri, non ſimul tamen, ſed nunc has in hac ſpecie, nunc alias in alia; atque itaque clariſſ. Sylvio ſubſcribi non poſſe: omnes intermittentes oriri ex ductus pancreatici obſtructione; alias

omnium

omnium febrium primordia circa eundem locum deberent ſentiri, quod tamen non eſt.

Ut in *febribus intermittentibus* non unum idemque ſemper peccat *ſubjectum*; ita nec in *continuis* illud concipiendum eſt aut quærendum. Hinc facile patet, cur in *ſynocho putrida* præter horrorem in pedibus ſentiantur *contractiones, dolores ulceroſi*, qui diu ſæpe continuantur, *tumorque*, & *impotentia motus* ſeu rigiditas circa *collum* & *caput*; alii econtra conquerantur de *cardialgia, inquietudinibus*, aliis exoriantur *aphthæ*, aliis exurgant *tumores particulares* (non critici,) qui poſt mortem evadunt *lividi*, & cur in febribus intemittentibus ſymptomata quæ in §. 7. recenſita fuerunt, adeo varient.

Nec mirari opus eſt *inflammari glandulas ſinus frontalis*, *maxillaris*, *aurium*, *narium*, *axillarium*, *inguinalium*, *proſtatarum*, ut & *aliarum externarum omnium*, quia *vi Obſerv. IV.* glandulæ totius corporis obſtruuntur & obſtrui poſſunt, & varietas invaſionum, quod nunc hæ inflammentur, nunc aliæ præ aliis, a partis diſpoſitione cauſarumque magis in hanc ac aliam irruentium conditione dependeat: pariter quoque non mirandum eſt, cur dolor in inflammationibus aurium, glandularum frontalium, ut & maxillar. intenſior ſit ac aliarum partium, quia juxta *Obſ. IV.* omnes dolores acutiores ſunt, qui in glandulis in expanſis membranis exiſtentibus oriuntur, & incendium in totum corpus abierit, ob particulas 🜍eas in ſanguinem raptas juxta eand. *Obſerv. IV.* ſpiritusque ferociores redditos.

Cum porro ex *Obſ. II.* fluidorum quorumvis, cum primum viſcida evaſerunt, motus non ſolum tardior ſit, ſed & ſubſiſtant, ſenſim parietibus adhærentia; aucta autem illa in vaſculis non ſolum obturent ea, ſed & partem elevent, ſuccosque copioſiores in interſtitia cogant, apparet facile, quomodo glandula pituitaria obſtruatur atque hydrocephalus fiat, parotides & ſtrumæ generentur, uvula longior evadat, hepar adeo intumeſcat cum meſenterii glandulis in rachitide, præpr. cum 2dum obſ. eand. iſtæ ſtagnationes atque obſtructiones pertinaciores ſint accedente acido, quod hic ſummum erat; totum corpus aqua tumeat in anaſarca & bubones in inguinibus exſurgant in equitationibus, cum per motum materia copioſior eo pellatur, quam revehi poteſt, vaſaque etiam aliquomodo comprimantur.

Quomodo obſtruantur glandulæ meatus auditorii, jam ſatis conſtat; cur autem in febribus malignis earumque fine ut plurimum id fiat hucque materia trudatur præ aliis, cauſa generalis petenda eſt ex obſ. IV. ex peculiari ſcil. quadam a cauſis n. n. paſſione, ut & ipſarum glandularum diſpoſitione; quod vero reliquæ in corpore glandulæ in iſta ſecretione penitus liberæ ſint nihilque particularum iſtarum a ſanguine ſecretarum recipiant, valde dubito, quod vero ideo non aſſeritur, cum illas non videamus, nec earum affectiones diſtinguere poſſimus. Surditatis autem

ſubſecutæ eadem eſt ratio, per obſtructionem enim illam glandulæ valde intumeſcunt undiquaque in meatu illo; hæ licet exiguæ, multæ tamen ſint, ita ut tumidæ totum meatum claudant, quod facile concipi poteſt, ſi narium glandulas minores quidem illis toto die aerem excludere experimur; excluſo autem ſufficienti aere, auditus difficultas fieri debet.

Oculi difficulter moventur, quod glandulæ eorum lachrymales dictæ, obſtructæ ſint, & hinc parum liquoris excernant, qui ad lubricationem eorum & mobilitatem neceſſarius eſt; dumque lympha illa ſtagnat vaſa vicina ſecundum obſ. IV. pariter diſtenduntur, ut nec ſanguis ſuperſtes nec lympha debite revehi poſſint, vaſa inde vicina dilatentur, craſſiores humores effundantur, humoribusque oculorum miſceantur, qui viſum turbare neceſſario debent.

Quomodo hydrops aſcites ob glandulas meſenterii obſtructas generetur, probat obſ. IV. quod vaſa lymphatica rumpi debeant, obſtructis eorum in dictis glandulis extremitatibus fluxuque ulteriori negato.

Quod autem talis glandularum miliarium in abdomine tumorem ſequi ſoleat, facile judicatur; ſcil. cum harum tumor ex materia viſcida & quidem univerſali in toto peccante natus fuerit, idem quoque in meſenterio peccabit, & aſcites modo jam dicto fiet, quod aliquoties obſervavit excell. Dn. Præſes, ubi alia ſymptomata ex eadem tamen cauſa fluentia quidem, adjuncta fuerunt, ut in muliere quadam aſthma, in alia tympanites.

Difficilius autem videtur reddi poſſe cauſam, qui globuli iſti molles, albicantes, mobiles in artubus apparentes vel podagram (quod quidem experientia docuit) prædicant, vel luem ♀eam, cum nullum dolorem inferant, reliquumque corpus purum nitidumque ſit. Tumoris origo una eademque quidem eſt, ac reliquorum; cauſa acida & viſcida, quæ *obſ. I.* accuſata fuit, & hic peccat; quod autem artus præ aliis prehendantur, qui etiam reliquis ſymptomatibus vel podagricis vel ♀cis exponuntur præ aliis, ſubjectamque dolorum conſtituant, forſan hæc erit, quam mihi concepi: præter id, quod partes hæ etiam præ aliis variis aeris injuriis obnoxiæ ſint, accedit, ſanguinis ſuccorumque motum debiliorem eſſe in partibus remotioribus a corde, ac in illis, quæ proximiores ſunt; hinc impulſum etiam aliquo modo infirmiorem in venas & glandulas usque penetrantem eſſe & hinc liquores viscidos acidos, vel lympham talem, quæ alias tarda eſt ob qualitates dictas impreſſas, in motu majorem moram nectere & ad majorem obſtructionem anſam præbere ad generandos tumores hos, globulos ac dolores.

Naſcitur *aſthma* ex tumefactis œſophagi glandulis, pulmonibus ſalvis, dolorque gravativus in pectore ſecundum ejus ductum, ad latera etiam vergens, quod canalis ejus non ſolum quoad exteriora, ſed etiam interiora reddatur anguſtior, membranæ communes, quibus cohærent inter ſe invicem contrahantur, bronchia ſecundum partem aliquam & aſpera arte-

ria comprimantur & conſtringantur, ut ſufficienter pro reſpiratione plena dilatari nequeant, ſimulque ponderis ſenſum faciant. Videtur quidem tantam compreſſionem & conſtrictionem, quæ aeris ingreſſum ſufficientem impediat, a canalis hujus conſtrictione & coarctatione venire non poſſe, cum parvus ſit, ita ut niſi corpus illud conſtringens fortius quaſi in aſperam arteriam agat ac in gulam, reſpirationem inde difficilem non reddi; a bolo inhærente & ſubſiſtente in gula argumentari non licere. Quod vero tumor ille glandularum dictarum aptus ſit compreſſionem inferre aſperæ arteriæ & bronchiorum, mox patebit. Nemo negabit contractionem œſophagi ab acidis & fructibus immaturis ſæpiſſime cohibere ſpiritum; nihil dicam de liquoribus acidioribus idem efficientibus, aut catarrhis gulæ, de quibus mox agetur quoque, qui tamen manifeſte aerem intercipiunt. Si igitur anguſtia & coarctatio gulæ ſeu œſophagi ab acidis reſpirationem impedit, idem faciet illa, quæ a tumoribus nata eſt; anguſtia enim hoc loco illud produxit, quæ ſi inducitur, alter effectus quoque infertur; cum ab anguſtia enim qua anguſtia ille ortus ſit. Dices forſan nervi pulmonum in conſenſum trahuntur percepto eodem acore: at ille, de quo nobis ſermo eſt, tantæ efficaciæ non eſt, ut eo usque penetret, in ponticis illud non negabimus. Si vero nec his fidem quis adhibere velit, curationi celeriori longe, cujus mentionem fecimus, illam non negare poterit. Denique ſubjectum hujusque ſymptomatis œſophagum eſſe non dicimus, ſed cauſale proximius potius, cum reſpiratio nullibi, niſi in pulmonibus fiat.

Porro cum *œſophagus* ob intumeſcentiam glandularum ſuarum ſenſim claudatur, facile concipitur, cibos amplius deglutiri non poſſe; antequam vero illud contingat, aliquid demitti ſenſim aut diminui juxta diminutum ſpatium; fieri hoc poteſt etiam ob paralyſin, in caſu vero noſtro obſtructionem potius fuiſſe a glandulis, ac nervorum reſolutionem exinde colligimus 1. aut paralyſi affectus fuit ramus ſtomachicus, aut inde egreſſi ramuli: ſi totus ramus, omnis deglutitio ſubito periiſſet, quod obſervatur in canibus, ſi ſcil. ille abſcinditur; ſi aliqui ſolum ramuſculi, non in toto ductu ceſſaret deglutitio, ſed in certo ſpatio difficultas ſolum oriretur. 2. Imo ſi ramuli quidam fuiſſent obſtructi, compenſaretur illud per alios, uti in vaſis ſanguivehis fieri ſolet, quod in abſciſſione nervi recurrentis obſervant anatomici, ſi vocem auferre volunt canibus; niſi enim ramos & ſuperiores & inferiores utriusque lateris abſcindant, non omnem dement.

Abſurdum haud absque ratione videri poteſt *raucedinis* ſubjectum dicere *œſophagum*, pariter ac *aſthmatis*, & aliquoties *ventriculum tuſſis*, uti *Lindanus* voluit, ſed cadet forſan hoc dubium, ſi mentem noſtram explicaverimus. 1. Nemo negabit aërem eſſe in ventriculo. 2. Irritationis & titillationis ſenſum ægri ipſi oſtendunt in ventriculo, ita ut ſemper illa ſonitum præcedat. 3. Mane & noctu tuſſis ſemper gravior eſt. 5. So-

nitus ex profundo emergit, *als wenn es aus einem holen Hafen gienge*, hinc etiam conatus exſcreationis ſæpiſſime fruſtraneus eſt, ita ut diu ſeſe fatigent, donec aliquid ejiciant. 6. Reſpiratio liberior eſt tum. 7. Fortem multumque aërem inſpirant ægri, repetitis vicibus, absque tuſſi, quod ſi malum in pulmonibus eſſet, uti obſerv. teſtantur, fieri non poſſet. Cum itaque a cauſa acrida, ipſa vellicetur ventriculus & quidem aliter ac in vomitu & ſingultu fieri ſolet, quod vero explicare non cuivis contingit, interim tamen certum eſt, quod aliud ſit acidum, quod absque dolore trahat ſolum, ut in convulſionibus, aliud quod miſere vellicet, aliud quod depaſcat abſque dolore. Ita & hic ventriculus vellicari poteſt, certo modo & concuti, ut loco ciborum ſolum quatiat aërem & ejiciat, indeque ſonus excitetur, qui ab illo, qui ex pulmonibus egreditur, diſtinguitur: ſic pariter in *raucedine* ſubjectum irritationis eſt *œſophagus*, quod exinde colligitur, quod ex cibis & potu deglutitis dolorem ſentiant, & exceſſu in potu vini auſteritas contrahatur; dum itaque ibi irritatio quædam fit, paucus ille aër quoque excutitur, quod absque ſonitu non contingit; facta autem illa irritatione non negamus inſimul irritari aſperam arteriam, uti in tuſſi.

Unde *gravitas capitis* oriatur, naribus ſiccis, facile judicatu eſt; adeſt tum obſtructio glandularum narium, diſtenduntur vaſa a ſanguine etiam fervidiori reddito; conſtat autem *ex Obſerv. II.* diffundi malum & ſtagnationem ſæpe in totam viciniam ob vaſa ſangiveha communia inter ſe invicem, ab internis ad externa, & ab his ad interna; a diſtentis itaque vaſis ſanguivehis narium, & reliqui rami cohærentes cum his pariter diſtenduntur, dolorque gravativus naſcitur. *Obtuſio* fit, quia iſta diſtenſio etiam ad interna cerebri penetrat vi dictæ *Obſ. II.* vaſis itaque ſanguivehis cerebri diſtentis, fibræ nerveæ comprimuntur, nec ſpiritus in cerebro rite moventur, nec extra illud; inde obtuſio, laſſitudo.

Et cum *dolores diuturni* præſupponant pro ſubjecto glandulas, materiam incuneatam, quæ vix moveri poteſt, promoveri & excerni per *Obſ. IV.* non dubitamus, ſed aſſerimus potius, ut plurimum *hemicranias* ſedere in glandulis & quidem *ſinuum capitis*, cum diu ſæpe adhibeamus omnis generis medicamenta absque ullo levamine, quod ſane non fieret, ſi intra cutem & cranium hæreret cauſa, alias fere impoſſibile eſſet, quod non cederet & moveretur, per applicata varia externa & interna diu continuata, ut & veſicatoria &c. Nec obſtat id, quod dolor non in iſtis locis ſentiatur, ut nulli ſinus ſunt, ſed nunc totum dimidium latus doleat, nunc pars ſuperior lateralis. Conſtat autem 1. ex *Obſ. II.* obſtructionem unius diſtrictus exigui licet extendi & ſentiri in tota vicinia. 2. Ut plur. fere ſemper dolorem incipere ibi, ubi tales exiſtunt ſinus. 3. Ceſſare & in remotioribus capitis partibus facta ſolutione in ſinubus. 4. Obſervavit *Excell. Dn. præſes* attractionem aquarum deſtill. in nares copioſiſſimas defluxiones in fauces frigidiſſimas inſtar gla-

ciei,

ciei, (quod indicium erat fuiſſe acidos humores, qui ſtagnarunt doloresque capitis excitarunt, utpote qui juxta *Obſ. IV.* frigidi, ſunt talemque ſenſum faciunt) continuatarum aliquandiu juſſu ſuo ſecutas fuiſſe; doloresque ſolutos non ſolum in fronte. ſed totius lateris ſiniſtri capitis, quod ante doluit. Meminit *Excell. Dn. Præſes Celeberr. iſtum Practicum Oswaldum* multoties in *hemicraniis* feliciſſime ſuaſiſſe attractionem in nares ſolius aquæ fontanæ, quod & *Galli* obſervant.

Quod autem valet de *hemicraniis*, illud & locum habebit in *doloribus hypochondriacorum*, *hiſtericarum*, *ſcorbuticorum*, *ut & in colica ſpasmodica*, *ardoris ſenſu & inflammationis in abdomine & hypochondriis*, ratione ſedis glanduloſæ, quam dicimus eſſe *glandulas meſenterii* omnium modo recenſitorum ſymptomatum, nullumque locum in abdomine toto eſſe, in quo omnia illa generari & a quo iſtæ partes in conſenſum trahi, & cui ſententiæ omnes effectus ac phœnomena tam apte & congrue accommodari poſſint, & exinde deduci, niſi has ipſas glandulas. Ponamus enim hærere in cavitate inteſtinorum aut intra horum tunicas; quomodo quæſo explicabis tot ſymptomata, globulos in ventre, retractiones umbilici, faciem ictericam, iſchuriam, ſtranguriam, vagos in abdominis muſculis dolores & artubus, quod nunc umbilicus retrahatur, nunc ſtupor femoris aut dolor ejus oriatur, aut inde contabeſcat totum corpus? Quomodo materia inquam iſta vel in cavo inteſtinorum vel abdominis intra tunicas inteſtinorum exiſtens & collecta iſta producet? Dices per conſenſum membranarum & nervearum fibrarum fieri: verum qui fit, quod in dyſenteria, ubi excoriata ſunt inteſtina, doloresque acutiſſimi dicta hæc ſymptomata non naſcantur, ubi tamen ille conſenſus fieri deberet? Si vero has glandulas aſſumimus facile & feliciſſime omnia expedire poſſumus: his adſtant plexus nervei, imo illis intertextæ ſunt; ex his egrediuntur fibræ & ramuli ad inteſtina, quibus contractis & illæ contrahuntur, occluduntur, ut excrementa retineantur; hæ communicant cum hepaticis & biliariis, unde obſtructio ductus choledochi, facies icterica, coeunt cum ramis intercoſtalibus & ſpinalibus, inferuntur muſculis abdominis, teſticulis, veſicæ [illegible]riæ, pedibus: irritato itaque uno ramo majori, ſubito trahuntur omnes, aut nunc pars præ alia, prout ex hoc plexu fibrilla quædam egrediens fortius ac alia trahitur. Ex harum loco intelligimus pariter facile, ubi ſedeat dolor ille, quem ægri multos ſæpe annos conſtanter ſentiunt in oſſe ſacro, lumbis & oppoſita regione umbilicali, aut tribus hiſce regionibus ſimul, cum vagis contractionibus in ab dominis muſculis ad femur usque extenſis, & unde ſenſus ardoris hujus & ignis in regione hypochondriorum & epigaſtrica ſit & ubi lateat.

Cum itaque ex glandularum meſenterii obſtructionibus pro materiæ conditione contractiones atque lancinationes tot tantarumque partium fiant; idem in aliis partibus fieri poſſe credimus, concipimusque *palpitatio-*

tatio-

tationem ſtomachi eſſe a contractione quadam fibrillarum nervearum ejus ab irritatione particularum acidarum & acrium in glandulis ſtomachi ſtagnantium facta, qua percepta fibrillæ iſtæ contrahuntur, contractæ autem vaſa ſanguiveha, quæ copioſiſſima in ventriculo ſunt, conſtringuntur, (illis enim fibræ iſtæ pariter inſertæ ſunt) ut ſanguis momentum temporis ſubſiſtat, a tergo ſequens vero eum propellat, propulſus autem arterias magis dilatet, ut pulſent fortius, pariter ac aorta pulſat, ſi a contracto cordis ventriculo ſiniſtro ſanguis propellitur. Commota autem certa portione ventriculi, commoventur & membranæ adhærentes, & cartilago enſiformis, uti coſtæ totius ſiniſtri lateris a commotione cordis & aortæ. Levis iſta arteriarum quarundam ventriculi commotio videtur quidem non ſufficere ad commotionem iſtius cartilaginis; verum ſi aliarum rerum libere pendentium commotiones fortes ex leviſſimi objecti motu, in vicinia tamen excitato, factis perpendimus, & hanc concedere poſſumus. Fateor equidem fibrarum muſculoſarum contractione, ut in ſpaſmis ſæpe fiunt iſtiusmodi pulſus in carnibus, me hunc deduxiſſe primo, verum cum hi tremuli valde ſint, & celeres admodum, illi vero magis ſanguinis pulſui ſimiles, adductæ priori rationi, quam tamen nemini obtrudere volo, adſcribere placuit. *Hypochondriacis* iſtiusmodi *pulſationes* & *palpitationes* familiares admodum ſunt, oppoſitis autem ♂libus & abſorbentibus cedunt. In *abdomine* quoque obſervantur diuturnæ.

Sique particulæ ſanguinis in glandulis acriores & acidiores redditæ *juxta Obſer. II.* fibras carnoſas & oſſeas ſcindunt & diſrumpunt inſtar acidorum extrinſecus applicatorum, abſceſſus & ulcera producunt, & ſecundum Obſ. IV. iſtiusmodi particulæ in ſanguinem redeunt & pro ſua indole agunt, rodendo, abradendo, ſcindendo, rumpendo, ratio facilis mirumque non eſt, quod glandulæ œſophagi, ventriculi & inteſtinorum exulcerentur, phthiſis partiumque contrabeſcentia inducatur, & cur acidum ♀eum carnes & oſſa adeo depaſcat.

Si obſtructis vaſorum ſecretoriorum orificiolis, vel compreſſis ſpatium nullum eſt recipiendi aliquid juxta *Obſ. IV.* facile cognoſcitur, cur obſtructis glandulis, vaſculis ſalivalibus *os exſiccetur* aut reliquæ *actiones* in §. 5. deficiant, de quibus plura verba, cum notiſſima ſint, facere nolumus.

Ob eandem rationem fiunt quoque *contabeſcentiæ* & *atrophiæ*, ob deficientem ſc. ſecretionem ſucci nutritii, quæ cauſa quid rarior eſt, frequentius autem fit, quod *juxta Obſ. IV.* ab acidis & acrioribus conſtringantur orificia in *hectica*, *lue ♀ea*, *rachitide*, quo minus ſufficienter excerni ſuccus poſſit, vel *ſecundum Obſ. IV.* gluten abradatur.

CAPUT

CAPUT V.

Continens curationem ſymptomatum in I. Capite enumeratorum.

Licet omnia recenſita ſymptomata ex obſtructione, anguſtia & ſtrictura glandularum nata ſint, cum vero materia non una eademque ſit, indicationes quoque variant, nec una eademque indicata valent in quibusvis. Adeſt obſtructio, inflammatio, tumores frigidi, roſio, lancinatio, contractio, punctura, exulceratio: peccat materia calida, 🜍ea, frigida, viſcida, craſſa, acida, acris, ſalina. Motus nunc tardior, nunc celerior eſt. Reſpectus habendus eſt vel ad *totum* vel ad *partem*: ſanguis & humores vel celerius moventur vel tardius: peccant illi vel quantitate, vel qualitate, eaque varia, ſpiritus vel ſunt exaltati nimium, vel ſuppreſſi. Ratione *partium*, illæ diſtenduntur, obruuntur, ac tument; vel ſanguine calido, tenui, vel craſſo lympha craſſa viſcida, acida & acri: vel contrahuntur nimium, vel dolent multum aut parum. Brevibus autem absque ulla verborum ambage comprehendemus omnia, tum ratione *totius*, tum ratione *partium*, quæ ſemper aliquid peculiare indicant, tum ratione materiæ: motus celerior eſt refrænandus, tardior accelerandus: ſanguis & humores craſſi tam evacuandi, quam corrigendi, attenuandi, incidendi, reſolvendi; acidi acres deſtruendi, demulcendi, diluendi quæ ordine nunc, non ſolum ratione totius, quoad ſingula ſymptomata, ſed & ratione partis, quæ etiam peculiarem indicationem facit, luſtrabimus. Ad hæc omnia nobis inſerviunt fons *chirurgicus*, *pharmaceuticus* & *diæteticus*.

Primus nobis exhibet *V. S.*, *veſicatoria*, *paracentheſin*, *apertionem* etiam tumorum ante coctionem, ut & in maturatione.

Febres intermittentes, ubi ſanguinis copia & motus celerior, *phrenitis*, *lethargus*, *pleuritis*, *peripneumonia*, *inflammationes glandularum*, *ſinuum frontalium*, *maxillarium*, & *proſtatarum*, ſive a repellentibus, ſive aliis producta, indicant V. S., niſi in nonnullis malignitas contra indicet; depleto enim ſanguine fluxus non ſolum ad partem tumidam imminuitur, verum & aliqua ſymptomata ab hac copia & motu dependentia tolluntur, imo reliqua medicamenta etiam facilius effectum ſuum nanciſcuntur: *dolores*, qui in *affectionibus hypochondriacis*, *hyſtericis*, *colica ſpaſmodica*, *ſcorbuto*, *hemicrania* urgentiſſimi ſæpe ſunt, diminuuntur veſicatoriis, quibus quidem parum materiæ evacuatur, ſpiritus a. avocantur, ut non in tanta copia & furore ad partem affectam confluant, ſicque dolor minor fiat, imo etiam conſtrictio aliquando ceſſet, quæ ob ſpirituum animalium influxum impetuoſum pertinax eſt. Si *humores* quidam collecti ſtagnant in cavitate & vel *ſeroſi* in *abdomine*, illi educendi ſunt per *paracentheſin*,

 aut

aut ſi alius tumor peſtiferus, *bubo* aperiendus, vel ſi venereus eſt & metus retrogredi materiam, veſicatoriis aut inciſionibus apertio maturanda eſt.

Ex *Fonte Pharmaceutico* petuntur *evacuantia* & *alterantia:* illa movent vel *ſurſum* vel *deorſum* nomine *purgantium*, & *vomitoriorum* venientia. Locum habent *vomitoria* in febribus intermittentibus, ſi ſcil. focus vel in ventriculo, inteſtinis, pancreate, vel meſenterio hæret. In *continuis* ubi pariter ſaburra in primis viis eſt, & in principio ſtatim id fieri poteſt, etiam conveniunt. In *affectione hypochondriaca*, *ſcorbutica* niſi acor ſummus prohibeat, maxime etiam laudantur & feliciſſime operantur. Nec in *colica ſpaſmodica* negligenda ſunt, ubi ſcil. compertum fuerit a bile acida viſcida potius natum fuiſſe, ac acri & motis ſpiritibus. *Purgantia* conveniunt, ubi humores, viſcidi, craſſi, crudi & vel in primis viis vel in toto ſanguine peccant, ſive lympha cruda ſimplex, ſive acida ſimplex, ſive acida ramoſis illis particulis obvoluta, felicius autem operantur, ſi cum aromaticis, incidentibus maritantur, qualia ſunt H. marrub. majoran. fœnic. menth. origan. chamædr. chamæpyt. Fl. lavend. ſtœchad. arab. roriſmar. ſalv. rad. angel. helen. polypod. bryon. ireos fl. ſem. fœnic. anis. cartham. cinam. Mac. N M. purgantia his jungenda ſunt agar. albiſſ. vel trochiſc. fol. ſenn. Rad. Bryon. polypod. helleb. n. Gum. Ammon. Trochiſc. alhand. Magiſter G G. reſin. jalapp. l. leviora pill. de ſuccin. ☿. d. Maſſ. pil. de Hier. c. agaric. In *febribus intermittentibus* ubi purgantia locum habent, tanta pompa opus non eſt, ſufficiunt ſimpliciora. *Continuæ* vero *febres* hæc omnia reſpuunt, niſi in principio, antequam æger decubuerit, adhibeantur, ubi ſæpius egregie juvant & varia ſymptomata removent. *Tumores* autem *inflammatorios* non juvant, imo ſæpe exacerbant potius. Conveniunt etiam in *Hydrocephalo*, *ſurditate critica*, *gravedine capitis*, *ſtrumis*, *parotidibus*, *frequentiori uvulæ delapſu*, *hydrope facto* & *fiente*. (ubi quidem cautela opus eſt) ut & lue ♀ea, aut mitioribus ejus gradibus, *hemicrania*. *Affect. hypochondr. hyſter. ſcorbut.* ea non ſemper ferunt, niſi mitiora ſint, ut & reliquæ *actiones læſæ* in IV. Phœnom.

Evacuantia excipiunt *alterantia*, quæ varia ſunt pro varietate particularum prædominantium. *Lymphæ viſcidæ*, *ſanguini crudo* opponuntur *aromatica* omnia ſupra dicta; quibus addimus ſudorifera ex decoctis lign: aliaque mox ſeqq.

Ubi bilis peccat, conveniunt acida; ut ſpir. nitr. dulc. vitriol. Nitrata varia. ſucci granat. citr. berb. rib. &c. quibus addi poſſunt opiata.

Acorem corrigentia varia ſunt, uti ipſorum *acidorum* ingens eſt proſapia, acidis ſpecificis opponenda ſunt ſpecifica antacida. Communit. illa ſolent infringi per *alcalia tam fixa*, *quam volatilia*. *Fixa* decantata ſunt: Oc. 69, mater perl. margarit. Creta, lap. hæmatit. boli, C. C. uſt. unicorn. foſſ. ſuccin. ♂ alia &c. inter *volatilia* veniunt aromatica illa, ligna

gna varia, ∿ oſa, quæ ſal volat. abundant, aqu. cinam. cochlear. fœnic. menth. ſal ſuccin. vol. C. C. vol. viperar. vol. 🝆 ſa; ut ſal vol. 🝆 s. Sylvii, & omni 🝆 a deſtilata. Elæoſacch. cinam. anis. fœnic. aneth. In *febribus intermittentibus* communiter laudantur aqu. febrif. Myns. ſpecif. febrif. Croll. præprimis autem cortex peruv. jungi his ſolent alia, Oc. 69. ♄ Diaph. & ſal abſynth.

In *continuis* præ aliis in uſu ſunt pulv. Alexipharm. D. D. Camer. pannon. 1. Mixtur. ſimpl. Elect. Diaſcord. confect. de hyacinth. Bezoard. miner. C. C. Ebur. Diaph. ♂ tial. &c.

In Catarrhis eſt ſuccinum & omnia ex eo parata.

In *lue* ♀ ea præter *ligna ejus ſpiritus & eſſentias*, ſpecifica ſunt ☿ alia.

In *affectione hypochondr.* unice deprædicantur ♂ alia.

In *contractionibus ſpaſmodicis* cinnabarina ſunt.

2. *Acida* obtundunt *pinguia &* 🝆 ſa ſpecifica itidem.

In *pleuritide* eſt 🝆 lini, in *tuſſi* ſperma ceti, eleoſacch. anis. fœnic. hyſſop. in *diſenteria* 🝆 olivar.. in *affect. hypochondr. hyſteric. colicis*, *contractionibus* caſtor. in *ardore*, *inflammat. ſenſu*, *atrophia* gelatinæ, pin. piſtac. oryz. ſemin. varia.

3. *Acida* temperant, & diluunt, *aquoſa*, quod præſtat vel ſimpl. aqua, vel herbis alterata, decoct. chin. hord. quo pertinent potus Thee, Caffée, Acidulæ, & externe, thermæ.

In *globulis* illis *artuum mollium* feliciſſimum experiuntur decoct. chinæ. *ſcorbutici*, *colici*, & qui *hemicrania* & *ſoda* laborant, juſcula alterata; *Hypochondriacorum* unicum ſolatium ſunt acidulæ, ut & illorum, qui *ardorem in hypochondriis* ſentiunt. Thermæ noſtræ Zellenſes mirum quantum præſtant juxta acidulas in iſtis *doloribus diuturnis circa regionem lumbarem*, *hypogaſtricam*, *cum tabe corporis* in ſequiore ſexu obviis.

4. Tandem acida corrigunt *opiata & papaveracea.*

Quoad partes in ſpecie in tumoribus inflammatoriis vel nihil agendum, vel acidum infringentia exhibenda, ut ſpir. Vin. lumbr. terr. minium, ceruſſa, Lythargyr & herb. aromat. In frigidioribus diſcutientia, emollientia conveniunt, ubi camphora non omittenda. Plura cum addere non liceat, ſpecialiora, ut & diæta ex practicis hauriantur.

CXCII.

J. VALENTINI CHUDEN,

DE

METHODO PRÆSERVANDI
ET CURANDI
ATROPHIAM INFANTUM.

Göttingæ 31 Decemb. 1756.

PROOEMIUM.

E*Diderat venerandus* Pater *meus* 1724 *ſchediaſma, quo methodum novam præſervandi & curandi atrophiam infantum, quique eam nonnunquam inſequi ſolet, morbum Anglicanum, propoſuit, viro ſummo b.* Steigerthalio, *Archiatro Regio, nuncupatum. Id ſcriptum Cl.* Boeli *in diſſertatione ſua inaugurali, præſide Ill.* Alberti *Halæ* 1729 *habita, impugnavit. Movit me adverſus optimum Parentem pietas, ut cum ſpecimen inaugurale edendum eſſet, id ejus potiſſimum defenſioni deſtinarem, eamque ob rem commentarioli ejus, vel magnæ ſaltem illius partis, denuo edendi, atque notis, quæ vindiciarum loco eſſent, illuſtrandi, conſilium caperem. Neque vitio mihi verti poſſe putavi, quod eam rationem in ſpecimine inaugurali exhibendo ſecutus ſim, maxime cum exemplum non diſſimilis inſtituti in diſſertatione inaugurali D.* Schlotterbeckii *exſtet, quæ* 1729, *præſide Ill.* Elia Camerario *Tubingæ habita eſt, atque hiſtoriam Abbatis de* Saint Pierre, *diario Trevolcenſi inſertam, de mortuo, qui amicis ſuis apparuerit, medicis illuſtratam notis, exhibet.*

§. I.

§. I.

QUemadmodum omnes evacuationes & excretiones, quas provida natura in corpore noſtro inſtituit, hunc in finem præ primis ſuſcipiuntur, ut quicquid moleſtum, infenſum, nocivum corpori eſſe poſſit, maturius ejiciatur & expellatur: ita excretio illa cutanea, quæ ſub nomine tranſpirationis inſenſibilis apud Auctores reperitur, merito in hunc cenſum venire debet, quippe hujus ope omnes illæ ſordes ac inquinamenta, quæ ſanguinem fœdare & ad plurimos morbos anſam dare poſſunt, quotidie, & fere per ſingula momenta leniter, blande & moderate, per hiantes cutis porulos eliminantur, ſicque corpus noſtrum hac ratione a multis incommodis præſervatur.

§. II.

Igitur facile ex pathologicis abundeque perſpectum eſſe debet, quanta incommoda ex hac tranſpiratione impedita aut ſuppreſſa ortum trahere poſſint, & licet *Sanctorii* opinionem, quam in *medicina ſtatica* afferit, tantum materiæ per inconſpicua cutis ſpiracula in una die evacuari, quantum per alvum in quindecim, pro infallibili & perfecta non declaremus: tamen hoc cum toto medicorum choro affirmare non dubitamus, plures morbos ab impedita tranſpiratione, quam ab omnibus aliis evacuationibus ſuppreſſis, oriri poſſe. Præſto ſunt exempla non tantum in adultis, ubi prohibitionem tranſpirationis (*a*), aliquando ſolam, quantum patebat, aliquando cum aliis conjunctam cauſis manifeſtis, aſthmata, tuſſes, coryzæ, graves pleuritides, aliique morbi ſecuti fuerunt: ſed & de corporibus infantilibus notum eſt, ab horrido aëre, & ſubita refrigeratione, febres catarrhales, cruſtas lacteas, achores & multa alia incommoda, ſua capere primordia. Imo de variolis & aliis febribus exanthematicis, de ſcabie, de articularibus morbis, præſertim rheumatiſmo, aliiſque plurimis conſtat, quam male ſibi conſulant, qui aut corpus frigidiori aëri tum exponunt, aut alia ratione liberam exhalationem miaſmatum præpediunt.

§. III.

(*a*) Diſcrimina tranſpirationis ab exhalatione illa inorganica, quæ omnibus communis corporibus eſt, vulgoque cum altera illa confunditur, primus notavit Præceptor meus longe honoratiſſimus *Ill. Hallerus Prælect. Boerhaav. Vol. III.* p. 514.

§. III.

Quæ cum ita ſint, & veritate practica nitantur, merito in id ſummo ſtudio eſt incumbendum, ut tranſpiratio illa in utero materno apud embryonem, geſtationis tempore prohibita, ſimulac infans in lucem publicam emittitur, ſtatim quantum poſſibile, libera reddatur & promoveatur. Infantem enim in utero neque reſpirare, neque tranſpirare ex hac ratione potiſſimum credimus, cum aëris uſu, quamdiu in ergaſtulo ſuo latet, non gaudeat, & cum abſque aëre nihil poſſit egredi e corpore, nec in illud intrare, imo neque reſpiratio neque tranſpiratio ſine aëre fieri poſſit, utique embryonem in domicilio ſuo aëris uſura carere, neceſſum erit ut fidem adhibeamus. Validiſſimum vero argumentum quod impedit, quo minus credamus, embryonem in utero tranſpirare, dabit glutinoſitas illa viſcida (*b*), qua tenellulum infantis in publicum ex utero emiſſi corpuſculum, ſemper, ſæpius vero, quaſi glutine obductum eſt, ut obſtetricibus multum negotii faciat, ad ſordes illas abſtergendas. Hæc ipſa viſciditas corpori quaſi agglutinata, ſimul cauſa erit, tranſpirationem in embryone (*c*) nullatenus ſuccedere poſſe. Equidem non ignoramus *Rodericum* a *Caſtro* in tractatu *de natura mulierum*, & poſt eum *Drelincurtium*, in illa opinione eſſe, quod liquor ille clarus in amnio contentus ſit ipſe ſudor, & ex tranſpirationis negotio proveniat. Sed cum argumenta eorum ab aliis, inprimis a *Cel. Bergero* in *phyſiologia p.* 478, ſint deſtructa: potius ſtatuimus, tranſpirationis actionem in embryone præpediri.

§. IV.

Interim ex hacce cohibita tranſpiratione illud provenit incommodum, quod omnes illæ impuritates toto geſtationis tempore collectæ, & ex maſſa ſanguinea in poris cutis ſegregatæ, ibidem ſubſiſtant, adeoque niſi ſtatim poſt partum eliminentur, cauſam præbeant primariam illius affectus, qui apud auctores atrophia, macies, *das Abnehmen der Kinrde*, vocari ſolet. Etenim, quamvis infans in corpore materno, liquore alimen-

(*b*) An mucus ille, quo omne corpus fœtus modo nati oblitum deprehenditur, inde a prima ejus origine, an ultimis demum menſibus, adeſſe ſoleat, nondum plane expeditum, quod ſciam, eſt. In embryonis ſex circiter hebdomadum corpore, vix muci alicujus veſtigia, in quadrimeſtri jam longe plus deprehenſum vel nuper fuiſſe, audire a præceptoribus memini.

(*c*) Inde de illo tempore, quo corpuſculum jam abſolutius tranſpirationi aptum eſſe poteſt, ut facile patet, intelligendus eſt parens optimus.

mentoſo puro & optimo nutriatur, ut proinde ſecretione partium inutilium excernendarum non opus eſſe videatur; attamen lympham illam nutribilem non adeo ſubactam aut percolatam eſſe, ut nullæ impuritates ex hac ſegregandæ ſint, ex (*d*) meconio, urina, & per conſequens, ex ſordibus in poris cutis hærentibus, abunde perſpici poteſt: hinc ob puritatem hujus humoris alibilis, hæcce differentia ſolummodo, aderit, quod infans hac ratione non opus habeat omni die excernere, ſed facili negotio ab omnibus illis excretionibus ad tempus egreſſionis ex utero vacare poſſit.

§. V.

Simul ac itaque infans ex utero in publicam lucem ejectus eſt, ac circum ambientis aeris uſura frui incipit, non tantum ab aere mox affluente, & per os & nares ingruente, otioſi hactenus pulmones explicantur, & reſpirationis actio incipit: ſed & omnes cæteræ ſecretiones & excretiones per cutem, per alvum, per urinam, per nares, & porro, ſua capiunt primordia ac initia, imo ipſe ſanguinis circulus aliter, quam apud embryonem in utero, procedit. Ubi vero circa tranſpirationis negotium notandum, quo pauciores illæ ſunt impuritates, quæ ex cohibita tranſpiratione (*e*) in utero collectæ ſunt, eo melius & tranſpirationem poſtea ſuccedere, & ſæpius ſola ope reſpirationis, quippe quæ duæ actiones tranſpiratio & reſpiratio aliquam inter ſe analogiam habere videntur, has ſordes ejici poſſe: quo major vero copia impuritatum adeſt, &

(*d*) Qui fœtum in utero tranſpiratione ſine detrimento carere aſſerunt, argumento potiſſimum utuntur, ab humoribus, nutritioni deſtinatis, in matris jam corpore puritatem ſuam adeptis. Sed hæc ipſa recrementorum genera, meconium potiſſimum & urina, ſatis, niſi fallor, commonſtrant, eſſe in illis humoribus aliquid excrementitii, inque nutritionem denuo non impendendi. Quicunque ſint liquoris amnii fontes, negari ſaltem non poteſt, in communi iſto matris fœtuſque humorum circulo, eſſe huic aliquid cum matris humoribus commercii: ſi potiſſima eſt per arterias umbilicales nutritio, unde ab illo puriſſimo ſucco per has delato, in animalium quorundam embryonibus fabricæ vitio ſine rictu natis, quorum exempla affert *Ill. Hallerus Prælect. Boerh. Vol. V. P. II. p.* 357, meconium inteſtinis contentum oriri potuit? Si per cutem aliquid nutrimenti ſorbetur, conceſſeriſque ob mucum ſupra memoratum id fieri poſſe, diſceptatio ad liquorem amnii redit. Nolim uti argumentis a morbis matris hæreditariis, aliiſque ſub ipſa geſtatione ſupervenientibus, cum alia ante ſint excutienda ad hoc argumentum non pertinentia.

(*e*) Cohibitam perſpirationem non ſolum nocere quantitate retenti humoris, qui exterminandus per illas vias erat, ſed etiam qualitate ejus, quod foras amittendum fuerat, & particulas, quæ perſpirant, ad alcalini oleoſi volatilis naturam evectas videri, iiſque de cauſis contingere, ut retentæ adeo noceant, neque abſtinentia a cibo novas repercuſſæ reſpirationis ſanare poſſit, licet corpus ad ſolitum pondus redeat, præclare monet *Ill. Hallerus L. C. T. III. p.* 591. Unde cum paulo ante proba-

& quo viſcoſius illud ipſum excrementum in poris cutis hæret, eo minor erit actio illa tranſpirationis corpori adeo neceſſaria, ut proinde ab hocce ſolo impedimento infantes nutritionis augmentum capere non poſſint, ſed pedetentim paulatim ad atrophiam ſeu maciem diſponantur.

§. VI.

Hic autem eſt ille morbus, omnibus regionibus frequens ac familiaris, ubi ſæpius admirari ſatis non poſſumus infantes nuperrime natos, quippe quorum corpora non tantum deformata, ſed & fere omni carne privata adeo flaccida ſæpe cernimus, ut oſſa vix muſculis tegantur, unde vulgus in ratione reddenda ad ridiculas fabulas, a ſagis incoliſque ſubterraneis, quidni etiam a faunis ſatyriſque petitas, dilabitur. At potius hæc ipſa atrophia ſeu macies infantum conſiſtit in corporis emaciatione & fruſtrata nutritione, quæ originem trahit ex particulis viſcidis, mucidis, in poris cutis, ob ſuppreſſam tranſpirationem in utero; ſecundario vero, ab obſtructione ductuum & oſculorum lacteorum, nec non infarctu glandularum meſaraicarum; ſequentibus vero ſignis ſeſe manifeſtare ſolet. Infantes ejuſmodi, quorum corporis pori tali modo obſtructi ſunt, fere ſemper cutis quandam aſperitatem in dorſo, femoribus & pedibus habent, macilenti ſunt, atque ex materno aut nutricum lacte nullum percipiunt nutrimentum, inſuper clamore fere perpetuo dolorem, ex torminibus ventris ortum, produnt, ſomnus adeſt parvus, & interruptus

probatum ſit, liquores fœtus nutritios habere aliquid excrementitii; idque ullis indubitatis ex principiis nequeat negari: facile patet, tranſpirationis in utero ſecundum naturam cohibitæ, eſſe omnino noxas, ſimulac nato infanti ejus libertas non concilietur. Nam & ſecundum naturam in utero, rariſſimis exceptis de evacuato meconio exemplis, neque mingit neque alvum exonerat receptiſſima ſententia, & tamen veſicæ alvique a partu expediendorum inter primas cura eſſe debet. Quodſi etiam conceſſerim, id quod cohibetur, perſpiratione nondum procedente ob inſigne ab adulto nutrimenti diſcrimen, non ejuſdem haberi poſſe indolis, pravitatisque, cujus eſt in homine nato: ſufficiet tamen, qualitatis a nutriendi facultate alienæ, adeoque excrementitium id eſſe. Cujus autem indolis ſit, ex ipſis infantilibus nutrimentis, corruptelam naturæ ſuæ debitam ſecutis, ſi vires vitæ mutandis illis non ſufficiant, colligi poteſt. Cum enim maximam inde ab edito infante partem alimoniæ conſtituat lac muliebre, frequenti carnium eſu a lacte vegetabili animalium domeſticorum plurimum diſcriminis habens, deinde pulmenta aceſcentia, inque glutinoſum ſpontaneum degenerantia, vireſque vitæ frequens & crebra nimis ingeſtio facile vincat, eædemque deinde ſuccumbant ſaburræ ex ſaburra natæ; conficitur inde, id quod corpore a partu non ſatis tranſpirabili reddito, intus retinetur, accedere potiſſimum ad indolem glutinoſi & acidi ſpontanei; neque tamen alcali ſpontaneum prorſus abeſſe: iſtaque per particulas viſcidas & mucidas intelligenda. Atque hinc ſimul eluceſcit, qua ratione cum ſuppreſſa perſpiratione nutritionis vitia conjuncta ſint, hujuſque tum immunitio, tum depravatio, & quicquid malorum tum intra primæ officinæ ambitum, tum in ipſo ſanguinis circulo, tum in ſecretionibus enaſcitur, ſequi ſoleant.

ruptus, alvi fluxus viridis, particulis caſeoſis mixtus, urget; inflatio & elevatio adeſt hypochondriorum, corpus pallet, tandem pectus & abdomen paulatim ſolent inæqualiter protuberare, & duritiem aliqualem concipere, præ primis quando accedit conſumtio partium carnoſarum & ſumma flacciditas, ubi tunc brachia & pedes ſimul decreſcunt, nec infantes pedibus inniti poſſunt; ultimo vero, quando cura diu protrahitur, ipſa macies in febrem hecticam & mortem terminari ſolet.

§. VII.

Jam diſpiciendæ erunt cauſæ, ex quibus hic morbus ortum ſuum trahit; ubi in §. antecedenti duas allegavimus, nempe primo obſtructionem pororum cutaneorum ex tranſpirationis defectu, ſecundo vero infarctum & occluſionem glandularum meſaraicarum, idque certe non ſine ratione. Cum enim tranſpiratione ſuppreſſa, quicquid hic impuritatum evacuari debuit, neceſſario, negato ibi tranſitu & exitu familiari, in alia corporis loca deferatur: ita certe plus ibi damni affert, quam poſtea, quantum libet libera porta, reparari queat, hinc apud infantes, quorum corporis pori jam tum in utero materno ſpiſſitudine excrementitia repleti ſunt, quando aëris uſura utuntur, & lacte materno nutriuntur, ob defectum tranſpirationis, ſerum illud impurum excernendum in aliis locis corporis ſtagnat, ibidemque multa affert incommoda, & ad hoc malum procurandum maximam dat anſam. Obſtructis enim poris cutaneis (*utor verbis Wedelii ex pathologia p. 506 deſumtis*) viſcidi humores colliguntur intra cutem & carnem, ibique impediunt tranſpirationem fuliginum, unde non ſolum calor ſuffocatur, ſed etiam alimentum inficitur, quæ cauſa eſt affectus illius infantum, quem vocant crinones. Quapropter firmiſſime credimus, illam ipſam ſuppreſſam tranſpirationem non tantum primariam cauſam hujus affectus eſſe, ſed & alteram, nempe obſtructionem glandularum meſenterii, ex hac fluere, nimirum ſerum illud retentum inquinat & alterat alimentum infantis, idque in ſpiſſitudinem & muciditatem convertit, ut chylus hac ratione non recte ſeparari, nec per glandulas meſenterii transfluere poſſit, unde hæ glandulæ a tali viſcido alimento eo magis occluduntur & totum tenelluli corpus ſufficiente nutritione defraudatur, privatur, tandemque pleniſſime conſumitur.

§. VIII.

Cæterum, quando haſce duas cauſas pro fundamento hujus morbi poſuimus, nullatenus alias cauſas occaſionales, ad hunc affectum diſponentes, excludimus. Optime enim novimus, quanta incommoda oriantur ex nimia voracitate infantum, ex pane calido, ex potu nocturno & aliis eſculentis & fæculentis, quæ infantibus obtruduntur & conceduntur,

quæque

quæque concoctionem & aſſumtorum reſolutionem multum impediunt, & ex quibus cauſis primariam originem atrophiæ *Dni. Wratislavienſes*, *in hiſtoria morborum p.* 22. deduxerunt; ſed cum noſter ſermo non ſit, de macie illa, quæ poſt ablactationem infantibus accidit, qui ante hanc carnoſi & optimæ conſtitutionis fuerunt, & de qua Cl. *Ludovicus in Miſcell. Nat- Curioſ. Dec. I. Anni III. p.* 453. conqueritur, quod ibi ſit familiaris, & quod tales ablactati inſtar ſceleti lenta atrophia conſumantur; potius nos jam in eo occupati ſimus, ut illas cauſas enodemus, quare infantes ſtatim primis menſibus poſt partum nullum incrementum capiant, ſed contra marceſcant, has cauſas occaſionales alias multum noſtrum affectum promoventes, jam non attingimus,

I X.

Non occupati etiam erimus in cauſa ſupranaturali eruenda, nempe an atrophia infantilis faſcinationi & incantamento ſit adſcribenda, nec ne, cum hæc opinio multis tenebris adhuc ſit involuta, & quanquam *Schenchius in peculiari diſſertatione* maciem puerorum ex faſcino ortam tractaverit, illamque ut plurimum a ſagis induci credat, imo ipſe *Wedelius de morbis infantum & alibi* duas ſpecies atrophiæ a vulgo laudatas, recenſeat, alteram a faſcino, alteram a comedonibus, cum illo tamen potius credimus hanc ſpeciem a faſcino ortam eſſe rariſſimam, hancque hypotheſin vulgi opinioni receptæ eſſe adſcribendam, medicumque etiam in hoc ultra vulgus ſapere debere

§. X.

Illud autem diſquirendum utique venit, quid de crinonibus ſeu comedonibus ſit ſentiendum, quippe qui in poris cutis hærentes, ad vermium genus ab omnibus fere auctoribus referuntur, & quibus vermiculis atrophiæ cauſa primaria adſcribitur. *Joh. Langius in epiſt. p.* 174 jam apud veteres tale genus vermium notum fuiſſe refert. *Timæus vero p.* 259, *Ettmullerus in operibus p.* 1212 *&* 1717, *Dolæus in Encyclopædia p.* 482, *Ammanuus in parœneſi p.* 150, *Bierling in theſauro p.* 485. *Nenterus in fundam. Tom. I. p.* 956, *Zwingerus in theatro*, *p.* 341, *Franc, Low. ab Ersfeld in Medic. pract. p.* 379. & plures alii, quos recenſere ſuperſedemus, quando de crinonibus & comedonibus verba faciunt, unanimi conſenſu illos pro vermiculis habent. Imo Cl Ettmullerus in operibus figuram eorum per microſcopium detectam ſatis accurate exhibuit, quando illos nominat vermiculos, ſeu animalcula viva, coloris ſubcinericii, cornibus ſeu potius antennis binis longe prominentibus inſtructos, oculis rotundis, craſſiuſculis cum cauda oblonga, in fine villoſa, uno verbo, aſpectu ſatis horridos. Verum enim vero, quamquam ego

 go

go ipſe plus quam centies hos ipſos crinones tum nudis oculis, tum etiam per microſcopium contemplatus ſim, & præprimis per hoc formam ſeu figuram mirabilem obſervaverim, attamen multa experientia & rationibus convictus hiſce Illuſtribus viris ſymbolum addere prohibeor, potius firmiſſime credo, hos ipſos crinones & comedones ex cute prolectos nihil aliud eſſe, quam excrementum viſcoſum, lentum, (*f*) in poris cutis tempore geſtationis in utero, & quidem a cohibita tranſpiratione congeſtum, & poſtea in publico aëre ulterius condenſatum, omnibus infantibus neonatis familiare, ſtagnatione ſua anſam præbens, ut infantes omni fere nutritione defraudentur.

§. XI.

Equidem non negavero, in ſtatu præternaturali, & ubi corpus adeſt plane

(*f*) Crinones a ſubtilitate, comedones a ſubrepti conſumtique alimenti opinione dictas, magna pars antiquitatis ad vermium genus retulit. *Ettmullerus* deinde, antequam opera ejus prodiiſſent, quæ poſthuma ſunt, in *Actis Erudit.* 1682. *p.* 316. figuram, tanquam animalculorum a ſe primo viſam, deſcripſit. Si conſulueris tot hiſtorias repertorum in omnibus prope corporis partibus vermium; iis etiam, quorſum non diſpari difficultate delata ovula credibile eſt; & addideris, quæ ſpeciatim de dracunculis, poſt *Leonidæ fragmentum* apud *Ætium*, *Tetrabibl.* 4. *ſerm.* 2. *c.* 85. & græcos item alios, *Actuarium*, *Method. med. L.* 4. *c.* 16 & *Aeginetam de re medica*, *L.* 9. 59. Arabes literis conſignata reliquerunt, quamquam incerti, eſſet ne animal, an potius lenta materies: quæ deinde *Georgius Cunelius*, raro *de dracunculis* commentariolo, demumque *Welſchius*, eleganti illo *de vena Medinenſi* libro, & *Kempferus in Amœnitatibus exoticis* de dracunculis ad littora ſinus Perſici endemiis, hic quidem ſuapte obſervatione, ne de *Andryo* & *Clerico* dicam, complexi ſunt: non dubitare quidem licebit, ſubcutaneos dari vermes poſſe; ſed an ideo hi crinones ſint vermes, minime quidem conſequitur. Nam ne de anci..iti motu extracti ejuſmodi e cutaneo poro fili, inque tepidam aquam conjecti, deque aliis id genus argumentis fallaciæ opportunis agam: id cuivis evidens eſt, dracunculum illum alia plane ſymptomata excitaſſe, aliumque mali decurſum eſſe conſueviſſe, atque ab iſtis comedonibus ſolet. Nam quæ veteres de dracunculo memorant, præclare confirmantur experientia, conſpectuque ipſius *Kempferi*, quo teſte potiſſimum conſtat, his, qui littora ſinus Perſici incolunt, maxime quidem crura, rarius dorſum, rariſſime alias corporis partes eo vitio ſic infeſtari, ut ſimulac circa cutem delata, aut excluſa beſtiola conſederit, hauſto ovulo, ut *Kempfero* placet, ex aqua ciſternarum ſtagnante, qua incolæ non poſſunt non uti, explicatura ſeſe per celluloſam tunicam, & proximorum muſculorum interſtitia: ſtatim tuberculum inflammatorium, furunculi inſtar, non ſine gravi dolore ac febre oboriatur, eoque non pari ſemper facilitate ad ſuppurationem perducto, apertoque, animal protinus eminere, tumque ulcus fovendo, id agendum eſſe, ut lente blandeque, attracta ſingulis diebus portiuncula, ligneo cylindro circumvolvenda, omne tandem vermis corpus educatur; abruptum vero graviſſima ſymptomata conſequi. At nihil ſimile comedones infantiles habent: unde valde probabile eſt, animalia non eſſe, ſaltem multitudine ſua non minus inflammationum & abſceſſuum, quam quæ majorem dracunculi unius molem comitantur, productura; ſi quid argumentum analogicum valet.

plane cocochymicum, ex hac ipſa excrementitia, viſcida materia, in putredinem redacta vermiculos generari poſſe, verum ex illa obſervatione quæ reperta in *Miſcell: Nat. curioſ. Dec. I. Ann. VI & VII p.* 8 & ubi ex pueri corpuſculo poſt aſſumtam theriacam, minutiſſimos vermiculos albos egreſſos eſſe, recenſetur, exiſtentia horum vermiculorum non erit probanda, quid quod & mellis inunctio, cujus ope *Dn. D. Fiſcher* in *Samlungen von Natur-und Kunſt-Geſchichten, und zwar im 4 ten Berſuch*, vermiculos allectos eſſe credit, eorum præſentiam demonſtrare non poterit, cum egreſſus viſcidæ materiæ ex cutis poris non dulcedini mellis, ſed potius ejus mucilagini & balneo tepido, ſit adſcribendum.

§. XII.

Ex quibus omnibus hæ veritates practicæ aperte fluunt. Atrophia ſeu macies infantum eſt morbus, primario dependens a cohibita in utero inſenſibili tranſpiratione, & collecta inde in poris cutis materia mucido viſcida, quæ quo diutius ibidem ſtagnat, eo magis tenellulum corpus deſtruere, & ad obſtructiones glandularum & infimi ventris cruditates coacervandas apta eſt, ſecundario vero ortum trahens a glandularum meſenterii occluſione. (*g*) Omnes infantes, quotquot eorum naſcuntur, ha-

(*g*) Hæc eſt potiſſimum libelli paterni pars illa, quæ aſſerenda, & a *Cl.* Adverſarii objectionibus vindicanda mihi erit. Ipſe quidem *Experientiſſimi* illius *Viri* orationem ex diſſertatione memorata. *p.* 22. §. 12. huc transfero. *Cauſam obſtructionem pororum cutaneorum eſſe putat Cl. Dn. D. Chuden in ſcripto cui titulus, methodus nova præſervandi & curandi atrophiam, ſeu maciem infantum, dum ſcilicet tranſpiratio non poſſit fieri in utero materno, multæ impuritates in ſanguinis maſſa colligerentur, quæ nutrimentum bonum acrimonia ſua conſpurcarent, hocque modo impediretur, quo minus corpus tenelluli incrementum capere poſſit. Licet non negare audeam, quod a tranſpiratione prohibita multi morbi infantiles ſua trahant incunabula, multique viſcidi atque acres colligantur humores, qui etiam interdum obſtructionem meſenterii cauſari poſſunt, inprimis quando vitium in diæta commiſſum accedit, attamen non poſſum cum hocce Viro Doctiſſimo obſtructionem pororum cutaneorum pro cauſa immediata ſive proxima Atrophiæ, uti ille venditat, habere, ſed ſaltem pro cauſa remota, quæ occaſionem ſuppeditat, ut obſtructio in meſenterio fieri poſſit, & ſi hæc adeſt, tum primo oritur Atrophia. Si enim verum eſſet aſſertum Dn. D. Chuden, ſequeretur, ut omnes infantes, quotquot hanc aſpicerent lucem, deberent, niſi ſæpius eſſent loti, accipere atrophiam, quod vero contra omnem quotidianam experientiam. Scribit enim vir Cl. in ſcripto cit.* §. 12. *quod omnes infantes, quotquot naſcerentur, habeant obſtructos cutis poros tali materia, quæ vocatur crinones, obſeſſos.*

II.

Ac primo quidem dicere liceat, Cl. Adverſarium, niſi prorſus fallor, id agere, ut ita intelligat parentis verba, ac ad conflictum inſtituendum illi commodum eſt. Pa-

habent obſtructos cutis poros tali materia, hac ſolummodo cum differentia, quod quo purior materia alibilis in utero a matre ipſis exhibita, eo minor erit ejuſmodi collectio, & contra, quo impurius alimentum, eo major coacervatio ſordium in poris.

Hæ viſcidæ impuritates non ſunt vermes crinones vel comedones dicti,

Parentem ait venditare pororum obſtructionem cutaneorum pro cauſa immediata ſive proxima Atrophiæ: quæ hujus ſententia minime omnium eſt. Primario quippe dependere atrophiam ab illa pororum obſtructione, quam ſimul ex utero attulerit infans, non tempeſtive ſoluta & expedita, ſtatuit: ſecundario a glandularum meſenterii infarctu. At inter cauſam primariam, & immediatam ſive proximam, quibus vocibus nullibi utitur ven. Parens, plurimum intereſt. Ne enim obſoletas illas de cauſa continente ſive proxima controverſias recoquam; in confeſſo id hodie plerisque eſt, cauſam proximam non differre a morbo ipſo, neque ſeorſim exiſtere, ut antecedentes & procatarcticas, quæ adeſſe aliquamdiu poſſunt, nondum præſente morbo; ſed ſola cogitatione, tanquam communia a ſingularibus, ſejungi hanc cauſam proximam, morbi eſſentiam exprimentem, ut ſit aliquis ultimus finis, quem in curatione reſpicere per tot intermedios poſſimus, cum amoliri cauſam proximam raro ſtatim liceat, niſi aditu per cauſarum antecedentium obſtacula, & procatarcticarum ſequelas non ſine multo labore præmunito, quæ quidem utræque cauſæ curationem ad ſeſe primo convertere ſolent.

III.

Antecedentium vero & procatarcticarum cauſarum ut aliæ primariæ, & viciſſim ſibi junctæ vel pediſſequæ, eſſe queunt: ita facile patet. Vener. Parentem, cum atrophiam primario pendere ab illa pororum cutaneorum obſtructione ſtatuit, loqui de cauſa antecedente & procatarctica primaria. Nam obſtructio illa ad antecedentes, & neglectus ejus ſolvendæ expediendæque, ad vitia ſex rerum non naturalium, adeo ue ad cauſas procatarcticas, quæ illis fere continentur claſſibus, pertinet. Utque generatim antecedentes cauſæ, ſi hæreditarios traduces exceperis, ſunt fere ſequelæ procatarcticarum diu afficientium: ita ex ipſis Cl. Adverſarii verbis mecum conventurum opinor, ſanguine per ea retenta vitiato, quæ excerni debebant: ſuccedere vitia humorum in primis viis ingeſta ſolventium & immutantium, & hinc imminutam horum viſcerum vim: adeoque ingeſta abire in varia cruda liquamina, potiſſimum glutinoſa, quæ tum ad ipſa lacteorum oſcula, tum ſi quid his receptum eſt, in lacteorum canalibus, & glandularum vagarum angiportibus, inerti quiete & difficulter excutienda, hærent.

IV.

Quæ ſi ita ſe habent, ex ipſis autem a Cl. *Viro* p. 23. §. 12. conceſſis loquor, merito cauſam primariam dixerim, cui maxima eſt, & prima citiſſimaque nocendi opportunitas. Quid autem poteſt hic citius afficere, quam ſpiracula cutis, muco liquoris amnii farta, non tempeſtive expediri, qui exhalante humidiore parte in lentorem tenaciſſimum non ſecus verti, firmiterque hærere poteſt, atque obſervationes docent, lac repulſum longo tempore poſt, in canalibus lactiferis inventum fuiſſe caſeoſum, tenax, flavum atque impactum? Loquitur præterea ven. Parens, ut perſpicue §. 8. præmonet, non de omnibus & ſingulis atrophiæ cujuſcunque cauſis

ti, & improprie *Mitteſſer* vocantur, neque ullo modo ad ſeminium animatum referendum, cum experientia quotidiana contrarium edoceat.

Hinc in cura tum præſervatoria, tum curatoria unicum atque præcipuum remedium eſt, ut ſordes iſtæ in poris cutis hærentes removeantur & exſtirpentur, motuſque tranſpirationis prohibitus liber ac idoneus reſtituatur, deinde ut infarctus glandularum ductuumque lacteorum ac tubulorum chyliferorum quantocyus tollatur, chyloque alibi liber tranſitus concedatur.

ſis antecedentibus & procatarcticis, ſed de illis potiſſimum, quæ ſtatim primis a partu menſibus frequenter nocere, contrahique ſolent. Quarum quidem primarias eſſe, obſtructionem pororum, & corpus non tranſpirabile redditum, vel inde patet, quod altera pro connata haberi poſſit, & inde ab exitu ex utero omnium maxime infeſtare ſoleat, reliquis nondum eandem afficiendi facultatem nactis. Ita intermiſſam meconii evacuationem, cauſam primariam inde productæ epilepſiæ, inde inquam, productæ, nullis præſentibus aliis cauſis, vulgo, & merito dicimus illius cauſam primariam, non bene proximam, qua cum morbo ita conjuncta eſt, ut eo perſpecto, ipſa perſpecta ſit, nihilque aliud eſt, quam eſſentia morbi ex comparatione phænomenorum cum fabrica affectarum partium eruta. Quantillum autem intereſt, cum Cl. *Viro* concedere, ut ipſa ejus verba docent: *Obſtructionem pororum cutaneorum ſuppeditare occaſionem, ut obſtructio in meſenterio fieri poſſit, & ſi hæc affuerit, tum primo oriri atrophiam:* viciſſim autem cum Ven. Parente aſſerere, interceptam tranſpirationis libertatem in primariis cauſis eſſe; ſecundariam atrophiæ hujus primis menſibus infeſtæ, a meſenterii obſtructione petendam.

V.

Objicit deinde clariſſimus vir, *ſi verum eſſet* ven. Parentis *aſſertum*, *ſequi debere*, ipſa ejus hæc verba ſunt, *ut omnes infantes quotquot hanc, aſpicerent lucem, deberent niſi ſæpius loti eſſent, accipere atrophiam*, *quod vero contra omnem quotidianam experientiam ſit.* Sed venia mihi eſto, dubitandi, quomodo huic Cl. Viri ſententiæ cum illa conveniat, quam *p.* 40 §. 23 expreſſit. *Obſervaſſe ſedulo ait*, *D. D. Chuden*, *infantes*, *qui ſæpius poſt partum lavantur*, *non tam facile non modo in hunc verum*, *etiam in alios cutaneos morbos incurrere*, *quam alios*, *in quibus hoc ſit*, *intermiſſum. Quod cum rationi & experientiæ reſpondeat*, *auctorem ſe eſſe & ſuaſorem*, *ut balnea iteratis vicibus primo menſe poſt partum adhibeantur. Modum applicandi & cautelas ſatis bene tradita eſſe.* Si igitur quod largitur Cl. Vir, infantes ſæpius loti minus ſunt in atrophiam proclives: quid hoc eſt aliud, quam balneis imminui illam ex atrophiæ cauſis, cui, cum cervici velut immineat, prima ſit nocendi opportunitas, id eſt, cauſam primariam? Et ſi hoc ipſum rationi experientiæque reſpondet, quod paulo ante contra omnem quotidianam eſſe experientiam *Viro* Cl. placebat, infantes quippe balneis tutiores præſtari, quid reſtare mihi poteſt officii, quam gratias clariſſimo *Viro* perſolvendi, quod cogitatis poſterioribus priora ὀβελίσαι gravatus non fuerit.

V I.

Neque vero conceſſerim, infantibus non ſæpius lotis, ut concludit Cl. *Vir*, de affutura atrophia certo timendum fore, quod omnibus obſtructi inde a partu cutis pori ſint. Nam ne dicam, eandem cauſam procatarcticam, immo eandem antecedentem & internam, multis ſæpe eſſe communem, & paucos tamen afficere; ut, ſi nonnullis ſaltem locus exemplis eſt, graſſata pleuritis minime omnes adoritur, & elementa calculi omnes nobiſcum circumferimus: tum facile patet, diſ-

UNIVERSITY ... LIBRARY Founded 1913 SCHOOL OF MEDICINE

§. XIII.

Quod ſi nunc ſecundum hæc indicantia tum præſervatoria, tum curatoria methodus inſtitui debeat, merito de cura præſervandi hanc maciem infantum initium facimus, ubi certe benevolus lector a nobis non expectet aliquod præpollens & eximium medicamentum noviter detectum vel inventum, quorum copia in novellis publicis ad nauſeam uſque plenis buccis deprædicatur, ſed potius audiat, nos ad hunc ſcopum obtinendum & obtentum ſimpliciſſimam methodum adhibuiſſe. Eſt & fuit ille repetitus balneorum uſus, præprimis tempore puerperii, tertia, quarta, ſexta hebdomade poſt partum. Hic benevolus lector, quando uſus balneorum commendatur, jure ſuccenſere poſſet, quod pro novo quid balnea ſuaſerim, cum id jam antea ab omnibus auctoribus factum: verum ex ſequentibus patefiet, noſtram adhibitam methodum ab aliorum modo multum differre, adeoque omni jure novam appellari poſſe. Nimirum *Dolæus*, *Ettmullerus*, *Nenterus* & alii multi ſuadent quidem balnea ex aqua dulci, cui parum mellis additum, putantque hac ratione vermiculos, comedones, dulcedine correptos, per poros cutis capite prominere & egredi, atque deinde vel cultro extrahi, vel novacula aut cruſta panis abradi poſſe; verum, an finem optatum ſemper obtinuerint, adhuc eſſet diſquirendum. Illud certum, quod hæc balnea nunquam præſervationis ſed curationis gratia, nunquam primis ſeptimanis poſt partum, & quidem indiſtincte apud omnes infantes, ſed atrophia jam præſente, commendaverint. Non dicam jam de periculo, quod infantibus, ſeſe parum moventibus, ex cultro vel novacula, inferri poſſit, imo aliqui auctores videntur hunc modum curandi atrophiam, non tanquam ex propria praxi deſumtum ſuaſiſſe, ſed quod feliciter *Ettmullerum* & *Dolæum* ſecuti fuerint. Nos vero cum ſub initium praxeos in noſtra hypothe

crimina corporum, quæ præcepta medica ubivis circumſcribunt & hic eſſe, quæ efficiant, ne eadem omnibus ſors infantibus eſſe poſſit. Deinde pervulgatum eſt, omnes, quoquot naſcuntur infantes, balneo de more excipi, eamque legem inter primas tuendæ recens natorum valetudinis eſſe: quodſi vero atrophia ſequatur nihilominus primis ſtatim menſibus; inter potiſſimas cauſas, male curatam corpuſculi munditiem, cutiſque clauſa ſordibus ſpiracula, deprehendi. Frequentius quippe balnea menſibus primis negligi, ut ab illo veterum more parum conſulto diſſceſſimus, quam alios in victu reliquo errores committi, videmus, ad quos audaciores ſunt matres confirmato jam nonnihil corpuſculo. Unde *Gliſſonius* rhachiridem nunquam hæreditariam, connatam nunquam, ſed ſemper adventitiam, a ſexto inde menſe obſervatam, teſtatur. Cumque demum effectus, quod aiunt, cauſam arguat, & Vén. Parenti ſuapte experientia conſtiterit, de præclaro ad hunc morbum primis menſibus obortum, frictionum inter balnea effectu, cum ultimorum aucta oſcillatione vaſorum, humorum motus augeatur, attenuetur, & mobile reddatur, reductionique per lateralia vaſcula aptiſſimum, quod iners hæſitabat? quidni prona via patebat in illam ſententiam, primariam cauſam, id eſt, cui primaria & citior eſſet opportunitas nocendi, in illa non expedita pororum cutis obſtructione eſſe collocandam?

theſi *a Cl. Rolfincio in conſult. p.* 195. *& Wedelio in diſput. de atrophia p.* 30, *& aliis* confirmaremur, originem horum comedonum eſſe prohibitam tranſpirationem, non vero vermes: omnem intendimus cogitationem, quo ſtatim ab initio, priuſquam materia in poris cutis hærens indurata fuit, omni modo, quantum poſſibile, hanc tranſpirationis actionem promoveremus. Secuti etiam ſumus *Cl. Dn. Criſtoph. Ioh. Langium* in operibus part. III. pag. 613. quando ait: *Quapropter balneo imponitur infans, fricatque tunc balneatrix manu ſua artus, ventrem, & ſic omnem viſcidam materiam adhærentem detergit, & hæc ſordium remotio abſolute eſt neceſſaria, quippe ſine qua inſenſibilis illa, ad vitæ ſalubritatem adeo neceſſaria tranſpiratio, ſuccedere nequit, eſtque hæc lotio ſub forma balnei tuta & omni periculo carens.*

§. XIV.

Methodus vero noſtra, qua per dei gratiam ſemper cum maximo commodo uſi ſumus, ſequens fuit. Nempe poſt primam lotionem poſt partum neceſſariam, & ubique locorum receptam, apud omnes infantes; iterum tertia vel quarta ſeptimana poſt balneum adhibetur, & quidem hoc modo. Paratur balneum ex herbis nervinis & emollientibus verbi gratia, meliſſa, chamomilla aa miij & roſmarino Mj. Aqua virtute harum herbarum imprægnata tepido calida vaſi ligneo, longo, excavato, concavo infunditur, tunc obſtetrix pedetentim dimittit in hoc balneum infantem nudum, & provide ſiniſtra illum tenens manu, ita ut caput ab altera perſona ſimul ſuffulciatur, manu dextra hac aqua tepido calida optime totum lavat infantis corpuſculum, præprimis in dorſo, femoribus, brachiis, circa regionem ſcapulæ, etiam in facie & temporibus: hoc facto ad manus ſtat orbis, farina triticea tenuiſſima repletus, in hanc palmam manus dextræ intingit, & hac farina in rotunditate totum dorſum & nominatas regiones optime fricat, iterum palma manus abluit, denuo tali modo farina fricat, idque tam diu, uſque dum hi comedones dicti ſub forma ſetarum craſſiorum, inſtar vermiculorum alborum ex poris cuti prodeant. Ubi notandum aquam non nimis calidam, neque etiam frigidam eſſe debere: quando enim nimis calida eſt, infantem lædit, & quando nimis frigida, pori cutis non aperiuntur: deinde notandum, frictionem non in longitudine & digitis, ſed palma & in rotunditate eſſe inſtituendam, cum enim pori corporis rotundi, etiam in rotunditate fieri debet frictio, alias comprimuntur pori nec comedones, ſeu ſordes iſtæ mucidæ, prodeunt: porro ſemper adhibenda eſt farina triticea finiſſima ad poros emolliendos & vias patulas reddendas, pura aqua enim aut melle, veluti nimis unctuoſo, pori non ſemper aperiuntur. Hic mos balneis utendi bis, ter, quater, pro neceſſitate, eſt repetendus, quavis ſeptimana, quando enim ſub primo balneo hi ſic dicti comedones non pro-

 deunt,

deunt, ſub ſecunda certe lotione in maxima copia, & quidem in femoribus, muſculis humeri, dorſo, ſcapula, etiam in muſculis temporum, ſeſe præſentant, in tertio balneo cum frictione copia eorum longe minor eſt, (*b*) in quarto nil amplius cernitur, & hoc eſt ſignum, omnem illam viſcidam materiam hac ratione ex poris cutis eſſe protruſam, adeoque liberum actum tranſpirationis redditum eſſe. Sæpius tamen accidit, tenellulum corpus hiſce comedonibus adeo cumulatum eſſe, ut tres, quatuor lotiones non ſufficiant, hinc ne debilis fiat infans, brevi ſpatio balneum eſt abſolvendum, & contra eo ſæpius reiterandum. Poſt peractum balneum infans involvitur mappulæ manuali, *eine ſeine* ſerviette, optime calefactæ, & quidem circum circa totum corpus, leniterque hæc mappula corpori apprimitur, ubi ſordes iſtæ viſcoſæ huic mappulæ adhærent, & hinc non opus eſt novacula, vel cruſta panis uti, nec refert, an ſordium aliquid in cute hæreſcat, cum exarefactæ, ſponte decidant. Hoc facto mammæ porriguntur infanti, de novo induitur & cunis imponitur, ubi ſtatim ſomnus placidus illum obrepit.

§. XV.

Uſum horum balneorum, tali modo apud infantes adhibitorum, non ſatis certe collaudare poſſum. Quando enim infantes poſt partum ſemper inquieti fuerunt, ita, ut nec geſtati, nec in cunis moti quieverint, mirum quantum poſt balneum primum & ſecundum quieti redduntur, ad ſomnum componuntur & placide dormiunt. Ope horum balneorum præſervantur ab achoribus, tinea, & aliis cutis defœdationibus, tranſpiratione quippe reſtituta, ſerum illud ſcorbuticum coacervatum inſenſibiliter deffluit. Maximum vero commodum ex his balneis proveniens eſt, quod nutrimentum & augmentum corporis ex hac cauſa impeditum, egregie reparetur, & infantes viſibiliter cum εὐεξίᾳ pinguefiant, adeoque a macie & atrophia præſerventur. Interim notandum adhuc venit, nos ſimul cum balneis primis ſeptimanis uſurpatis ad cruditates primarum viarum acido viſcidas ſimul eliminandas, dediſſe pulveris jalap. gr. j. ij. cum pulvere epilept: March. gr. iij, & ſic totum lactationis tempus, infantes, niſi nutrix in erroribus diætæ peccaverit, aut ejus lac in qualitate vitioſum fuerit, quiete ſine clamoribus tranſegerunt. Hinc non immerito miramur, cum teſtante *Cl. Wedelio in libro de morbis infantum p.* 19. jam olim continuatio balneorum in uſu fuerit, quod nunc eorum uſus fere obſoletus ſit, &

(*b*) Perſpicuum inde eſt, nihil hic latere fallaciæ cauſarum, inde forſan petendæ, quod infantes farina exſiccentur. Nam objicere poſſes, eductum ſpiraculis cutis lentæ illius & ductilis ſorditiei proventum deberi farinæ humectata ante cute, affrictæ: ſed cum certum ſit a tertio cum frictione balneo illum minui, a quarto plane abeſſe; tuto inde efficitur, fila iſta fuiſſe gluten, quod pridem in canaliculis cutaneis hæſerat.

& apud infantes ea non adhibeantur, cum certe tutus eorum uſus omni periculo caret. Nos ſane pro certo affirmamus, remedium eſſe optimum, præſervativum, univerſale, & praxi quotidiana confirmatum. Ut ex multis centenis exemplis unicum ſaltem luci demus: cum ante annum & quod excurrit, medicinam facerem apud generoſiſſimam quandam familiam in Ducatu Luneburgico vicino, infans neo-natus, alias optime conſtitutus, niſi quod inquietus fuerit, tertia ſeptimana poſt partum, more noſtro balneo impoſitus eſt, adſtiterunt generoſiſſimi parentes, adfuerunt generoſiſſimi vicini, interque hos aliquot increduli, ſed propriis oculis turmam comedonum ex poris cutis hac methodo prolectorum viderunt, tertia ſeptimana poſt reiteratum fuit balneum, & proceſſerunt comedones in minori copia. In reliquis balneis ne veſtigium comedonum adfuit. Hic infans poſtea, Deo ſit laus, per totum annum & quod excurrit, nil incommodi fere ſenſit, ut certe hoc tempere omnes, qui illum adſpexerunt, & habitum corporis optime conſtitutum, toroſum, obeſum, ſanum conſideraverunt, in admirationem conjecti fuerint. Simili ratione hoc anno inſtitutum fuit balneum ante tres menſes apud alterum puerulum neo-natum, ubi demtis & abactis ſic dictis comedonibus, infans optime nutritus fuit.

§. XVI.

Quemadmodum autem in adplicatione horum balneorum facile ab improvidis peccari poteſt, ita horum gratia aliquot cautelæ erunt apponendæ. Balneum igitur non prius eſt in uſum vocandum, niſi de umbilico optime exſiccato certi ſimus, non adhibendum in oppletione pectoris infantum catarrhali cum febricula præſente, ſed differendum. Cave, ne balneum ſit nimis calidum, neque nimis frigidum, id quod prudens obſtetrix facile diſcernere poterit. Non opus eſt, ut infans uſque ad collum in balneo maneat, ſufficit juſta & optima ablutio ad poros cutis reſerandos. Non ultra ſemiquadrantem horæ hoc balneum duret, quo celerior operatio fieri poterit, eo melior. Omnis aër frigidus quovis modo arceatur. Mappula manualis ad abſtergendum adhibenda probe ſit calefacta, ut & induſium induendum. Hæ cautelæ ſi probe obſerventur, nunquam infans ex balneis detrimentum, ſed potius ſummum uſum capiet.

§. XVII.

Accedimus ad alteram methodum maciei curatoriam. Hæc locum habet, quando ipſa atrophia ex neglectu balneorum adhibendorum jam præſens eſt, & radices egit, ſcilicet, quando una cum pororum cutis obſtructione fere plenaria, adeſt quoque glandularum infimi ventris & tubulorum lacteorum infarctus, ita ut chyli reſolutio non recte fieri poſſit,

& tranſitus in ſanguinem impediatur, & de qua cauſa elegans obſervatio reperitur *in Ephemeridibus Nat. Curioſ. Cent. V. & VI. p.* 205. In hac macie ſane infantes omni ſpoliantur nutrimento, & vires inde adeo debiles ſunt, ut nec manus attollere nec pedibus inniti poſſint, proinde ſi auxilium differatur, accedente febre lenta conſumuntur. Ibi præter repetita balnea ad poros cutis reſerandos etiam neceſſario interna ſunt adhibenda medicamenta, & faciunt hic omnia ea, quæ viſciditati acidæ ex infimo ventre educendæ, obſtructioni glandularum tollendæ, concoctioni ventriculi juvandæ & diſtributioni chyli promovendæ apta ſunt, uno verbo, aperientia, laxantia, temperantia, corrigentia & roborantia. Præ ceteris laudanda eſt, Tinctura vitrioli martis tartariſata *Ludovici* cum interpolatis laxantibus, hæc tinctura eſt medicamentum ſummum nobile, & revera polychreſtum. Ex multis aliis innumeris exemplis operæ pretium erit unicum hic afferre. Nempe ante duos annos, cum generoſiſſima quædam familia in Ducatu Magdeburgico meo uteretur conſilio; egoque ipſe hanc domum viſerem, oblatus mihi eſt infans pauper 4 annorum adeo macilentus & atrophia conſumtus, ut cutis vix oſſibus hæreret. In femoribus enim & brachiis fere nulla conſpiciebatur caro, abdomen erat tenſum, pectus elevatum, facies longa, caput non erectum, ſed pendulum, ſuaſi cum balneorum repetitione ex herbis optimis paratorum, uſum ſequentem 4 pulverum omni ſeptimana unum, ſumendum, ſcilicet pulveris jalap. gr. VI, mercurii dulcis gr. ii, diagryd. Crem. tartar. aa gr j, ſimulque dedi tincturam vitrioli martis tartariſatam Lud: unciam ſemis, Eſſ: trif. fibr. Drachm. ii, macis Drachm. I, omni die bis ad 20 guttas ſumendam, unaque prædixi, fore ut a primo balneo comedones non ſint prodituri, adeoque continuandum balneum, id quod eventus etiam ita docuit, cum poſt ſex menſes iterum ad generoſiſſimam domum vocarer, offerebatur mihi idem infans plane mutatus, obeſus, ſanus, optimus, & mater, non ſatis edicere potuit, quanta copia comedonum in ſecundo, præ primis vero in tertio & quarto balneo fuerit eliminata. Poſſem plura ejuſmodi exempla afferre, ſed hiſce lectorem detinere non opus eſſe exiſtimo, ſufficit, & unumquemque experientia docebit, uſum balneorum ſecundum noſtram methodum tum præſervandi tum curandi fine in atrophia eſſe optimum.

§. XVIII.

Supereſt ut de illa ipſa macie, qua poſt ablactationem infantes nihilominus aliquando corripiuntur, licet primis ſeptimanis ope balneorum viſcida lympha in poris latitans fuerit abacta, pauca dicamus. Hæc atrophia, cum ſæpiſſime puras occaſionales cauſas pro fundamento habeat, impoſſibile eſt, ut methodo noſtra infantes ab illa præcaveri poſſint. Scimus enim, & unicuique cognitum eſt, quanta copia nutrices, cibos du-

duros, acidos, ſpiſſos, impaſtantes, craſſos, pultaceos, panem recentem & ſic porro infantibus obtrudant, ut neceſſario inde reſolutio ciborum conſequi non poſſit, ſed potius chylo & reliquis humoribus incraſſatis, glandulæ, organa colatoria hinc infarciri debeant, accedit commune illud malum, nempe potus nocturni in maxima copia infantibus conceſſi, ex qua cauſa quantum detrimenti puſiones capiant, ubivis notum. Quid, quod ſæpius febres, obſtructio lienis, hepatis ulcera, aliæque cauſæ anſam præbeant huic malo, ubi per ſe clarum eſt, balneis applicatis hancce maciem neutiquam præſervari potuiſſe. Interim in cura hujus mali, quæ ſæpius difficillima eſt, quod infantes medicamentorum internorum uſum reformident, balnea una cum aliis optimum præſtant effectum.

§. XIX.

Quamvis nunc, uti paragrapho antecedente diximus, præſervatio hujus mali in tali caſu, locum non habeat tamen præſentiorem nobis effectum in illo morbo, Anglis endemio & rachitis dicto, promittimus. Cum enim ſecundum plurimos auctores hic affectus cum atrophia eximiam affinitatem habeat, & ſeſe prodat non tantum cum deformitate articulorum; ſed etiam cum qualicunque corporis ſucceſſiva contabeſcentia, imo teſtante *Dolaeo* infantes in Anglia a ſexto menſe ſuæ ætatis ad finem uſque ſecundi anni illo morbo infeſtentur, adeoque probabile, & illam ipſam tranſpirationis prohibitam actionem pro cauſa quoque adduci poſſe: nihil impedit, quo minus credamus, methodum noſtram, qua omnibus infantibus, primis menſibus poſt partum balnea adhibemus, & hujus ope tranſpirationis negotium promovemus, inſigne quoque huic morbo præſervativum fore. In noſtris oris hoc genus morbi rarum quid eſt, & *Dolaeus in Encycl.* bigis infantum tempore praxeos, tantum medicinam feciſſe, teſtatur, *Lentilius tamen in jatromnem. p.* 101 plures rachiticos Suevia oſtendi affirmat. Quod ſi ab aliis methodus noſtra in uſum vocabitur, dies docebit, qualis effectus inde ſit ſperandus.

§. XX.

Unicum illud adhuc addendum, nos anno præterlapſo cum variolæ hic & alibi maximam ſtragem facerent, & aliquot centeni infantes hoc morbo correpti eſſent, nos certo apud illos infantes, quibus primis menſibus poſt partum balnea applicata, confluentes variolas non obſervaſſe, illoſque fere omnes præ ceteris evaſiſſe, & licet hanc obſervationem pro infallibili non declaremus, cum variolæ per multos annos, non confluentes ſed diſcretæ, excepto anno ſuperiori, hic regnaverint, adeoque plures obſervationes ad hanc theſin probandam, requirantur: illud tamen certum eſt, quod in liberiore tranſpiratione una ſimul cura variolorum conſiſtat. Tempus interea, & plures obſervationes de hac veritate, qua tali teſtari poterunt.

F I N I S.

M I-

CXCIII.

MICHAEL. ERN. ETTMULLER,

PROGRAMMA.

DE SCABIE.

Lipſiæ 1731.

B. B.

DUlcamaram vocavit *Plato* ſcabiem, vel πάθυςγλυκύπικρον. ſive enim vermiculi rodant cutem, ſive ſalinus ſtimulus vellicet fibrillas ſenſibiles, pruritus oritur, qui veſperi & noctu potiſſimum exacerbatur, vel quia ſtato ſuo movetur tempore humor, inſtar aliorum, qui a ſero ſunt, affectuum, vel quia calor ipſe ſanguini a lecto vel paſtu inductus excitat & expandit quietam prius cauſam. Hinc fricando, ſcalpendo procuratur voluptas, eo quod exitus paretur cauſæ, vel quod ipſa obtunditur, vel quod nova impreſſio priorem quaſi leviorem oblitterat. Excipit vero eandem mox dolor; excoriata enim cutis & laceratæ fibrillæ hoc ipſo fiunt ſenſiliores, delicatiores, & patiuntur acrius ſub affluxu humorum, præ quo jam turgent carnes repletæ & tenſæ ægre flectuntur. Cujus quidem conſequentiæ adeo incurius eſſe ſolet ſcalpturiens, ut ſæpe ſtoicus vix videatur ferendo aut continentiam præſtare poſſit. Etenim hic quoque neceſſitas voluptatis cujuſdam mater fit, aut nimis læſa patientia tandem in furorem quaſi quendam erumpit, quem dein graviter luit æger. Quam magna autem etiam fuerit illa voluptas ſcalpendi tempore, dubito tamen, an quis ob inſecuturam amaritiem dulcedine iſta diutius vel frequentius frui optet, aut imitaturus ſit Cardanum italum, qui ob titillationem in vulneribus ſanationi proximis adeo gratam & dulcem ſemet ipſe crebro vulneraſſe dicitur. Non enim cuivis illa obtingit felicitas, quæ Herculi, qui labore fatigatus inſtituto a nymphis balneo mitem valde ſcabiem ſoloque pruritu infeſtantem ſuſcepiſſe fertur; ſæpe gravior accidit, mali moris, fœda, diuturna & lepræ proxima. Singularem mihi morbi hujus dulcamari caſum in noſocomio noſtro obſervaſſe contigit, quem nunc communicabo. „ Johanna Dieterica,
„ puella quatuordecim annorum, temperamenti phlegmatici, quæ villico
„ a

„ a ſervitiis erat, conqueritur de pruritu totius corporis, quem excipi-
„ unt maculæ inſtar pulicum morſuum in veſiculas ad ovi gallinacei uſque
„ magnitudinem exurgentes, quæ vel ſponte ruptæ, vel poſt ſcalptum
„ ſerum fundebant acerrimum, & ſquamas cuticulæ abraſæ poſt ſe relin
„ quebant. Et quoniam exſiccatis prioribus novæ propullulabant puſtulæ,
„ ad tres quatuorve ſeptimanas lectum cuſtodire cogebatur. Revertebatur
„ malum prioribus binis annis frequentius, & quanquam a menſium
„ emanſione illud ortum crederetur, recurrebat tamen ſecundo poſt pri-
„ mam invaſionem anno his erumpentibus, ita tamen ut per unum alterum-
„ ve annum ſemel ſuam luſerit ſcenam, ab omnibus aliis ſymptomatibus libe-
„ rum. Salivationem interim mercurialem ſuſtinebat ægra, thermas carolinas
„ adibat, poſt quarum uſum ad quatuor annos ſiluit morbus, hinc
„ reverſus. Curatur denuo, & per ſex annos integros ſana atque incolumis
„ degens novum paroxyſmum ſuperiori anno patitur morbi, moleſtia atque
„ dolore pleniſſimi. Dum in ætiologiam hujus affectus accuratius inquire-
batur, ediſſerebat patiens, ſe, cum rem domeſtiam curaſſet villici, ob le-
ctorum penuriam lana ab ovibus tonſis collecta ſe tegere atque ab in-
juriis frigoris nocturni præmunire fuiſſe juſſam, accepiſſeque a cognatis,
culpam morbi lanæ impuræ eſſe tribuendam; quid vero per lanam im-
puram intelligendum ſit, ipſa per mentis hebetudinem explicare neſciebat.
Impura lana eſt, quæ alias ſuccida vocatur, pinguis ſcilicet illa ac ſu-
doribus referta, a collo & feminibus ovium decerpta. Verum tantum
abeſt, ut moleſtiam aliquam hæc corpori humano afferre poſſit, ut tam
ipſa, quam ſeparata pinguedo, œſypus dicta, innumeros habeat in me-
dicina uſus. vid *Plinius Hiſt. Nat. Lib. XXIX. cap.* 2. An vero pedi-
culos retinuit lana, qui morſibus pruritum & puſtulas excitarunt? At o-
vibus & capris denegant auctores pediculos, ricinis ſolum vexari exiſ-
timantes. Quanquam autem ovillum genus certum pediculorum genus a-
lere non negem, ſiquidem magna eorum datur differentia, qui ut va-
riis animalibus ita generi humano ſunt infeſta; vix tamen credendum,
morſus horum animalculorum præter pruritum tot puſtulas, tam copi-
oſo ſero turgidas, per totum corpus excitaſſe, & totidem periodis anſam
præbuiſſe. Supereſt igitur, ut credamus, lanam illam impuram oves ſca-
bie infectas ſuppeditaſſe. Notum enim eſt, quod ſicuti canes ad rabiem,
vulpes ad alopeciam, equi ad febres, galli ad podagram, paſſeres ad
epilepſiam inclinant, ita oves ad ſcabiem contrahendam admodum ſint
proclives, ita ut non ſolum

Morbida facta pecus totum corrumpat ovile;

ſed & ſanæ oves morboſarum tantum tramites in paſcuis legentes eadem
labe infeſtentur, & per ſtabula inficiantur. Et quis dubitabit, poſſe ſca-
biem ovillam hominibus communicari? Differt quidem unius animalis
natura ab alterius conſtitutione, nec omnia ejuſdem ſpeciei individua e-
andem ſervant indolem. Non enim, quæ genus humanum internecioni

dat peſtis, inter pecora ſtragem edit, & viciſſim; nec qui peſte laborantium curam agunt homines, ſemper ab illis inficiuntur. Interim vel ſola rabies canina docet, poſſe morbum contagioſum cujuſdam animalis ad homines tranſire. Inter alios morbos, qui per contagium propagantur, ſcabies procul dubio communiſſima eſt. Non ſolum enim, qui ſcabioſis accumbunt, immediate ἀπορ̀ῤοίας νοερὰς cute excipiunt, ſed & qui iiſdem contubernales utuntur mantilibus, ſtrophiolis, aliiſque utenſilibus. æger ſanum ſimili labe inficit, vel qui lectis utitur, in quibus olim ſcabioſus dormivit, eodem modo defœdatur. Scabiem igitur puſtuloſam contraxit puella a lana ab ovibus ſcabioſis decerpta. Non autem multum refert, noſſe, unde primum oves luem contraxerint, an per contagium, an a frigore, cujus ſunt impatientiſſimæ, an ex humorum impuritate, an quia a lupis fuerunt laceratæ; quemadmodum *Ælianus* perhibet, quod, qui lanam ovis a lupis dilaniatæ pexerit, atque ex ea veſtem confecerit, ſcabiem provocaturus ſit ei, qui illa veſtietur. Sufficit, omnia adfuiſſe requiſita, ad conſtituendum morbum contagioſum. Adfuit enim ſubjectum, quod morbo, ſcabie, laboravit, ovis ſcilicet una alterave. Et quanquam immediatus contractus inter ſanum & morboſum corpus hic non præſumatur, adfuit tamen fomes commodus, pro recipiendis & aſſervandis miaſmatibus illis ſcabioſis. Lana enim aptiſſimum conſtituit medium, quod peccantes & ex ove exhalantes particulas reſorbere potuit. Eſt enim rara, laxa, foraminulenta, & poroſa, intra quam ſubſtantiam miaſmata contagioſa lubentiſſime hoſpitantur & diutiſſime retineri poſſunt, impediente viſciditate, ne mox in auras diſpergantur. Eſt quemadmodum odores linteaminibus, veſtibus, chirothecis &c. diu inhærent, ita effluvia illa contagioſa ſub lana per aliquod temporis ſpatium ſubſiſtere ſolent. Hinc ob rerum lanearum pinguium tractationem ſartores præ aliis hoc morbo inquinari dicit *Coſchwizius Pathol. pag.* 349. Accedente denique calore corporis puellæ, particulæ illæ activæ evolutæ, actuatæ & diſpoſitæ fuerunt, ut energiam ſuam in ejus corpus exerere potuerint. Cum autem puella omnem occaſionem novum ab extra recipiendi miaſma per loci, ſtragulorum & vitæ generis mutationem ſolerter evitare ſtuduerit, merito quæritur, unde tot recidivæ novique paroxyſmi eandem prehenſerint? Ego exiſtimo, priorem paroxyſmum, forſan etiam plures eum inſequentes, contagio eſſe adſcribendos. Non enim ſola externa corporis ſuperficies in puella fuit contaminata, quemadmodum *Hellmontius* manus ſuas a chirothecæ uſu infectas credidit, ſed altius penetravit hoc ſeminium, & a poris receptum, caloreque mediante rarefactum & expanſum humoribus ſe immiſcuit, eorumque mixturam turbavit, qui lege circulationis ſanguinis ad habitum propulſi & in puſtulas elevati ſunt; haud ſecus ac cantharides cuti impoſitæ hanc non ſolum exulcerant, verum etiam ad interiora ſe recipiunt, quod pathemata organorum urinariorum harum applicationem inſe-

ſequentia abunde teſtantur. Perquam aptum etiam fuit corpus puellæ ratione temperamenti ad hanc ſcabiei ſpeciem contrahendam, partim propter habitum laxum & ſpongioſum, partim ob ſeri copiam in ea abundantis. Pituitam enim in ſcabie non ſolum *Hippocrates lib.* περὶ παθῶν accuſat, verum & temperamentum phlegmaticum ſulphur vitale obtundit, & ad ſcabiem diſponit non ſiccam vel cruſtoſam, ſed humidam & puſtuloſam. Præterea me latet, qua ratione tum temporis contra hunc hoſtem fuerit dimicatum, num ad antevertendos novos recurſus corpus ab impuritatibus ſatis fuerit purgatum, an vero ad menſium fluxum promovendum calidioribus medicamentis motus fuerint exacerbati. Quodſi enim tantillum fermenti hujus peregrini humoribus permixtum remanſit, ſeſe multiplicando novum paroxyſmum concitare facile potuit. Eodem enim fere modo ſeſe res habet in ſcabie atque in lue venerea; ſunt enim congeneres affectus; de hac vero ita *Ballonius Epid. lib. II. pag.* 219. *Obſervarunt peritiores chirurgi, ulcuſcula, etiam leviſſima, imo, ut ita dicam, excoriationes ipſas in iis, qui olim lue venerea laborarunt, & curati ſunt etiam, difficillime ſanari, adeo veteris fermenti veſtigium aliquod remanet, quod mala leviſſima exacerbat, & deteriora* reddit. Sicque ſuo exemplo docuit per vitioſum circulum noſtra, effectum fieri cauſam, & productum morbi fieri ſubjectum cauſæ. Quod vero reliquos paroxyſmos attinet, credendum eſt, eorum culpam non ſoli contagio ſed & aſſuetudini eſſe tribuendam. Non enim adeo rara ſunt exempla hujuſmodi aſſuefactionis in œconomia animali, ſive præſto ſit cauſa aliqua materialis ſui expulſionem efflagitans, ſive deſit. Qui ſomnum meridianum ſemel aut bis admiſerunt, ſequentibus diebus ad eundem capeſſendum invitantur, eoque neglecto per totum diem de tædio quodam conqueruntur. Simile quid notum eſt de ſtatis horis evigilandi, jentandi, ventris onus deponendi per nudam conſuetudinem determinatis; in febribus intermittentibus paroxyſmi ſtatis diebus & horis redeunt, omni licet ſubſtantia materiali ex corpore proſcripta; & eryſipelas, quod ſemel infeſtavit, poſt iram, terrorem, &c. mox repetit membrum. Multo citius hoc obſervatur, ſi materia aliqua noxia ad motus redintegrandos naturam ſtimulat. Novi aliquos, qui fere ſingulis annis febribus acutis graviter detenti, ita ut etiam ultimam benedictionem acceperint, feliciter tamen eluctati ſunt, modo conſuetos naturæ motus non turbaverint. Alii, ſi in morbum inciderunt, vel per ſomnum vel oborta diarrhœa critica eundem ſuperarunt. Ut de iis nihil dicam, qui venæ ſectionibus ſemeſtribus adſueti, revertente tempore debito, ut hoc præſidio naturam adjuvent, variis monentur motibus. Quemadmodum enim natura, quamvis juxta *Coum* incrudita, motus tamen facit, qui expediunt ſeu ad præſervationem ſeu ad conſervationem; ita ſemper ſollicita eſt eadem excrementa, ſeu ea, quæ moleſta ſunt, a nobilioribus ad ignobiliores protrudere partes, ſic etiam in ſcabie non minus eo nititur, ut

humores illos vitioſos in ſanguine latentes ad emunctorium ejuſdem univerſale, cutem puta, protrudat, ac quo ſæpius eandem motus ſpeciem exercuit, eo promtius non ſolum eundem adhibere denuo ſibi proponit, ſed etiam repetito, & imprimis ſæpius, uſu organorum ad hanc rem hinc inducta agilitas atque habilitas impoſterum facilius totum effectum exequitur. Eodem modo in noſtra ægra natura, poſtquam materiam morbificam ad habitum expellere hactenus tot vicibus ſolita fuit, eoſdem tramites repetiit, quamprimum lympha quacunque data cauſa occaſionali mucidior & ſpiſſior facta atque coacervata fuit, ſub reliquo humorum circulo ad glandulas ſubcutaneas, habitudinem nunc ad receptionem nactas, eandem amandavit, quæ ſtagnatione, quam hic ſubiit, ad corruptionem ſalſam ulceroſam abiit, cutim in continuitate ſua læſit, eroſit, puſtulaſque produxit. Rariores vero ultimis annis fuerunt paroxyſmi, vel quia medici ſub menſium eruptione, eorum emanſionem in culpa non eſſe advertentes, methodum medendi forſan mutarunt & ad præcavendum uberiorem materiæ peccantis proventum ſalutaria præſcripſerunt remedia: vel quia una cum menſium fluxu multum de illa e corpore fuit ejectum, ita ut tam cito cumulari & ad ſui eliminationem naturam ſtimulare non neceſſe habuerit. Prius ut credamus, ſuadet ptyaliſmus & thermarum uſus ſalutaris, quarum ope cacochymia correcta & humores noxii ex corpore profligati, organum etiam forſan roboratum fuit, quo minus adeo promte impuritates admittere & imbibere potuerit. Poſterius teſtantur tardius recurrentes poſt menſium eruptionem paroxyſmi, & ultimus, qui ſuperiori anno obtigit, eo ſcilicet tempore, quo menſes per ætatem ceſſaverant. Potuiſſe forſan malum penitus eradicari, ſi perito medico temporibus intercalaribus per cauſarum antecedentium remotionem, aut per tempeſtivam motuum anomalorum præoccupationem ipſum affectum præſcindendi & aliquando ſucceſſive tollendi, copiam facere, vel thermarum uſum repetere congruaque uti diæta res anguſta domi permiſiſſet miſeræ.

CASI-

CXCIV.

CASIMIRI CHRISTOPH. SCHMIEDEL,

ET AUCTORIS

J. CHRISTIANI VOIGT,

DE LEPRA,

DISPUTATIO.

Erlangæ 1750.

§. I.

DUm in ſtatu naturali vita noſtra ea vivitur lege, ut vaſorum plenitudo, ſub diverſa tamen diametro ſemper adſit, multa autem de noſtris liquidis per nutritionem corporis, aut per ſecretiones & excretiones deperdantur, jactura hæc ut iterum per ingeſta ſufficienter reſtituatur, neceſſe erit. Hæc reſtitutio, quum per adſumta varii generis perpetratur, efficiet, ut omnes, qui fluunt per vaſa noſtra, humores, vel ingeſtorum naturam adhuc retineant, vel per miſcelam liquidorum humanorum, viſcerumque vires, propria indole depoſita, in noſtram tranſeant naturam. Etſi autem ingeſta in corpore humano antequam nutriant, & in ultima puncta corporis diſpertiantur, plane mutentur; attamen non ſolum experientia, ſed & varia alia momenta vix concedunt, quo minus hanc alimentorum mutationem perfectiſſimam & ab illorum indole & natura prorſus recedentem credamus. Namque urina poſt paſtum aut potum, principio ſalino acri volatili impraegnatum, aut poſt aloen adſumtam, reddita, imo ſudores & aliæ excretiones, quin & fonticulus, allium comeſtum aliave redolens, nec minus volucrum, ſolis piſcibus viventium, carnes ingratum piſcium fœtorem retinentes, atque turdorum, rhamni cathartici baccis veſcentium; carnes purgantes, firmo ſententiæ noſtræ eſſe poſſunt argumento.

§. II.

Noſtra alimenta & ingerenda vel ex regno vegetabili vel ex aliis animalibus deſumuntur; ex foſſibilibus paucis, niſi quis condimenta quædam, ut ſal marinum, culinare, gemmæ &c. vel aquam inter foſſilia numerare vellet, veſcimur. Generaliter pro certo ſcimus, vegetabilia, nec minus lac animalium, plerumque ad naturam magis acidam, quam animalia ipſa, atque hæc ad indolem magis alcalinam quam regnum vegetabile accedere. Si enim vegetabilia & inter illa inprimis legumina, cerealia, farinoſa uti & horæi fere omnes fructus, tali calori, qualem noſtrum corpus habet, exponuntur, tunc in acrimoniam acidam vel in glutinoſum pingue mutantur. Hæc autem, ubi in corpus ſanum ingeſta ſunt, per fermentationem, prout generaliori ſenſu ſumitur, & præcipue per admixtionem variorum liquidorum ſale ſaponaceo & alcalico, inter ſe optime mixtis, ſcatentium, nec minus per vim vaſorum atque viſcerum ſic immutantur, ut exuta ſua indole; in noſtram convertantur naturam. Ut primum vero organa illa digeſtioni famulantia, a quacunque cauſſa debilia atque præternaturaliter conſtituta, vel liquida ea admiſcenda, immutantia & reſolventia depravata vel deficientia deprehen-

dun-

duntur, ingeſta minus mutantur, & tunc ſuam aut ſequuntur naturam, aut in corruptelam facile degenerant. Certam ſolummodo ſemper adeſſe quantitatem horum reſolventium liquidorum, quæ ex ingeſtis tertium illud emergens nempe chylum conficere valent, ex juſta fluidorum noſtri corporis proportione edocti ſumus. Si quis igitur plus alimentorum acidæ indolis capit, quam quæ ope horum liquidorum in bonum chylum tranſmutari poſſunt; fieri vix poteſt, quin chylus talem indolem ſalinam acidam acquirat, qualem ingeſta ex ſua poſſident natura, ſimulque bonam noſtri ſanguinis mixtionem deturbet, eique eminentiam partium ſalinarum acidarum ac depravationem ſenſim ſenſimque inducat. De quarum abundantia atque explicita actione tum puſtulæ, ſerum acre fundentes, ſaliva ſalſa, tum vomitus acidi ex ventriculo, lac in mammis ſeroſum &c. ſatis ſuperque teſtantur: Ut eos taceamus homines, qui vegetabilia, vinum auſterum, lactucam, carnem aſſam, aceto maceratam & conditam majori ingerunt copia, quam ut hæc ex illorum liquidis digerentibus ac debita ſolidorum reactione in ingeſta plenariam mutationem ſubire poſſit. Quem in modum chylus hiſce partibus ſalinis acidis, non bene ſubactis & alteratis refertus, ſicque adhuc magis crudus, maſſam ſanguineam intrabit, ejuſque bonam mixtionem mutare poterit. Ex Phyſiologia compertum habemus, ſanguinem bonum in ſe recondere materialiter plures inter ſe intime mixtos humores, bilem, ſalivam &c. illoſque a ſanguine ſecretos humores, ſanguinis naturam ſequi: qui bonus erit quando ex adſimilatis conſtat humoribus; crudus vero, dum ingeſta adhuc aliquid retinent de ſua natura. Ubi ergo boni ſanguinis defectus, ibi deficit vis princeps immutans ingeſta in noſtram naturam.

§. III.

Idem quoque de alimentis, ex animalium carnibus, ut & quibuſdam herbis & ſeminibus aromaticis, deſumtis valebit. Quarum naturam in alcalinam indolem vergere, experimenta de animalibus & quibuſdam plantis per deſtillationem & putrefactionem huc uſque inſtituta clare demonſtrant (*a*). Unde procul dubio ſalis alcalini origo in corpore noſtro, vel ab humoribus noſtris ſpontanea degeneratione, aut mutua reactione corruptis, vel ab ingeſtis, quæ talem indolem poſſident, ut ſponte ſua in putredinem abeant, vel denique ab adſumtis ſalibus alcalinis pendere poterit. De quarum præſentia ructus nidoroſi & varia exanthemata &c. teſtes producunt; plura vero de effectibus recenſet immortalis Bœrhaave in ſuis Aphoriſmis §. 85. Similiter alimenta dura, craſſa, terreſtria, viſcida,

(a) *Boerhaave* chym. Tom. I. pag. 765 & 803.

cida farinoſa non fermentata, leguminoſa, ex piſcibus parata, nec minus ſulphurea, nimirum nimis pinguia variaque potulenta ſpirituoſa per fermentationem confecta, vinum auſterum &c. ſanguinem noſtrum ejuſmodi particulis implere atque inficere valent. Quæ omnia modo recenſita nos de poſſibilitate, quod nempe ſalia acria & acida & alcalina, partes terreæ & ſulphureæ, in noſtro ſanguine eminere vel augeri poſſint, evidenter convincunt. Quare adhuc de ſalium indole & actione pauca addere a noſtro inſtituto haud alienum eſſe judicamus. Generaliter enim ſcimus, quod ſalia cujuſcunque generis, ſi decenter ſunt ſoluta, vix niſi admodum concentrata ex figura acuta, atque actione prout vocatur mere mechanica operentur, ſed potius propter inſignem tam ſubtilitatem quam cohærendi facilitatem vires exſerant; & quod exinde ad minimum æque bene concipi poſſit, quomodo ita penetrando in interſtitia, non ſolum fluidorum compoſitionem & miſcelam reſolvant aut mutent, ſed etiam ſolidorum corporum cohæſionem augeant, & proinde, ſi fibra eſt, in quam agunt, eam ſtimulent & irritent, quando debiliore vi prædita ſunt, aut fortem reniſum experiuntur: ſolvant vero & deſtruant, quando plures moleculæ contra unum punctum adplicantur, ſive quod idem eſt, pro vario gradu concentrata atque ſic viribus potentiora ſunt, aut imbecillem in fibris offendunt reſiſtentiam. Quo ſubtiliora igitur ſunt ſalia, quo magis concentrata, & quo melius cohærent cum parte quadam, eo luculentiores edunt effectus.

§. IV.

Sanguinis humani ſtatum naturalem ſalium præſentiam jam poſcere, tot phænomena evincunt: porro eundem vitalem laticem quodcunque eorum genus continere poſſe, ſupra demonſtratum dedimus. Quo meliorem itaque hæc ſalia mixtionem, proportionemque tam inter ſe, quam cum aliis partibus conſervant, eo adcommodatior temperies & conſtitutio ſanguinis evadit, ac homo, quod ad fluida attinet, ſanus exiſtimari poteſt: ſin contraria ratione hæc accidunt, in fluidis variam patitur intemperiem, & morbis inde emergentibus fit obnoxius. Quando igitur ſal acidum in ſanguine eminet, fiet, ut partes ſulphureæ paſſim præſentes præſertim bonæ nutrientes in ſero noſtro ſolutæ, præcipitentur & coagulentur, hinc indolem viſcidam adipiſcantur. Quia igitur a fluxilitate magnum motus momentum in maſſa ſanguinea pendet, ad utrumque vero plurimum conferunt & calorem potiſſimum gignunt igneæ partes, quas & liberas & ſub ſulphurearum oleoſarumque partium forma copioſas adeſſe novimus, his ita depravatis, ſanguis & calore & motu decreſcit, atque ad obſtructiones varias diſponitur. Salibus dum alcalicis facile cohæret & unitum cum illis aut in concretum alius genii abit, aut ſaltem eorum vires infringit, actionem eorundem in partes ſulphureas, quæ

paſſim requiritur, impedit & bilis efficaciam eo ipſo debilitat. Non tamen his ſolum modis nocere, ſed etiam alia adhuc via ſpiſſitatem, immobilitatem intemperiemque ſanguinis augere poteſt, quando in humoribus vel in primis viis, ut vocantur, nidulans, quod inter alios hypochondriacis & infantibus familiare eſt, partes terreſtres, aut cum ingeſtis illatas, aut ibi collectas, nimis quam par eſt reſolvit, dividit, ad reſorptionem in oſcula bibula aptat, vel illis junctum in ipſum ſanguinem & ad vaſa minoris capacitatis penetrat. Ea enim eſt experientia teſte ſalis hujus indolis, ut facile cum terra congrediatur, & ea quoque cauſſa eſt; cur fibris noſtris adplicatum, vel cum reliquis humoribus ad illarum interſtitia translatum inſigniter ſolida ſtimulare, irritare, atque pro concentrationis gradu ſolvere, corrodere & deſtruere valeat.

V.

Ad ſalium alcalicorum effectum in ſanguine noſtro nunc devolvimur. Si enim hæc abundant, partes igneas & ſulphureas, quibus bene adhærent, majori retineri quantitate, calorem, expanſionem augeri ac liquida jam naturaliter acria, inter quæ bilis primas partes tenet, magis acui, actionemque horum ubicunque multiplicari facile cuique patet. Extenſio atque vis fluidorum ita creſcens, comitem & pediſſequam habens ſolidorum ſtimulum & dilatationem, fortiorem operatur horum conſtrictionem. Attenuantur ulterius & reſolvuntur, atque valentius propelluntur humores, ſegregantur fluidiores & eliminantur, uſque dum diſſipatis diluentibus mobilioribus & tenuioribus, compinguntur reſidui, & ſpiſſi, concentrati, acres evadunt. His ipſis ſuccinctam deſcriptionem ſubminiſtravimus, quomodo maximam ad partem indicari debeat actio ſulphureorum, præſertim excedens. Neque terrearum potentia obſcura erit illi, qui conſiderat quales edere poſſint effectus ex gravitate ſpecifica ita dicta, quomodo ſibi uniunt & retinent ſalia & ſulphura omnis generis, acria non raro reddunt, difficilius mobiles quieſcunt, ſubſiſtunt, & inde deducta mala creant. Plura equidem de ſingulis his excitare poſſemus, ſuperſedemus vero reliqua fuſius pertractare, ſed ſeligimus modo ea, quæ forſitan aliquam tractationi noſtræ lucem adfundere poſſunt, & concludimus: quando ſanguini noſtro ubicunque ſub inopia partium aquearum inducitur is ſtatus præternaturalis, quod eminent ſalia alcalina & ſulphura, cacochymiam bilioſam: ſi vero ſalia omnis generis acria, deinde acida, poſtea ſulphura, tandem terreæ partes nimia copia peccant, cacochymiam atrabilariam communiter a pathologis vocari.

§. VI.

Qua nunc breviter conſiderata fluidorum corporis humani alterata & vitiata

vitiata proportione, neceſſe eſſet, ut pauca, noſtro inſtituto idonea, adderemus, quatenus nempe partibus ſolidis, ob hanc morboſam conſtitutionem ſtatus præternaturalis induci queat. Fluida enim omnis generis, cum nutritioni tum ſecretioni & excretioni deſtinata, non ſolum vaſis contineri ac verſus omne punctum corporis propelli, ſed & noſtrum corpus in tota ſua ſuperficie externa & interna perſpirabile, ac innumeris vaſculis & glandulis ornatum eſſe, nec minus liquida ſecreta naturam fluidorum, a quibus ſecernuntur, ſemper ſequi per principia anatomica & phyſiologica conſtat. Quæ autem omnia modo adlata ſi ruminamus, nihil obſtat, quin facile perſpiciamus, fluidis ſic præternaturaliter conſtitutis, partes ſolidas, quibus vehuntur, propelluntur, ſecernuntur & adponuntur, ſalvas eſſe non poſſe, ſed ab univerſali intemperie lædi debere. Nimis longum foret, ſi omnes adfectiones, quibus ſolida ſuccumbere poſſunt, prolixe recenſere ſuſciperemus; multa enim de iis jam immiſcuimus §phis præcedentibus III. IV. & V. quædam forſitan filum argumenti noſtri adhuc ſuppeditabit. Sufficit nunc præmonuiſſe, dari ſtatum præternaturalem, ſub quo neque ſolida continuitate amplius prædita ſunt, neque fluida ſimul ſuis limitibus naturalibus coercentur. Is itaque utrisque communis eſt, & ſoluta unitas vocari conſuevit. Quæ ſi partes molles invadit cum corruptione conſiſtentium & liquidorum, ulcus nominatur.

§. VII.

Ulcerum alia totam ſuperficiem corporis, alia partem quandam occupant, unde illa univerſalia, hæc particularia dicuntur. Quæ ichorem, vel ſaniem, vel pus exſtillant humida, quæ vero nihil horum reddunt, ſicca adpellantur. Quæ cauſſas aut in vermibus habent, aut quæ vermes, ob rariorem & neglectam deligationem atque expurgationem, continent, erunt verminoſa. Si curationem vel periculum reſpiciamus, nonnulla benigna, quæ pus coctum bonumque fundunt, remediisque facilius obtemperant, ubi vero contrarium obtinet, maligna ſeu mali moris habentur, & ob hanc rationem ut & eventum, in ſanabilia & inſanabilia diſpeſcuntur. Si quædam quaquaverſum depaſcunt, alia e contrario unum locum tenent, hæc ſub permanentium, illa ſerpentium nomine veniunt. Sic & alia altius ſe inſinuant, alia leviter rodunt, unde profunda & ſuperficiaria dicuntur; quædam pro loci varietate iterum vel interna vel externa audiunt. Tandem ratione durationis ſeu ætatis in recentia atque in inveterata dividi ſolent.

§. VIII.

Cutis, corpus humanum undique fere circumdans, ut & intra il-

 lud

lud varie producta, epidermide, ubi opus eſt tecta, ex corpore reticulari Malpighiano, papillis fibrilisque nervorum, glandulis, tela celluloſa, pinguedine & myriadibus vaſculorum, varia transmittentium, conflata eſt, & his ipſis dotibus commodam adeo aptamque ſedem ſoluto per putredinem continuo molli, ſive ulceri, ſubminiſtrare poteſt. Non animus eſt mihi, neque ſpatium permittit, omnes ulcerum claſſes proſequi, quas quotidiana experientia in cute obvias ſiſtit, & quarum ſingularum penitior conſideratio, etſi plerumque inſuper habeatur, non tamen levem ſubinde propter abstruſos fiendi modos operam faceſſat, ſeparatum fere videtur argumentum. Pedem potius figo in ulceris cutanei unica ſpecie, quæ propter ſquamas, quibus corpus fœdat, *lepra* vocatur. Ejus itaque genium pro tenuitate virium, quibus polleo ſequentibus expedire conabor.

§. IX.

Lepra in varias partes trahitur, & ab auctoribus non uni eidemque ſpeciei adfectuum cutaneorum adnumeratur: adeoque cum hujus mali adpellationes varie confundantur, & forſan natura ejus ac cauſa in diverſis regionibus diverſimode ſe habuerit, neque prorſus eadem ſit noſtro ſeculo ac fuit olim, idcirco non ex libris, ſed ex propria ægrotantium obſervatione morbum hunc deſcribendum eſſe cenſet *Williſius de Medic. operat.* S. III. c. 7. de lepra Græcorum. Quum non ita multo ante ſub directione illuſtris D. præſidis & præceptoris mei in æternum devenerandi juvenes duos hocce malo infectos adminiſtrare, viſitationibus intereſſe, & totum morbi decurſum ſecundum normam methodi, ab ipſo inſtitutæ, curamque abſolutam ſpectare, fortuna mihi, quæ paucis contigit, eo minus hunc morbum ceu diſſertationis thema eligere hæſitavi, quo magis de ejus natura, curatione atque eventu convictus fui.

§. X.

Verum enim vero, ut ordine tanquam conveniente ejus tractationem exordiamur, primo tum remotiores tum proximiores cauſas, quæ huic affectui ſuam ſymbolam conferre valeant, diſquiramus, neceſſe eſt. Quarum omnes, ſanguini & præcipue ejus parti ſeroſæ diſpoſitionem viſcidam, ſalinam acrem conciliantes, atque fluxilitatem decentem auferentes aut hujusmodi conſtitutionem jam præſentem adaugentes & excitantes, merito in hanc claſſem recipiuntur. Primo igitur res non naturales nobis ſe ſiſtunt, ubi aër non plane excludendus eſt, quippe qui, ſi nimis calidus eſt, ob partes igneas humidiſſima diſſipans, humores reſiduos ſpiſſiores & lentiores reddit, partes vero ſulphureas, ſalinas acres & terreſtres majori copia in corpore accumulat, quæ deinde ad noſtrum morbum

bum producendum, ampliſſimum ſuggerunt fomitem. Quo & aër frigidus merito referri debet, qui partes igneas e corpore abſumit, ſanguinem denſat, atque decentes excretiones partium corpori nocivarum & inertium impedit, ſicque corpus humanum ad hoc malum concipiendum itidem prædiſponit, priori oppoſita licet qualitate operetur. Variæ quoque noxæ a potulentis ſpirituoſis ſic dictis ardentibus, humorum acrimoniam eorumque coagula vix reſolvenda producentibus, prout recenſet *Boerhaavius* inſtit. §. 762. nec minus vino acido, auſtero &c. ut & a cibis vel ex regno vegetabili vel animali deſumtis, ſecundum eorum naturam & quantitatem in corpore pullulabunt, ſi intemperanter uſurpantur: harum aliquas §. III. adduximus & iisdem alimentis minus ſalubribus carnem ferinam, præcipue vetuſtam, tum etiam omnem ſalitam & fumo induratam, potiſſimum vero ſuillam adhuc adnumeramus, ex cujus eſu crebriori filius lanionis noſtratis Erlangenſis ante breve tempus morbum, de quo agimus, ſibi contraxerat: prout hujus carnis uſum frequentem in aliis morbis cutaneis nonnulli damnant, & vel hoc intuitu Judæis (qui lepræ a noſtra quidem differenti multum erant obnoxii) fuiſſe prohibitam, ſunt qui adferunt; contrarium licet aliis probabilius videatur. Motus nimius, inedia, vigiliæ excedentes, atque ex animi commotionibus præſertim ira, ut & immoderata in venerem proclivitas, meditatio profunda, lucubratio, quia aut vim muſculorum, aut humorum velocitatem, eorumque reſolutionem atque excretionem partium blandarum, mobiliſſimarum & humidiſſimarum, primario liquidi nervorum, primum valde augent, longius vero continuata corpus enervant & debilitant, non poteſt non, quin fluidis reliquis, prout res dat, partium acrium, terreſtrium, ſalinarum, acidarum, & ſulphurearum major abundantia & actio liberior emergat. Pari ratione quies & ſomnus æque ac triſtitia aut mœror, ſi diu permanent, fluida cogunt, nociva cumulant, ſolida infirmant & hebetant. Quæ cum ita ſint, facile patet, quomodo cuncta iſta mox recenſita, etſi per ſe ſola tanta præſtare non poſſint, attamen juncta aliis ſimul rebus concurrentibus, diſpoſitionem ad contrahendum morbum ejus indolis, quam hic tractamus, corpori conciliare vel malum, ſi ſtamina pro ejus formatione jam exſtant, exaſperare valeant.

§. XI.

Ex rebus naturalibus diſpoſitio hæreditaria, vitæ genus, habitus corporis & temperamentum præcipuam affectui noſtro anſam præbent. Quum enim partes principes fere omnes leproſorum ſint vitiatæ, atque maſſa ſanguinis partibus male diſpoſitis, & præſertim ſalibus acribus terraque acida auſtera referta eſt, hoc ipſo fieri nequit, quin ſemen quoque ipſum a mare, aut quod fere plus adhuc valet, embryonis nutrimentum in utero matris infectum & inquinatum a vitiato ſemine aut ſanguine ortum du-

cœns, prolem ſibi quoque ſimilem nimirum leproſam edat. Quod ad vitæ genus attinet, hoc ſi nimis mobile, vel ſedentarium eſt, quoniam ea fere, quæ motus nimius vel quies præſtat, eadem corpori inducet, quæ de his §pho præcedente dicta ſunt. Vitæ conditio vero illa pariter accuſanda erit, ſordide ſi quis ac immunde educatus fuerit, vel ſqualorem lubenter tulerit: varia quoque adhuc ſeſe offerrent dicenda, ſi loca & tempora reſpiceremus, ſub quibus vitam degere ſubinde coguntur mortales. Docuit enim experientia, aliquas forte terræ plagas, aliquasque cœli temperies magis huic morbo excitando favere. Tractus ita depreſſi, paludoſi, impuram aquam & inſalubrem aerem habentes, huc referuntur. Quemadmodum autumnus & bruma, ob aerem gravem, humidum, cauſſæ vicem ſubit, quatenus partes corpori univerſo & potiſſimum bonæ fluidorum mixtioni inimicas, quæ antea in auram per tranſpirationem liberam ex corpore avolabant & ejiciebantur, in corpore colligit ac tales humorum dyſcraſias ſuſcitat, quæ, cæteris rebus circumſtantibus opem ferentibus, diram hanc ægritudinem procreant. Quando in habitum corporis varium inquirimus, ille potiſſimum conſiderari meretur qui robuſtus vel carnoſus dicitur. Huic enim cum ſtrictior & firmior ſtructura fibrarum contingat, unde etiam actio in liquida creſcit, a qua deinde pendet pulſus, calor & motus major ubicunque; expelluntur ſic humidiſſima, diluentia & ſanguinis craſin bonam conſervantia, reſtant ſpiſſiora, mixtio blanda ſolvitur, & liberantur acria. Neque prætermittendus videtur habitus gracilis, vel etiam certo reſpectu tumidus, quorum uterque parvam in liquida vim exercet, & multa ſanitati minus convenientia retinet, ille inſuper ſeri benigni defectu frequenter laborat, hic vero cruditatibus abundat. Subjungimus denique temperamenta, quorum nos primariam rationem, ne ipſa cum habitu corporis confundamus, in fluidorum mixtione ac proportione ponimus. Sufficiet ferme ea nominaſſe ſolum, quæ hujus loci eſſe debent, & ſtatim in aprico erit, quomodo corpus humanum ita diſponere poſſunt, ut morbo huic concipiendo apta fiant. Et nempe unum ex illis, quod ob minorem copiam ſeri & lymphæ, inſigniorem vero purpuræ, & ſimul ſulphurearum & ſalinarum alcalicarum partium abundantiam, calidum & ſiccum ſeu cholericum dicitur. Scimus hujus ſingularem proclivitatem in omnes præcipites, celeres, impetuoſasque actiones, ad iram, rixas &c. Quæ omnia circulum humorum cujuscunque indolis concitatiorem reddunt, bilis efficaciam exaltant, & longæ morborum inde derivandorum ſeriei portam aperiunt; obſervatione ita conſtat fere quotidiana, quod ad morbos non ſolum cum motu excedente, nimirum ad febres præſertim acutas, ſed etiam ad omnia mala oriunda, ab aere calido, cibo ſalino, acri, alcalino, ſulphureo, potu pauco, calido, ſpirituoſo, ira, & quæ ſunt reliqua ſupra jam explicata, inclinet. Alterum, quod excitamus, eſt temperamentum ob abundantiam ſalium in primis acidorum & moleculárum terreſtrium, ob partes

partes autem ſulphureas, alcalinas & aqueas deficientes frigidum & ſiccum ſeu melancholicum vocatur. Idem iſtud plerumque ad morbos, a cibis acidis, viſcidis, terreſtribus, ſalinis, ſulphureis, potu deficiente præſertim diluto vel frigido, motu nimio, vigiliis excedentibus, excreto humido copioſo productos, nimirum ad glandularum viſcerumque obturationem, ſcorbutum, ulcera, podagram, ſiccam ſcabiem, herpetem &c. corpus adcommodat: de quibus fuſius legi meretur Celebr. *Frid. Hoffmanni* Diſſert. de temperamento fundamento morum & morborum in gentibus. Quare cunctis his, ea qua fieri potuit brevitate enarratis, in proclivi eſſe exiſtimamus, quantum & fomiti & cauſſæ ad lepram procreandam miniſtrare, aut hujus partes morbificas jam præſentes vel collectas innumeris modis adaugere, atque malum in pejus vertere valeant.

§. XII.

Si cauſarum proximiorum claſſes percurrimus, offendimus interea, quod illud fluidorum vitium, vi cujus quantitate peccant, ac quod ſub plethoræ nomine notum eſt, omitti non debeat. Sunt equidem adeo plethoræ ſui patroni, qui eam ita amant, ut ipſam primariam, quin imo ſolam fere morborum cauſſam ſtatuant: nos vero prægnantibus motivis adducti credimus, iſtam, prout paſſim immerenter culpatur, nec huic ægritudini multa propius conferre poſſe. Ideo tamen eam non penitus ſeponimus, quia ſi reliquis cauſſis proximioribus ſuperadditur, morbi gradum & ſymptomatum violentiam exacerbare valeat. Fluidorum nempe abundantia ut per ſe ſola abſque ulla qualitate vitiata in corpore diu perſiſtat, vix concipi poteſt: multo minus iſta innocens prædicari debet, morbo quodam jam præſente vel invaleſcente. Multis vero numeris excellentius momentum tribuimus qualitati fluidorum alteratæ, tam nunc expendendæ, quam ſupra paſſim ventilatæ. Quandocunque igitur humorum tota humani corporis maſſa variis partibus, cacochymiam bilioſam præcipue vero atrabilariam, quam per eminentiam hic culpamus, conſtituentibus, jamque §pho V. prolixius recenſitis, ſcatet, ut dein per circuitum perpetuum verſus corporis quodcunque punctum nutriendum, ubi penetrare poſſunt, partes ejusmodi male diſpoſitæ ſimul devehantur, procul dubio ſequitur. Abunde conſtat quod fluida ſecundum regulas hydroſtaticas tendentiam verſus illa loca exerceant, ubi iisdem minus reſiſtitur. Supra §pho VIII. brevibus verbis notavimus, cutis totam ſuperficiem externam copioſiſſimis vaſis etiam exhalantibus pertuſam eſſe, quæ cum præter aerem nihil habeant, quod renitatur, facillimum liquidis aditum præbent, & eas notabili ſatis copia educunt, quæ deinde, quia ab athmoſphæra ambiente auferuntur, vel ſaltem intra corpus non redeunt, excerni dicuntur. Dum itaque hæc, durante ſtatu quam maxime naturali jam fiunt, facile concipi poterit, quæ ſit ratio, cur

cur etiam partes ejusmodi morboſæ, craſſiores & ſpiſſiores, ſulphureæ, ſalinæ, terreſtres auſteræ aliusve indolis una cum reliquis liquidis verſus cutim exteriorem, ex mera neceſſitate mechanica & hydroſtatica, absque ulla intentione ſalutari, copia majori, quam in alia loca deponantur: cum cutanea vaſa, vi ipſius hujus phœnomeni aut reliquis vaſis exhalantibus fere ampliora, aut ſub hoc ſtatu per aliquam anaſtomoſin dilatata ſtatui poſſint. Accedit ad hoc, quod cuticula & ipſum corpus reticulare Malpighianum ex ſententia, certe non vilipendenda, virorum in arte anatomica celeberrimorum, non niſi ex ſucco mucoſo, blando & tenaci, jugiter ibi advecto, ſecreto, ab aere externo exſiccato, atque in ſolidam formam concreto, potiſſimum conſiſtant & fiant; per ſe liquet, in partes easdem nunc nominatas, loco liquidorum blandorum, quibus antea nutritæ & conſervatæ fuerunt, vitiatos humores deponi, & ſtructuram naturalem non ſolum alterari, corrodi, deſtrui, ſed &, accedentibus novis, quæ magna copia ſub indicatis intemperiei ſpeciebus adſunt, adeo immutari oportere, ut exinde materia in totum aliena obductæ, peregrinam faciem induant, & in portiones & ſquamas albicantes, modo majores modo minores, ſecundum modulum & copiam depoſitionis, & pro gradu cohæſionis ipſius concrementi, abeant, omnemque fere facultatem fluida decenter transmittendi amittant, ac tandem a ſubſtratis partibus liberata, ſatisque per aerem exſiccata, decidant. Hoc itaque modo ſuperficiei corporis unitas ſolvitur, reſiſtentiæ ſolidorum fluidis præſtandæ imminuuntur, vaſa autem & ſolida ea, quæ adhuc ſalva ſunt, & in tantum ab hac labe immunia manſerunt, ab ejusmodi partibus acribus ibi continuo ſtimulantur, unde & ſimiliter fluidorum adfluxus & determinatio major in hæc, quam in alia loca excretoria, nec minus ſquamarum redintegratio & productio de novo, quoad usque nempe copia hujus materiæ adeſt vitioſæ, ſemper efficiuntur. Quia vero profundior cutis fabrica non in univerſum deſtruitur, niſi forte in quibusdam locis vel ſub majori morbi gradu, de quo infra aliquid occurret, ſed ſanitas, abſoluto morbo & demta materiæ morbificæ virulentia, cuti redit, ac ſenſus & perſpiratio priſtinum vigorem recuperat, cum contrarium in omnibus reliquis partium ſolidarum deſtructionibus & inde ortis cicatricibus (*) eveniat; id omne non ſolum magnum pondus ſententiæ ſupra adductæ de ortu corporis reticularis Malpighiani & cuticulæ addere videtur, ſed etiam morbi hujus propriam ſedem adcuratius declarat. Neque minus cauſſam in eodem poſitam eſſe credimus, cur durante eruptione ſquamarum furfuracearum nullus puris bene cocti proventus deprehendatur. Cui inſuper adjungimus defectum ſanguinis purpurei quieſcentis in partibus indicatis, & quod partes morbificæ aut minus ſiccæ in ſe, aut fortius

(*) Hæc ratio eſt, cur ii, quibus magnæ cicatrices v. g. poſt vulnera & ulcera in tibiis & pedibus fuerunt, facillime in pedum œdemata incurrant.

fortius unitæ, adeoque, præſertim ſi de acida indole multum participant, tali motui intrinſeco excitando, qualis ad ſuppurationem bonam requiritur, minus aptæ ſunt, aut quia partes magis organicas non corrumpunt, aut demum citius exſiccantur, antequam magnam ſuppurationem producere valent. Neutiquam vero hic excludimus ſecretiones partium ejusmodi morboſarum intra corpus in aliis locis ſecretoriis & excretoriis, vel viſceribus eandem fere cum cute ſtructuram habentibus, ſimul contingentes, ſiquidem unus ægrotantium noſtrorum ſquamas fere ſimiles cum urina reddiderit, & aliquoties per leniſſima purgantia, inter curam adhibita, mirum quantum vacuatus fuerit. Valde tamen probabile eſt, haſce partes ideo ſimilem ſcenam ibi non ludere, quia non tam diu ſubſiſtere, vel remoram ſatis longam pati poſſunt, ſed a liquidis a tergo urgentibus aliisque cauſſis concurrentibus prius abſterguntur, & ad expulſionem promoventur, quam noxam aliquam inferre poſſunt.

§. XIII.

Tali modo lepræ cauſſis tam conjunctis quam procatarcticis explicatis, morbum ipſum, & quæ ſunt reliqua, vt recenſeamus, ordo nunc jubet. Signa ac ſymptomata plerumque eadem, quæ impetigini, etſi hæc mitius malum ſit, communia habenda ſunt, etiam huic adfectui competunt, quando homines corripit. Siquidem lepra, tanquam gradus impetiginis major conſiderari poteſt, & homines nunquam adeo vehementer & uno impetu adgreditur, quin adfectus leviores antecedentes agnoſcat. Quemadmodum *Frid. Hoffmannus* in *Medic. ſyſtemat. rat*, Tom. IV. parte V. Cap. V. §. 3. *Lommius in obſervat. Medic. libro II.* pag. 257. *A. Corn. Celſus lib. V.* Cap. 28. §. 17. *Hippocrates* L. *de affect.* C. XXV. *G. Wolff. Wedelius in pathologia medica dogmatica* Sect. III. Cap. IV. atque noſtra experientia in ægrotis hoc evidenter evicerunt. Potiſſimum enim hoc malum in una alterave parte corporis, modo in fronte, brachio, modo in alio membro cum duritie, rubedine atque aſperitate cutis initium ſumit, ac locum adfectum cum pruritu enormi ac erodente laceſſit, idque *Lommio* prurigo nuncupatur, & ſimilitudine ſcabiem ſiccam repræſentare dicitur. Si malum ulterius ſerpit & roſio major accidit, cutis fere ſcabie ſquamoſa atque cruſtoſa infeſtatur, multæ ſquamulæ decedunt, & poſt cuticulæ vel eſcharæ abraſionem ſtigmata ſub cute cruenta relinquuntur, calor & pruritus dolorificus accedunt, tandem ejusmodi eruptiones certioribus temporibus & fiunt & ceſſant, is gradus tunc major eſt nimirum impetigo ipſa, ab A. C. *Celſo* impetigo rubra, græce λειχὴν cognominatus. Cuncta hæc maxime in principio, ubi nondum de lepra quid conſtat, obſervantur: ut primum vero hujusmodi malo medela non adfertur, ac major ſordium iſtiusmodi copia verſus loca cutis excretoria advehitur, adfectus ille atrocior atque pejor antecedentibus oritur, qui nun-

 quam

quam ex toto poſſe tolli creditur, & nomine pſoræ, ab A. C. *Celſo* impetigo nigra, ob ſquamas quas habet ſubnigras furfuribus haud diſſimiles, inſignitur: ubi cutis præcraſſa, valde dura, tumens, magis eroſa, neque raro fiſſa aut dehiſcens deprehenditur.

§. XIV.

Omnia hæc mala, unam aut alteram partem corporis tantum occupant, ac magnitudine eruptionum in locis affectis, nec minus gradu ſymptomatum inter ſe differunt, quare & his ſingulis nomina indita ſunt. Ubi vero ejusmodi adfectibus non ſuccurritur, totaque maſſa humorum tandem ſucceſſu temporis prorſus vitiatur; peſſimum illud malum, de quo noſtra tractatio eſt, quartum nimirum impetiginis genus provenit, quod *Lommius* atque A. *Corn. Celſus* inſanabile declarant. Græce λέπρα dicitur, cujus formatio ἀπὼ τῶν λεπίδων (a ſquamis) unde τὸ λεπρύνεσθαι, quod ſignificat ſcabrum fieri & ſimul albeſcere, originem trahit; quemadmodum hoc verbum *Nicandro* de quibusdam ſerpentibus uſitatum interpretatur J. *Gorræus* ſchol. in Nicand. Theriac. pag. 77. & 82. *Lommius* vero *in obſervat. Medic.* pag. 258. ita de hoc malo „ſcribit: „Quartum genus impetiginis eſt illud peſſimum atque inſana„bile, quod græce λέπρα adpellatur. Id eroſione latius procedit, to„tumque cum ſubjecto humore ſubalbidum eſt, ac ſpeciem recentis cica„tricis repræſentat: ad hæc cutis fiſſa ac vehementer dura eſt, ex qua „cum ſquamulis (quas ea habet ſubalbidas vel pallidas) ſanguis fertur. „Facile lichen neglectus in pſoram & hæc in lepram vertitur.„ Cui quoque *A. Corn. Celſus Libr. V.* Cap. 28. §. 17. ex toto adſentitur, etſi cognomen mali hujus & reliquarum impetiginis ſpecierum reticeat.

§. XV.

Reliqua ſymptomata, noſtrum adfectum concomitantia, perſequi inſtituimus, quorum prolixiorem expoſitionem, una cum aliis notatu dignis, ideo eo lubentius ſuppeditamus ex phænomenis nobis oblatis, quia non omnium, prout requiri videtur, mentio diſtincta in ſcriptis medicis, fortaſſis ob morbi infrequentiam, hactenus exſtat. Hæc itaque erunt ex noſtra obſervatione, oppreſſiones pectoris, dolores capitis lancinantes, odor admodum teter & ingratior magisque nauſeoſus illo, qui variolas præſertim mali moris comitari ſolet, vox non parum rauca, æſtus magnus, urens, internus, graviter adfligens, unde & ſitis fere inſatiabilis, inquietudines nocturnæ, pruritus ingens, artuum rigor continuus, cutis tenſio valde moleſta, & interdum obſtipationes alvi pertinaces, interdum nimium ex leviſſima cauſſa profluvium: quæ per totum fere morbi decurſum perduraverunt. Quibus inſuper maximus character eſſentia-

ſentialis accedit, nimirum facies totius corporis externa, quam æger eo tempore præfert, & quæ differentiam ſpecificam, noſtro morbo, ab aliis adfectibus cutaneis dijudicando, præcipue conciliat; ſuper totum corpus nempe cruſta inſtar nivis conglaciatæ albiſſima fuit, & fere eam formam exhibuit, quaſi multa & craſſitie notabili incumbente farina conſperſa eſſet. Adſpectus ægri horrendus fuit, caput totum tumidiſſimum, rubens cum tuberibus multis circa frontem, & ſquamis ubique, ne parte quidem capillata excepta, tectum: facies albiſſima, cruſta undique ad minimum quoque punctum fere tecta exſtitit, exceptis labiis, quæ rubuere, & ſanguinem mota ploraverunt. Organa ſenſoria pleraque valde paſſa ſunt in ambobus ægrotis. Tactus per totum corpus, ubi nempe cruſtis obductum fuit, ita abolitus fuit, ut ſubinde ne puncturæ quidem acus perſentirentur. Oculi clauſi fuerunt utrisque, & palpebras ſatis diu præ rigiditate elevare nequiverunt, quin etiam conqueſti ſunt de luminis magna obſcuritate, adeo ut rerum umbram quaſi ſolum videre dicerent; rediit tamen viſus abſque detrimento relicto, poſt corporis vacuationem & morbo declinante. Alterum adhuc obauditio bis per aliquot dies prehendit, cum dolore obtuſo & ſenſatione, quaſi cuneus inibi intruſus eſſet, & quæ deinde alternis vicibus modo in ſuſurrum modo in tinnitum aurium transibat, idque præſertim eo tempore factum eſt, quum deſquamatio circa aures procederet. Manus præterea inflatæ, e quibus, uti ex aliis partibus nil minus quam pus, ſed meræ ſquamæ ſunt redditæ, magna cuticulæ fruſta ſemel in uno ægro chirothecam ferre integram imitantia ſolvebantur, & quod reſiduum fuit albiſſimum, & in plicas rugasque coivit. Totus truncus ſimiliter ubique deſquamatus eſt, etſi tumor non adeo inſignis ut alias partes illum occuparet, neque penis immunis fuit, ſed in vaginæ modum excorticatus eſt; pedes vero admodum tumidi, usque ultra genua, & cruſtæ ad volæ manus magnitudinem & ultra abſcedentes dependerunt, ſubjacente cuticula rubente. Lecti in quibus cubuerunt ægri, quia neque incedere neque erecti, tot malis obruti, perſiſtere potuerunt, ſquamarum tanta quantitate quotidie referti deprehenſi ſunt, quantum volæ aliquot capiunt; quæ inſuper minime indolem aliorum in cute exanthematum cum inflammatione, rubore & ſuppuratione ordinario provenientium, ſecutæ ſunt, ſed quarum exſiccatio & deſquamatio potius poſt brevem tumorem in initio adfuit. Omnium curioſiſſima viſu fuit deſquamatio in plantis pedum per portiones inſignes peracta; cruſta hæc etſi ultra lineam pollicis craſſa eſſet, ſulcos, lineas ſpirales & gyros iſtos, quibus cutis conſueto more exaratur, pofundiores & magis elevatos in interiori ſuperficie, qua corpori cohæſit, extus non adeo conſpicuos etſi bene diſtinctos adhuc retinuit; naturalibus tamen generatim omnes craſſiores fuerunt. Eadem hæc cruſta, de qua loquimur, ſolummodo ſemel ſeceſſit, ſuccedente & manente cute naturali, per quam ab eo tempore ſudor copioſus erupit, in aliis vero partibus

 ſæpius

ſæpius, ac præcipue circa frontem & tempora, ut & in artubus, deinde in uno ægrotorum novies circa regionem hypogaſtricam, in altero vero duodecim imo quindecim vicibus renovatio facta eſt. Ungues pedum & manuum ſenſim etiam abſceſſerunt, elevati & detruſi per depoſitionem materiæ calcariæ inter ſuperficiem inferiorem, qua digitis incumbunt, ac potiſſimum verſus illorum apicem, unde ipſi ungues ſolito friabiliores & aſperiores facti ſunt, novelli tamen alii ſani mox ſuccreverunt. Capilli capitis in neutro ægrotorum depravati aut mutati ſunt, neque defluxerunt, pili vero, per cutim copioſe naturaliter diſſeminati, inter lacinias cruſtarum exſucci hærentes, de reliquo autem vix alterati, plerumque ſimul ablati ſunt. Proceſſit hæc deſquamatio in ægris, quos tractavimus, uſque ad dies quatuordecim in toto corpore, deinde eadem modo in partibus quibuſdam, ſecundum materiæ morbificæ copiam præſentem, partim ſquamulis furfuraceis & partim fruſtis magnis cuticulæ coloris ſemper albi & pallidi ſeſe manifeſtavit. Semper nova cuticula ruberrima quidem jam ſuppoſita deprehenſa eſt, brevi tamen ipſa ſimilem elevationem ibi paſſa eſt, & in cruſtas ſubinde efflorescens, pari modo iterum atque iterum deſquamata eſt. Verum etiam eſſe, pluries obſervavimus, id quod *Celſus* ac *Lommius* innuunt, quod ubique cutis præſertim novella paſſim fiſſa fuerit, & ſanguinem ſtillaverit, & quod ſub ſquamarum recenter detractarum, non vero ſponte ſecedentium, ſuperficie interna mucus albidus & ſatis humidus conſederit.

§. XVI.

Hæc tum in principio tum in ſtatu lepræ, de qua agimus, acciderunt: ubi vero ad ejus decrementum ſeu declinationem ventum fuit, ſymptomata omnia, prout facile colligitur, mitiora obſervata ſunt, præſertim æſtus, inflatio totius corporis, artuum rigor, deſquamatio copioſa remiſerunt; cutis in quibuſdam ſolum locis præſertim in artubus & circa tempora, aſpera, paullulum ſquamoſa, rugoſa, rubore undique perfuſa, interſperſis tamen maculis adhuc rubicundioribus & elevatioribus, ſe oſtendit, in aliis vero ſtatui naturali magis acceſſit, & polita ac terſa rurſus adparuit. Sudores interim, hucuſque cohibiti copioſiſſime eruperunt, interdum tanto cum impetu, præcipue vero primis tenebris & cubitum eundo, ut guttatim fere exiverint & omnia maduerint, fœtorem quoque inſignem adhuc ſparſerunt, qui tamen ſenſim etiam ceſſavit. Pariter quoque urina, huc uſque cruda, valde rubra, rufa & coloris ſaturati, nunc turbida mejitur, atque cum ſedimento copioſo, & odore ingrato, ut & ſquamulis parvis furfuraceis in medietate ſuſpenſis, in ejus autem ſuperficie cuticula tenuis ſub forma pinguedinis coagulatæ vel vappæ apparet. Quæ cuncta partium morbificarum factam reſolutionem & aptitudinem ad excretiones clare demonſtrant. Unus quoque ægrotorum

tum circa hoc tempus per alvum, quam valde lubricam habuit, magnam quantitatem muci aquoſi flavi, male olentis ſine incommodo depoſuit, poſtea febre ex inopinato correptus eſt, quæ circa veſperam inter alia cum torminibus ventris, pectoris oppreſſionibus, & niſibus validis ad vomendum doloribuſque capitis lancinantibus invaſit, primis tribus diebus conſequentibus oculi tunicas & totam corporis ſuperficiem colore ſubflavo inquinavit, ſudores, lintea colore flavo tingentes, dimiſit, deinde vero in tertianam intermittentem tranſiit, intra octiduum ceſſantem. Quod ideo non perfunctorie notamus, quia idem, antequam in eum lepræ gradum, quem hucuſque deſcripſimus incurreret, tertiana intermittente valde anomala laboraverat. Tandem ſucceſſu temporis cuncta ita decreverunt, ut ſanitas, cura rite inſtituta & abſoluta, ægris, qui tot malis & cruciatibus ſuperſtites fuerunt, ex toto rediverit. Deberemus equidem ſingulorum ſymptomatum prolixas rationes, modoſque fiendi ſpecialiores in medium proferre; ne tamen leni abutamur patientia lectoris benevoli, ſatius duximus de omnibus tacuiſſe, quam parum de iis dixiſſe; diffuſa namque limites tractationis noſtræ non ferunt. Confidimus interim, ea, quæ in antecedentibus paſſim, in primis vero §pho 12. expoſuimus, ita ſuffectura fore, ut & hæc non difficilia intellectu exiſtimari debeant. Pergimus potius & adfirmamus, ægritudinem hanc, quam nunc deſcripſimus *lepram Græcorum* adpellandam eſſe, quæ conſiſtit in ulcere maligno univerſali, neque critico neque typico evidenter, corporis ſuperficiem externam, & quidem cutis corpus reticulare & epidermidem occupante, pus non fundente, ſed mox cruſtam ſquamoſam, furfuraceam, albam, frequenter continuam, copioſe plerumque renovatam producente.

§. XVII.

Magnus eſt inter medicos ſcriptores diſſenſus, quando lepram in ſacris litteris notatam, lepram Græcorum atque Elephantiaſin Græcorum, nec minus lepram Arabum ac Elephantiaſin Arabum, & ſimiliter vitiliginis ſpecies inter ſe vario modo mox conjungunt, mox diſtinguunt, adeoque characteres unicuique proprios, hoc ipſo turbant & confundunt. Quam ob rem liceat pauca verba facere, quid mihi de his omnibus videatur. Elephantiaſis itaque Græcorum gradus eſt major adfectus illius, quem nunc lepræ Græcorum nomine indicavimus, & paſſim ab auctoribus univerſi corporis cancer dicitur: ſymptomata pleraque adhuc atrociora ſunt, ut oſſa quoque inde vitientur, ſumma pars corporis crebris maculis ſubnigris, modo ſubflavis, modo ſubalbidis inſpergitur, crebroſque tumores maxime juxta ſummam frontem ac mentum habet: varicoſæ venæ ſubnigræ, in modum verrucarum aut grandinum in linguæ radice, ſub palpebris, poneque aures cernuntur: frons rugoſa fit

Leonum more, unde Leoninus morbus etiam vocatur: ipſe vultus horridus, ac, qualis Satyrorum eſſe fingitur, deformatus deprehenditur, & quæ ſunt plura (*a*). Ideo autem, quia cutis tunc cuti Elephantinæ ſimilis fit, vel quia major cunctis animantibus Elephas exſtat, ingens malum hoc nomine inſignitum creditur. *Steph. Blancardus* in tractatu de morbo Gallico, & *Lommius* in obſervat. med. p. 60. Elephantiaſin veterum cum morbo Gallico inveterato & conſummato convenire exiſtimant. Quod ad lepram Arabum attinet, ex collatione ſedula ſymptomatum eluceſcit, quod admodum multum vel penitus coincidat cum Elephantiaſi Græcorum, & eidem ſententiæ favens *Avicenna* & reliqui Arabes, nec minus *G. Wolffg. Wedelius* in pathol. med. dogmat. Sect. III. Cap. IV. No. 2. diſertis verbis " Elephantiaſin Græcorum eſſe „ veram lepram Arabum perhibet; prout & *Dolæus*, in Encyclopæd. „ chirurg. rational. Libr. V. ita ſcribit: ut ſcabies ad lepram Græcorum „ quaſi via eſt, ſic lepra Græcorum ad lepram Arabum ſeu Elephantiaſin Græcorum. Obſervationem valde memorabilem legimus in Ephemerid. Curioſ. decuria II. Anni 2. Obſ. 5. quæ cum Elephantiaſi Græcorum ſeu lepra Arabum multa communia habere videtur. Quod nimirum incolæ Javæ horrendo quodam morbo adfligi coeperint, qui digitos manuum pedumque conſumſit, duris atque horrendis tumoribus, qui poſtea exulcerati in putrida atque caoëthica ulcera cum carie oſſium degenerant, facies defoedatur, neque ullis medicamentis vicinæ partes ab hac infectione reddi poſſunt immunes, niſi membrum exſtirpetur. Pus tam acre & corroſivum eſt, ut, quando tubercula ſponte non aperiuntur, poſtea fuerit animadverſum, illud in oſſa ſubjecta ſæviiſſe: in initio lividæ apparent maculæ omnis ſenſus expertes, capillitium, barba & ſupercilia decidunt &c. His itaque ſic ſe habentibus patet, quod lepra Arabum ſimiliter ſicuti Elephantiaſis Græcorum, ſecundum ſigna pathognomica a lepra Græcorum, paſſim & in pluribus differat: ita tamen inter ſe cohærere videntur, ut tranſitus ex uno in alium fieri poſſit, ſi veſtutatem unus alterve horum morborum accepit. Si vero lepram Græcorum conferimus cum Elephantiaſi Arabum, hanc eſſe morbum particularem & admodum ab illa diverſum, cuique facile apparebit; ſiquidem hic adfectus cum tumore rubicundo, livido, nigricante, cum ulceribus ſerpentibus lymphamque acrem fundentibus pedibus ſeu cruribus potiſſimum ſe ſe exſerat. (*b*) *Kæmpferus*, qui peregrinatoris curioſiſſimi titulum magno merito ſuo gerit apud Celeber. *Linnæum*, varia de ad-

(*a* Vid. *Lommius* in obſervat. med. p. 57. *Fernel.* 1. 6. part. morb. & Sympomat. G. *Bertinus* campan. 1. 12. de morb. & Sympt. part. intern. *Ambr. Paraeus* oper. chirurg. Libr. XIX. Cap. 6. 7. & 8. *Aretaeus* Libr. IV. cap. XIII. & *Celſus* Libr. III. cap. XXV.

(*b*) Vid. *G. Wedelii* pathol. med. dogmat. Sect. III. cap. IV. *Avicennæ* libr. IV. Tom. III. cap. 3. canonis Tract. I.

adfectu ſimili vel plane eodem Memoriæ prodidit: Quod malabaris & chriſtianis S. Thomæ, valde ſit familiaris, & cum tumore œdematoſo corporis partem non aliam, quam pedem invadat, & incremento menſtruo ita tandem expandat, ut ſimilem Elephantino cruri figuram exhibeat, atque indigenis *Perical* ſeu *Pircal* vocetur. Sed & lepra Græcorum a vitiliginis tribus ſpeciebus, quæ ſunt Alphos, Melas & Leuce, diſtinguenda erit, etiamſi cutis maculis modo albis modo nigris infeſtetur; quia vero maculæ iſtæ diſjunctæ & vagantes ſunt, profunde etiam interdum uſque ad oſſa carnem exedunt, tandem pili defluunt & lanugini ſimiles fiunt: eam ob cauſſam partim, partim quia morbus magis particularis ſecundum deſcriptiones ab Auctoribus ſuppeditatas haberi poteſt, a nobis ſeparatur (*c*). Reſtat tandem lepra Judæorum, circa quam non pauca quoque adeſt differentia, lepræ enim Judæorum tria ſunt genera צרעת veniunt, diſtincte recenſita in lege Levit XIII. & XIV. lepra nempe cutis, ſi peccatum maximum, veſtium vero, ubi non adeo magnum, & ædium in parietibus, quando peccatum parvum fuit (*d*) Ex quibus illa veſtium & ædium noſtris temporibus vix amplius apparet, neque huic ſimile, neque endemium aliis gentibus & regionibus malum apud medicos alioſque auctores conſignatum invenimus. Unde vir. Celeber. J. J. *Baierus* in animadverſ. phyſico-medicis in quædam loca novi fœderis, de lepra una cum *Voglero* de rebus naturalibus ac medicis S. S. p. 115. haud dubitat ſuſpicari, „ quod fortaſſe divini quidpiam, & a „ ſupernaturalibus cauſſis profectum hic ſubfuerit. „ Quod vero ad lepram cutis attinet, illam *Baierus* vir in variis ſcientiarum generibus impenſe doctus, leuce ſeu vitiligini albæ adnumerare, quin eundem prorſus eſſe adfectum oſtendere l. c. adnititur. Præterea in lepra apud Judæos colorem tam cutis quam pilorum in album præternaturalem mutatum fuiſſe relatum legimus, quod in leuce quidem ſimiliter, in lepra vero Græcorum cuti ſolummodo contingit. Porro etiam æger, tam diu lepra Judæorum certas corporis partes occupavit, impurus & ab hominum conſortio ſegregandus, ubi vero totam corporis faciem prehendit, purus iterumque recipiendus judicatus eſt, quæ autem in partem contrariam lepræ accidunt Græcorum. Pariter & ſuperficies loci adfecti, quæ ſemper humilior, quam reliqua cutis plaga fuit, & quod ſubinde in vitiliginis aliqua ſpecie nimirum in leuce, in contrarium vero in lepra Græcorum evenit, differentiam adhuc notabilem adfert. Quibus tandem accedit, quod, ungues leproſorum apud Judæos abſciſſos eſſe, *Lundius* tradat, qui in lepra Græcorum ſponte decidunt.

§. XVIII.

(*c*) Aurel. Corn. *Celſ.* Libr. V. Cap. 28. *Lommii* Obſervat. Medic. p. 259.
(*d*) Vid. Celeberrimi *Nicolai Nonnen* S. Th. D. & Prof. pupl. Bremenſis diſſert. de Lepræ ædium myſterio & *Amat. Luſitan.* Curat. Medic. Centur. II. Cura 34. *Lundius non alte judiſchen Heiligthumern* p. 670. *Franciſcus Joel* L. X. pract. ſect. III. No. 7.

§. XVIII.

Sed antequam ulterius progredimur, morborum prægreſſorum, ſive cauſſarum præternaturalium, mentionem paucis adhuc faciendam eſſe reminiſcimur, Ita *Ambroſius Paræus* in Oper. chirurg. Libr. XIX. Cap. VI. memoriæ tradidit, quod a retentis tam hæmorrhoidibus, quam in ſequiori ſexu menſibus, deinde poſt morbillorum, febris quoque quartanæ, certis tempeſtatum intervallis, redire ſolitæ, ſuppreſſionem, & ubi ulcera antiqua intempeſtive reſiccata ſunt; quibus *Frid. Hoffmannus* in Medic. Syſtemat. rat. Tom. IV. part. V. Cap. V. §. XXI. hæmorrhagias in juvenili ætate per nares ſuppreſſas, nec non omiſſas in plethoricis ſubjectis conſuetas venæ ſectiones adjungit, lepra ortum trahere queat, atque exinde tempus durationis brevius vel longius, ſymptomata autem inde emergentia mitiora vel atrociora evenire poſſint. In noſtris nos quoque experti ſumus, quod unus, qui morbi, mitioribus paullo ſymptomatibus ſtipati, decurſum intra XL. dies abſolvit, antequam in lepræ adfectum incideret, ſcabie ſicca, unguentis tamen variis præpoſtere ſolum ſanata, laboraverit. Alter vero morbum diutius trahens, & gravius decumbens, non ſolum a nonnullis annis prurigine adfectus fuit, ſed & breve ante lepræ acceſſum ex febre anomala & erratica tertiana, prout jam §. XVI. innuimus, abſque ullo autem reprimentium uſu expugnata, ægrotavit. Ne tamen in his nimis diu moremur, properamus ad ipſam prognoſin de diri hujus mali periculo atque eventu: ubi rationem cum adſtantium tum ipſius ægtoti habendam eſſe cenſemus. Quantum itaque ad eos attinet, qui circa ægros leproſos verſari debent, illi omnino ſibi ut caveant neceſſe eſt, ne contagio quodam inter tractandum inquinentur. Quem admodum enim exhalationes ex corporibus, maligno & contagioſo morbo decumbentibus, ſpirantes pro vario materiæ morbificæ genio aut inſigni ſubtilitate præditæ ſunt, aut ſub qualibet quantitate vires ſuas exſerere valent, facili ita negotio fieri poteſt, quod etiam experientiæ conſentaneum eſt, ut improvidis vel circa ægros diutius commorantibus, per ſudorem receptum labes communicetur, nec minus per caligas, tibialia, linteamina ac mantilia, vel per inſpirationem validam & deglutitionem ſalivæ, aut ſi ex poculis ægrotorum & cochlearibus, quibus adhuc ſaliva præſertim adhuc calens adhæret, incurioſe aliquid hauriant, in maſſam ſanguineam partes nocivæ diffundantur, & ad alios ceteroquin ſanos, vel aptos ad concipiendum ſimilem luem transferantur. Adeo cum extra dubitationem poſitum ſit, & omnia huc uſque adducta ſatis evincant, morbum hunc magna virulentia ubicumque ſævire, etiam non abſque inſigni periculo erit, cum infectis ejuſmodi negotioſam rem habere, vel quod plus eſt, converſationem, adcubitus vel coitus inſtituere; præſertim ſi quis raro, ſpongioſo & ſuccoſo corporis habitu præditus eſt, qui præcipue in ætate juvenili, facillime injurias ſuſcipit. Sufficiat

ciat nobis, quendam caſum in ephemerid. Nat, Curioſ. D. I. A. III. obſ. 97. pag. 157. memoriæ proditum in medium hic proferre, ubi leproſæ cutis fœditas ex adcubitu contracta eſt: dum virgo, quæ alias quod ad formam & nitorem, fuerat elegantiſſima, cum ancilla impura per noctem in uno lecto dormiens, inſcia illam eſſe impuram, unica nocte, ſe ex ſolo adcubitu ita conſpurcavit. Quæ ſine dubio ratio eſt, cur Deus tam ſolicite immundos ſeparaverit a caſtris & ab hominum conſortio. Levit. Cap. XIII. v. 45. multum ergo ſibi conſulent ii, qui tales impuros manibus tractant, vel iis opem ferunt, quando, ut plura prætermittam, oleo aut pingui alio, manus vel digitos illinunt atque aërem ambientem ſuffitu, odorem fortem vel acrem ſpargente diligenter corrigunt. Qualis vero prognoſis in ægro ipſo inſtituenda ſit, ex diverſis ejus diſpoſitionibus atque ex cauſis concurrentibus evidens fit. Quare generaliter præmitti debet, quod quo impurius corpus eſt, & partibus morbificis huic adfectui per §phum XII. congruis, impenſius refertum, eo majori impetu corpora infeſtabit malum, eo longius protrahetur, atque eo pejora & acerbiora ſymptomata generabuntur, quæ & curam difficiliorem expoſcent, eoque triſtiorem promittent eventum. Interim de toto durationis tempore nihil ſpecialioris in univerſum decernere licet, niſi quod hunc morbum Corn. *Celſus* & Cælius *Aurelianus* longis ſeu chronicis adnumerent morbis. Ex noſtris quidem ægris malum illud, poſt inchoatam curam, quod ſupra diximus, unum quadraginta circiter dies, alterum vero uſque in quartum menſem vexavit, antequam cum ſanitate in gratiam redierint. Neuter tamen eorum, forſitan ob naturæ bonitatem, id expertus eſt, quod *Lommius* aliique adfirmant, eos nempe, quos lepra contaminavit, paullatim emarceſcere. Nullum etſi dubium ſuperſit, non ſolum hæc, ſed multo pejora quoque emergere poſſe; adeo ut adfectus in Elephantiaſin Græcorum vertatur, vel curationem vix admittat, vel de vita etiam æger periclitetur: ſi naturæ vires languent, vel morbi violentia franguntur: ſi viſcus aliquod nobile labem inde contrahit: porro ſi malum inveteratum, temporiſque diuturnitate confirmatum, aut jam medicamentis perverſis tractatum fuit: tandem ſi malum hæreditate in progeniem propagatum eſt, vel tempore medicationis per abuſum rerum non naturalium fomes morbi, aut ægrorum incuria, aut medicantium negligentia fovetur, imo adhuc augetur. Sicuti enim quotidie convincimur, quod leviorem etiam humorum acredinem, quæ ſe interdum in ſanguinem inſinuavit, brevi tempore per medicamenta corrigere aut radicitus exſtirpare, non parvus labor ſit, qui non raro exſpectationem & medicorum & ægrotorum deſtituit; quoniam ea, quæ medicamentorum vel alimentorum ſub ſpecie ingeruntur, ſemper ob admixtionem liquidorum jam in corpore præſentium, ac inſigni activitate & penetratione ſub hoc ſtatu præditorum, mox depravantur, & in ſimilem naturam prius tranſeunt, quam vim alterantem aliquam in

 ſan-

ſanguinem exercere valent. Multo magis idem omnino ſtatuendum eſt, de conditione ſanguinis ita vitiata, & acredine adeo concentrata, qualis in cacochymiis ſupra §. V. deſcriptis deprehenditur, & lepræ procreandæ cauſſam ſuggerit. Inde factum eſt, ut eadem a plerisque auctoribus incurabilis pronunciata fuerit; quare ut medicus gravi huic malo, ſi curare cupit, apta & ſtudioſe concinnata remedia opponat, æger vero ea, quæ medicus injungit & præcipit, impigre ſervet atque exſequatur non ſolum, ſed & magna animi conſtantia uſu & continuo in efficaciam deducat, neceſſe eſt. In quem finem nunc methodum medendi aliquam ſuccincta enarratione ſubjungemus, quam cito, tute atque ſine magnis ſumptibus opitulantem, & experientiæ ex voto reſpondentem deprehendimus.

§. XIX.

Cum cura atrocis & tetri hujus mali, clariſſimos quoque ſcriptores practicos ſuſpenſos & incertos teneat, optimum erit, ſi indicamus breviter, quid proficuum cenſemus, & quam viam calcavimus. Vt autem ad metam propoſitam perveniamus, indicationes ſequentes ex principiis rite adplicatis elicimus: ut nimirum

(I) Abundantia ſanguinis purpurei, ſi urgeat, imminuatur.

(II) Acredo humorum obtundatur, ac partes omnis generis morbificæ incidantur & reſolvantur.

(III) Materia morbi quovis modo eliminetur &

(IV) Cutis ſuperficies emolliatur, abſtergatur & lævigetur.

Prima igitur indicatio artificialibus ſanguinis miſſionibus, venæſectione & ſcarificatione, & quæ plures ſunt, expletur. De iisdem autem non inutiliter monemus, quod *Dolæus* jam omnes ſanguinem educendi modos ex methodo ſerio proſcripſerit; idque non omnino abſonum, eo reſpectu præſertim de venæ ſectione dicitur, quia nocere etiam poſſet, quando aut materiam morbi in interioribus magis continere creditur, vel certe impulſum ſanguinis verſus peripheriam pro conditione rerum circumſtantium minuit. Nos quoque ipſi, probe quamvis memores, quod ſanguinis imminutiones, aliquos morbos cutaneos leviores per ſe ſolæ interdum ſolvant, in uno ægrotorum, ad quem malo jam multum provecto acceſſimus, experti ſumus, quod æque feliciter & citius quidem, quam alter, cui ante morbum invaleſcentem ſanguis detractus eſt, liberaretur, etſi præpediti fuerimus non ſolum impedimentis mox exponendis, ſed etiam ætate juniore, minus commoda hiſce rebus. Interim tamen plethoræ remotionem non plane excludimus, ſed virium & conſtitutionis ægotantium, liquidorum præſentium copiæ, & ſymptomatum occurrentium (§. XII.) rationem habendam eſſe omnino arbitramur. In primis autem cenſemus, quod ſi ſanguis mitti debet, id aut ſtatim in principio fiat, (nam ſi ſemel corpus undique ſquamis contegitur, his operationibus vix amplius locus

cus ſupererit) aut poſt exantlatum morbum in ſanitatis confirmationem, & ad præcavendos ulteriores inſultus inſtituatur.

Secundæ indicationi ſatis fit per decocta infuſa, ex herbis radicibusque reſolventibus, demulcentibus & obtundentibus compoſita, quibus lapathum acutum atque juniperum magno ægrorum emolumento adjunximus. Hæc mane cum regimine modice diapnoico calida ſorbentur, per reliquum diem vero pro potu ordinario exhibentur. Interponuntur utiliter decocta ex mucilagineis, avena vel hordeo cum paſſulis minoribus, vel aliis alvum leniter ſubducentibus. Egregie etiam prodeſt ſerum lactis vel dulce vel acidulatum, largiter hauſtum. Commodiſſime demum interdiu junguntur eſſentiæ reſolventes, diapnoicæ & corrigentes, atque noctu pulveres in eundem ſcopum directi ex adcommodatis ſalinis, abſorbentibus & ſudoriferis ſimplicibus conflati. Quorum omnium recenſionem ſpecialem in medio relinquere cogimur, ne nimia prolixitate moleſti ſimus.

Tertia indicatio abſolvitur ultra ea ſupra ſub indicatione II) recenſita leniter diapnoica, excretiones per cutim & urinam adjuvantia, ſpeciatim per talia remedia, quæ per alvum educunt nociva & priori methodo reſoluta. Huic ſcopo admodum apta invenimus leniora, quæ non cum impetu aut torminibus evacuant, ſed potius ſimul humectant & temperant. In quem cenſum ſalia, ob hoc commodum ſatis nota, Anglicanum, Sedlizenſe, polychreſtum aliaque, tum & potiones vel infuſa, quæ rhabarbarum, mannam vel ſennam recipiunt, & ſerum lactis ipſum referenda ſunt. Extractum quoque hellebori nigri, convenienter paratum, & aliis ſimilibus ſociatum ſub forma pillularum paullo majori doſi propinatum, conſpicui uſus fuit. Præſtant autem hæc, quia ſæpius, ad minimum quovis octiduo, reiteranda ſunt, nec vi §phi V. ſimul atque ſemel ſerum detrahi debet. Antequam autem ulterius progredimur de Hydrargyri efficacia, præcedentibus ambabus indicationibus quadrante, aliqua excitamus. Permulti iſti nos haud quaquam fugiunt, qui Mercurium dulcem quaſi athletam fortiſſimum in pertinacibus morbis ſeroſis, ſic & in hoc & ſimilibus adfectibus non ſolum valde prædicant; ſed & copia larga pluribus morbis eum opponere familiare habent, imo & teneris infantum corporibus indiſcriminatim offerre non pertimeſcunt. Invenimus equidem in Actor. Phyſ. Med. Ac. Nat. Cur. Vol. I. Obſ. VIII. caſum pueri, ob cruſtam lacteam & ſcabiem perverſe tractatam leproſi, mercurio dulci una cum paucis aliis in auxilium vocatis remediis, ſanati. E contraria autem parte *Williſius* Sect. III. Cap. VII. confitetur, quod in quatuor ægris, impetigine ſolum, morbo leviori, laborantibus fruſtra omnino levamen eo remedio tentaverit. Illuſtris atque excellentiſſimus D. præſes, ſuſpectam mercurii fidem, paſſim & pluries ſeſe manifeſtantem conſiderans, in id cogitavit, quomodo minus ſecura evitaret, & medicaminum aliorum ſecuriorum vires indagaret & experiretur, hinc ne tantillum quidem mercurii hic adhibuit; hoc

tamen non obſtante curam in ambobus ægris b. c. Deo feliciſſime per ea modo ſupra enunciata & infra denominanda ad finem perduxit.

Quartam indicationem concernunt medicamenta externa, ad cutis ſuperficiem leniendam, lævigandam & abſtergendam: cui fini balnea linimenta, atque aquæ abſtergentes & coſmeticæ in primis conveniunt; quæ etſi raro aut numquam per ſe juvent, niſi cauſſa procatarctica, nimirum mala & vitiata humorum diſpoſitio prius corrigatur; interim tamen omitti nullo modo poſſunt. Farrago quidem ingens hujusmodi topicorum tum apud auctores medicos tum alibi vulgo proſtant. Optima autem experti ſumus balnea, modice calentia, ex aqua dulci, cui quædam herbæ emollientes & abſtergentes incoctæ ſunt, quibus ad mediam circiter horam inſedeat æger, toto corpore immerſus; poſtea per totum corpus illinatur butyro inſulſo recenti, ut cutis demulceatur & ſquamæ ſeparentur. Hæc iteratis vicibus repetenda ſunt, prout res exigit, ſub ſtatu morbi, & dum ſquamæ paſſim elevari & ſolvi incipiunt. Quando vero ſquamæ non amplius tanta copia pullulant, ſed hinc inde ſolum efflorefcunt, aqua coſmetica ex aqua Roſar. vel calcis vivæ, vel fontana & lapide medicamentoſo Crollii parata ſufficere poteſt. Plura adhuc præſtat liquor abſtergens illuſtris præſidis, in impuritatibus cutis multiplici uſu probatus.

§. XX.

Verum enim vero, cum ad felicem morborum curationem diæta multum conferat, reſtant nunc quædam ex fonte diætetico hic ſubnectenda; hac enim multorum morborum fomitem præſcindi atque illorum curationem accelerari poſſe, & rationi & experientiæ conſentaneum eſt. Aerem ergo purum, ſiccum atque temperatum, quantum fieri poteſt, æger hauriat: impurum autem, humidum & frigidum, aut nimis calidum vitet. Alimenta ſumat mucilaginoſa, facilis digeſtionis, carnes molles, elixas potius, quam aſſatas, earumque juſcula; proſcribantur aromata, ſale condita aut fumo indurata, & alia minus congrua jam §phis III. & X. tractata. Exulet potus vinoſus, ſpirituoſus & cereviſia præſertim inebrians & feculenta; eligantur e contrario infuſa & decocta, vel cereviſia defœcata, & reliqua §pho præcedenti commendata, quæ largiter bibantur. Hæc fere ſunt quæ durante morbo obſervari debent. Non tamen ſeponantur poſt ſanitatem recuperatam. Vanum eſſet motum corporis commendare graviter ita decumbentibus & impotentibus moveri: morbo autem abſoluto præſidium contra recurſum omnino quæratur in exercitio decenti corporis; illud tamen æque ac quies, ſomnus & vigiliæ in mediocritate conſiſtant. Alvus & aliæ excretiones in ordine ſerventur; uſus autem veneris angue pejus & cane vitetur *a)* & animi pathemata ad uſum rectæ ratio-

(*a*) Lepidum conſilium circa hanc rem videatur apud *Paræum.* l. c. Cap. VIII. quod homines in hunc morbum proni caſtrari debeant.

faſſionis inſtituantur. Tandem ſanguinis detractiones per venæ ſectionem, præſertim vero per ſcarificationes crebrius inſtituantur. Plura paſſim cavenda vel facienda prudenti medico ſana theoria & individuorum corporum conſideratio facile ſuppeditabit. His quocue ducibus methodum ipſam medendi variare, & poſcente neceſſitate efficaciorem reddere poterit. Hinc ſi v. g. ulcera vel aliæ reliquiæ remanerent, convenienter proſpiciet, & variis ſymptomatibus etiam gravioribus, ſi urgent, ſuccurrere ſciet. Horum moleſtiſſima ferme ſunt, æſtus & dolor. Prior parcam anodynorum quantitatem permittit, ne æger viribus nimis cadat, aut moræ pertæſus medicationem reſpuat & ſuccumbat. Nihi lvero hic inconſiderate agendum eſſe, ſuademus.

FINIS.

VIRO PRÆNOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO

JO. CHRISTIANO VOIGTIO

MEDICINÆ DOCTORANDO

GRATIAM DEI ET LÆTA QUÆCUNQUE

CASPARUS JACOBUS HUTHIUS

S. S. TH. D. ET P. P. O.

Litteras haſce dum publicum mei in te adfectus extare volo monumentum, *ornatiſſime Voigti!* de *lepra Moſaica* pauca diſſeram: neque enim verborum, quo commenderis, longo ſyrmate te indigere arbitror. *Morbum* lepræ & *plagam* lepræ haud exigua eruditorum pars confundit. De illo medicus tractet: de hac theologus.

Vitiliginem albam, quam Græci λέυκην vocant, commemorat *Celſus*, *Medic. Lib. V.* c. XXVIII. eamque ita deſcribit, ut a lepra legali proximius omnino abeſſe videatur. Elephantiaſin peculiare Aegypti fuiſſe malum, auctor eſt *Plinius Hiſt. Nat.* L. XXVI. c. 1. Utrumque lepram referre Moſaicam ut morbum *vulgarem notumque in oriente*, inde confecit *Daniel Clericus*, nec ſine inſigni eruditionis adparatu; ut ex ſchedis ejus collegit *Joannes* frater, in Diſſ. de *lepra Moſaica*, ad calcem *Comm. in Libr. Hiſtor.* Conſentientes habet quam plures tam ex medicorum, quam

quam Thelogorum ordine. Ego vero tametſi analoga quædam cum iſtis ſcabierum ſpeciebus libenter largiar: toto tamen genere multiſque modis differre lepram legalem, penitus perſuadeor. Etenim (1) contagioſa quam maxime fuerunt tam leuce quam Elephantiaſis, ut qui ea deprehendebantur correpti, luis ſerpentis metu ab hominum ſtatim conſortio ſemoverentur, pluribus id docente ipſo *Clerico:* ſed in lepra legali nullum prorſus occurrebat contagii periculum. Omnis ejus impuritas pendebat ab ore ſacerdotis; nec phyſica erat, ſed moralis. Sacerdos donec decerneret, libere inter homines verſabatur leproſus. Quin immo purus declarabatur, quando totum corpus lepra cernebatur defœdatum *Lev*, XIII. 12. 13. Nec inficiebatur ſacerdos, cum reliqui omnes redderentur immundi. (2) Vitiligo orientalis cauſſas agnoſcebat naturales: ſed lepra legalis citra naturæ ordinem, miraculoſe infligebatur. Teſtantur non ſolum exempla Miriami *Num.* XII. 10. Uſiæ II. *Chron.* XXVII. 19. 20. Gehaſi II. *Reg.* V. 27. ſed & divinæ comminationes loquuntur. *Lev.* XIV. 34 *Dedero autem plagam.* & *Deut.* XXIV. 8. *Cave tibi a plaga lepræ, cavendo valde & faciendo, juxta omne quod docebunt vos ſacerdotes.* (3) Vitiligo orientis medicorum cum maxime indigebat opera: ſed medicamina prorſus removit a lepræ legalis ſanatione Deus. (4) Vitiliginis albæ ſanatio quantumvis rarior eſſet tardiuſque procederet, erat tamen nonnunquam in medico ut revaleſceret æger: at leproſi reſtitutio uni ſoli Deo reſervabatur II. *Reg.* V. 7. *Matth.* VIII. 2. (5) Lepra medica e morborum numero erat: ſed lepra ſacerdotalis nunquam morbus, ubique *plaga* audit, quin a morbo notanter diſtinguitur *Matth.* X. 8. (6) De lepra dum præcipit Deus, tres ejus conſtituit ſpecies, non ſolam cutis, ſed & alteram veſtium, alteram ædium; quarum quidem inter populos orientis nullum uſpiam exſtitit exemplum. (7) Accedit operoſa illa lepræ ſacerdotalis *Lev.* XIII. & XIV. deſcriptio: qua certe non indiguiſſet, ſi morbus fuiſſet orienti notior. (8) Ut nihil dicam de plagæ iſtius duratione, ut pote quæ, finita œconomia legali, inter ipſos Canaanis incolas exolevit. (9) Nec nomen lepræ Judaicæ, ad gentes tranſiit. Græci voce generali reddunt, λέπραν dicentes; non leucen non elephantiaſin: quinnec ipſi Judæi vocis Zaraath originem indicare poſſunt. Compoſita videtur ex duabus vocibus Zar & Raah: ut idem ſit ac *anguſtia & congeries malorum.*

Operam itaque, me judice, perdunt & oleum, qui de lepra Judæorum ex Hippocrate & Galeno philoſophantur, de natura ejus atque cauſſis moleſte ſoliciti. Ita laboraſſe video *Franciſcum Valleſium*, Medicinæ in Academia Complutenſi Profeſſorem, de *Sacra philoſophia* c. XIX. *Henr. Voglerum* Prof. Helmſtad. in Comm. de *rebus ſcript. natural. & medicis* p. 104. ſeqq. *Henr. Bartholinum* Prof. Hafnienſem, de *morbis biblicis* p. 39. ſeqq. inprimis *Aug. Calmetum*, celebratiſſimum Galliæ Abbatem, qui novo inſtituto ex vermiculorum quadam ſpecie rem omnem confici poſſe au-

autumat *in den bibliſchen Unterſuchungen.* P. II. p. 143. ſeqq. ex ed. ven. *Moſchemii*; alioſque. Conſultius egiſti *Clariſſime Voigti*! qui lepram medicam a ſacerdotali diſtinxiſti curatius: non enim de plaga præter ordinem naturæ divinitus immiſſa, ſed de morbo tibi, hygienes filio, tractandum fuit.

Subnaſceretur vero dubium, qui fieri potuerit, ut communior ille orientis morbus nonniſi Aegyptios, Phœnicios, Tyrios invaderet, graſſante tantum inter Canaanis incolas lepræ ſacerdotalis plaga. Ad hoc non inconcinne reſponderim, ſi ſingulari numinis divini curæ tribuerem. Hanc equidem a morbis Ægypti immunitatem peculiari privilegio populo ſuo addixit Deus, ſi ſtatuta ejus cuſtodiverit, *Exod.* XV. 26. notanter addens, *quia ego Jehovah ſum medicus tuus*: quocum conferas c. XXIII. 25. *Deut.* VII. 15. c. XXVIII. 60. 61. Neque imo totum orientem pervagata eſt illa Arabum vitiligo, ſed intra Nili terminos conſedit, teſtante *Lucretio* L. VI.

Eſt Elephas morbus, qui inter flumina Nili
Gignitur Aegypto in media, neque præterea uſquam.

Idem de leuce Græcorum & Piſagis Perſarum dixeris. Cæterum non defuerunt varia ulcerum genera, quibus populi peccatis iratus eſt Deus: diverſa vero extiterunt a plaga lepræ, tanta ideo ſolicitudine in lege diſtincta. Lepram Naamanis, Syri, non ex numero morborum orientis fuiſſe, ſed peculiari numinis judicio, ut Deus Iſraëlis inter Syros celebraretur, immiſſam, ex ipſa hiſtoria facillime collegeris.

Devenio ad lepræ ſacerdotalis myſterium, quod & œconomiæ legalis generalis ratio *Ebr.* X. 1. coll. c. IX. 23. & ſpecialis Dei de ejus cognitione & expiatione ordinatio *Lev.* XIII. & XIV. & eccleſiæ Iſraëliticæ priſca confeſſio *Ps.* LI, 9. coll. *Lev.* XIV. 4. *Eſai* LXIV. 6. coll. *Lev.* XIII. 45. & arcana Dei, quæ ejus emundationem inter criteria Meſſiæ ſcripturaria poſuit, ſapientia *Matth.* XI. 5. adverſus ſæculi noſtri inſipidam incredulitatem, abunde demonſtrant. In ipſa vero myſterii definitione diſcrepare interpretes, non diffiteor. Mihi, ut paucíſſimis expediam, lepra Judaica inter ſtigmata pœnalia videtur referenda, immorigeris durante œconomia ſervili in cute divinitus inuſta, ut de peccati, quod diſſimulabant, atrocia conſtaret publice, fœditas ejus atque reatus tetro emblemate pingeretur, reique ad pœnitentiam & quærendam in typica mediatoris expiatione, peccatorum remiſſionem adigerentur. Crimina, in quorum vindictam immiſſa ſit lepra, ſilet ſcriptura. Septem enumerant Judæi apud *Jac. Rhenferdum* de *lepra cutis Hebræorum* §. XX. malignam obtrectationem, ſuperbiam, furtum, invidiam, homicidium, perjurium, ſcortationem: verum ultionem fuiſſe cujuſcunque gravioris tranſgreſſionis, libera Dei voluntate inflictam, ſed omnibus metuendam, tutius concludo ex *Deut.* XXIV. 8. 9. Stigma vero pœnale dum ſtatuo peccati, idemque peccati emblema; hæc neutiquam ſe tollere exiſtimo, uti quidem

nu-

nuperrime viſum eſt viro eruditiſſimo *Nic. Nonnen*, in Diſſ. de *lepra ædium myſterio* §. XVI. Eadem pœna propter peccatum immiſſa peccati pingebat naturam, & ſapienti numinis conſilio hoc modo conformata fuit, ut eam adumbraret. Ita Deus univerſæ civitati leproſum in exemplum poſuit fœditatis peccati, ut in hoc ſpeculum intuentes horrerent omnes. Contagium tametſi phyſicum a plaga lepræ abeſſet, morale tamen ei conſtanter inhærebat; quod vir eruditus non ſatis attendit. Levitica enim iſta contagio peccati, quæcunque hominum inficientis, eo certius & luculentius eſt emblema: quo magis deſtinato ad id conſilio ſelegiſſe videtur divina ſapientia, cum in ipſa lepræ natura nihil prorſus contagioſi ineſſe deprehendatur.

Similitudinis partes haut difficulter exvelabimus. Figurabat nempe lepra *cutis* (1) hominis, poſt lapſum nudi, abominabilem ex peccato fœditatem, (2) conſcientiæ diſſimulantis manifeſtam turpitudinem, (3) mali in ſe hæreditarii execrandam luem, (4) delicti, quod peccatorem a Deo ejuſque civitate ſeparat, triſtiſſimum effectum, (5) contagii peccato inhærentis certiſſimum periculum, (6) auxilii humani deſperatam cauſſam, (7) Sacerdotalis Chriſti officii infinitam virtutem, (8) contritionis divinæ, qua totos nos deploramus immundos, evangelicam præſtantiam, (9) expiationis per ſanguinem mediatoris morituri, ſepeliendi, & reſurrecturi neceſſitatem & efficaciam. Nam & mori debebat altera avium, & ſepeliri: & ſanguine mactatæ conſperſa altera evolabat. (10) ut nihil dicam de aquæ ſanguine luſtrali rubentis illuſtri antitypo, œconomiæ perfectiori in myſterio baptiſmi reſervato.

Lepra *veſtium* habitus operum externi pingebat ſpurcitiem, aut reſecandam aut igne ultionis divinæ comburendam. Lepra *ædium*, quæ nonniſi interiorem earum partem corripiebat, intrinſecam familiæ deſignabat turpitudinem, aut emendandam, aut evertendam.

Philologica nonnulla ſuperſunt, quibus iſta de lepra ſacerdotali ſanctio lucem fœnerari poſſit: ſed otium fecerunt viri clariſſimi *Phil. Ouſeelius* in Diſſ. de *lepra cutis Hebræorum*, Franeck. 1709. & *Jac. Rhenferdus* in Diſſ. cit. recuſa in b. *Meuſchenii N. T. ex Talmude illuſtrato p.* 1057. *ſeqq.* Mihi ſpiculam poſt meſſem inſtituiſſe ſufficit. Scripſi vero ea mente, ut ſummum, quem nunc attingis, tibi gratuler in arte ſalutari gradum, *Suaviſſime Voigti.* Quadriennium in hac noſtra egiſti Academia, providentiæ divinæ alumnus, morum elegantia omnibus bonis acceptus. Condecoraris *Præſidis tui* vere illuſtris elogio: Tuaque te induſtria non degenerum adhuc tanti viri probavit auditorem. Pietatis tuæ haut fucatæ cominus teſtis fui: nunc & de præmiis, quibus ornandus es, abſens lætabor. I deo duce, & in amplexus fere ſponſæ omnibus ſui ſexus virtutibus ornatiſſimæ, conjunctiſſimumque ex ejus ſorore adfinem, maxime reverendum Dn. *Orlichium*, Lobenſteinienſium Superintendentem meritiſſimum, meo nomine ſaluta. Ita vale, reſque tuas age feliciter. Scribebam in Academia Fridericiana Erlangenſi d. IX. Ianuarii 1750.

J.

CXCV.

J. FRID. BACHSTROM,

OBSERVATIONES

CIRCA

SCORBUTUM EJUSQUE INDOLEM,

CAUSAS, SIGNA ET CURAM INSTITUTAM

EORUM PRÆPRIMIS IN USUM

QUI GROENLANDIAM ET INDIAS ORIENTALES

PETUNT.

Leydæ 1734.

Scorbutus eſt inquinatio ſanguinis & ſeri ac aliorum humorum humani corporis, per diætam nutrimentaque prava, aliaſque cauſas ſecundarias contracta, cujus ope prædicti humores putredinem & acrimoniam contrahunt, quibus vaſa ſic extenduntur, labefactantur & eroduntur, ut ex partibus debilioribus, cujuſmodi ſunt gingivæ, fauces & inteſtina pleraque, poſt prægreſſos dolores & tumores, ad quamvis irritationem ſanguis merus profluat, in partibus vero fortioribus poſt torporem totius corporis & artuum maculæ & ſtriæ varie coloratæ producantur, quæ mox in puſtulas & ulcera mala, & tandem in hydropem, tabem & mortem deſinunt.

Ad naturam & hiſtoriam hujus morbi præprimis pertinet, quod ille in nonnullis terræ locis magis quam in aliis homines inficiat, aut certo generi & ſtatui hominum videatur eſſe familiarior.

Præcipuam & regiam ſuam ſedem habere dicitur in regionibus ſeptentrionalibus, qua de cauſa nec antiquis creditur fuiſſe cognitus: aſt, quod non tantas ſtrages in locis calidioribus edidit, nec edere potuit, hinc illis *Stomacaces* nomine potius leviter deſcriptus, quam plane ignotus fuit. Vix enim poſtulandum eſt a medicis etiam celeberrimis, ut morbos, qui ipſorum regionibus minus frequentes ſunt, penitius cognoſcere, deſcribere, aut etiam curare queant: nam omnis ſcientia & ars ex crebra obſervatione & conſtat & augetur, qua ſi quis deſtituitur, non ſine inſigni errore ejuſmodi res aut ex aliorum recenſione tradere, aut ex proprio cerebro fingere poteſt.

Hanc ob cauſam illi, qui ſine ſufficienti hiſtoria morbi mox ad ejus deſcriptionem & curam properant, ſeptentrionale frigus, & humiditatem maris, ciboſque ſale & muria conditos ſic accuſarunt, ut circumſpectos alios medicos fere quoſvis in ſententiam ſuam traherent. Chymiatri vero, qui ex furnis ſuis omnia producere & excludere ſolent, protinus alcali quoddam generari & foveri dixerunt, cui ſalia contraria, & alia valida remedia oppoſuerunt ex hypotheſi, plerumque irrito conamine, imo malo ſæpius magis irritato & aucto.

Si vero patientius & penitius hiſtoriam & indolem hujus morbi introſpicias & examines, longe alia tibi patebunt, quibus & theoria & praxis circa hunc morbum maxime promovebitur, erroreſque omnes hypotheſibus adſtricti evitabuntur.

Primo omnium equidem conſtat, quod ſcorbutus magis in ſeptentrione, quam in aliis locis graſſetur. Ibi enim non ſolum indigenæ cujuſvis ætatis, generis vitæ, aut ſtatus, eo afficiuntur; ſed peregrini quoque, qui pro capiendis balænis ex quibuſvis gentibus illuc proficiſcuntur, ac per aliquod tempus in ſalo Grœnlandiæ detinentur, maximum ex hoc morbo patiuntur incommodum.

Ne vero ſalum aut mare ſolum accuſes, eorum hiſtoriam lege, qui ibidem in continente hyemem tranſegerunt, hi enim omnes fere ſcorbuto extincti ſunt. Sic ut magis propter hunc morbum, quam propter frigus & alia graviſſima licet impedimenta de compendioſa & utiliſſima via ad Indias orientales, inprimis in Japoniam & Chinam invenienda, Belgæ deſperaverint.

Quid autem magis oppoſitum frigori & locis ſeptentrionalibus, quam zona torrida, & ferverdiſſimæ ſub ipſo ſole plagæ: attamen ibidem navigantes in Indiam occupat hic morbus, & complures eorum aut mactat, aut ſaltem ad labores ineptos reddit, ſic ut nulla plaga his itineribus ſit nocentior & impeditior. Hoc quomodo cum ſententia eorum conciliari queat, qui frigori & ſeptentrioni hunc morbum tribuerunt, plane ignoro, niſi quod jactationem in mari, incommoda itineris, & cibos ſale conditos, ſuperiori cauſa de frigore interim neglecta, accuſabunt. Sed quo omnem ipſis elabendi occaſionem adimamus, e mari & a navigantibus in continentem, hiſtoria duce, hic morbus nobis erit educendus, & quidem paulatim a borealibus ad reliquos, qui calidiores inhabitant regiones, progrediendo.

Satis nota enim Thorunenſis obſidio, cum urbs a rege Sueciæ per totam æſtatem cingeretur, nam tum in ea ultra quinque vel ſex millia militum præſidiariorum, & ingens multitudo incolarum hoc ſolo morbo abrepti ſunt, adeo ut hoc magis malo, quam Suecico valore urbs expugnata, & ad deditionem coacta fuerit. Ne vero cæli temperiem, aut loci occultam aliquam qualitatem accuſes, hoc probe tenendum eſt: factam eſſe obſidionem æſtivo tempore, præterea ſuecis obſidentibus nihil quicquam hujus mali accidiſſe, licet populi fuerint ſeptentrionales, quorum corpora aut ad hunc morbum procliviora, aut antea jam infecta videri poterant. Obſidione vero cincti & incluſi erant & Saxones, & incolæ ejus urbis, hos tamen non adeo cito neque tam violenter quam Saxones invaſit hic morbus, ſic ut poſthæc præſidio fere deleto ipſi cives circa finem obſidionis excubias agere, & reliqua officia militum ſupplere cogerentur. Ab his ego accepi, quod illos pigros & laſſos reddiderit, ut vix artus movere potuerint, quoniam ſe in juncturis artuum magis omnium manifeſtavit, hinc plures ſolo motu corporis ſe levari poſſe crediderunt, ſed citius reliquis fuiſſe enervatos & enecaos; eos vero, qui blandiori motu corpus magis foverunt quam exercuerunt, diutius vitam traxiſſe, non tamen hoc remedio morbum abigere potuiſſe.

Finito ultimo bello Turcico in Hungaria exercitus cæſareus circa Temeſvariam, nec regionem nec urbem ſeptentrionalem, qualis adhuc Thorunium, videri poterat, in hyberna deductus fuit. Ibi morbus adeo invaluit, ut complura millia militum corriperet & extingueret. Cum vero medicus campeſtris, omnibus remediis inprimis omnibus eſſentiis, extractis ac ſalibus antiſcorbuticis fruſta adhibitis, conſilium totius collegii medici

dici Viennenſis anxie requireret, reſponſum tulit, quod mutatis duntaxat formulis eadem fere ſuadebat, neque omnino levabantur ægri, ut potius hic morbus magis invaleſceret, donec circa vernale tempus ſponte quaſi ceſſaret. Notabilis vero hic non eſt reticenda circumſtantia, quæ medici hujus ſive admirationem ſive trepidationem magis auxit, nempe quod morbus hicce ibidem nullum omnino præfectum, nec infimi quidem ordinis, ſed ſolos gregarios milites extingueret: quam cauſam cum ipſi ex natura hujus mali explicarem, tantopere gaviſus eſt, quantopere antea de infauſto hoc morbo ejuſque irrita cura doluerat. Idem medicus poſthæc diligentius & attentius in hiſtoriam hujus morbi inquiſivit, ubi inter alia in orphanotrophio ſuperioris Germaniæ malum hoc maxime viguiſſe obſervavit, nec non apud illos, qui carceribus diu incluſi latitaverant.

Quoniam vero regiones calidiores præſertim Mediterraneæ ab hoc malo immunes eſſe creduntur & dicuntur, hinc a militibus cæſareis, qui diu in Italia & quidem ſatis procul a mari commorati erant, inquirens hæc accepi: ibidem durante bello præſidium aliquod cæſareum ſic hoc morbo correptum fuiſſe, ut complures eodem extinguerentur. Ipſe vero officialis, qui mihi hæc narrabat, natione Italus ſic infectus fuerat, ut ſingulæ volæ utriuſque manus in puſtulam unam abiviſſent: qua de cauſa a medicis ſuis hunc morbum fere ignorantibus deſertus fuerat, quem tamen chirurgus Germanus aliis antiſcorbuticis, quam Itali propinaverant, trium vel quatuor dierum cura ex mortis faucibus eripuit.

Præter hos vero ubique terrarum & locorum & quovis anni tempore, cujuſvis ætatis homines nonnullos ſed parcius infeſtat, quod ex hiſtoria antiquiori & recentiori omnibus conſtat, ſic ut exemplis allegandis vix opus eſſe videatur. Sed in his, quæ ſupra recenſuimus, morbus tantum auctior, validior & frequentior.

Ad hiſtoriam & indolem hujus morbi etiam cura ejus tam ab antiquis quam a modernis partim feliciter partim infeliciter tentata pertinet. Sæpius enim remedia fortuito inventa cauſas morborum detegunt, & a theoria hypothetica penitus liberant ac vindicant, quod hic inprimis accidiſſe videbimus, ubi remedia cauſis plerumque ſecundariis oppoſita fuere. Quorum autem felicior cura fuit, eorum praxis fere theoriæ plurimum adverſari videtur.

Nuper aliquis nautarum ex Grœnlandia redux curam hujus mali ibidem uſitatam mihi graphice depinxit, hæc inter alia narrans: ſe malo hoc adeo fuiſſe correptum & occupatum, ut nec manibus nec pedibus valeret, itaque poſt abſolutam piſcaturam a ſociis cymbæ injectum & in continentem expoſitum fuiſſe, magis ut ibi mortis ultimam vim, quam ſanationem experiretur. Quod vero nec manibus tantum valeret, ut cochleariam ibi copioſe provenientem evellere poſſet, hinc eam pecudum ad inſtar ore depaſcere coactus fuit, & nihilominus hoc ſolo remedio,

crudo occupato & aſſumto, paucorum dierum ſpatio in integrum fuit reſtitutus. Iiſdem fere herbis & reliqui ſeptentrionales populi utuntur etiam ſine ulla manuductione medica, cum natura ipſa ultimis ſeptentrioni accolis harum herbarum vim ingentem magis obtruſerit quam obtulerit. Frigori vero, quod medici plerique accuſaverunt, remedium invenire, potius ad lignarios ruſticos, quam ad eos pertinet. Sed cum in longioribus Belgarum & Anglorum itineribus maritimis remedia pharmaceutica etiam ex antiſcorbuticis herbis parata fere nullius ſint efficaciæ, hinc medici cibos muria conditos, fumoque induratos, piſceſque & incommoda maritima tanquam, inevitabilia & inſuperabilia accuſant; adjiciunt tamen quaſi ovantes, quod navigantes hoc malo correpti, per paucos dies in terram expoſiti, præſertim itinere ad finem perducto, ſine ullo medicamento ſolo fructuum uſu reſtituantur: ex horum tamen numero omnino exemti ſunt, qui ex hoc morbo jam exſtincti & piſcibus pabulum facti ſunt, aut quorum corpora hydrops corrupit & rupit, ſic ut incurabilia aut inſigniter ſaltem depravata maneant. Quibus itaque ex aliorum ſanatione parum ſolatii accedit.

Thorunienſes cauſam morbi præprimis tribuebant ſtramini, quod cereviſiæ coquendæ colatorii loco adhibetur, nam quoniam & ejus defectu laborabant, hinc idem ſæpius exſiccatum fuit, ut pluribus coctionibus inſerviret, ex quo maximam corruptionem potus ortam eſſe credebant, cibos vero ſale conditos & fumo induratos hoc malum magnopere auxiſſe. Sed eadem narrantes læti adjiciebant, vix ſoluta obſidione atque apertis portis, cum oleribus ſe impleſſent, malum protinus evanuiſſe.

Sic etiam omnes ii medici, qui feliciorem eventum curæ ſuæ experti ſunt ſolis fere vegetabilibus acidis & ſubacidis & demum amaricantibus, quæ ab ipſis Grœnlandiæ barbaris nullo ſuadente medico utiliter adhibentur, id omnino præſtiterunt, quamvis nonnulli eorum ſaltem ſpiritus nitri & ſalis his cum fructu adjici poſſe credant.

Chymiatri vel metallurgici potius hoc animadvertentes, ex acidis vegetabilibus parari remedia antiſcorbutica, neglectis vegetabilibus acido tantum intenti fuere, quod in duumviratu ſalium apud ipſos alteram paginam facit, audacter morbum alcalinæ naturæ eſſe declararunt, cujus ſalis tamen reliquiæ plerumque ex fortiſſimo igne ſuperſunt & quidem vegetabilium, non vero ex ſale & muria & carnibus animalium, aut ex fuligine & fumo, quem nobis ſæpius vendunt, præſertim dum vegetabilium uſum fere omnem proſcribant Itaque ex hypotheſi acida ſubterranea quævis inprimis acerrimum illud vitrioli ſuaſerunt. Qua de cauſa aliquis medicorum nuper in ſeptentrionalibus locis propter alchymiam ſatis famoſus, oleum vitrioli acerrimum omnibus fere medicamentis ſuis admiſcuit, quo ſpecifico omnes ſeptentrionalium morbos ob perpetuum ſcorbuti cum iiſdem commercium expugnari poſſe credebat, eadem fiducia & eventu, quam aurum ipſum inde confici poſſe olim cum damno & igno-

minia

minia ſua maxime crediderat. Non equidem inficior, in omnibus morbis horum populorum, medico ſuſpicionem ſcorbuti eſſe neceſſariam, ſed acido vitrioli ſpecificam aliquam virtutem tribuendam eſſe, audacter nego, quod infra pluribus demonſtrabo.

Num igitur cochlearia ſuperius tantopere laudata, aut ejus eſſentia, aut extractum, aut ſal ejus chymicum, conſtituet aliquod, vel unicum etiam medicamentum antiſcorbuticum? minime gentium. Nam & hanc ſæpius nocere in hoc morbo, practici optimi optime norunt. Eſt autem prudentis medici, omnes & minimas circumſtantias morbi & ægrorum probe expendere, ne illud, quod in alio caſu & in alio corpore ſalubre eſt, in alio rurſus nocivum imo peſtiferum evadat. Maxime omnium vero decet ſapientem medicum, in veram & adæquatam cauſam mali inquirere, ne ſine omni ratione ad ſolam praxim, & ſæpius fictam experientiam & remedia provocare opus habeat, quod ſolum fere empiricorum eſt.

Probe itaque penſitatis omnibus circumſtantiis, quæ ſuperius in hiſtoria & cura hujus morbi narravimus, imo pluribus aliis, quas hic ob brevitatem omittimus, concludendum nobis eſſe videtur: *Cauſam veram & primariam ſcorbuti nullam aliam eſſe, quam abſtinentiam diuturniorem a quocunque genere recentium vegetabilium*, ſive illa climatis indoli, ſive coactioni & neceſſitati, ſive neglectui ſit tribuenda. Cui nunc cauſæ quaſi per inductionem omnia prædicta exempla cum eorum circumſtantiis ſingularibus prorſus ſunt adplicanda; antequam autem id fiat, monendum omnino quod etiam aliæ cauſæ ſecundariæ concurrere, malumque augere poſſint, cujuſmodi ſunt nimium frigus, aër infectus paludum, earumque humiditas & ſqualor, alimentorum pravitas, motus impeditus, ſanguinis antecedens corruptio, alii morbi, & propria corporum ad hunc morbum proclivitas, & id genus alia.

Quod vero cauſam primariam attinet, populi ſeptentrionales ſane primum ordinem tenent, quibus hyems diuturnior vegetabilium productionem aut penitus inhibet, aut ea ſaltem nivibus altioribus ſepulta tenet, ne iiſdem incolæ ſe contra hunc morbum quovis tempore tueri poſſint. Conceſſit tamen his providum omnis neceſſitatis humanæ numen ingentem cochleariæ, lepidii, lactucæ agninæ, & naſturtiorum copiam quæ ſub ipſa nive perpetuo aut naſcuntur, aut ſaltem vigent virentque, addidit & ingentem vim baccarum mirtilli rubri, quæ hyemis tempore aceſcunt, atque ſub nive conſervantur, adæquata & ſufficientia hujus mali remedia. Sed miſerrimi mortalium aut iis uti neſciunt, aut longius verſus ſeptentrionem progreſſi ob nivium altitudinem & frigoris immanitatem ea conquirere minus valent, quod Hemskirchio aliiſque in illa triſtiſſima loca delatis accidit.

Secundam claſſem conſtituunt piſcatores balænarum ex quibuſvis gentibus, hi enim lucri cauſa diutiſſime inter glacies in ſalo hærent, neque in continentem, ubi remedia ſola naſcuntur niſi abſoluta piſcatura deſcen-

cendunt, quamvis remedium aliquo modo habeant cognitum, illudque parvo labore & temporis diſpendio conquirere poſſent, ſuis forſitan remediis pharmaceuticis plus tribuentes, atque hæc vilia pro more aſpernantes aut ſaltem negligentes.

Hos excipiunt, qui mercaturæ cauſa alia itinera maritima diuturna ſuſcipere coguntur, ubi rurſus hi, qui in Indias orientales proficiſcuntur hoc morbo magis premuntur, quam illi qui propinquiora Americæ loca petunt, ubi iter eſt diuturnius, ibi etiam longior ſolet eſſe a vegetabilibus recentibus abſtinentia. Magis vero hic morbus eos vexat, qui illuc proficiſcuntur, quam qui inde redeunt, eo quod in locis calidioribus fructus recentes varios comedant, atque ſic corpora & humores ſcorbuto tolerando præparent, aut quod inter alia commeatus genera horum largiorem copiam navibus ſuis imponant. Cum vero invaluerit præjudicium ex carnibus muria conſervatis hoc malum originem trahere, hinc ſæpius ad inſulam Helenæ adpellunt, ut ibi ex copioſis & prægrandibus teſtudinibus earumque recentibus carnibus aliquod adipiſcantur ſolatium, præſertim cum animalia ſine ullo nutrimento fere per integrum menſem viva conſervari poſſint.

Veniamus ad urbes & loca diuturna obſidione cincta, brevior enim obſidio tantam corruptionem humorum corpori humano vix inducere valebit, cujuſmodi ſupra Thorunienſem dedimus, quæ ultra quinque menſes fuit protracta. Cum loca munita & caſtella rarius hortis poſſint abundare hinc coacti fuere, & ibidem ex aliis cibis vario modo conſervatis ſibi nutrimenta parare: cives vero & incolæ urbis horum recentium vegetabilium adhuc aliquam habebant copiam, hinc, licet ignari hujus remedii, ſcorbuto diutius reſiſtere poterant, ſed milites præſertim gregarii piſis, fabis aliiſque granis, & pane durato atque biſcocto famem tolerare coacti fuere. Aliquoties tamen intra obſidionis tempus cum hoſte pactum fuit, ut mala nonnulla citria nobilioribus ægris unicum ante mortem ſolatium importari permitterentur, & cum aliquando permiſſu regis Sueciæ currus totus vegetabilibus onuſtus in familiæ cujuſdam gratiam intromitteretur, hæ viles alias res a præfectis raptæ, & eorum menſæ tanquam ſummæ deliciæ, natura ipſa id poſtulante, impoſitæ fuerunt, ſic ut pauciſſima horum olerum ad eam familiam, cui miſſa erant, pervenerint. Illi ipſi vero, qui mihi cauſas & circumſtantias hujus mali narrabant, ultro addebant, cum apertis portis ſe vegetabilibus ſufficienter repleſſent, morbum protinus extinctum fuiſſe, eodem modo, quo ii, qui in Indias proficiſcuntur, vix deguſtatis vegetabilibus & fructibus recentioribus ſine ullo alio pharmaceutico remedio ſanitatem recuperant.

Ordo jam eos tangit, quos Temeſvariæ morbus hicce mirus miris circumſtantiis invaſit: hyems erat diuturnior, hortique & olera propter obſidionem præcedentem vaſtata, quid quod propter paludes vegetabilia & olera, quibus ordinarie homines veſcuntur, longius remota erant, hinc

hinc inter gregarios milites, qui ſiccatis & duris cibis utebantur, hoc malum unice viguit. Præfecti enim vel officiales, qui vel manipulos ducebant, ſæpius apud caupones & lixas campeſtres ſaltem juſcula cum herbis comedebant, hinc omnes ab hoc morbo immunes, quod medico illi campeſtri quaſi miraculi loco habitum, neque a toto collegio medico Viennenſium perſpectum fuit, eſt enim caſus alias rariſſimus, ſed ex noſtra cauſa optime explicatur, quæ eſt *abſentia*, *carentia & abſtinentia* a vegetabilibus recentibus, eo quod hic in Hungaria carnium recentium nullus omnino eſſet defectus. Quapropter etiam hoc malum *verno tempore* ob vegetabilium ſe ultro offerentium copiam ſponte ut medicus ille dicebat, elanguit & ceſſavit. Hic præterea notandum, longiorem hyemem ubique terrarum in hoc caſu ſeptentrioni eſſe æquiparandam, eo quod frigus ubique vegetabilia diutius intra terram coerceat.

In orphanotrophiis & xenodochiis imo in carceribus, ſi propter hyememvel defectum vegetabilium diutius alius generis alimenta diſtribuuntur ſcorbuto omnino panduntur fores, in quibus locis poſthæc & ſqualor, & coarctatio & immunditie̱s & contagium, imo cauſæ quævis, primum medicis obviæ, culpam hujus mali ferre immerito coguntur. Verum quidem & ſqualorem & anguſtias locorum ſuos pati manes & morbos, qui ſaltem ſpeciem ſcorbuti præ ſe ferre, aut morbum augere, non tamen producere valent.

Sic etiam ſæpius fieri ſolet, ut aliquis in quocunque terrarum loco a vegetabilibus aut defectu aut neglectu abſtineat, aut etiam abhorreat, præſertim cum lautiores hæc ruſticorum fercula paſſim faſtidiant, aromatibuſque acerrimis appetitum magis obruant quam excitent. Quod ſi ab his, dum ſcorbutus eos occupat, quæras, num ejuſmodi cibis uſi ſint nec ne, ſemper aut abſtinentiam aut neglectum eorum invenies, id quod me in praxi mea circa hunc morbum nunquam fefellit. Cum enim illum Italum ſupradictum de morbo ſuo examinarem, & num vegetabilibus caruerit, aut ab iis abſtinuerit, rogarem: quinimo reſpondit, nam ſi hoc feciſſem, nunquam hoc morbo laboraſſem, & niſi poſthæc iis uſus fuiſſem, non amplius vitam ducerem; cum enim ab Italis deſertus eſſet, incidit in Germanum chirurgum, qui ob iter aliquod feſtinans quaſi tranſeundo præcepit, ægrotanti ut ſervum ſuum in agros mitteret, quo varias herbas præcipue ſyſimbrium ibi copioſum colligeret, has aut crudas cum aceto, aut oleo, ut comederet, juſſit, vel ut ſuccos expreſſos biberet, vel ut in juſculis illas adhiberet, atque ſic ſtupentibus fere medicis Italis vitæ fuit redditus æger.

Eodem prorſus modo pauperiores in locis paludoſis vitam agentes, & piſcatores, qui littora maris infertilia incolunt, ac navigantium mores imitantur, ab hoc morbo frequentius corripi, imo corripi debere, manifeſtum eſt.

Quot vero menſium aut dierum abſtinentia ad producendum hunc morbum

bum præciſe requirantur, ex natura ac conſtitutione cujuſvis individui pendet, quoniam in aliis major poteſt eſſe ad hunc morbum proclivitas, in aliis vero diuturnior reſiſtentia, prout inter diverſos unius ejuſdem itineris ſocios patet, quod non omnes, aut ſaltem non eodem tempore, aut eadem violentia oppugnentur, quamvis rariſſima ſint ejuſmodi corpora, dum ne vigeſimus quidem in itineribus Indicis ſæpius ab hac labe immunis maneat; cum etiam chirurgi nautici non obſtante medicamentorum copia & corripiantur & abripiantur.

Ex his nonnulli, medicorum qui protinus ad curam & remedia ſpecifica properant, exiſtimabunt, ſe jam indolem hujus morbi ac curam ſufficienter imo abundanter noſſe. Sed ut medicus in patientum numerum tranſeat, omnino neceſſe eſt, ſcilicet ut ferrea quaſi patientia utatur, tum in examinandis omnibus circumſtantiis morbi quem vel centies ſuperavit, magis tamen in adplicandis & corrigendis remediis, in quo caſu alia conveniant aut noceant, aliave alio tempore & loco ſint adhibenda. Hinc etiam mihi non videtur ſufficere, quod ſuperius longam ſatis deſcriptionem hujus morbi dederim, ſed antequam juſtam ejus curam ac remedia tradam, nonnulla, quæ ad diagnoſin hujus morbi pertinent, addere opus eſſe duxi. Sic autem communiter hic morbus ſe habet: primo omnium torpor, indies auctior, occupat artus, poſthæc ſalivæ & oris viſciditas, mox ibi gingivarum, palati & faucium tumor adeſt cum dolore, quibus cruentatio harum partium & eroſiones ſuccedunt; nunc maculæ ubique, pruritus, ſcabioſa & fere leproſa indoles, puſtulæ aqua flavida repletæ, ulcera, faciei pallor & lividus aſpectus; interne fere ex iiſdem cauſis febriles varii motus, anxietas, vomendi conatus, nauſea, ructus, diarrhæa, hæmorrhagiæ internarum partium, præſertim hepatis corruptio & ruptio, hinc apud complures hydrops, tabes, & tandem apud alios pro temperamenti ratione mors ſubitanea, apud alios tamen longe languidior; poſt mortem vero cadavera citius quam aliorum putredini & corruptioni cum inſigni fœtore ſunt obnoxia.

Ex his itaque non ſolum natura & indoles hujus morbi, ſed etiam integra fere ejus cura ad oculum patet quibuſvis, ſed quod ſingulari circumſpectione & prudentia medica in quovis caſu & quibuſvis etiam minimis circumſtantiis opus ſit, ubi de humano corio agitur, ſoli ſaniores & experti medici norunt: itaque ſicuti in inquirenda cauſa & indole hujus morbi valde ſolliciti fuimus, ſic magis adhuc circumſpecti in curando morbo & eligendis remediis erimus. Omnes equidem medici primum nonniſi a poſteriori vel per experientiam ſolam vim medicamentorum & adplicandi methodum cognoſcere poſſunt. Sed his perſpectis etiam naturam morbi & medicamentorum vim & agendi modum a priori, quod dicunt examinare, rimari & cognoſcere atque pernoſcere debet diligens & indefeſſus naturæ ſcrutator, ut his principiis generalioribus cognitis longius artem extendere, & tutius ubique remedia ſelectiſſi-

ſima adplicare poſſit. Quibus, ut & hic ſatisfaciam, pro virili annitendum erit.

Experientia plurium artium magiſtra ultimos & barbaros ſeptentrionis accolas, cujuſmodi ſunt & Grœnlandi & Samojedæ, qui ſine medicis doctis vitam agunt, remedia contra hunc morbum docuit, eo quod natura ipſis horum ingentem copiam magis obtruſerit quam adpoſuerit, quæ ſub nivibus quovis anni tempore latent & læte virent, æſtatis vero tempore campos eorum opplent. Dedit enim ſummus medicus ad mala & incommoda, quæ ex mundi terræque ſitu redundant, etiam ubivis locorum remedia plus quam ſufficientia, ſed hominum eſt ratione uti, & earum acquiſitionem ac vim omni modo ſcrutari, alias enim in nos ipſi injurii ſumus, culpamque oſcitantiæ comitem ac pediſſequam per doloroſos morbos experiri cogimur. Quoniam vero per longiorem hyemem ingentes & altiſſimæ nives has herbas antiſcorbuticas tegunt, aut hyems rigidior earum proventum maxime impedit, hinc magis curandi quam præſervandi ſcopo hæ herbæ a natura datæ videntur: Sed ne etiam & hic conquerendi anſam genus mortalium arriperet, inſevit divina benignitas omnibus fontibus per hyemem ſatis calidis & manantibus, ut nives injectas a tempeſtate ſolvere queant, maximam copiam beccabungæ, ſyſimbrii & aliorum naſturtiorum, ex quibus ubivis locorum ſufficientia remedia parari queant. Sed fac, hæc omnia deficere, tunc ſane artis & rationis eſt, ut ea recentia conſervare, aut recentiſſima producere queas; hominibus enim terra data eſt, non ut ſponte omnium ingentem vim quovis anni tempore producat, ſed ut homo eam ubique colat, atque ſic ex labore ſuo fructum & remedia obtineat: hic itaque inprimis notanda venit *Naſturtii hortenſis* natura & conſtitutio, huic enim Deus præter copioſum ſemen etiam ejuſmodi indolem dedit, ut omnium citius & prius vel in cellis aut cubiculis aliquo modo calefactis ipſius hyemis tempore progerminet; de quo nonnulli per jocum quaſi prodiderunt, quod hanc herbam, antequam menſæ accubuerint, terræ commiſiſſent, & quod circa finem prandii aut cænæ ea ſic ex ſemine & terra egreſſa fuerit, ut illa oleo & aceto condita, quod ſalatam vocant, veſci potuerint: Sed certior eſt ejus copioſus proventus, qui poſt aliquot duntaxat dies ſe exſerit. Quod ſi vero naturam herbarum & horticulturæ diligentius examinaveris, plures ſane ejuſmodi herbas pro climatum ratione invenies, ſic ut te nullibi deficiet remediorum antiſcorbuticorum recentium tanta copia, quanta pro cura peragenda ſufficere poterit.

Sed acriores haſce herbas in praxi ſæpius nonnullis nocere videbis, habent enim ſpeciem aliquam veneni, hoc eſt, quod in minima doſi propinatæ vim vitæ ſuperare & extinguere poſſunt, hinc etiam compures herbæ cauſticæ & venenatæ aut ſaltem narcoticæ in ipſo rigore hyemis producuntur & florent, quaſi naturali calore non haberent opus, ſed igne & calore ſummo intra ſe jam eſſent præditæ; in quorum numero

N 2 ſunt

UNIVERSITY OF MARYLAND
LIBRARY
Founded 1813
SCHOOL OF MEDICINE

ſunt & crocus & colchicum & hellebori ſpecies, & ranunculi nonnulli, & laureola, aliæque, Et quamvis ſupra recenſitæ non adeo violentæ ſint, attamen & eædem, niſi cautiſſime adhibeantur, ſæpius ingentia mala producere, morbum augere, aut mortem omnino accelerare queunt. Itaque leniter eſt procedendum, & per blandiſſima remedia ad aſperrima quæque progrediendum, præſertim in morbis chronicis, in quorum numero & noſter eſt, qui pauciſſimorum dierum patientia, & gradatim adplicatis remediis feliciter ſuperari poteſt, ſic ut nulla feſtinatione opus ſit.

Optimus autem medendi modus eſt, ubi nullis omnino remediis & medicamentis opus habemus, hoc eſt, ſi morbis ex conſilio medici obviam eatur, antequam naſcantur, & in corpore humano ſe palam omnibus manifeſtent, nempe modo præſervativo, nam ſæpius ad eundem gradum morbi aſcendunt, ut nullus medicorum ſed Deus tantum ejus curam certam efficere valeat. Hoc enim in caſu noſtro ingens hominum multitudo remedii prorſus ignara, facit, dum vel pauperiores ipſi oleribus & herbis plerumque vitam laborioſam ſuſtinent; hoc enim vectigalis ipſis horti & agri, imo prata & loca fere inculta reddunt. Et ſi qui inter paludes deliteſcunt, atque hortis & oleribus ordinariis deſtituantur, ſuppetit tamen ipſis & naſturtiorum & trifolii aquatici inſignis abundantia, quamvis hæ & aliæ herbæ hactenus inter numerum olerum, hoc eſt herbarum eſculentarum nondum ſint receptæ. Sic nec illis, qui mare magis quam terram arant, hæc remedia deſunt, quibus ſe præſervare ab hoc malo poſſent, cum herbæ natantes ipſis ultro occurrant, ut conquirendi laborem adimant, dummodo his uti ſciat ad mala ſua magis quam ad ſalutem proclivis humana natura, quæ altioribus intenta, & auro Indico plerumque inhians, his pretioſiora prætervehitur, & cum diſcrimine vitæ ſuæ aut negligit aut aſpernatur.

Hos ut ad ſanitatem & mentis & coporis ſaltem in hoc caſu reducamus, omnem medicamentorum efficacium numerum in claſſes ſuas vel gradus diſtinguemus, & modum adhibendi docebimus. Simulque incerta ac dubia imo nociva potius remedia expungemus & rejiciemus. Optima igitur, quantum ex noſtra experientia omniumque practicorum prudentum obſervationibus conſtat, ſunt viliſſimæ herbæ & fructus recentes, non pharmaceutica ſed domeſtica & ruſtica fere remedia.

Primam claſſem horum conſtituunt olera & herbæ fere inſipidæ aut ſaltem dulces, cum omnibus arborum fructibus hujus ſaporis & naturæ, ex quorum numero in defectu aliorum ne teneriora gramina, alias ſolis pecudibus pabulum, ſunt eximenda, longe præſtantiori effectu, eo quod leniter ſimul purgant, quam quo graminis ipſius exſiccatæ radices ad purificandum ſanguinem pharmacopoliis porrigi ſolent. His ratione vilitatis & in defectu aliorum annumeranda ſunt dulcia & teneriora arborum folia, imo Juli, & nucamenta & pinuum ſummitates per hyemem virentes, quamvis nonnulla horum ob inſignem amaritudinem potius in ſequentibus claſſibus locum invenient. Se-

Secundam claſſem occupant omnia vegetabilia ſubacida & acida, cujuſmodi ſunt omnes acetoſæ & acetoſellæ ſpecies, cum malis citriis, & aliis vix numerandis baccis & fructibus, a quibus nec ejuſmodi radices recentes exemtas eſſe velim. Hæc claſſis ſecunda eſt quaſi media inter inſipidas dulceſque, & inter amariſſimas herbas poſita, hinc ſe effectu maxime omnium commendavit, ſcilicet quod ſæpius inſipidorum effectum ſuperavit, aut incommoda fortiorum evitavit; ſed cuivis ſua laus & virtus conſtat, dummodo iis rite utaris, nam cui ex ſubmerſione in aquis vitæ imminet periculum, ni blandiori modo ac fune extrahi poteſt, vel unco ferreo in corpus injecto ex morte eſt eripiendus.

Tertiam claſſem implent omnes herbæ radices & fructus recentiores, qui guſtu ſunt amariores vel ſaltem fortiores, cujus modi ſunt: cochlearia, lepidium, naſturtium, trifolium aquaticum & innumera alia, quæ agmen quaſi claudunt.

Nos equidem vegetabilia fortiſſima venenatorum nomine e foro medico ejecimus, ſed perperam, dum alia a majoribus accepta gratiore nomine ibi relicta ſint, ex quibus ob efficaciam ſingularem nonnulli medici inſignem ſibi famam conciliarunt, ſcilicet magnum illud narcoticum vel opium, quod in Græcia ex totius papaveris adhuc lacteſcentis ſubſtantia, hoc eſt ex contuſis ejus radicibus, caulibus, foliis & capitulis præparari ſolet. Sic etiam novi medicum, qui pro carcinomate curando interne folia ſolani furioſi inſigni utilitate adhibet. Sic & reliquis inſignem vim ineſſe credo, dummodo medicus eorum vim ſatis extendere aut deſperatis malis adhibere norit hæc violenta remedia. Sed hæc nondum commendata velim, donec eorum virtutes, ſicuti nunc nomina, ſint melius expoſitæ, indagatæ & exploratæ. Eadem quoque cautela cum ſuperioribus tertiæ claſſis acrioribus eſt obſervanda, ne ſit nimius eorum, aut præcipitatus ac præpoſterus uſus medicus, præſertim initio curæ, quoniam per imprudentiam etiam res innocentiſſimæ in ordinem venenorum tranſire, aut medelæ loco mortem producere vel ſaltem accelerare poſſunt.

Quod vero remedia ex regno vegetabili laborioſius præparata, imo ex aliis regnis tam animali quam minerali attinet, infra explicabimus, & quæ inter ea nobis aut inefficacia aut ſuperflua, aut dubia aut noxia eſſe videntur, indicabimus. Jam autem ad adplicationem medicamentorum ſupra recenſitorum progredimur.

Claſſes ipſæ indicant, quod pro uſu tam præſervativo quam curativo leniora præcedere debent ubivis, ſi vero his non ſopiatur morbus, tunc demum & fortioribus & fortiſſimis per gradus utendum, qui modus naturæ humanæ & omnibus morbis, ubi nullum periculum in mora eſt, maxime convenit. Noſter enim morbus in acutorum eſt numero, ſed lentius ſerpit, quam ut præpoſtero modo illum aggredi vel expugnare opus habeamus, niſi ubi lenioribus deſtitutus medicus prudens, medicamentorum fortiorum virtutem extendere vel diluere noverit. Sed cum re-

remedia copioſiſſima ubivis terrarum obvia præſcripſerimus, rariſſime medicus ordinem naturalem invertere cogetur. Sunt equidem & in vegetabilibus doſes concentratæ, quo nomine chymici ſua ſola pharmaca commendant ægris, qui ut plurimum largiſſimos potus faſtidiunt; ſed illas extra claſſes ordinarias ſepoſuimus, quod vulgo pro venenatis habeantur, & quod medicaſtri audaces his ipſis tantum mali effecerint, ut etiam prudentiſſimi medici ab eorum uſu adhuc abhorreant.

Præparatio laborioſa noſtrorum medicamentorum fere nulla, nam nuda & cruda atque ſucci plena, hoc eſt recentia ſunt adhibenda, in ipſa eorum naturali ſubſtantia, ſaltem ab immunditie & ſordibus purgata, niſi eorum nonnulla præſertim duriora vario modo coquere, aliiſque cibis admiſcere velis. Sic etiam oleo & aceto condita, aut ſucci eorum ſaccharo & melle temperati, & demum in caſu neceſſitatis vario modo conſervata adhiberi poſſunt. In extractis vero jam virtutes eorum videntur eſſe immutatæ, attamen adhuc aliquam utilitatem præſtare poterunt, præſertim, ubi ſaltem amarioribus opus eſt.

Internus uſus, hic ut externum præcedat, omnino neceſſe eſt, præſertim cum totius maſſæ ſanguineæ corruptio & depravatio nullis externis reſtitui poſſe videatur. Sine interna enim cura nullis remediis topicis ceſſant ſcorbutica ſæpius peſſima ulcera. Mirus hic ſane effectus, ut ex ſuperioribus patet, quod pauciſſimis diebus ſtatus fere deſperatus fuerit reſtitutus. Si vero ulcera varia poſt internam curam nondum ceſſaverint, tunc oris ulcera acidioribus ſuccis, cujuſmodi ſunt ſucci limoniorum aut mori imo ipſo aceto & ſale purganda, alia vero pro natura rei mundanda & fovenda. Hic tamen non eſt reticendum, poſſe corpus humanum, neglecta ejus cura, hoc morbo adeo corrumpi, erodi atque depravari, imo in hydropem incurabilem dejici, ut tunc omnino contra vim mortis, nulla ſit amplius herba in hortis. Qua propter & ſanis adhuc & magis ægrotis, maxime tamen medico allaborandum, ne eo anguſtiæ res deveniant, omnes enim probe norunt, quod ſero medicina paratur. Hic itaque de caſibus variis & fere omnibus eſt diſpiciendum, præſertim in quibus & ægro & medico aqua hærere ſolet.

Primo omnium ſeptentrionalibus populis conſilium eſt dandum, quod fere hujuſmodi eſt. Per vernum & æſtivum magis tamen per autumnale tempus foveant corpus ſuum oleribus & fructibus variis, maxime iis, quos eorum tellus ferre ſolet, ſic ſaltem corpus erit præparatum, ut etiam diutius ſcorbuto hyeme ingruenti reſiſtere poſſit. Præterea colligant & ſervent eorum copiam, quæ hyemis tempore virere ſolent, non tantum conſuetorum olerum & hortenſium fructuum, ſed etiam agreſtium arvenſium & ſilveſtrium, aut ſaltem de locis & fontibus, ubi in caſu neceſſitatis inveniri poterunt, tempeſtive diſpiciant. Quid quod horti cultura non ſolum conſueta ſed inconſueta etiam vegetabilia loco illorum exoticorum, quæ frigore corrumpuntur, alere poteſt. Quod ſi libero aëri,

ri & frigori expoſitas herbas minus commode producere poſſint, unicum naſturtium hortenſe hunc defectum ſupplebit, hoc enim & intra cubicula brevi tempore & adeo copioſe poreſt produci, ut non tantum uſui medico ſed etiam uſui communi & culinari ſufficiat. In defectu vero virentium, fructus & baccæ recentes ubique conſervari potcrunt; non ego aurantia mala & quoſvis pretioſos fructus in ſeptentrione requiro, ſed viliſſima quæque, dummodo virtute ſua antiſcorbutica præſtent. Sic radices variæ eſculentæ, cujuſmodi ſunt & ſiſer & napus & raphanus uterque ſine labore conſervari poſſunt. Magnam vero utilitatem cepa & porrum varium præſtat, quæ ne terræ quidem commiſſa progerminant, & recentia ſua folia vel fiſtulas ægris offerunt. Quod ſi nec horum fuerit ſufficiens copia, aut ſaltem inopia timeatur, tunc varia olera & herbæ aut folia arborum recentia ſale condita ſic conſerventur, ut ſponte aceſcant, aut aceto ipſo committantur, ſicuti in nonnullis regionibus fieri ſolet cum ſola braſſica capitata, quæ fere per totam hyemem durat, aliter tamen ea quam hic in belgio præparari ſolet. Quoniam vero & hæc circa vernum tempus ſolet corrumpi, ubi tamen ſcorbutus maximas acquirit vires, præſertim ſi hyems longior productionem recentium vegetabilium impediverit, hinc modus docendus, quo prædicta braſſica & cucumeres fere uſque ad paſchale tempus, ubi eorum præcipuus eſt uſus, conſervari poſſunt. Primo minutim diſſecentur quaſi in filamenta, poſt hæc impleantur his integra dolia, in quibus vegetabilia illa copioſo ſale aſpergantur, & probe comprimantur, tunc dolia illa optime obturentur, atque in aquam demergantur, ut ſub glacie lateant, donec iis opus fuerit, & ubi alia in cellis aſſervata corruptioni amplius reſiſtere nequeunt; eodem modo fructus recentes inprimis prunæ ſatis diu conſervari poſſunt. Si lagenæ vel vaſi ſtanneo probe obturato includantur, atque in puteum immittantur, quæ poſt duorum menſium ſpatium inde extractæ adeo recentes apparent, ac ſi eo momento ex arboribus decerptæ eſſent, ſed ſeligendæ ſunt duriores, quoniam molliores corruptioni jam ſunt obnoxiæ. Hoc autem de cucumeribus notandum, quod ſponte aceſcant, ſi illos ad maturitatem pervenire ſinas, ſic ut ſatis diu in propria ſua & naturali aciditate conſervari poſſint, quam communiter in immaturis arte antevertimus.

Jam fere patet, quid illis, qui in Groenlandiam contra balænas expeditionem ſuſcipiunt, in hoc caſu ſit faciendum. Primo enim corpus prædicto modo præſervent & muniant, deinde ut maximam copiam vegetabilium, quæ diutus conſervari recentia poſſunt, navibus imponant, præſertim radicum eſculentarum ſupra indicatarum. Poſthæc integra dolia braſſicæ capitatæ acidæ ſibi comparent. Hæc vero ſi defecerint, nonnulli nautarum ad terram ſunt ablegandi, qui herbas ibi a Creatore in uſum medicum & culinarum productas copioſe colligant, eaſque & ſanis & ægris advehant. His itaque & piſces & carnes ſuos condiant, neue patian-

tiantur navium præfecti, ut ſolis durioribus & exſiccatis cibis in maximum diſcrimen adducatur nautarum vita, quibus non ſolum cum hoc hoſte ſed etiam cum aliis malis eſt conflictandum.

Si vero rediret unquam cupiditas illius viæ compendioſæ circum mare glaciale in Japoniam inveniendæ, his ſane cibis & adferendis, & colligendis & conſervandis præcipua cura eſſet impendenda; ſed hoc præterea monendum, quod in illis locis pro frigore intenſiſſimo abigendo hypocauſtum germanicum belgico camino ſit longe præferendum, imo fornax potius ſub eorum pavimento occultandus, ne pedum aut ſaltem digitorum, ut ſæpe fieri ſolet, ex frigore jacturam patiantur.

Nunc illis ſuccurrendum, qui ad Indos proficiſcuntur, atque in itinere non cum frigore boreali, ſed cum calore intenſiſſimo ſimulque cum ſcorbuto conflictantur. Et his corpora præſervanda ſuadeo, ne ſtatim circa initia itineris ſuccumbant. Sic etiam recentia quæque, aut acida vegetabilia inter commeatum reponant. Ceparum itemque porri ſectilis, quæ ſponte progerminant, ſit inſignis copia, inprimis vero ſemen naſturtii hortenſis in horum ſit numero, quod in vaſis variis ſaltem pro uſu medico produci poterit; his itaque muniti magis quam antiſcorbuticorum pharmaceuticorum inutili farragine ſecuri vela faciant. Hæc ſi deficiant, terræ adpellendum erit, prout ſæpius in defectu aquæ recentis aquandi cauſa, aut colligendarum teſtudinum cauſa inſulis adpellunt, ibidem potius herbas & fructus, quam carnes recentes colligant: chirurgi vero nautici & medici diſcant, aut ſaltem ex guſtu cognoſcant, quæ herbæ potius in quibuſvis terrarum locis huic morbo, aut ſuis ægtotis ſint convenientes, hæc enim res & notitiam botanicam egregie promovere poſſet. Si vero hoc propter varias cauſas minus commode facere poſſent, aut eorum iter nullum remoram pateretur, tunc autor ipſis fuerim, ut herbas natantes circa *caput viride* aut alibi jactatas deguſtent nam has ego ſicuti herbas ſeptentrionales navigantium uſui a medico ſupremo deſtinatas eſſe exiſtimo, licet earum indolem adhuc ignorem, quam tamen illuc navigantibus ſaltem pro hoc uſu faciliime experiri licebit. Si vero aliquas jam alicubi hominum uſu comprobatas invenerint, tanto tutius iis uti poterunt. Sic lapathum illud aquaticum ingens olim pro ſpecifico antiſcorbutico eſt habitum, ſed ego hujus tituli maxime prodigus, eum quibuſvis herbis tribuo, quæ in ſuperiores claſſes trahi poſſunt, ne ſucculentis imo ne ſalſis herbis kali ab hoc officio remotis, quicquid immerito ſali ab ignaris imo inſulſis objici ſoleat.

Poſt navigantes etiam promptiſſimum auxilium ferendum eſt iis, qui obſidione diuturna premuntur. Noſtris temporibus equidem raro obſidiones ob artem debellandi ſatis excultam longius protrahuntur, vel quod obſeſſos communiter commeatus aut alia maxime neceſſaria deſtituant, accidit tamen prout ſuperius dixi, in urbe munita Thorunienſi, ubi abundantia omnium, ſolorum vegetabilium defectus erat, eo quidem pejor,

quod

quod hunc omnes ignorarent, atque ſic inopinata morte opprimerentur. Qui itaque obſidionem prævident, his ſibi omnibus profſpiciant, non equidem dantur in urbibus munitis ampliſſimi horti; ſed horum loco ſint valli & foſſæ, ex quibus nunc fere fortalitia conſtant; hi valli conſerantur ejuſmodi herbis antiſcorbuticis, lactuca agnina, cochlearia, lepidio, acetoſa; foſſæ vero circa margines lapatho aquatico, trifolio aquatico, nymphæa & aliis. Hæc enim producenda & colenda forent a providis & gnaris præfectis ab ipſa fundatione fortalitiorum, nam quamvis hæ herbæ paſſim ſponte creſcant, naturæ tamen labore humano eſt ſubveniendum, ut loca illa, quæ ſolo gramine teguntur, aut inculta jacent, potius neceſſariis oleribus, margines vero foſſarum, imo aqua profundior his plantis exornentur & oppleantur; reliqua vero, ſicuti in navigationibus ſuaſimus, undiquaque erunt conferenda. Si vero res eorum ad anguſtias unius caſtelli circa finem obſidionis, ubi ſcorbutus magis infeſtat, redigatur, tunc quidem locus his herbis medicis deeſt, ſed ſi ſufficiens fuerit copia ſeminis naſturtii hortenſis, tunc ea vel in tectis, vel in cellis, vel in ipſis muris produci poteſt, ut taceam ſedum eſculentum, imo illud acreminimum, quod ſponte in ipſis muris æque ac alia naſcitur, inter noſtra remedia eſſe collocandum. Narratum eſt ſæpius ab hominibus obſidione preſſis neceſſitate ſumma urgente, vel gramina devorata fuiſſe, ſed hæc miſeria nunc potius in medicinam erit mutanda, ſic ut nec hic miſeris ægrotis ſolatium deſit vel deeſſe poſſit, quamvis non pro cibo ſufficienti, quod ego obſeſſis promittere nolim, ſed tantum pro uſu medico, cujus ego unice curam habeo.

Eadem ſane ratio habenda erit in hyberniis & præſidiis, ubi liberior eſt campus, ſic ut neceſſitati militum ſubveniatur, præſertim cum viliſſima quæque, quæ neque a pecudibus depaſcuntur, cujuſmodi ſunt trifolium aquaticum, centaurium minus &c. hic fortiſſima ſane medicamenta conſtituant, hæc enim divina benignitas ſolis hominibus reliquit, ſi modo herbarum harum abjectarum virtutes noſſent, aut ſaltem addiſcere vellent, quin confido fore, ut per frequentiorem horum uſum in morbis complicatis ſpecifica complurium virtus detegatur.

De orphanotrophiis & xenodochiis imo carceribus idem fere dicendum, incumbit enim inſpectoribus & medicis eorum, ut hominibus ibi coacervatis, qui ut plurimum ex defectu motus alios morbos ſatis graves contrahunt, ſaltem in hoc caſu conſulant, ne vegetabilium defectu in diſcrimen vitæ adducantur. Quid raphano aut cepis vilius! his tamen idem morbus, ſi reliqua medicamenta deſint, & evitatur & abigitur.

Alios vero cujuſcunque conditionis & ſtatus homines, ſi oppugnet hic morbus, primo lenioribus eſt tentandus, & his adhibitis ad fortiora eſt progrediendum. Et ſicuti hic morbus ſæpius aliquot menſium abſtinentia a vegetabilibus, quibus ſe præſervare potuiſſent, eſt contractus, ſic etiam neceſſe eſt, ut patientes ſint patientiſſimi in reſtituenda valetudine,

& purificanda tota maſſa ſanguinea, ubi communiter & ab ægris & a medicis peccatur, qui nimia feſtinatione malum ſæpe acerbius imo plane inſuperabile reddunt; ſi enim illi, qui famem in obſidionibus diu tolerarunt, vel panem avidiſſime arripiant & comedant, aut etiam alios cibos innocuos, ex iiſdem remedii loco mortem tam diu evitatam ſibi accerſunt, ſicuti olim in hac ipſa urbe Leidenſi factum eſt. Quanti quæſo morbi ex repentino hauſtu frigidæ aquæ aut aliorum liquidorum! & ſicuti utilitas proverbii illius, feſtina lente, egregia eſſe poterit, in uſu & praxi medica ea ſane erit maxima.

Hæc itaque pro praxi & utilitate ſufficere poſſent, ſunt enim non mei ſolius experientia, ſed virorum quoque ſummorum obſervationibus comprobata, nam quotquot eorum in praxi aliquid boni circa hunc morbum præſtiternnt, nihil ſane niſi herbas & fructus ſubacidos laudant, quos ego in ſecundam & mediam claſſem collocavi. Cum horum ſuffragiis convenit quoque multiplex navigantium, in quorum uſum hæc præprimis ſcribuntur, experientia & in Groenlandia & in India facta, dum terræ adpellentes nullis aliis remediis, niſi herbis ſubamaris aut fructibus ſubacidis intra paucos dies miraculi ad inſtar reconvaleſcant, ſic ut nullum in hac re debeat aut poſſit ſupereſſe dubium, & quod inde quaſi mathematica certitudine concludere poſſumus: *Si herbæ & fructus morbum adeo manifeſte depellunt*, ergo *ex eorum defectu neceſſario eſt prognatus*, ergo *& præſervatio & cura iiſdem rite adhibitis omnino conſtat.* Verum enim vero quoniam uſus medicus antiquus invaluit, ut alia in hoc morbo ſuadeant remedia, ſive ex hoc ipſo regno vegetabilia extracta & præparata, ſive ex aliis regnis ingenti labore & arte confecta, alia vero rurſus diſſuadeant, inprimis varia alimenta fumo indurata aut muria condita, ſaleque conſervata, itaque hæc omnia ſub examen vocanda, atque de harum rerum indole & virtutibus aut noxa partim a priori ex ipſis principiis, partim a poſteriori ex obſervationibus & experientia pluribus erit diſſerendum & philoſophandum, quo etiam doctis, ſi fieri poteſt, hæc perſuadeantur, magis tamen, ut præjudicia docta & errores eruditi hic evitentur.

Communi omnium hominum experientia conſtat, carnem & pleroſque ex regno animali cibos corruptioni & putredini ſummopere eſſe obnoxios, niſi variis modis & artibus condiantur, atque ſic a putredine præſerventur. Hæc non protinus ad corpora animalium viva ſunt adplicanda, quæ a nonnullis medicis tam repentinæ corruptioni ſubjecta creduntur, ut fere miraculi illis ſit; quod vitæ virtute, ut ipſi loquuntur, corpus animale quovis momento conſervetur. Itaque quid putredo ſit, & quomodo putredo in genere & ubivis etiam a mortuis cadaveribus, in ſpecie vero a corpore vivo arceatur, & quam putredinem cibi hi corruptibiles in corpus vivum introducere poſſint, hic omnino explicandum eſt, præſertim cum & putredo & fermentatio aliaque genera motuum, & aliæ reſolutiones ſive vegetabilium ſive animalium, ſive etiam rerum foſſilium

non adeo clare neque a chymicis neque a phyſico mechanicis ſint deſcripta: eſt enim hæc notitia maxime utilis, non ſolum in rem phyſicam, ſed etiam in rem medicam, qua plures morborum cauſæ facilius detegi & remedia varia tutius adplicari poſſunt.

Eſt autem putredo corporum ex plurimis mixtis congeſtorum, & in formas varias diſpoſitorum ultima reſolutio, ubi certo ac moderato caloris gradu utplurimum aëris auxilio compages & forma horum corporum ſic diſſolvitur & deſtruitur, ut plurimæ partes volatiles in auras abeant, ſenſumque odorandi partim majori, partim minori moleſtia afficiant, reliquæ vero partes, ſive fluidæ, ſive ſolidæ, non amplius ſtructuram mechanicam motibus definitis a Creatore deſtinatam, ſed potius generales motuum leges, quæ fluidis & ſolidis conveniunt, unice obſervent.

Requiritur itaque ad putredinem, *ut corpus aliquod ex plurimis & variis mixtis conſtet, ſimulque ut in formam aliquam mechanicam ſit diſpoſitum*, cujuſmodi ſunt & vegetabilia & animalia, in quibus ſunt varia mixta, & ſolida & fluida, atque in his & aqua & oleum, & ſalia &c. ſimulque ſunt in figuram diſpoſita, cujus ope varii motus in iis & per ea peraguntur, hæc alii organa & vaſa dixerunt, ut vocabulum mechanices evitarent, quo nos & organa & vaſa imo omne id intelligimus, quod per figuram ad motum aliquem vel ſuſtinendum vel perficiendum aptum redditur. Itaque putredo proprie non convenit ſimplicioribus, quorum motus aut hydroſtatices aut alio nomine exprimitur, neque foſſilibus & metallis, utpote in quibus non ſunt tot diverſa mixta, hinc potius aut fuſio aut calcinatio his adſcribenda, quamvis chymici noſtri, cum fætorem ex variis admixtis in metallorum operationibus ſentirent, etiam hoc nomine iis putredinem attribuerent, ut alchymiſtas taceam, qui inconditis ſuis metaphoris nullibi non putredinem inveniunt.

Sic etiam ſimplicia alia, cujuſmodi ſunt terra & lapides & aqua, non ſunt per ſe putredini & corruptioni fætidæ ſubjecta, niſi quatenus alia ejuſmodi corpuſcula ipſis admiſceantur, tunc enim non amplius pro ſimplicibus & puris haberi poſſunt; putredinem vero aquæ infra plurimis explicabimus.

Ultima quoque dicitur *reſolutio animalium & vegetabilium*, ut nulla certe ars humana eadem in priſtinum ſtatum & figuram reſtituere poſſit. Si itaque metallorum figura arte elaborata vel contundendo vel fundendo deſtruitur, rurſus eadem opera poteſt reſuſcitari. Sic etiam vegetabilum partes e. g. ligna & ex iis formata poſſunt & deſtrui & mutari & reſtitui, vel alia inde formari. Sed quodcunque corpus vel vegetabile vel animale putredinem ſubiit, ſic eſt reſolutum, ut nullis humanis viribus in priſtinam formam, diſpoſitionem & figuram poſſit compingi & reſtaurari.

Jam *calor & ignis ejuſque gradus*, quem allegavimus erit explicandus. Utinam nos illi Philoſophi per ignem hoc labore ſublevaſſent, ſed ut ſunt pleraque eorum obſcura, ſic etiam ignis clariſſimus, & cujus nomen uſur-

ſurpant, maximis adhuc apud eos laborat tenebris, e quibus nunc eri-piendus.

Ignis itaque eſt celerrima agitatio particularum, quas oleoſas dicimus, & quæ in omnibus fere corporibus plus vel minus latent, qua agitatione omnes hæ particulæ quaquaverſum, hoc eſt in orbem (vel ut mechanici loqui amant in ſphæram) diſperguntur, ejaculantur & promoventur, donec aut ab aliis corporibus impeditæ, aut propria virtute deſtitutæ, rurſus in quietem deducantur. Flamma vero eſt tanta agitatio & particularum harum minimarum ejaculatio, quæ etiam oculis percipitur, harum vero notabilis progreſſus per lineas rectas in aere notatus lux & radii lucis dicuntur. Ignis vero in reſpectu ad noſtra corpora & ſenſum tactus, calor dicitur, ſcilicet quem gradum harum particularum ea commode ferre poſſint, quæ hunc ſuperant fervida, quæ vero deficiunt tepida, vel etiam frigida dicuntur, extremus vero gradus vel ceſſatio hujus agitationis eodem reſpectu ſenſuum rigor ſummus dicitur. Ignis autem non ſolum in motu fictarum particularum ætherearum, ſed in peculiaribus quibuſdam ad hunc motum a Deo conſtitutis & fabricatis particulis conſiſtit, quarum ulteriorem anatomen in generaliora principia hic omnino declinamus, ſed iis tantum nomen oleoſorum, quo ab omnibus aliis diſtinguantur attribuimus; aliis ſulphureæ dictæ, ſed minus bene, quoniam in ſulphure non ſolum oleum, ſed etiam acidum aliquod metallicum latitet, igitur ſolo nomine oleoſorum aut pinguium nobis veniunt, quamvis & ab aliis τὸ φλογιςὸν i. e. inflammabile dicta fuerint. Flamma vero in omnibus hiſce pinguibus vel inflammabilibus plerumque eſt mixtum & ex his oleoſis & ex aliis fluidis & ſolidis, maxime tamen ex aere intra poros corporum contento, quo ignis motus ad reliquas partes corporis inflammabilis vel pinguis violenter propagari ſolet, & ob quem ea, quæ rotunda eſſe deberet vel globularis & ſphærica in cuſpidem vel pyramidalem formam aſſurgit, qua violentia ſimul partes plurimæ fluidæ & ſolidæ imo adhuc inflammabiles, nomine volatilium aut fumorum, ſurſum in auras evehuntur, cum aliæ partes vix intenſiſſimo igne evehendæ, atque ſic ſuperſtites in genere fixorum & cinerum nomine remaneant. Notandum præterea, quod pauciſſimæ pingues particulæ in motum concitatiſſimum, ſive atritu, ſive alio modo perductæ, vel etiam flamma exigua acris violento motu & afflatu in cuſpidem coacta, tantos effectus edere poteſt, quantos alias a maxima copia earum vix exſpectes. Sic ſiphonis afflatu ope ellychnii & metalla & lapides liquefiunt; ſic ex validiſſimo attritu chalybis & lapidis durioris particulæ oleoſæ pauciſſimæ ibidem quieſcentes & latitantes adeo ſuſcitantur, ut micas chalybis & lapidis in globulos ſcoriarum & vitri convertant, ut mirum nemini eſſe debeat, ſi validiſſima & cuſpidata fulguris flamma corpora adeo dura adeo pervadat & disjiciat. Ad hujus tamen faciliorem intellectum pertinet, quod particulæ hæ caloris vel ignis ſint omnium in tota natura mini-

minimæ quæ in minimos poros corporum penetrare; & ſi copioſius irruant intimam compagem eorum diſſolvere queunt.

Hic autem ignis cum motu & agilitate eſt cauſa omnis fluiditatis, nam omnia per ſe ſunt ſolida, & diverſo ignis gradu in fluida, ne lapidibus quidem exceptis, reduci poſſunt. Reſolutio vero violentior, in metallis fuſio, in vegetabilibus autem & animalibus & conflagratio & combuſtio dici ſolet, quæ tamen a putredine diverſa ſunt, ad quam nunc poſt aliquam explicationem ignis & caloris redimus.

Ad hanc igitur perficiendam non tam violentus gradus ignis, quo omnia torrentur, aſſantur, conflagrantur & comburuntur, ſed *lenior aliquis ac lentior gradus* requiritur, qui paulatim omnia pervadere poteſt, non ejectis tot fluidis, ut in combuſtione & repentina exſiccatione fieri ſolet; ex quo rurſus conſequitur, quod frigus vel ceſſatio caloris putredinem omnino ſuſpendat, vel ab ea præſervet corpora, hinc corpora humana in ultimo ſeptentrione eodem modo præſervantur, ſicuti illa corpora, quæ aut in furnis aut in Ægypti ſuperioris arena, vel etiam ſicuti piſces in Norwegicis cautibus exſiccantur, eodem modo a putredinoſa corruptione eximuntur.

Requiritur etiam ut *aer copioſus in iis corporibus ſit incluſus*, qui ope ignis maxime dilatatur, atque vaſis corporum corruptibilium maximam vim infert, hinc ea corpora, quæ perfodiuntur, ut aer cito exire poſſit, minus corruptioni ſunt obnoxia, idem facit calor inſignis, qui perfodens & pervadens ejuſmodi corpora aerem mox expellit, & eadem exſiccat, ut diutius putredini reſiſtere poſſint: hunc etiam effectum ventus edit, qui partim refrigerat, partim effluxum liquidorum abigendo & corpora pervadendo maxime promovet, quod in ſuſpenſis cadaveribus furum eſt maxime conſpicuum, quæ & ſolis calore & ventorum perſpiratione ſæpius diutiſſime a putrefactione præſervantur. Eandem ob rationem ex piſcibus exſiccandis ſuccus maximam partem antea exprimitur.

Requiritur etiam, ut *liquida certa portione inprimis varii generis* adſint, neque admodum copioſe, quoniam per ea aer cito provolat & exprimitur, (id quod etiam in reſolutione limaturæ martis calori expoſitæ animadvertimus, ubi non incipit reſolutio & calor, niſi ubi fluida maximam partem ſint evaporata) neque nimis parce, ne cito exſiccentur corpora. Hinc in fluidis immerſa corpora tardius putreſcunt, & quaſi macerantur, exſiccata vero plane immunes ſunt a putredine. Qua de cauſa ſæpius accidit, quod exſiccata corpora humana in arenam aut terram, quæ reliquos humores avidius imbibit reponantur, quæ frigus porro conſervat integra, ut ſæpius cum maxima admiratione vulgi extrahantur, atque pro Sanctorum corporibus habeantur, qua Deo ita grata ſint, ut ea ſingulari gratia & quaſi per miraculum a corruptione immunia conſervet, præſertim ſi aut craſſa ignorantia harum rerum, aut aviditas cleri hæc miracula maxime deprædicet, cum tamen plures cauſæ meræ naturales

O 3 hic

hic concurrere poſſint, quarum ſeries nobis ad finem eſt perducenda.

Requiritur enim adhuc ad putrefactionem, *ut vaſa & textura horum corporum ſint aliquo modo firma & tenacia*, ut vim ſibi inferri patiantur, ubi enim laxa compages, ibi partes liquidæ & aereæ cito permeant, & nulla ejuſmodi reſolutio locum invenit. Eandem tenacitatem & in fermentatione maſſæ farinaceæ & liquorum requirimus, in aliis vero ingens caloris gradus & motus requiritur, qui vices tenacitatis ſupplet, & effervescentiam vel ebullitionem producere valet, ſed propterea non cum putrefactione confundendæ, quam ultimam horum corporum reſolutionem diximus.

Quo major eſt requiſitorum horum in corpore *alternatio aut* ſucceſſio, eo melius & citius putrefactio abſolvitur, ſcilicet ſi per vices & calor & fluida jam abſumta, imo aer expulſus, rurſus meatus horum corporum ſubintrent, ſic ligna, quæ ſæpius incaleſcunt & iterum aqua humectantur, longe citius putreſcunt & corrumpuntur, quod in palis, qui aquæ infixi ſunt, manifeſtum eſt, ubi neque illa pars, quæ intra aquam abſcondita eſt, neque illa, quæ ex aqua prominet, tam cito putreſcit, quam illa, quæ ſuperficiei aquæ eſt proxima; ibi enim perpetua & ſucceſſiva requiſitorum mutatio. Hinc etiam illæ res, quæ aquæ ingreſſum denegant, cujuſmodi ſunt reſinæ & pix, ſimulque aëris loca implent, quam maxime corpora quævis, ſive vegetabilia, ſive animalia, corruptione immunia conſervant, quod in mumiis Ægyptiacis & arboribus reſinoſis eſt clariſſimum.

Ultimum vero & maximum putrefactionis adminiculum ſunt *fœtus inſectorum vel vermes*. Dum enim hæc corpora calore foventur, qui motu & attritu inprimis aëris omnia permeantis, ſicuti in flamma fere fieri ſolet, magis augetur, ſentiunt id innumerabilia inſecta, ubique circumvolitantia, locumque commodum norunt, ubi non ſolum ovula eorum ibi depoſita excludi queant, ſed ſimul fœtui ſit ſufficiens pabulum, donec ad juſtam magnitudinem auctus per varias mutationes in animalcula ſui generis tranſire poſſit. Hos autem fœtus vel vermes antiqui ſine ullo ſemine ex ſolis putrefactis corporibus progigni credebant, ut in Ægypto ex putrefactione poſt inundationem Nili non ſolum mures, ſed etiam initio mundi hominum genus inde prognatum eſſe ſtatuerunt. Sed recentiorum cura a putrefactis corporibus animalcula illa arguit, neque unquam ſic vermes deprehendit. Sic etiam ipſa antiquitas animadvertit, quod amara & nimis ſpirituoſa nonnulla corpora præſervarent, quamvis ignorarent, hoc tantum modo fieri, quod inſecta plurima his minime delectentur, hinc aromatum ſæpe cumularunt maximam copiam, quorum præcipua erant & aloës & myrrha, aliaque reſinoſa & balſamica & oleoſa, ne oleo olivarum, imo ne melle quidem exceptis; ſic terebinthina, imo fumo abiguntur inſecta, quo corpora alias corruptibilia quam maxime a putredine conſervantur. Spiritus vero vini ſalino oleoſus & humores abſorbet, & inſecta abigit,

&

& ſimul tranſparens eſt, hinc eo nunc in præſervatione tot corporum merito utimur.

Sic etiam *ſalia pleraque putredini reſiſtunt*, quod & calorem aliquo modo abſorbeant, aut frigus augeant, ſed maxime quod vermibus compluribus ſint ſummopere adverſa. Hoc enim & ſal commune & nitrum & alumen & vitriolum, imo ſal illud medium, vegetabilis cujuſdam, nempe ſaccharum præſtat, hinc iiſdem varia condiri, & a putredine conſervari poſſunt atque ſolent, ut in carnibus & piſcibus muria conditis id maxime ſit ſpectandum.

Incredibile fere dictu eſt, quantum inſecta infinitæ copiæ & parvitatis ad putredinem & reſolutionem plurimorum corporum conferant, a quibus ne viva quidem corpora ſunt immunia. Hinc etiam cervi caloris æſtivi tempore ſilvas æſtumque ibi incluſum relinquunt, & montes perſpirabiles adeunt, ne tabani in tergis ipſorum perfodiendo aculeis ſuis, imo in ipſis faucibus ovula deponant, ex his enim excluſa animalcula cutim pervadunt, ut eorum terga æſtatis tempore prorſus perforata & nullius pretii ſint, quod mali ſæpius quoque armentis ibidem paſcentibus accidit, ut ex eorum corporibus vivis cadavera ſemiputrida & vermibus ſcatentia fiant, qui poſtea vermes in vulvis vaccarum ſæpe calce viva extingui ſolent; hinc etiam Deus plurimis animalibus caudas dedit, quo inſecta abigant, quibus tamen cervi deſtituuntur, hinc ut tanta patiantur, neceſſe eſt. His itaque perſpectis nemini mirum eſſe debet, ſi etiam in noſtris corporibus, ſine tamen eorum ultima reſolutione & majores vermes ac lumbrici, & minutiſſima animalcula naſci, & ibidem diutius in rebus putreſcentibus manere poſſint, quos ingratos hoſpites ex noſtro corpore & amaris & aliis rebus quæ vermibus ingratæ, nec tamen corpori noxiæ ſunt abigimus; quo inprimis omnia olea empyreumatica, & oleum cedri, magis tamen ſuccus mori pertinet, quoniam hujus arboris ſuccus omnia animalcula arcet, & ſolos ſericos fovet atque alit.

Sic aquæ ſtagnantis putredo nullam plane aliam cauſam agnoſcit, niſi animalcula æſtivo calore copioſe ibidem excluſa, atque rurſus cum plurimis ſimul vegetabilibus corrupta. Hinc Deus & maribus præter validum ventorum motum etiam ingentem copiam ſalis dedit, quem plurima inſecta ferre nequeunt. Aquas vero dulces aut frigore aut ventis, aut deſcenſu, motuque continuo a putredine, maxime tamen ab excluſione inſectorum præſervat, pauciſſimam autem ſtagnantis aquæ copiam vermibus ad excluſionem & alimenta conceſſit, ejuſmodi ita aqua putrefacta & verminoſa hominum potui non convenit, omne enim cadaveroſum humanæ naturæ adverſum & noxium eſt.

Hæc, qui probe tenet atque perſpicit, non ſolum cognoſcit, quæ ad putredinem omnium celerrimam & perfectam producendam requiruntur, ſed etiam, quod majus eſt, quibus modis omnis balſamatio vel mumiſatio

ſatio, ut cum barbaris barbare loquar, hoc eſt omnis præſervatio a putredine & corruptione, perficiatur; quo enim plures cauſæ utrobique concurrunt, eo melius finis tanquam per media obtineri poteſt. Sic cadaver aliquod humanum aut naturaliter poteſt ſalibus abundare, aut in terra in vim aliquam nitri incidere, ut vel hoc ſolo conſervari poſſit: ſi vero reliqua nempe exſiccatio, perſpiratio, inunctio amaris &c. accedant, tunc omnibus numeris abſoluta conſervatio a putredine obtineri poteſt, quod cujuſvis proprio labori & ulteriori indagationi relinquo, unicum autem addendum opus eſſe exiſtimo, ſcilicet, quibus potiſſimum modis aqua, quam ſecum in maximis itineribus ferunt nautæ, & quæ corrupta hominibus & adverſa & noxia eſt, a putrefactione præſervari poſſit.

Naturalem totius oceani præſervationem, quem Deus muria quaſi replevit, ſuperius vidimus, ſed nimius ſalis uſus homini æque ac aqua putrefacta noxia eſſe deprehenditur. Motus & concitatio hic nihil valent, frigus, quo enecantur vermes, in regione calidiſſima vix inveniendum; itaque de aliis mediis & remediis eſt diſpiciendum. Primo ſumatur aqua, ſi fieri poteſt, frigidiſſima, imo ex nive vel glacie ſoluta, aut glacies eidem injiciatur æſtivo tempore, quo animalcula extinguantur, eadem probe percoletur, ut horum copia una cum ovulis arceatur, tunc vaſa probe obturentur operculis, quæ oleo terebinthinæ illita ſunt, quod inſecta pleraque abigit, ſic enim in lagenis vitreis, quorum collum longius eſt, aliquod guttæ olei olivarum idem fere præſtant & vina diutius præſervant. Tandem doliis injiciantur aliquot fruſta corticis mori, aut aliorum amarorum vegetabilium, ſic tamen, ne hominibus prorſus ingrata evadat, aut copia vegetabilium in alium motum, quem fermentationem dicimus, deducatur. Ejuſmodi equidem aqua clara reddi poteſt, ſi aliquot guttæ ſpiritus ſalis, vel etiam aquæ fortis inſtillentur, tunc enim mucus aliquis in fundum vaſorum decidit, qui nihil aliud eſt, niſi animalculorum his corroſivis enecatorum reliquiæ, aut exuviæ, aut cadavercula in putredinem reſoluta, hinc ea non amplius moventur & aquam turbant, ſed gravitatis legibus in fundum decidunt. Hæc vero ob acrimoniam nimiam non ſunt ſuadenda, quamvis ſpiritus ſalis, imo ipſius ſalis moderatus uſus non ſolum corporibus enecatis, ſed etiam vivis ſit utiliſſimus, tantum abeſt, ut noceat. Quinino plurimis rationibus moveor ut credam, febres adeo frequentes in Belgio, inter alias hanc maxime agnoſcere cauſam, quod homines præjudicio illo de evitando ſcorbuto inducti, ab hoc naturali & ſummo condimento, plus quam par eſt, abſtineant, atque ſic evitantes ſcyllam in charybdim incidant. Acrimonia enim & aciditas utraque moderata, ſunt maxima & ſcorbuti & omnis corruptionis remedia, utriſque enim putredo etiam a carnibus mortuorum animalium arcetur, imo ulcera oris ex ſcorbuto orta optime aceto cum ſale mixtis ſanantur, tantum abeſt, quod iterum iterum-

rumque moneo, ut noceant vel nocere poſſint. Sic etiam fuligo carnibus fumo duratis adhærens, nihil mali corpori humano noxii in ſe habet, ut potius ex eo remedia ſanguinis orgaſmum inhibentia parentur: ſic, ut omnino fundamento deſtituantur, qui his aliis primariam cauſam ſcorbuti attribuerunt. Sed hoc tamen ipſe quoque moneo, ut exceſſus eodem modo quo defectus nimius rerum humano corpori neceſſariarum, quanta fieri poteſt cura, ſemper & ubique evitetur.

Poſt aliqualem apologiam rerum innocuarum convenit, ut accuratius naturam remediorum, quæ in hoc morbo tanquan ſalutifera præſcripſimus, examinemus & perſcrutemur, ſcilicet & fermentationem & aciditatem, quibus ſe longe diutius quam animalium partes, a putredine & corruptione aut ultima reſolutione tuentur vegetabilia, imo quibus maxime vim medicamentoſam ſibi acquirunt, & quo nomine omnibus aliis, ſaltem in hoc morbo, ſunt præferenda,

Triplex autem eſt vegetabilium recentium ſtatus vel conſervatio, antequam in putredinem vel corruptionem abeant. His tamen non accenſeo exſiccationem variis modis peractam, quoniam in his & fermentatio & aciditas, quibus tamen maximum effectum tribuimus, ut plurimum inhibentur aut ſuſpenduntur; hinc eſt, quod nec eſſentias herbarum antiſcorbuticarum, experientia edoctus, quicquam commendare velim, omnis enim acrimonia & aciditas hic perit, & nihil niſi oleoſum, vel reſinoſum, vel ſalinum volatile, herbarum amararum & odorantium in ſpiritu vini extrahitur & conſervatur. Nulla igitur ratio eſt, cur credas, omnes omnium herbarum virtutes hoc menſtruo poſſe extrahi & concentrari, nam ſal omne fixum & acrimonia cum ſucco nutrimentoſo perit, & loco ejus, ſpiritus vini qui vehementius ſanguinem excitat, nobis propinari ſolet, non contemnendus in aliis morbis, dummodo hic exulet, & nobis vegetabilia recentia vel cum ſuccis ſuis ſolis conſervatis relinquat; his itaque remotis ad recenſionem triplicis conſervationis vegetabilium ſucculentorum accedimus.

Sunt autem vegetabilia, corpora mechanica, hoc eſt certa figura & vaſibus atque integumentis prædita, quibus ex terra, ope caloris, ſolida & liquida, ad ſui incrementum attrahunt, ac augentur, atque ſic aut fructibus, aut floribus, aut foliis, aut caule, aut demum radicibus nutrimentum, vel aliam utilitatem animalibus præſtant.

Ubi *mechanica* dico, nihil aliud intelligo, niſi quod figura & diſpoſitione partium ſic eſt artificioſe elaboratum, ut ad motum quendam perficiendum aptum reddatur. Hinc etiam in hominum mechanicis artificiis, ea opera hoc nomen inprimis merentur, per quæ inſignis & varius motus præſtari ſolet; ubi vero nihil niſi figura intenditur, ibi non adeo magnum artificium, hinc etiam ejuſmodi labores non tam mechanicæ artes, ſed potius ſellularia opificia dicuntur. Dei vero artificia in ſe qualibet maxima omnino ſunt, longe majora in animalibus, quæ va-

rios & miros motus quaſi libere peragunt, & nutrimenta ſibi conquirunt. In vegetabilibus vero etiam magna, quamvis hæc potius certo loco firmiter adnexa ſint, aut ſaltem in aquis circumnatent, ex quibus nutrimenta ſua attrahunt, qua de cauſa non opus habent ſenſibus, nihilominus tamen omnia, quæ ad ſui conſervationem pertinent in ſe habent, & mechanica ratione perficiunt.

Partes ex quibus plurima conſtant, ſunt *radix*, *caulis*, *folia*, *flores & fructus cum ſeminibus*, quamvis & vegetabile perfectum ſola ſaltem radice conſtare poſſit, ſicuti tubera, & ſicuti numero partium, ſic etiam figura & magnitudine harum partium ſunt maximopere diverſa, quæ omnia ex divina diſpoſitione & prima conſtitutione, hoc eſt creſcendi ratione vel φύσει pendent. Non ego hic botanices rationem habebo, ſed ea tantum, quæ ad nutrimenta & conſervationem pertinent, deſcribenda & notanda ſumſi, hinc plura alia omittens, his ſolus intentus ero.

Ea, quibus conſtant plantæ, & quibus nutriuntur, atque incrementum debitum acquirunt, ſunt *ſolida & fluida*. Duo ſunt ſolida quæ nutritionem eorum ingrediuntur, nempe *terra & ſal*, & duo fluida, *aqua & oleum*, quæ in plantis variis, varia copia & portione ſunt diſtributa. Non equidem ego prima omnium principia cum chymicis requiro & aſſero, alias ne quidem diſtinctionem in fluida & ſolida admiſiſſem, nam omnia ſunt ſolida; ſolius ignis diverſo calore in fluida convertenda. Sic etiam hæ quatuor res, nempe *terra & ſal & aqua & oleum*, male principiorum nomine inſigniuntur, nam & ſal & oleum ſunt in alia adhuc principia reſolvenda; ſcilicet violentiſſimo igne, adeo ut tandem proprie loquendo omnia ad unum principium materiæ, quod terram dicimus, reduci poſſint. Sed hoc ſolum nomine principia dici poſſent, quod ſibi propriam texturam & ſubſtantiam artificio divino compoſitam ſatis diu conſervent, ſic ut ex illis non tantum vegetabilia, ſed etiam animalia ſint conflata & elaborata, etiam interior vel firmior unio quoque ſæpius inter hæc quatuor principia contingit, ut ægre a ſe divellantur; hinc ſalia, quibus oleum tenacius adhæret, dicuntur volatilia, quod ignis ea citius tollat & evehat; ubi vero terreſtre illud ſali intimius & arctius adhæret, ut a calore ſatis intenſo non poſſit in auras vel in ſublime tolli, ſed quod ea relinquere inter reſidua cogatur, fixum ſal dicitur. Hoc magis in vegetabilium, illud vero magis in animalium mixtura & textura eſt reperiundum. Sic etiam tria, imo omnia quatuor, horum principiorum diverſa proportione ſatis arcte conjunguntur, quam ob cauſam varia & varia ſortiuutur nomina, ſæpius obſcura & magnifica.

Hæc principia quoque humanum corpus ingrediuntur, ex iis creſcit & augetur, atque omnibus certa proportione aſſumtis & ſelectis opus habet, quicquid vitii alias chymici & terræ damnatæ, capitis mortui nomine, & phlegmati inſipido, hoc eſt aquæ ex hypotheſi ſua tribuant.

Proportio vel diſtributio horum principiorum in vegetabilibus eſt diverſiſſi-

ſiſſima, imo in omnibus partibus ejuſdem vegetabilis eſt diverſa; nam caules & ligna plantarum & arborum plus terræ & ſalis & olei continent, in floribus vero aqua reliquis eſt copioſior, ſicuti in ſeminibus oleum communiter prævalet, reliquis tamen non prorſus excluſis, ut taceam eam proportionem quæ ex anni & temporis ratione maxime mutatur. Sic in reſpectu ad alimenta animalium, ſi vegetabilia conſideres, alia abundant terra & ſale, cujuſmodi ſunt omnia leguminoſa, piſa & fabæ; in aliis, cujuſmodi ſunt grana cerealia, inſignis quoque olei copia eſt addita, ſed humor vel aqua pauca; in aliis ſucculentis fructibus juſta eſt mixtio & terræ & ſalis & olei, aqua tamen ibidem eſt reliquis copioſior; ubi vero aqua copioſiſſima, ut reliqua longe ſuperet, ea vegetabilia inſipidorum nomine nobis veniunt. In præcedentibus enim ſal ſufficiens palatum afficit, hinc ſapida dicuntur, oleum vero cum aliqua parte ſalis emiſſum per exhalationes a calore cauſatas, naſum noſtrum ferit, hinc odor vegetabilium.

Si vero hæc omnia ratione durationis conſideres, vel quæ ſe diutius ab ultima reſolutione & putredine defendunt, hoc tenendum, quod plantæ inſipidæ, ubi copioſior eſt humor, omnium citius in putrefactionem ruant. Saporida & quidem ubi acrimonia ſalis oleum ſuperat, quod nos aciditatem dicimus, hoc ipſo diutius putredini reſiſtunt. Ubi juſta horum omnium mixtio, ut in fructibus ſaporoſis & dulcioribus, ibi adhuc diuturnior conſervatio, ſiquidem & per fermentationem & per aciditatem demum ad ultimam reſolutionem vel putrefactionem progrediuntur. Quæ vero aut ſiccitate, aut oleo copioſæ terræ admixto, cujuſmodi ſunt balſama, reſinæ, & gummata & quibus nonnihil ſalis ineſt, aut quæ etiam ſale abundant, ea vel a fermentatione, vel ab aciditate, vel a putredine diutiſſime immunia manent, quoniam his principiis, aut a nimio calore, aut ab injuriis aëris, aut ab inſectis ſe defendunt, ut alias cauſas putredinis taceam, quas ſuperius in putrefactione animalium ſatis ſuperque indicavi.

Male tamen faceret, qui corruptibllia quæquæ extra corpus humanum conſiderata, hoc ſolo nomine hominibus ad incorruptibilitatem vel vitæ longævitatem tanquam arcanum & ſpecificum aliquod vitale commendaret, ſicuti aliquis chymicorum fecit, qui eſſentiam cedri, hoc eſt reſinam hujus arboris dilutam, ſali ejus volatili conjunctam, qua & aquæ & aëri & vermibus vel teredinibus in monte libano frigidiſſimo, hoc eſt cauſis putrefactionis hæc arbor reſiſtit, fruſta ad longævam vitam commendavit. Hic enim corpus & nutrimenta noſtra probe conſideranda veniunt, antequam horum adplicationem facias, & ſic de remediis juſtis contra putrefactionem & corruptionem judicium ac ſententiam formes. Corpus noſtrum ad alimenta & augmentum ſuum requirit ſufficientem humiditatem & ſuccum, quibus ſolida quæquæ ubique diſtribuere, & locis convenientibus adplicare poteſt, alias enim nomine ſolius incorruptibilitatis & lapides & adamantes & alia duriſſima devoranda eſſent. Sed noſtra alimenta maxime diluta eſſe debent,

& pura aqua, natura ad potum urgente, ſunt diluenda, hinc ex vegetabilibus dura illa & exſiccata leguminoſa tantum liquore aqueo deficiunt quantum inſipida vegetabilia eo abundant; optimum nutrimentum vero præbent, ubi æqualis fere omnium eſt mixtura, quo nomine ſe fructus ſapore & ſucco pleno commendant; & poſt hos, ubi ſapor propter admixtum ſalem eſt acrior, quos ſubacidos & acidos vocamus, & tandem ea vegetabilia, quæ copioſo oleo & fragantia ſunt prædita. quamvis omnia hæc in diverſo hominum ſtatu ſuam utilitatem etiam medicinalem habeant, ut juſta & conſtituta mixtura omnium humorum corporis humani, præſertim maſſæ ſanguineæ, in quo omnia ſunt congregata, obtineatur, & pro uſu vitali omnis corruptionis inimico conſervetur. Hic tamen omnino monendum, quod ſal in animalibus ſit magis aut prorſus volatile, ſed in plantis magis fixum, cujus ope in aciditatem & longiorem conſervationem poſt fermentationem tranſeunt, dum animalium partes poſt aliqualem inflationem, fermentationis æmulam, emiſſis per fætorem ſalibus oleoſis vel volatilibus, ſine omni aciditate atque diuturniori conſervatione ad ſtatum corruptionis vel ultimæ reſolutionis ruant. Itaque & hoc nomine vegetabilia hominibus ad alimenta ſaniora magis, aut ſaltem in majori copia, quam animalium partes, ſunt commendanda, ubi & acrimonia, tum pure ſalina, tum acida, ſæpius inſignia medicamenta præſtant, tantum abeſt, ut corruptionis principium & cauſa in humano corpore dici poſſint. Quod poſt explicatam fermentationem & aceſcentiam vegetabilium pluribus demonſtrabimus.

Herbæ ſucculentæ atque fructus ſunt corpora & integumentis & vaſculis prædita, quæ liquore illo mixto ſunt repletæ. Horum itaque integumentorum & vaſorum firmitate, ſuccus ſatis diu a corruptione præſervatur; hæc enim, ſi inſigniter poſt maturationem lædantur, mox in putredinem abeunt illa loca læſa, & per calorem ibi excitatum longius ſerpit hæc gangræna, atque ejuſmodi fructum totum pervadit, imo alios contiguos inficit. Si vero fructus maturus illæſus ſervetur, tunc ſuccus illius aliquem motum & mutationem ſubit, quibus ſapor blandior excitatur, fermentationi mox deſcribendæ per omnia ſimilem; tandem vero fere circa tempus, ubi ejuſmodi fructus progignuntur, in putrefactionem abeunt, quæ tamen per cauſas ſupradictas aut diu evitari, aut accelerari poteſt.

Si itaque ſucci fructuum ſaporoſorum dulcium exprimuntur, vel etiam ex granis & aliis vegetabilibus excoquuntur, & ſibi permittuntur, ac blando calore foventur, tunc aer omnibus particulis incluſus, atque moderato calore expanſus, omnem adhuc reliquam compagem veſicularum & vaſculorum in ſucco circumnatantium, & dulcedinis ſaporem augentium, ſolvit, eodem modo ac ſupra de putrefactione diximus. Dum itaque aer has veſiculas expandit, ex legibus hydroſtaticis aſcendunt, ubi vero ruptæ ſunt, illæ membranulæ graviores factæ rurſus decidunt, hinc motus ſpumoſus, quo copia liquoris tam magnopere augetur, ut etiam vaſa exce-

ce-

cedat, ſimulque hoc motu, quo alia aſcendunt & alia deſcendunt calor augetur. Hæc duo conjunctim ſumta efferveſcentiam dicimus, etiam in ſalium ſolutorum mixtione, & in nonnullis metallicis ſolutionibus maxime couſpicuam, ſed aliquo tamen modo diverſam. Ubi deferbuit ſuccus, ſcilicet, ubi maximam partem illa vaſcula rupta ſunt, hic motus per ſatis longum tempus equidem continuat, & quamvis ſit longe blandior, ima tamen ſummis commiſcet, & ſi neque per frigus, neque per alia impedimenta artificialia inhibetur, tam diu continuat, donec omnia & vel minima vaſcula ruperit, quæ fæcium nomine decidunt.

Succus vero ille defæcatus vel probe fermentatus dicitur; tunc enim ejecto copioſiori aere, qui tam in efferveſcentia, quam poſtea in fermentatione maximam copiam olei & ſalis volatilis abripit, principia illa ſaltem vaſculis liberantur, manent tamen adhuc intimius mixta, quamvis poſthæc citius arte a ſe invicem ſeparari, & ſalino oleoſa cum aliquo liquore diluta, ſpiritus nomine induci poſſint, quod ante fermentationem minus bene ſuccedit, quam ubi jam facta eſt ſeparatio, & nonnulla ſummopere volatilia cum aere in auras abierunt. Quo tardius illa fermentatio ſuccedit, vel etiam vaſa & dolia non tam late patent, eo plus illarum rerum volatilium vel ſalino oleoſorum in potu conſervantur, vel tanto fortior redditur potus, cum etiam exhalationes ipſæ in efferveſcentia in locis clauſis ſenſus ibi commorantium obfuſcare, & ſoporem ethalem inducere valeant; hoc enim ſæpius experiuntur ii qui his rebus aut conficiendis aut conſervandis operam dant. Sed quoniam hic ſalia plura fixa ſunt, hinc non tantus aut nullus ſane fætor, neque tam ſubitanea corruptio aut putrefactio, ſed potius correctio & longior conſervatio. Et quamvis fermentatio ſit cum putredine fere ſimillima agitatio & reſolutio, in hoc tamen differt, quod non ſit ultima reſolutio, vel liquoris illius totalis corruptio.

Hanc itaque mutationem ſuccorum ex vegetabilibus ſaporoſis expreſſorum, vel excoctorum, excipit aceſcentia: nam ſi fermentatus ille ac defæcatus potus negligentius aſſervatur, aut calori rurſus exponitur, præſertim, ut liberiori aëri pateat aditus, tunc alius oritur motus & incaleſcentia, qua plurimæ particulæ olei & ſalis volatilis abiguntur, ſic ut tantum ſalia fixa prædominent, quæ nobis alium ſenſum in lingua moleſtiorem equidem; ſed gratum, imo magis deſiderabilem in calore & æſtu ejuſmodi morbis præbent; & ſicuti vermes & inſecta oleum illud cum ſale volatili in fermentatione ſuperſtes minus ferre poterant, ſic nunc inſectorum quoddam genus ad acetum copioſo agmine advolat, & totum quaſi replet, quoniam nunc gratum ibi nutrimentum invenit. Quo plus vero potus fermentatus antea ſpirituum continuerat, eo fortius quoque acetum inde conficitur, quo minus vero continebat, ſed aquæ & phlegmatis plus, eo minorem aciditatem conſequitur, imo eo citius in vappam abit, hoc eſt ultimam reſolutionem & putrefactionem experitur, hinc

illæ herbæ inſipidæ, aut eorum ſucci parum fermentant, parumque aceſcunt, ſed omnium prius in putrefactionem abeunt.

Dantur vero herbæ, quæ aciditatem jam maturæ poſſident, & quibus natura minus olei atque dulcedinis per calorem & maturitatem conciliavit, quam fructibus aliis initio ſummopere acidis, ſolis calor excoquendo, hoc eſt abigendo humores copioſos, & attrahendo pinguedinem terræ indidit, hinc eæ quoque herbæ, & eorum ſucci ſine propria fermentatione in acetum convertuntur, eandemque aciditatem quoque & herbæ inſipidæ aſſequuntur, ſi copioſo ſale aſperguntur, & oneribus ſuccus illis aliquo modo exprimitur, vel ſi ſaltem his oneribus cohibentur, ut ſal ea penetrare & poſt motum non fermentationis ſed aceſcentiæ, ut ita loquar, ea in ſtatum acidorum ſicuti priora deducere poſſit.

In hoc itaque ſtatu omnia vegetabilia & eorum ſucci putrefactionem vel ultimam reſolutionem expectant, Cave autem, ut acida & acetum jam nomine corruptorum oneres, eiſque maculam aſpergas, tunc enim ſummum medicamentum facta ſunt, non ſolum in noſtro morbo, hoc eſt ſcorbuto, ſed etiam in plurimis aliis, ubi ex calore nimio non ſolum æſtus febrilis in corpore humano, ſed etiam inflammatio, imo aliqualis putrefactio, quam malignitatem medici vocant, oborta ſunt; dummodo non ſumma ſit corruptio partium nobilorum, quibus ſtructura & compages & vita, hoc eſt aptitudo ad motus neceſſarios, minime ſubſiſtere poteſt. Imo quid eſt ſcorbutus noſter, niſi inquinatio & aliqualis putrefactio ſanguinis, & corruptio plurium partium exteriorum & interiorum, quæ ſolis acidis blandis & fortioribus interne & externe corriguntur. Sic natura ipſa docet, quod poſt crapulam, aut copioſum potum ſpirituoſorum liquorum, quæ ſanguini æſtum & quaſi efferveſcentiam conciliant nihil magis quam acida ebrioſi appetunt. Sic in febribus plurimis ægroti ignorantibus & diſuadentibus medicis, naturæ inſtinctu acida deſiderant, commedunt & eorum virtute febri finem imponunt. Sic ego, rationibus ſufficientibus adductus, febrem ardentem ſæpius unico malo citrio ſuſtuli; ſic in gangrænoſa fere inflammatione cum ſumma utilitate acidiora propinavi; ſic aliquem a vipera morſum, cui jam venter a veneno intumeſcere ceperat, aceto exhibito, ſimulque inciſione vulnuſculorum a dentibus pertuſorum, præſentaneo quaſi effectu, a morte liberavi. Hinc illi, qui acidi vegetabilis virtutem, aut ignoram aut damnant, egregio ſe medicamento privant, ſaltem nihil quicquam in noſtro morbo præſtare poterunt. Sed hoc etiam ubique eſt inculcandum, quod omne nimium vertatur in vitium; nam juſta & conveniens debet eſſe principiorum in corpore humano mixtura, quam noſſe, & reſarcire poſſe, prudentis eſt medici. Neque hoc omittendum, quod carnes & partes animalium aceto aſperſæ, aut aceto conditæ, eodem modo ac a ſale diutius conſerventur. Carnes vero cum aceto coctæ citius in gelatinam abeunt, quam conſiſtentiam ſanguis noſter refrigeratus, & lac acidum, vel coagulatum repræſentat. Ut alia ta-

taceam, quæ ex aciditate ad concoctionem promovendam, & nutrimenta hominum in corpore rite præparanda, elicere poſſem argumenta, niſi hanc rem & ſuperius ex effectu, vel a poſteriori, hic vero ex principiis, vel a priori, ſatis ſuperque demonſtraverim.

Poſt igitur ſtatum aciditatis, vegetabilia & ſucci eorum in putredinem, vel ultimam reſolutionem abeunt, tunc enim maxima copia olei, ſaliſque volatilis ſenſim abit, & reliquum adhuc cum ſalibus in mucum mutatur, a quo phlegma, vel aqua inſipida nunc ſe ſeparat, ut nullius fere uſus eſſe videatur, ſed quod & ſalia volatilia cum oleis jam avolaverint, aut non tam copioſe adfuerint, hinc etiam non tantum fætorem quam animalia in ſua putrefactione ſpirare poſſunt vegetabilia corrupta, ingratus tamen hominibus odor eorum eſt.

Longe alia vero eſt putrefactio, ſi excrementa animalium cum vegetabilibus mixta fuerint, uti in fimo videndum eſt; ibi enim & ingratior odor, & calor, & ejectis volatilibus terra ſubtilior ſuperſtes.

Eſt adhuc alia corruptio vel ultima reſolutio vegetabilium, ſcilicet, ubi vegetabilia, ejecto maximam partem humido, copioſa pinguedine, aut oleo, aut reſina abundant, ſale tamen & terra quoque ſuperſtitibus; tunc enim igne ſubjecto accenduntur, quo non ſolum reliqua aqua, ſed etiam maxima pars olei ejicitur & abigitur, ſic ut & oleo ignis nihil niſi ſal aliquali pinguedine injunctum, atque terra cinerum nomine relinquatur. Hoc autem ſal fixum Chymici dicunt, & quod herbæ Kali, magis ſale communi, quam nitro, aut ſale medio refertæ, hujus inſignem copiam præbeant, hinc omnia ejuſmodi ſalia alcalia dicta fuere. Imo omnia ſalia a Chymicis in duas claſſes, nempe acidorum & alcalinorum ſunt diſpoſita, quæ perpetua inimicitia contendere dicuntur, ut aliud ab alio deſtruatur, & quod morbum noſtrum acidis expugnari viderent, hinc alcalinum dixerunt: verum quod ipſi cum acido vegetabilium perpetuam quoque inimicitiam gerunt hinc acidum ſuum acerrimum metallicum ſubſtituerunt, ſed quo ſucceſſu id fiat, mox erit examinandum.

Jam itaque ad medicamenta ex regno ſubterraneo, vel ex foſſilibus deprompta progredimur. Primum, quod nobis occurrit, eſt nitrum. Quoniam vero id copioſe plantis eſt admixtum, & ad fertilitatem plurimum confert, hinc non eſt laude ſua in hoc morbo deprivandum, ſed majorem utilitatem præſtat, ſi in & cum plantis adſumatur, quoniam ibi & alia hominibus maxime neceſſaria concurrunt, quæ ſoli nitro minime in hoc morbo tribui poterunt.

Succedit ſal ſive marinum, quod aliquam amaritudinem a pinguedine terreſtri aliquali oriundam, habet adjunctam, ſive foſſile illud, ſive ex fontibus & aquis ſalſis excoctum. Huic fere omnem hujus morbi culpam tribuerunt, & propter pinguedinem in muria admixtam, in alcali perniciosum mutari, ex hypotheſi crediderunt nonnulli medicorum, præſertim chymicorum; Sed ſine ſale nulla mixtura principiorum neque in ani-

ma-

malibus, neque in vegetabilibus fieri poſſet. Terra equidem facilius & cum ſale & cum oleo conjungitur, ſic etiam aqua cum ſale facillime unionem init, magis tamen cum illo ſale, cujus compages per intenſiſſimum ignem eſt ſoluta, & admixtione oleoſi ejus concretio firmior, quam cryſtalliſationem ſalium acidorum vocant, impedita, qua cum ſalibus magis cohærentibus, quam ob rem ſalia alcalia humores ex aëre, neſcio quo magnetiſmo, attrahere dicuntur. Sed aqua cum oleoſis nullo alio modo, niſi ſalis commixtione conjungi & miſceri poteſt. Primo enim ſal illud igne ſolutum, vel alcali cum oleoſis optime conjungitur, & ſaponem conſtituit, tunc aqua purior, hæc duo conjuncta, ſine omni renitentia intrat, ex quibus gelatinoſum quoque confici poteſt, quod in corpore animali eſt maximæ utilitatis & neceſſitatis. Nam ſine ſale ſufficienti nulla principiorum in corpore animali commixtio aut concoctio; hinc etiam & ſaliva imo bilis omnino ſunt ſaponaceæ naturæ, qua de cauſa etiam non ſine ratione hic in belgio plures quam alibi febres progigni credo, ſcilicet quod ex formidine ſcorbuti ſalis ſufficientis uſum homines evitent, atque ſic concoctionem vel mixtionem debitam impediant, quam natura impetuoſiori ſuo motu febrili ſupplere conatur. Quod ſi & his acida, in quibus ſal copioſum eſt, a medicis hæc ignorantibus diſſuadeantur, qualis quæſo eſſe poteſt uſus illorum medicamentorum inſulſorum antifebrilium, cujuſmodi eſt cortex chinæ, quibus equidem motus inhibetur, ſed cauſa mali non corrigitur aut tollitur, ut potius in alios morbos putridos & hydropem, motus ille febrilis auxiliatrix, imo in ultimam corruptionem machinæ noſtræ, hoc eſt in mortem mutetur.

Facillimum hic foret pugnam illam horrendam alcalinorum & acidorum ex legibus motuum hydroſtaticorum explicare, imo aliam pugnam excitare, quodnam in efferveſcentia calcis vivæ cum aqua, aut alcali aut acidum conſtituat, imo eandem efferveſcentiam, vel ebullitionem metallorum, cum menſtruis ſolvendorum, luci exponere, ſed cum hujus loci non ſint, illas lubentes hic prætermittimus, & potius ad examen medicamentorum ſubterraneorum, in noſtro morbo laudatorum, progredimur.

Non tria, antiquis ficta: *ſal ſulphur*, *& mercurius*, ſed duo tantum, nempe *ſulphur & arſenicum*, ſunt omnis mineraliſationis vera principia, aut ſi mavis ſumma volatilia, quæ omnem minerarum mixtionem cum terrea fundamentali ſubſtantia ingrediuntur, ſi non prorſus perficiunt, horum ope illa terra ex imis globi noſtri lapidei penetralibus, per ejuſdem fiſſuras & poros fumorum & exhalationis ſpecie evehitur, atque in venis metallicis vario modo figurata reponitur, ex quibus hæ mineræ depromptæ, & dum torrendo & urendo maxima pars arſenici aut ſulphuris rurſus abigitur, metalla tenacia aut liquida ſaltem prodeunt; quorum vero minor eſt tenacitas, illa ſemimetallorum nomine veniunt. Mineræ vero quæ nullum metallum ſibi excoqui patiuntur, rigidarum,

quæ

quæ vero copioſiſſimo arſenico aut ſulphure metalla in auras dimittunt, rapacium nomine inſigniuntur. Sunt autem & ſulphur & arſenicum rapaciſſima, utpote quæ metalli foſſoribus non ſolum metalla ſed etiam vitam rapiunt, ſi fumi ſpecie, ſive extra terram ab igne ſublata, ſive intra terram exhalationis & fumi metallici nomine miſeris occurrant, atque cum aëre in pulmones attrahantur. Hinc credula antiquitas homunculos & pygmæos ſubterraneos cobaltorum nomine finxit, cum cobaltum ſit minera vera arſenicalis, aut arſenico refertiſſima, ex qua cæruleus figulorum & lavatricum color conficitur; aut purum putum arſenicum, quod aliquali reſolutione in terræ viſceribus commotum & ſublimatum, ſæpius metalli foſſores involvit & ſubito ſtrangulat, qui vero inde evadunt, ob ſummam anxietatem, & ideas animis a puero impreſſas, phantaſmata ſe opprimentia vidiſſe ſibi videntur.

Eſt autem ſulphur oleoſæ naturæ, quoniam cum omnibus oleis aliis ſolvitur; male faciunt, qui omnia olea ſulphur dicunt, quoniam oleum hoc terreſtre cum acerrimo vitriolo conjunctum, demum ſulphur conſtituat, hinc etiam in conflagratione acerrimum fumum vel exhalationem emittit, qui ſpiritus ſulphuris nomine capi & conſervari ſolet. Sulphur vero illud commune ex ſubflavida minera, quæ pyrites dicitur ope ignis quaſi per retortam extrahitur. Si vero illa minera libero aëri exponitur, ut incaleſcat & fatiſcat, quo acidum illud ſulphureum, vel oleoſum, in auras abeat; tunc ope ſolutionis in aqua, quam elixivationem dicunt, omne ſalinum ex reſiduo extrahitur, atque coctione ſimplici in vitriolum mutatur, quod more conſueto refrigeratum, in cryſtallos concreſcit, propria figura præditas. Quod ſi vero ope ignis fortioris ex pyrite omne ſulphur extrahatur, tunc ex reſiduo capite mortuo nullum vitriolum confici poteſt. Vitriolum adhuc eximiam partem, aut ferri, aut cupri, in pyrite reperiundi admixtam habet, quæ metalla, ſi intenſiſſimo igne vitriolo omnis ſpiritus & oleum ſubtrahatur, ſæpius dura relinquuntur. Sulphur vero etiam cuprum, vel tincturam aliquam continet, quam tamen aviculam ob ſummam volatilitatem rariſſime capere poſſunt auri aucupes, per ignem philoſophi, qui & ſuum proprium ſulphur habent, & quibus vitriolum, atque oleum ejus; omnia & nihil ſunt.

Quod vero uſum medicinalem attinet, ſulphur egregium eſt medicamentum, ſi ab omni arſenicali commercio ſit liberatum, quod ut plurimum ex ejus pallido colore cognoſcitur: quo vero magis ad aurantiorum colorem accedit, eo magis eſt arſenico inquinatum, quamvis & tum pictoribus gratum auripigmenti colorem exhibeat. Hæc mixtura ſæpius ex terra effoditur, in qua etiam purum ſulphur a pyritis reliquiis liberatum & ſolius naturæ igne extractum, ſulphuris virginei nomine invenitur, ut alias ejus formas & mutationes taceam. Hoc itaque & aciditate præſtat inſigni & ſimul oleo abundat, hinc in morbis a nimio calore oriundis inſignem uſum præſtat, ſic etiam volatilitate ſua ſudores excitat, & corruptionem ſcabi-

oſam corrigit, & alia plura efficit. Quoniam vero in noſtro morbo ſimul & humor copioſus, & aciditas non ſumma, ſed minor, quæ in fructibus ſubacidis eſt, omnino requiritur, hinc non poſſum non illius uſum hic diſſuadere. Vitriolum vero purum, hoc eſt ſal illud metallicum acerrimum, omni fere oleo ſulphuris orbatum, vel etiam ejus ſpiritum & oleum hic multo minus adhiberi velim, niſi alibi, ubi ſola ſalſiſſima aciditas in corpore humano deficit, tunc enim nimis ſolutus ſanguis cito gelatinoſus reddi poteſt, ſed caute hic, & lente ut in aliis pleriſque eſt procedendum.

Alumen equidem etiam ex vegetabilibus intra terram ſepultis, ſimulque ex ſale inſignem contraxit aciditatem, vel potius acerbitatem, quam præcipitatio ejus cum urina auxit. Sed quoniam maximam vim terræ adjunctam habet, hinc potius externo uſui cauſtico & ſtyptico quam interno videtur eſſe adhibendum.

Salibus non tam terreſtribus quam vegetabilium eſt annumerandus tartarus, vel etiam cremor & ſal tartari, quod ob aciditatem blandam nullo modo eſt diſſuadendum, qamvis hic commixtionem cum acido vitrioli potius evitandam eſſe cenſeam.

Ferrum, cum ejus croco equidem ſatis innocuum eſt, ſi ex mineris arſenico deſtitutis fuerit conflatum; eſt tamen ut plurimum merum abſorbens terreſtre, hinc in noſtro morbo nihil omnino efficere poteſt. Si vero artificioſe in vitriolum mutatur, tunc eandem cum vitriolo fere naturam & uſum habet.

Supereſt mercurius, chirurgorum ſacra anchora, ad noſtrum morbum ſine neceſſitate & ratione a pluribus maximopere commendatus, quamobrem paulo penitius ejus natura erit hic examinanda.

Eſt primo ejus minera ob ſolum ſulphur ſine arſenico adjuncto ſatis innoxia, quæ cinnabaris nativa dicitur. Cinnabaris vero factitia inverſa actione ex mercurio & adjecto ſulphure, quod antea ignis abegerat, rurſus ſublimatione conficitur, eundem prorſus uſum cum nativa præſtat, quicquid alias nativæ, ob admixtum ſolum ſilicem laudis a nonnullis præ factitia tribui ſoleat. Quo vero nomine antiſpaſmodici titulum obtinuerit neſcio, quoniam corpus noſtrum difficilius ſulphur ejus conjunctum ſolvere poteſt, quod tamen a ferro avidius abſorbetur, tunc enim & fumo & aliis modis adhibita, eundem cum mercurio uſum præſtat, niſi quod jucundiſſimo ruberrimo colore alios pulveres terreſtres & ſalinos tingere ſoleat.

Mercurius vero in magna doſi nudus & crudus adhibitus, ob ſummam gravitatem inteſtina cito permeat, atque hoc modo alvum movere ſolet, hinc in obſtinatiſſima conſtipatione & miſerere mei etiam porrigitur. Si vero ſalibus commiſcetur, aut cum iiſdem in corpore noſtro obviis conjungitur, tunc fit ſummum reſolvens, imo corroſivum, aut ſi verum fatendum eſt, arſenicalem naturam adſciſcit. Titulus enim mer-

mercurii dulcis nihilum quidem ejus corroſivitatem imminuit. Qua de cauſa non ſolum vermes in corpore humano, ſed etiam ſi incautius ſuerit adhibitus, homines ipſos enecat. Si vero omnia bene ceſſerint, ſua ſumma ſalina corroſivitate omnia corporum olea vel pinguedinem ſolvit, atque ſic illa in ſaponaceum mucum ſalivæ æmulum, & per eoſdem ductus ſalivales, ſalivationis tædioſæ & periculoſæ nomine educit, atque morbum ex corruptione oleoſorum oriundum omnino ſanat. Non vero opus eſt, ut eum ſalibus extra corpus copules, nam reſinis mixtus & diſtributus, vel oleorum ope corpori illinitus, atque ſic in corpus humanum aſſumtus vel ingeſtus, per ſalia ibidem reperiunda, fit omnino corroſivus, aut ſummum reſolvens, & eundem cum illo ſic dicto mercurio dulci effectum præſtat. Quoniam vero in noſtro morbo hæc reſolutio minime requiritur, hinc non ſolum inutilis, ſed aucta reſolutione corroſiva omnino noxius. Quod ſi vero morbus ex ſcorbuto & lue venerea fuerit complicatus, tunc primo a ſcorbutica corruptione corpus eſſet liberandum, & demum illa lues venerea primo lenioribus & poſthæc mercurialibus remediis exterminanda. Quæ vero cautelæ in uſu mercurii ſint adhibendæ, non eſt hujus loci, ubi nobis cum ſolo ſcorbuto res eſt, ex cujus remediis mercurius ille, ſive dulcis, ſive corroſivus, omnino erat eliminandus.

Quoniam arſenici facta eſt mentio, hinc etiam, quæ ſit ejus natura, & ubi ſit reperiundum, pluribus explicare opus eſſe videtur. Eſt equidem ſalinæ naturæ arſenicum, ſed nonniſi ab aqua ebulliente tardius ſolvitur, & quoniam in terra fere nullibi non eſt reperiendum, hinc laudanda eſt divina benignitas, quod aqua frigida id minus ſolvat, alias longe plures haberemus venenatos fontes, ut ſunt in Hungaria, quamvis protinus lapidibus aut obruantur aut obſtruantur, aut etiam ſtygias aquas, in Græcia poëtarum fabulis claras. Sed ſummopere monendi ſunt omnes chymiatri, aut medici metallurgici, ut in quibuſvis foſſilibus ſemper arſenici ſuſpicionem & rationem habeant. Notiſſimum enim eſt, quod & cornu foſſile, aut creta, & alia in uſum medicum ex terra protracta copioſo abundaverint arſenico. Sic ego graviſſimis rationibus inducor, ut credam, plicam polonicam illam ſæpius lethalem huic ſoli adſcribendam eſſe, quod copioſo ſali foſſili polonico, ſine ulla præcautione cum ſordibus terreſtribus adhibito, inſignis quoque portio arſenici ſit admixta. Hoc vero paucis notum eſſe poteſt, quod pleraque metalla loco mercurii illius, quem chymici ſuum dicunt, arſenicum adhuc copioſum contineant; imo quod ſalibus additis illud reſuſcitetur omnino & revivificetur. Ab hac enim corroſione, aut ſi mavis reſolutione, & mercurii ſalivatio cum ſumma nauſea; in antimonio ſalibus abundante eadem nauſea cum vomitu, ſi vero ſalibus magnam partem liberatum fuerit, ſaltem diaphoreſis; in cupro quoque nauſea & vomitus

& anxietas ſumma, imo etiam ſalivatio; in plumbo aceti ope reſoluto, ſapor equidem dulcis, ſed maxima interior corroſio, ex qua tabes lentiſſima; ejuſdem quoque efficaciæ eſt ſtannum, imo argentum, quod per ſalia ſummopere fit corroſivum, magis externo quam interno uſui dicandum, ne auro quidem fulminante excepto, quod in conciſa doſi exhibitum, ſicuti & antimonium & pleraque horum diaphoreſin, vel reſolutionem leniorem per ſudores promovet. Salibus vero copioſis copulata, corroſiva maxima, & quaſi arſenicum fiunt, quo etiam ſal martis alias innocui pertinet.

Eſt autem arſenicum reſpectu ad corpus hominum habito, ſummum reſolvens, vel corroſivum imo ſummum venenum, ſummæ equidem efficaciæ, quo nomine & febrem quartanam reſolvendo abigit, ſed ejus loco tabem lentam inducit, quamvis pauciſſimis granis fuerit exhibitum, ſic ut fere dilui non queat, aut ſic præparari, ut nulla inde noxa corpori humano ſit pertimeſcenda: nam quamvis pinguibus rebus poſſit involvi, metus tamen eſt, ne reſuſcitetur, aut tandem poſt ichorem copioſum virus in corpore ægroto invaleſcat. Hinc omnia medicamenta ex foſſilibus aut metallis præparata, imo ipſæ tincturæ ſolares, quæ omnia pervadere dicuntur, qua virtute forſitan ob ſuam corroſivitatem pollent, cautiſſime ſunt adhibendæ, in noſtro vero morbo penitus & prorſus evitanda & fugienda, ne amplius reſolvant & diſſolvant atque corruptionem augeant & mortem accelerent.

Hæc equidem chymiatris minime grata erunt, quod mercuriale illorum tandem in arſenicum mutaverim, ſed vera ſunt, & ex ipſa metallorum intima natura & conſtitutione deprompta. Ea quidem non didici in ipſorum laboratoriis & obſcuriſſimis libris, ubi ut plurimum auri ſacra fames ipſos obcæcat, ut vocabulis magnificis & obſcuris ſua myſteria, quæ ipſimet ignorant, deſcribant & ſic ſe ipſos atque alios ſeducant; ſed in ipſa naturæ officina ſubterranea & diligenti cuniculorum perreptatione, conſideratione & examine rerum ibidem inveniendarum, ſimulque in uſtrinis prope furnos metalleuticorum, ubi tanta ſulphuris & arſenici, tum torrendo, quam fundendo abigitur copia, ut etiam cæcus homo utriuſque fumum ſaltem odore cognoſcere & diſtinguere poſſit. Ibi ſane ſine labore cernitur, & odore percipitur, quod ſulphur eorum inflammabile vel vigeſies ignem tranſeat, & quaſi fixum metallis adhuc inſit, ibi forſitan ex arſenico ſumme volatili & penetrante maximam utilitatem in tranſmutandis metallis diſcere poſſent. Sed hæc nihil ad me, dummodo morbum hic noſtrum nullis ejuſmodi fortiſſimis metallicis tentent remediis; ſed ſola galenica vel vegetabilia ſubacida & accida hic inculpata medicamenta nobis relinquant.

Plu-

Plura equidem de his philoſophari, aut in vires medicamentorum inquirere poſſemus, ſed ea aliis temporibus & tractatibus reſervamus. Sufficit, quod ſuperius magis ex obſervationibus & experientia indolem & curam ſcorbuti indicavimus. Hæc autem maxime in utilitatem earum gentium ſcripſimus, quæ longiſſimis & diuturnis navigationibus oceanum ad fines terræ permeare ſolent. Quod ſi eis hic exiguus labor meus gratus atque acceptus aliquo modo fuerit, erit hoc mihi incitamento, ut longe utiliora phyſica & mechanica, quibus vita complurium millium nautarum conſervari, & navigationes longe tutius peragi poterunt, aliquando publici juris faciam.

Cum vero nihil omnino ſit, quod ab erroribus immunitatem habeat, hinc ea quoque, quæ hic ſcripſi, judicio prudentum & expertorum medicorum permitto, ab his ſi alia edoctus fuero, non ſolum iis gratias agam, ſed meam quoque ſententiam lubentiſſime revocabo, cum mihi nihil magis curæ cordique ſit, quam, per omnia ſibi conſtans & ſalutifera veritas.

F I N I S



CXCVI.

J. GEORGII HENRICI KRAMER

DISPUT. EPISTOLICA

DE SCORBUTO,

AD CHRISTOPH. JAC. TREW.

Norimberg 1737.

VIR NOBILISSIME, EXPERIENTISSIME ATQUE EXCELLENTISSIME.

IN publicum teſtimonium grati mei propenſique in *Te* animi, pro contracta inter nos amicitia perpetua, præcipue vero in ejus teſtificationem publice abs *Te* mihi adſcripta doctiſſima epiſtola de *differentiis quibuſdam inter hominem natum & naſcendum intercedentibus*, refero *Tibi*, præter debitas gratias, *Tractatum de Scorbuto*, inter medicos tam ignoto, quam eſt vena illa Mœdinenſis: quem ſpero *Tibi* æque gratum futurum, ac cupide illum amici plurimi ſæpius a me petierunt, ne ſcilicet morte mea interiret; quum ſchediaſmata illa ab incluta facultate medica Viennenſi typis exſcripta tam pauca ſint, ut ad manus exterorum pervenire necdum potuerint, mihi autem morbus iſte plurimo labore & ſudore, præ plurimis aliis, conſtiterit, longeque aliter a me deſcribatur, quam a medicis anteceſſoribus, aliiſque auctoribus claſſicis, ſaporoſis & acidiſtis hodiernis, hucuſque deſcriptus eſt, ideoque etiam alia lux, quantulacunque demum ſit, bono publico per eundem præberi poſſit. Ut autem tractatum hunc ordine aggrediar, ante omnia 1. *conſilium meum de ſcorbuto inter militem Cæſareum* 1720. *in Dacia Ripenſi graſſato ad Inclutam Facultatem medicam datum*, deinde vero 2. *ejuſdem amiciſſime mihi ad id datum reſponſum repeto*, & 3. quum hæc valde ſuccincta ſint, majoris dilucidationis ergo *novas experientias de ſcorbuto tam Viennæ, quam in aliis regionibus, a me obſervatas* ſubjungo, ut rem *Tibi* & Reipublicæ medicæ gratiorem redderem, quæ omnia ut benigne ſuſcipias, enixe rogo. Vale & me amare perge. Dabam Viennæ Auſtriæ menſe Decembri, A. C. 1736.

CASUS.

Morbi hic enormiter graſſantis ſigna & ſymptomata, quæ apud Plinium ſtomachaces aut ſcelotyrbes nomine deſcripta ſunt, quo milites Romani olim in Belgiæ maritimis ſubito correpti fuerunt, hic non exſcribam, uti etiam neque illa, quæ apud Lucretium l. 6. extare dicuntur, de ſtrage illa horrenda, qua infelices quondam Athenienſes excruciati ſunt: qualis epidemice etiam Pariſiis 1699. ſecundum D. Poupart in obſerv. Reg. p. 157. graſſata fuiſſe legitur, aut quæ ab Eugaleno antiquiſſimo medico cap. de ſcorbuto exactiſſime deſcripta ſunt: enim vero quamvis hæ ſtrages omnes tam inter ſe, quam cum noſtra hujate, multum commune habeant, ſymptomata tamen omnia & ſingula ibi deſcripta noſtratem non comitantur, neque noſter morbus hucuſque contagioſus obſervatus eſt, ſicut ibi, niſi forte, quod tamen obſervare necdum licuit, aliquis alterius cochlear ſaliva, aut plane pure oris tinctum ori ingereret, aut oſcula maleſana &c. miſceret.

Multo minus morbus noſter primarius eſt, ſicut ibi, ſed ex certis obſervationibus perpetuo ſecundarius, id eſt, aliis febribus intermittentibus, continuis, atque malignis per multas diuturnas recidivas ex neglecta a medico inculcata magis minuſve tenui diæta debita ſuccedaneus, quod oculariter, prætereundo alia, probare poſſum.

Primo: quod, cum elapſa æſtate febres hic ſicut ubique epidemice graſſarentur, plurimi autem ex certis quibuſdam legionibus hujatibus diætam dictam adeo neglexerint, ut vel febribus intermittentibus diutius longe, quam juſtum eſſet, laborarent, meiſque curis, certe reſpectu febrium infallibilibus, conveniret, vel in illicitam diætam, poſt curationem mox relapſi toties totieſque in eaſdem febres aut morbos alios v. g. continuas acutas & lentas, dyſenteriam &c. prioribus longe pejores reciderint, ego his omnibus, teſtibus illorum officialibus, ſcorbutum proximo vere, ſcilicet moderno, ſemper ſemperque proh dolor! infallibiliter prædixerim: e contrario

Secundo: idem probo ab alia Legione, quæ cum ſupradictis in eodem præſidio vixit, totque pertinaciſſime febrientes ſecum elapſa æſtate huc introduxit, ut nulla centuria inter illam fuerit, quæ 24 quartana laborantes ad minimum non habuiſſet; hos autem omnes intra 14 dies abſque ulla recidiva (exceptis 4 qui hodie etiam ſcorbutici ſunt, & inter hos unus aut 2 convaleſcentes) aut ſuperveniente ſcorbuto integerrime reſtitui, ita ut ab eo tempore raro 7 vel 8 patientes, inter quos 2 vel 3 pleuritis hodie hic epidemica affligit, ex tota Legione habeam.

Cauſa autem remota & quidem moralis tantum hujus contrarii mihi non alia videtur, quam quod hæc Legio conſiſtat ex pluribus Suevis, juſ-

juſculis alias & conſequenter etiam diætæ tenui, præ ſupradictis Bohemis, ex aliis Legionibus, magis aſſuetis, quæ una cum medicamentis datis ipſos non tam à recidivis, quam a fatali ſcorbuto uſque ad hodiernum diem ſalvavit, & certo certius ſalvabit.

Subſumo itaque, ſtragem noſtram hujatem a ſupradictis Plinianis, Lucretianis, Eugalenianis, & Poupartianis in eo differre, quod

Primo: omnia ibi deſcripta ſymptomata hujati non adſint.

Secundo: contagioſa, ſicut ea, non ſit: &

Tertio: neque primaria ſed ſuccedanea, ὑςερογενής & ſecundaria tantum, idque ex meris recidivis a non legitime obſervata diæta ortis: minime vero ex alia cauſa antecedente, niſi, quod hujus aër, humidior & paludoſus magis, ad eum forſan diſponat, & adjuvet, in cujus approbationem & veritatis majorem confirmationem hiſce omnes medicos campeſtres, ad quos fortaſſis præſentes devenerint, appello, ut mihi ullum ſcorbuticum in quolibet regimine nominent, qui viſitatu mihi poſſibilis eſſet, ob mihi incumbens grave officium meum, qui vel abſque prægreſſis multis recidivis, ſcorbuto, qui etiam in patria innatus eſſe poſſet, aut alio morbo diutino ſcorbutica noſtra ſtrage affectus eſſet: offero enim me ob ſummam neceſſitatem boni publici, quod pro eo videndo & examinando nequidem expenſis poſtalibus parcere velim; cum ea tamen conditione, ut, ſi talis ſcorbuticus aſſignatus a me deprehenderetur, ego expenſas luam, ſi vero contrarium confirmetur, aſſerenti incumbet pro poſta expenſarum mearum refuſio, in cujus certioritatem utraque pars mediam expenſarum partem vobis Perilluſtres, Spectabiles & Excell. D. D. in emolumentum boni publici prius deponet.

Symptomata autem, quæ ſtragem hujatem comitantur, ſunt in primo gradu gingivarum pruritus, tumor, ex tactu hæmorrhagiæ leves, gingivæ magis minuſve ſugillatæ, quæ ſugillationes mox putreſiunt, & ſuppurantur, ex quo gingivarum imo ipſarum maxillarum eroſiones luxuriantes, dentium vacillationes & caſus, oris cadaveroſus fœtor: præterea adeſt membrorum major vel minor debilitas, ſicut in

Secundo gradu præterea plerumque crurum, rariſſime autem brachiorum rigidiſſima contractio, ut ægri tibias extendere nequeant, quam in partibus contractis imo ſæpiſſime etiam in reliquis articulis adhuc ſanis ſimiles venereis comitantur atrociſſimi dolores lancinantes; his contracturis ſemper adeſt ingens articuli contracti tumor ſcirrhoſus, incredibiliſque ejuſdem tendinum rigor & dolor, cutiſque exterioris undique cærulea ſugillatio, cum interſperſis certis exanthematis granorum milii ſimilibus: ſugillantur perſæpe una nocte ægrorum oculorum alba cum vel ſine palpebris ſuis ſponte ſua adeo, ac ſi in pugnos incurriſſent, quod idem etiam in aliis partibus ſæpiſſime evenit, ideo tamen dolore nullo affectis: accedunt variorum integrorum muſculorum præcipue crurum,

tibiarum & buccarum duriſſimi & maximi tumores, imo totales indurationes, quæ tamen una cum ſupradictis ſugillationibus nunquam ſuppurantur. Sed vel ad mortem uſque perdurant, imo augentur, aut in convaleſcentibus infra dicendis iterum exacte reſolvuntur: pulſus ſemper, etiam in levi morbi hujus principio, eſt frequens, celer, parvus, & durus, verbo febrilis: hic vero eo frequentior, celerior, minor, & durior, quo majora & diriora adſunt ſymptomata: urina etiam eſt febrilis, id eſt rubra, cum craſſo & inæquali ſedimento: ſi denique per malam diætam (quæ apud milites gregarios ex defectu hoſpitalium ordinatorum ordinatu impoſſibilis in tota Hungaria eſt) invaleat morbus ad

Tertium uſque gradum, gingivæ putridæ cum buccis incrediliter in omnem ſuperficiem intumeſcunt, atque etiam in gangrænam & maxillarum cariem abeunt, à qua nullus redimi poteſt; accedunt morbum hunc invaleſcentem dyſpnœæ tantæ, ut non tantum ex leviſſimo motu in deliquia incidant, verum etiam ſæpiſſime inter eundem ſubito ſuffocentur ægri: de quo ſymptomate omnes moribundi aliquot dies ante mortem intenſe conqueruntur, licet non tuſſiant, minus quid exſcreent.

Omnes dicti ægri in deſcripto morbo invaleſcente, id eſt gradu tertio (qui pro prognoſi etiam valet) patiuntur omnes ſpecies hydropis, tumorumque œdematoſorum, adeo, ut ex decubitu decliviori facies intra mediam horam adeo intumeſcat, ut oculos aperire amplius nequeant; qui tamen ſæpius iterum evaneſcit brevi, atque redit: ſic hydropici ſive cachectici etiam non raro in immanes narium hæmorrhagias incidunt; quibus omnibus in deſperatis plerumque diarrhœæ & dyſenteriæ superveniunt, nunquam non lethales: in principio morbi, ſitis & appetitus naturaliter ſe habent, ſi ægrorum quæſtui magis, quam ſupradictis circumſtantiis credere fas ſit, in fine autem morbi, id eſt in tertio hujus gradu, omnis appetitus eſt emortuus, ſitis tamen plerumque eo intenſior. E cæteris ſymptomatis ab aliis authoribus deſcriptis præterea omnino nulla adſunt, ſed hæc ſola & pauca noſtros miſellos conficiunt, hocque ad ſummum intra 2. vel 3. menſes, plerumque autem intra 3. & 4. ſeptimanas, quod tempus ſi elapſum ſit, ita, ut æſtas redierit, ægri raro amplius moriuntur, ſed incurabiliter contracti manent; adeo, ut morbum hunc vere nominem ſcorbutum, qui nihil aliud eſt, quam ſanguinis, aliorumque ſuccorum ſemiputredinoſa diſcraſia, cruditas, & viſciditas, imo ſtaſia ex fibrarum motricium languore, ſtupore, aut plane rigore, & imminuta humorum circulatione, excernendorumque ſecretione, a multis endemicarum hujatum febrium omnis generis recidivis orta, atque ſupradicta ſymptomata faceſſens.

Ex qua definitione patet primo cauſa proxima formalis, quæ in putredinoſa & impedita M. S. circulatione præternaturali, id eſt in ſuſpen-

penſis, aut potius imminutis & impeditis ob lentorem ſuum naturalibus ſecretionibus conſiſtit, a cauſa ſecundo proxima materiali derivandis, ſcilicet a maſſa ſanguinea lenta, viſcida, craſſa, & ob id ad circulationem, id eſt, ſecretiones naturales inepta, ideoque hinc inde in ſubtiliſſimis, imo etiam apud moribundos, in majoribus vaſis ſtagnante, putreſcente, aut plane in his, utpote tubulis, glanduliſque nervorum, tendinum aliiſque excretoriis, colatoriis & lymphaticis vaſis inſeparabili, idque iterum a cauſa tertio remota, formali, ſcilicet a tot febrium variarum incredibilibus recidivis, aut, ut ſupra monui, diuturnitatibus a cauſa quarto remota materiali, ſcilicet a cibis crudis, præprimis in paroxyſmo febrium, hic ſcilicet in tota Hungaria epidemice & endemice ſemper & ubique ob clima paludoſum & humidius, ſemperque inæquale graſſantium, ingeſtis. Quales præcipue ſunt carnes, & farinacea, non fermentata, imo ipſe panis crudus, gravis, non rite fermentatus, qualis campeſtris eſt ordinarius, alias comis-panis nominatus, & illæ placentæ *Rolatſchen* nominatæ, quibus Bohemi mordicitus præ omnibus inhiant, tanquam optimis ferculis, ob paupertatem putatitiis. Præter hunc cibum dictum inſolite in febrium, aut extra harum paroxyſmus ingeſtum, quamvis etiam alias res non naturales præcipue aëra ſupradictum & certa temperamenta accuſare poſſem, eas tamen hic prætereo, & pro meris cauſis vel adjuvantibus, vel diſponentibus tantum habeo, quod ſequentibus probo duobus verbis.

Primo. Si aër Hungaricus humidus & paludoſus & inæqualis in cauſa eſſet, cur non omnes, aut ſaltem aliqui ditiores, qui etiam hic ex mala diæta, non tamen tam cruda ſicut ſupradicta, ſæpiſſime recidivant, & diutiſſime febricitant, in ſcorbutum incidunt.

Secundo. Cur in Italia in ſpecie in Pedemontibus, ubi ſaniſſimus creditur aër & aqua, omniſque ſcorbutus apud incolas exulat, Cæſareani gregarii idem paſſi ſunt & adhuc patiuntur malum? quod inclytum regimen olim Regal, hodie Walliſianum teſtatur, &c.

Idem argumentum valet de aqua ſeu potu, ſomno & vigiliis, motu & quiete, animi pathematis, excretis, & retentis.

Repeto ergo hic ſummatim ex ſupradictis, morbum deſcriptum aliunde non provenire, quam a multis febrium omnis generis hic, ſicut in Italia ob idem cum Hungaria clima mathematicum, endemicarum recidivis, Germanis, & præ his Bohemis (diætæ tenui & juſculis non aſſuetis) præprimis contingentibus: quod oculariter vobis hodie viri perilluſtres, ſpectabiles, & excellentiſſimi demonſtrare poſſem, ſi hic eſſetis, meoſque 60. aliquot hodie ſcorbuticos videretis, inter quos vix alius, quam Bohemus, licet & is etiam Germanicus: meminiſſe lubeat ſupradictorum meorum, uti etiam, quid febris ſit?

Quare, & quomodo hæc fiat? aliunde ſcilicet & aliud nihil eſt, quam quod humores vel a cauſa externa, qualis præcipue elapſi anni conſtitu-

tio humida, auſtrina erat, ut aër Hungaricus ob paludes & loci ſitum adhuc quotidie eſt fere ſemper, vel ab interna lenteſcant, ob id ne ſtagnent, & putrefiant, fibræ motrices ſe moveant, conſtringant, vaſa mulgeant, cor ſæpius vibret, cum arteriis pulſet, contenta moveat, & agitet tam diu, donec aut calore, aut colliſione mutua ſe fundant, & ad circulationem & ſecretiones aptiora fiant, ideoque cruditates, ſeu excrementa febrificantia per vaſa debita more ſolito eliminari, aliæque ſecretiones naturales iterum fieri poſſint, poſt quod optata redit tranquillitas, donec malum recrudeſcat.

Recordari etiam vobis lubeat! quoties intermittentes continuæ, imo malignæ fiant, ſi paroxyſmi tempore cruda ingerantur? aut quamdiu paroxyſmus intermittentis extraordinarie exaſperetur, & prolongetur, ſi modo juſculum tenue præcipue carneum contra interdictum Hip. noſtri §. 65. S. 7. & §. 10. S. 2. &c. durante illo propinentur? his perponderatis concludite, quid non futurum ſit, ſi hoc ſæpius fiat, nonne humores magis lenteſcunt, & ad ſtagnationes diſponuntur? unde enim alias poſt febres chronicas, cachexiæ, hydropes, aut ſaltem pedum tumores, nonne ab humoribus his lenteſcentibus etiam lympha gaſtrica cum digeſtione languet, chylus crudus fit, crudus in inteſtina deducitur, poſt hæc crudus in lymphæ ductus ſeparatur, ibi ſtagnat, hos vellicat, inflammat, corrodit? unde vaſorum tenerrimorum & anguſtiorum adſtrictio, ad circulandum ineptitudo & putredo? his, repeto, ſic ſe habentibus, atque labefactatis lenta, craſſa, & ob ſecretiones impeditas urinoſa & vere ſemiputrida maſſa ſanguinea in vaſis ſanguiferis, deinceps ex magna parte circulatur, arteriaſque adeo ob nimiam lympham multum diſtendi, harumque pulſum impediri, aut potius frequentari, neceſſe eſt. Hinc pulſus ſupradictus febrilis, dyſpnœæ, &c. nonne a motu hoc ſanguinis ægro in vaſis capillaribus ipſiſque ductibus excretoriis ob languorem ſanguinis coaleſcere & ſtagnare aptus fiat? hinc illæ ſugillationes, tendinum, ob defectum nutrimenti ſive lymphæ tenuis dulcis & humectantis, rigiditates, tumores, hydropes, a chylo ſcilicet & lympha crudis, & minime circuire aptis: hique iterum eo duriores, quo urinoſiores & magis ſeptici humores. Nonne hinc dolores ſupradicti lancinantes? cauſa laſſitudinum &c. &c.

Quod autem gingivæ intumeſcere, cruentari, exculcerari &c. ſoleant, & præ omnibus aliis partibus corporis in hac ſtrage magis afficiantur, ratio mihi videtur, præter Liſterianam, quod lympha lenta a ſanguinis craſſamento ægre ſeparari poſſit, & propter ſupradicto modo jam vitiatos lymphæ ductus, ad ductus ſalivales excretorios propellatur ab arteriis, ubi in ſalivam lentam, ſalſamque conficitur, non adeo effundi aptam, gingiviſque ideo impacta ibi ſubſiſtit, & amplius corrupta eas tumefacit, putreſcendo eaſdem exulcerat, imo plane gangrænat; idque eo magis præ aliis partibus, quo vaſcula gingivarum tenuiora ſunt, atque

qui-

quidem adeo, ut etiam ſanguis in ſtatu naturali ibi pelluceat, ut ideo præ omnibus aliis partibus rubeant. Ex qua hypotheſi reliqua ſupradicta ſymptomata omnia explicatu mihi facillima eſſent, niſi brevitati ſtuderem, veſtriſque ingeniis bene fiderem.

Id tantum curioſum adhuc memorans, quod hic morbus in Hungaria tota æſtate autumno & hyeme ſilere, & non niſi impendente vere ſingulo ſe oſtendere ſoleat, quæ cauſa eſſe poſſit?

Cui repono, rem cuique patere conſideranti revolutionem globi, & approximationem ſolis, omnia animalia & vegetabilia ad novos motus impellentis; præcipue temperie ſua auſtrali concurrente, quæ propter pluvioſum & auſtralem aërem nimis humidum & rarefactum tonum fibrarum labefactat, hinc circulus humorum & ex eo pendentes excrementorum ſecretiones ſegnius procedunt, putredo & conſequenter ſupradictus morbus etiam augetur, veriſſimum itaque dictum *Hip. l. de nat* §. 18. *morbos partim ex diætis, partim ex ſpiritu, quem attrahimus, fieri.*

Ad curas progredior hucuſque partim a me, partim ab aliis incaſſum adhibitas: præmitto tantum, me a nullo indicante adigi potuiſſe, ut cum illis Semendrienſibus prope Bellegrad. ex inſtigatione plurimorum officialium hujatum per mercurialia ſalivationem inſtituiſſem; memor enim ſemper fui Hartmanni & Liſteri Angli, meorumque ſupra poſtulatorum a mercurio lymphæ ductus, nervos & tendines magis infirmari, atque quod lympha in ſcorbuticis craſſior & lentior eſſet, quam quæ ſalivæ ductibus effundi poſſet, quod etiam fatalis eventus approbavit, ubi Semendriæ dictæ ante biennium 400. ſcorbutici ex gregariis Cæſareanis in ſalivatione periere, ideo alias ego, ut curetur malum, indicationes formavi nempe:

Ut chyloſis in primis viis recte perficiatur, ſaburræque ibi proculdubio hærentes eliminentur, ut ſpecifica deinde eo exquiſitius in M. S. penetrent, ſanguis craſſus, & viſcidus incidatur, attenuetur, ſicque libere a ſtaſibus circuletur, perque ſolitas ſecretiones depuretur & expurgetur, atque ſic ab ulteriori putredine vindicari, omnique naturalitati reſtitui poſſit.

Pro quibus obtinendis ob rationes ſupradictas, ſalivationem vetantes, purgavi nunquam, ſed ſemper vomitoria dedi, uſualia varia, & ob nullam differentiam hic prætereunda ſilentio.

Deinde adhibui Rad. Raphani, Armorac. Taraxaci, Ari, Aſari, Gentianæ, Angelicæ, Helenii, Acori, ſarſaparillæ, Chinæ, Zedoariæ, Galangæ, folia & herbas aridas [quia virides hic haberi nequeunt,) Beccabungæ, naſturtiorum, Trifolii Fibrini, Cochleariæ, acetoſæ, Virgæ aureæ, Scordii, Perſicariæ, Rutæ murar. Roſmar. Salv. C. B. Cent. min. Lign. ſanct. Lign. Saſſafr. in ſpecie autem illud in ephemerid. German. Ann. 6. obſerv. 22. tantopere contra ſcorbutum decantatum ſedum minimum, ſicut ibi præcipitur.

Eo-

Eodem modo periclitatus ſum Strobil. Pin. cort. fraxin. Winteranum, Guajac. aurantiarum, baccas Juniperi, & Lauri, hæcque omnia in omni excogitabili forma, prout in infra citandis authoribus inveniri poſſent.

Item adhibui 🜔lia omnis generis, volatilia & fixa, in ſpecie: 🜔vol. C. C. quotidie bis in vino. Arcanum duplicatum. 🜕 tartarus fix. tria 🜔lia, 🜔 cum crem. tartari cum chalybeatis omnis generis, 🜄. 🜕 lis ✱ci. 🜔. vol. °o° ſa. 🜄. tartarus Tinct. ejusdem Tinct. bez. M. mixtur. ſimpl. 🜄 cochlear. ordin.

Succorum loco contra ſcorbutum decantatorum pomorum citrorum, granatorum, limonum hic nimis rarorum, cum Liſtero propinavi etiam vel acetum theriacale vel acetum, cui ſupradicta infuſa erant, præcipue radix illa decantata armoriacæ, quam itidem cum cereviſia fermentari permiſi.

Ipſis Tinct. ♁ ♂. Lunæ Helvetianæ &c. non peperci, quamvis cariſſimis: aſt omnia proh dolor! incaſſum.

Verbo, nihil eſt, quod in authoribus claſſicis, Dolæo, Willis, Lifter. Barbette, Biblioth. Mangetti, Waldſchmid., Weinhard. Zwinger, Blancard, Muſitano, Etmuller Michaele Valentino, Bonetto, Junken, Wedelio, Lentilio &c. invenire eſſet, quod intentatum reliquiſſem, exceptis ſuccis antiſcorbuticarum herbarum recentium, & harum præparatis quintis eſſentiis, qualem Tuliſurgii apud Dominum May celebrem pharmacopolam 1713. vidiſſe memini, ex cochlearia factam, cujus unica gutta integram menſuram vini albi vel aquæ odore, ſapore, & colore exquiſitiſſime tinxit, aſt his præparandis & procurandis & quidem in copia ſufficiente, quis par eſt? ſuccos autem hic conficere non valemus, quia herbæ, ut jam monui, hic non creſcunt antiſcorbuticæ, excepta ſola & unica eruca lutea & rapiſtro arvorum, ſed quis pro tot ſcorbuticis ſatis has colliget?

Lac etiam ob cruditates primarum viarum, comitantem febrim lentam, & proclivitatem ſuam in putredinem ſcorbuticis dare, timui, præcipue cum pro tot ægris in copia emi etiam nequeat, idem de ſero lactis intelligere placeat.

In ſpecie autem, ſupradictarum indicationum ergo, hoc anno aliquot ſeptimanas propinavi una cum decoct. lignorum pro potu ordinario ſequentia:

℞. ſummitat Pinaſtr.
Strobil. Pin.
rad. chin. a ℥j.

M. & incis. coq. in aq. com. ℔. 4. ad medietatem. colat. d. ſ. *davon morgens und abends ein Trunck.* Iterum ſequens fortius

℞. ras, lign. Saſſafr.
guajac. a ℥ij.
Hb. inciſ. Roſmarin.

Salv.

Salv. a Mi.
Bacc. lauri.
Junip. a cont. ℥ij.
M. coq. in
vin. alb. &
△ com. a ℔ ς.

In vaſe bene tecto ad conſumpt. ℔ I. colat.

Adde
∽. Theriac. ℥iv.
⊕ ✳ci. ℥ ſs.
Syrup. de menth. j.

M. d. ſ. *Davon alle tag zwey mal ein Trunck zum ſchwitzen.*

Huic colaturæ etiam addidi, loco dictorum ∽. tum. v. ∽. cochlear. ordinarium. v. Tinct. Bez. M. v. mixtur. ſimpl. rectif. cum vel ſine ſale commu. ✳ci. ſimpl. v. aniſ. aſt iterum iterumque incaſſum!

Item

Adhibui illum antichronicum Helmontianum, ſcilicet rad. aſari. c. C. B. vel cent. min. ſequenti modo.

℞. hb. C. B. mij.
rad. aſari. ℥j.

M. incif. coq. in ▽. fontan. IV. ad conſumtionem ℔. I. d. S. *Alle Tag zwen mal* ad ℥vj. *Morgens und Abends zum ſchwiken*, quod egregium medicamentum etiam a Rulando commendatum quamvis pertinaciſſimas febres intermittentes cum cacheviis & hydropibus ex fundamento curet, nihilominus tamen ſcorbutum curare nequit.

Hinc tandem altius perpenſis ſupradictis ſymptomatis cauſisque antecedentibus, prægreſſis diutinis febribus & hunc morbum adhuc comitante febri lenta incidi in corticem peruvianum vel in infuſo vel in forma elect. ſequentis.

℞. Pulvis. cort. peruv. ſubtiliſſ. ℥j.
♁ diaphor. ʒiij.
Arcan. 2plic. ℥ß.
ſal commu. abſynth. ℥j.
Conſerv. roſ. ℥iß.
Syrup. de acetos. citr. q. ſ.

M. f. elect. d. ſ. *Davon ein Welliſche Nuſs groſs Tags brey mal nebſt obgedachten* decoctum.

Et ut verum fatear coram Deo omniſcio ſatisfecit integre ante biennium apud inclytum Regimen Bagnianum, ubi ſexaginta aliquot in gradu ſecundo ſcorbuticos adhibita & impetrata pene diæta ſtricta, tenui, & febrili in meris juſculis conſiſtente intra paucos dies integerrime reſtitui; in cujus teſtimonium illius regiminis DD. Locumtenentum Colonnellum Baronem de Schulz, ubilibet hodie terrarum ſit, invoco, aſt hanc diæ-

tam ſtrictam ab illo tempore uſque ad hodie impetrare ab aliis nequeo, quia occaſiones hodiernæ ei ſunt impares, hoſpitalibus, aliiſque ad hæc neceſſariis hic caremus, ideoque omni etiam effectu hodie fruſtror, licet 3. aut 4. nihilominus hoc anno curarim, elect. dictum plerumque cum Ther. A. miſcendo.

Ideoque iterum hodie ſemen Sinapis adhibeo cum rad. gentian. & cort. fraxini. ſal commu. abſynth. cum Rob. ebul. ſudorif. in forma elect. quod ſemen Rochellienſes a ſcorbuto in diriſſima obſidione ſua tam egregie atque mire ſalvaſſe dicitur, aſt hic etiam incaſſum hucuſque.

Medicamenta extrinſeca nolo, quia eadem de iiſdem intelligi poſſunt, quæ dixi, ſi enim tam generoſa intrinſeca inertia ſint, quid topica evincent in corpore ſcorbutico?

Hoc tantum annoto, quod a variis regiminibus inclytis Cæſareanis in ſpecie Sickingenſi hujates thermæ, ab aliis autem Magnosſvaradinenſes & Budenſes etiam incaſſum adhibitæ fuerint, an autem acidulæ quid in hoc poſſint, neſcio, quia iis hic caremus, niſi quod nuper modo de quibuſdam in hoc Bannatu necdum probatis levis fama ad me devenerit.

Quid ergo conſilii adhuc in veſtris ſcriniis contra Herculeum hunc morbum haberi, & ſupereſſe poſſit, quod hunc tam curaret, quam præſervaret, hiſce vos humillime rogo, ut id cito me docere non dedignemini, an non forſan aliquis veſtrum contra hunc aliud arcanum, vel panaceam aliam poſſideat: v. g. ☿. fixum, ſalivationem non moventem, qualem ſe habuiſſe Helmontius & ipſe Dolæus, in capite de ſcorbuto, jactitant, vel ſulphur aliquod minerale fixum, vel ſal tartari. volatiſatum vel ſal quoddam metallicum, præcipue mercuriale, quale Hallæ-Magdeburgicæ in Noſocomio venale eſt ab illius Kunſtelio elaboratum, vel aliquid fabis Ignatii aut lapidi Porcino nimis caris & raris ſimile &c. quibus malum curari & præſervari poſſet, abſque eo, quod diæta tam ſtricta (extra hoſpitalia bene ordinata equidem impoſſibilis) adminiſtranda eſſet, quibus permaneo, ut in literis.

Caſus hic Medicus Cæſaream Militiam attinens, Temeſwarino, & Belgrado ex Regno Serviæ, per Dominum Doctorem Kramer, Cæſareum ibidem Campeſtrem Medicum, nobis Decano, Inclytæque Facultati Medicæ Viennenſi tranſmiſſus, ſingulis Facultatis Medicæ Commembris hiſce communicatur, ſuper quem quiſque ſententiam medelæ Decano ad manus intra triduum ſcriptotenus communicare non gravetur,

Joan. Franciſc. FABER,

Phil. & Med. Doctor, Inclytæ
Facultatis Medicæ p. t. Decanus.

EPISTO-

EPISTOLA RESPONSORIA
INCLYTÆ FACULTATIS MEDICÆ.
PRÆNOBILIS AC EXCELLENTISSIME
DOMINE COLLEGA.

ADmodum exactam deſcriptionem ſcorbuti, verno præcipue tempore, epidemice, imo ſporadice (nec ſine magna ſtrage) militem Cæſareum affligentis ad nos dediſti; fatemur ſcriptum eſſe limatum, ſuoque auctore dignum, de quo tibi gratulari potes, id adeo placuiſſe excellentiſſimæ Commiſſioni, ut illud quantocyus typis mandandum curaverit.

Licet autem Facultas Inclyta ſatis perſpectam habeat capacitatem, dexteritatem, ſedulitatemque tuam, ſuccinctam nihilominus informationem (qua equidem non egeres] tranſmittit, tam, ut petito tuo, quam Excellentiſſimæ Commiſſionis voluntati, fiat ſatis.

Dolet autem præliminariter Facultas, tam parce militiæ Cæſareæ Medicis proviſum eſſe, ut ille, cui una ſtatio contigit, eidem obeundæ ac providendæ non ſufficiat, ſed ſtare debeat fide, ac relatione chirurgorum, de quorum capacitate non tantum Facultati non conſtat, imo de quibus eadem, nec ſine ratione dubitat. Sed hæc illis in aurem, quorum intereſt.

Convocatis autem viris de Facultate primariis, & maxime expertis, ac mature penſitatis circumſtantiis, viſum eſt accuratam circa rerum N. N. uſum regulam præmittere: hac enim inſuper habita, remedia etiam generoſiſſima vim ſuam perdent, ea autem bene obſervata, perſæpe remedia, quantumvis mediocria, grandia fiunt.

Igitur cum prima mali hujus radix dependere videatur a vitio Athmoſphæræ, particulis & effluviis ſylveſtribus, crudis, nitroſis, aluminoſis, imo & arſenicalibus refertæ, quæ tam ex ipſo terræ fundo, quam aquis paludoſis, & ſtagnantibus, hæcque aeris conſtitutio levi negotio corrigibilis non exiſtat: eo ſaltem annitendum eſt, ut impediamus, ne eadem altas in corporibus impreſſiones faciat. Ad quam intentionem conſequendam optima foret ſæpius repetita ſtationum permutatio, ſi non omni tri-ſaltem ſemeſtri, eo fine, ut miles gregarius ad aerem ſubinde liberiorem transferatur. Illi vero, quibus ibidem perſiſtendum erit, quantum fieri poterit, præmuniantur, ne tam cito infectioni ſubjaceant. Et cum impreſſiones iſtæ non tantum contingant per reſ-

reſpirationem, verum etiam in corpora, nuda in humo decumbentia ſe inſinuent, præcipue noctu rigente cœlo.

Primæ impreſſiones utcunque corrigentur fumo tabacæ, ligni, ſummitatum & baccarum Juniperi &c.

Poſteriores vero evitabuntur, ſi humus, in qua defatigato militi decumbendum eſt, inſternatur vel ſtramine, vel fœno arefacto.

Quo ad victus potusque regulam, militi gregario, & qui exiguo ſtipendio victitat, incaſſum lautus ordinatur, ſed illi potiſſimæ cupediæ panis erit: quia tamen inter omnes repletiones panis repletio ab Hippocrate peſſima vocatur, ea tanto erit nocentior, quanto ipſe panis a ſua bonitate deflectet. Providendum igitur erit, ut ſaltem ſit bene ſubactus, convenienter fermentatus, ſufficienter ſalitus, & ex bona farina piſtus, alias paſtæ inſtar in ventriculo jacens, ejusdemque fundum gravans, cruditatum, & exinde reſultantium obſtructionum radix erit.

Caro itidem ſuilla, vel bubula nimis juvenis, ejusdem ſunt commatis, quæ tanto difficilius digeruntur, quanto miles pacis tempore minus exercetur, adeoque minus diſſlat.

Quo ad potum: aquas paluſtres, vel ex puteis recens effoſſis hauſtas, omnes malas eſſe Hippocrates pronunciavit L. de aquis, aere, & locis.

Harum quidem vitium aliqualiter corrigi poſſet, ſi liquoris nitri fixi aliquot guttulæ potui ordinario inſtillentur: hoc tamen fieri non poteſt, niſi ubi abeſt ſuſpicio profluviorum alvi. Præſtaret igitur aqua fluvialis intermixto potu vini, non admodum fortis, vel generoſi.

Quantum autem deſidia militi noceat, ſatis hucusque per experientiam edocti ſumus: vidimus enim plerumque milites minus ægrotaſſe illis temporibus, quibus exercebantur labore circa foſſas ducendas, aggeres jaciendos &c. reliquas rerum N. N. ſpecies tacito pede tranſilimus, quoniam de illarum obſervatione militi fruſtra cavitur; generaliter ſiquidem hoc axioma (quod moderata durent) iis ignotum eſt. Quod ſi ſperare liceret has reflexiones effectum ſortituras, non ad pharmocopolium, ſed ad commiſſariatum te ablegaremus.

Hiſce prælibatis ad curam progredimur horrendi hujus affectus: & quemadmodum atro carbone notamus curam illam ſalivatoriam a medicinæ deſtructoribus potius, quam perfectoribus perperam inſtitutam, ita præferimus vomitoria, non quidem violenta illa ♄lia, ☿lia, arſenicalia citrina &c. qualia pro libitu cujuscunque, ſeu temerarii chyrurgi, ſive jactabundi medicaſtri ſine ſelectu, & inſuper perſpecta habita legitima præparatione, vel doſi paſſim, & indiſcriminatim exhibere ſolent: ſed præferimus blandiora, maxime ſecura, qualia ſunt vel gilla Theophraſti, vel pulv. rad. hypecacoannæ, quam tutiſſimam experimur, eoque magis illam recommendamus, quoniam pretio valde tolerabili modo venalis proſtat, cujus

drachma

drachma una, vel etiam plus, præmiſſo, ſi opus videbitur, digeſtivo, non tantum exhiberi, verum etiam pro re nata repeti poterit.

Primis viis hac methodo liberatis, ad materiæ peccantis correctionem, & imminutionem accingeris, quam commodiſſime quidem exequeris per anti-ſcorbutica illa decantata a vegetabilium claſſe deprompta, qualia ſuppeditant: v. g. cochlearia, beccabunga, naſturtium utrumque, fumaria, hypericon, præ primis ejusdem flores, trifolium fibrinum, chærefolium, radix armoraciæ, ſtrobuli pini &c. ex quibus utique ſucci expreſſi, extracta, tinct. decocta &c. vel cum ſero caprillo, vel alio, jure carnis &c. formulæ concinnari poſſent.

Sed quoniam horum ſimplicium proventu deſtitueris, eorum ſemina tibi transmittenda curamus, ex quibus commodo terreno ſementem inſtitues, tibi olim in ingentem gloriæ meſſem excreturam.

Interim quo patientius expectes, quousque germinent, & collecturæ aptæ reddantur, earum exſiccatarum ſufficientem quantitatem ſubminiſtramus. Nec non ſuccos ex iisdem ſimplicibus expreſſos, & (aqua ſpirituoſa diſtillata) ad melleaginem inſpiſſatos, una cum aqua illa ſpirituoſa ſubmittimus, ut illis tam in forma extracti, quam in aqua propria rurſus affuſa diſſolutis in forma dilutiori uti poſſis.

Præterea duo remedia palmaria, non ex vana vulgi perſuaſione, ſed effectu famam adepta, & hucusque ſuſtinentia tecum communicamus, nimirum.

℞. Pulvis Rad. Chin.
Salſæparill. aa. ℥iij.
Sacch. ℔ß.
Farinæ hordei ℔j. m. & vaſi novo vitreato indita, operculoque bene lutato piſtentur. Jam

℞. Hujus mixturæ cochlear unum, extracti ſuccorum anti-ſcorbuticorum drachmam unam. Hanc mixturam in juſculi carnis non ſaliti ℔ß. per modum panatellæ exhibe mane, & veſperi ſuperbibendo aquæ alicujus anti-ſcorbuticæ, vel decocti ejusdem ad uncias tres, aut quatuor, ſicque remedium efficies utramque implens paginam, ſcilicet nutritivo-medicamentoſum.

Alterum eſt deſtillatum anti-ſcorbuticum hac formula celeberrimum,

℞. Herb. recent. Naſturtii aquatic.
Chærefolii
Cochlear.
Beccabung.
Trifol. Fibrin. a. ℔ß.
Rad. armoraciæ
apii hortenſ. aa. ℥vj.

Inciſ. & contuſ. affunde vel aquæ ſimplicis, vel aquæ & vini aa. q. ſ. digerantur per diem, & noctem. Tunc adde globulorum equinorum

recentium ex caballo avena paſto collectorum ℔iij. & ſtatim deſtilla ex MB. cujus doſis erit propinare tres uncias mane, totidemque veſperi, ſuperbibendo juſculum ex decoctis anti-ſcorbuticis. Hæc remedia, licet primo intuitu vulgaria videantur, non ſpernendæ tamen eſſe ſolent efficaciæ, moleculas enim obtinent magis flexiles, & liquori gaſtrico magis auſcultantes; hinc inſerviunt ſalibus ſylveſtribus diluendis, & ad eliminationem diſponendis. Adeoque mirari deſine, nos illis plus tribuere, quam aliis quibuscunque e mineralium regno petitis, quoniam hæc & particularum rigiditate gaudent indomita, nec fermentis jam labefactatis auſcultant.

Noli tamen credere ea nobis omnino eſſe rejicula: novimus enim egregium illorum uſum, ſi cum grano ſalis iisdem remedia Galenica quodammodo condiuntur, & exaltentur: proinde ulteriorem eorum uſum tibi recommendare non veremur. Superiora tamen præ his eligimus, utpote quibus longa experientia conſtat, non ſemper Herculeis medicamentis curandi ſcopum obtineri, ſed naturam ſæpius manuduci, quam impelli. Inſuper jam ab olim tibi perſpectum eſſe novimus, non omnem ſcorbutum eadem ferre remedia, ſed unum expoſcere remedia magis attemperantia (quale eſt potus theeatus, vel illi ſuccedaneus ex veronica, aliisve herbulis appropriatis) alium gaudere acidiusculis, alium aromaticis, & ſpirituoſis &c. alium amaricantibus ſalinis &c. & ſolo hoc phænomeno recte dijudicando medicum rationalem empyricis præcellere.

Præterea ſi tibi ex uſu fore videbuntur alcalia, terrea, fixa, macra, vel oleoſa, ſi quid fidis cortici peruviano, præcipue in febrium intermittentium contumacia, liberis, mundisque primis viis, ſi denique materiam præparatam diſcutere vis decocto lignorum anti-ſcorbuticis maritato; ea omnia quidem adhibe, hoc tamen cum regimine, & cautela, ne particulas balſamicas apud militem in pauca quantitate forſan adhuc reſiduas nimium agitando facias evolare. Prout aliquando contingit in cura febrium &c.

Quapropter ea, quæ ſcripſimus, non eo ſenſu intellecta volumus, quaſi vero iisdem ſolis tibi inhærendum, omnibusque aliis valedicendum foret, remedia enim dexteritas tua mille reperiet, ſi tandem quibus deſtitueris, nobis, veſtrove protomedico cæſareo-campeſtri viro integerrimo reſcribe, conatu omni adlaborabimus eadem tibi tranſmittenda.

Curationi tandem coronidem impones levi abſterſivo, ſennato, vel Rhabarbarino &c. Qualia non ſolum in fine, ſed & in cura interpoſita, atque etiam in principio adhibere poteris, præcipue in iis, qui vomitoria non ferunt.

Hiſce peractis etiam ſymptomatum urgentiorum rationem habebis, quæ quidem remediis ex propriis capitibus deſumptis impugnabis eo tamen ſemper oculo ad morbum primarium intento.

Oris, & gingivarum ulcera (ſcorbuto commune ſymptoma) mundabis

dabis; vel os colluendo, decocto ex herbis abſynthii, ſcordii, & hordei parato, addito parum melle roſato, ſpiritu cochlear. Spiritu ſalis, nec minus tincturæ laccæ Mynſ. &c. te raro deſtituet. Majori etiam abſterſioni unguentum Ægypt. inſerviet. Et quia vinum non omnibus conducit, aquam coctam parabis v. g. Rad. Bardan. Mai. Scorzoneræ, Charyophilat. Cichor. Sylveſtris, viſci Quercini, Aniſ. liquiriz. &c.

Omnia autem ex pino (quia picea balſamica dicta, qua de cauſa inclementias hyemis aſperrimas illudens) ut ſtrobuli, ſummitates ejusdem &c. cum aliis appropriatis in juſculis, vel potu theeato &c.

Te non latet inter alias hiſtorias illa, dum Uladislaus rex Poloniæ olim bellum in Moſcovitas gereret, morbus tuis patientibus non impar epidemicus in caſtris ſæviret, plurima quoque generoſiſſima reſpuens remedia, adeo atrox, ut militibus crura convelleret, qui nil aliud, quam paralyſis ſcorbutica audit, quam clariſſimus Erbenius prædicti regis t. t. Archiater ſolo decocto ſtrobulorum pini, ejusdemque ſummitatum, modico addito ſem. aniſ. liquiriz. felix, tum in juſculis carnis, tum pro potu ordinario, priſtinæ reſtituit valetudini.

Hæc erant, quæ tibi reſcribenda videbantur.

Tu quo cæpiſti tramite, feliciter perge, ac certus eſto, quod, quot ſedulitate tua Cæſareos ſervaſti milites, tot hoſtium decades occidiſti. Vale.

Excellentiæ Tuæ

Ex muſæo noſtro die 6. Maji 1720.

Addictiſſimi

N. DECANUS,

&

Facultas Medica Vienn.

His

His itaque præmiſſis, ut ſuccincta magis explicem, ſequentia addo & repeto ex prioribus.

SCORBUTUM nempe

1mo. Neminem *impetere*, niſi qui prius multis febrium diuturnarum ſpeciebus, ac recidivis, & quidem

2do. Ex cruda neque eupepta diæta fuerit afflictus, ideoque

3tio. Nullum fere præfectum, imo ne quidem equitem gregarium, utpote hibernis melioribus ſalarioque majore gaudentem. Harum febrium recidivas (æquivoce licet & tacite) *Boerhaave* §. 1150. etiam vocat cauſſas, quum dicit, illos ſubjectos eſſe ſcorbuto, qui morbis lentis obnoxii ſunt, maxime vero qui cortice Peruviano fuerunt uſi: addit in commentario ſuo pag. 104. auctoritatem clariſſimi *Sydenhami*, dicentis, ab uſu hujus corticis obſervatum a ſe eſſe, quod ſcorbutum producat: nemo autem unquam utitur hoc cortice, niſi contra febres, aut morbos has ſequentes: hinc clare patet veritas 1. mei § præcipue quum ipſe *Boerhaave* l. c. ſui commentarii ex morbis lentis ſpecialiſſime nominet quartanam, de qua expreſſe dicit, quod nemo fere ex quartana reſurgat, quin in ſcorbutum incidat: in obſervationem autem *Sydenhami* commentatur ibidem dicens, quod ideo uſum corticis ſequatur ſcorbutus, quia materia a febri ejicienda necdum eſt educta; corticis autem hujus vires ſcorbuto ipſi contrarias ſupra in caſu vidiſti; id etiam de quartana ex ſolida praxi addendum & monendum habeo, quod rariſſime & vix unquam homo ſtatim & immediate in quartanam incidat, ſed poſt prægreſſas febres alias intermittentes, ſive quotidianas, ſive tertianas male excoctas, quartana in praxi, plerumque occurrat; ideoque quartanam perpeſſi in ſcorbutum certe præ reliquis ſint proniores.

4to. Toto anno ſcorbutum ſupra deſcriptum ex certa obſervatione, neque in Germania, neque in Hungaria, neque in Italia dari, niſi *in principio veris*, quod in Italia & Dacia Ripenſi, vulgo Bannatu Temeswarienſi, incipit in Martio, in Germania vero 4. ſeptimanis ſerius.

5to. Hunc morbum neque Italiæ, neque Daciæ incolas alios invaſiſſe, niſi *advenas cæſareos gregarios*, num. 1. 2. 3. confer conſuetudo & natio, num. 36. 37.

6to. Affligere tamen in Germania etiam tunc ſporadice illos, qui præter cauſſam, num. 2. dictam, *herbis & fructibus horræis* coctis raro vel plane non veſcuntur, ſed meris *leguminibus* coctis paſcuntur. Hinc quolibet anno fere obſervatur Dreſdæ in ptochotrophio, vulgo *Waiſenhauſſe*, imo in urbibus longa obſidione cinctis, veluti in Gallia Rupellis, ubi diriſſime ob annonam graſſatus legitur ſcorbutus: Ita etiam graſſabatur

batur Thoruni, ſaniſſima alias Pruſſiæ Polonicæ urbe, quum rex Sueciæ illam 4. ſeptimanas obſediſſet: item Stettini ſub ultimam ipſius expugnationem, licet aer ubique ſit puriſſimus, & ſcorbutus ante & poſt obſidiones dictas nunquam niſi ſporadice & valde raro fuerit viſus. Notus etiam mihi eſt unus & alter ab uſu ciborum vegetabilium abſtinens, & meris carnibus non ſalſis nec fumo induratis veſcens, qui non ſemel verno tempore in gingivarum ſtigmata ſupradicta ſcorbutica incidit in locis Germaniæ ſaluberrimis. Sic etiam

7mo. Certum eſt, *ex defectu ciborum viridium* nautas, diu in mari circumnavigantes, præcipue in zona torrida, poſt febres prægreſſas, maxime ſcorbuto affici; imo etiam eos, qui in Grœnlandia diu a viridibus abſtinere coguntur; *juventutem* tamen

8vo. cito aut *herba cochlearia* in regionibus ſeptentrionalibus, aut in calidioribus, v. g. Luſitania, *ſucco pomorum aureorum Luſitanicorum*; imo

9no. Eosdem nautas hodie ubique præſervari a ſcorbuto, crebra, aut ſaltem bina, per ſeptimanam cibatione *braſſicæ muria conditæ*, vulgo *Sauerkraut* dictæ.

10mo. Quoties præter meum conſilium, ob dyſpnœam ſupra recenſitam ſcorbuticam & hinc impendentem ſuffocationem, vena fuerat ſecta, toties *ſanguinem ſcorbuticum* omni ſero fuiſſe deſtitutum, & in ſuperficie ſua cruſta alba lardiformi obductum.

11mo. *Contractionem articulorum* ſupradictam nullibi, id eſt, in nullo alio articulo, niſi *in ſolis genubus*, evenire.

12mo. *Scorbutum* conſtanter & ſemper *incipere* ſignis ſuis primi gradus in caſu ſupra propoſito enarratis: & deinde, pedetentim & ſenſim, ad gradum ſecundum & tertium increſcere, nunquam vero incipere ſignis ſive ſymptomatis gradus ſecundi, multo minus tertii; & quidem

13mo. *Scorbutum* nunquam hoc *principium ſuum capere* in vigilantibus, ſed perpetuo *in dormientibus*: ita ut ſcorbuto recens afflicti paullo ante ſomnum apparenter, excepta phyſiognomia plerumque cachectica, ſaniſſimi fuerint, ex ſomno autem horis matutinis evigilantes dicta ſcorbutica ſymptomata primi gradus ſentiant, absque ulla cauſſa externa manifeſta. Scilicet ex ſomno evigilantium,

14to. Quidam primo *gingivas tumentes & ſugillatas* cum *pulſu* & *urina* febrilibus tantum & ſolum oſtendunt, quod tamen rarius evenit, ſed plerumque ſimul *ſugillationes unius vel utriusque oculi* ſupra recenſitæ comitantur, & poſt has ſugillationes tam gingivarum, quam oculorum, intra aliquot dies *contractio unius vel utriusque genuum* ſupradicta ſuccedit; quibusdam autem ſtatim principio vel ſola gingivarum ſugillatio, vel etiam ſimul altera oculorum ſugillatio, cum dicta contractione, ſive potius convulſione tibiæ unius vel utriusque ſimul evenit.

15to. Nemini autem ullum ſcorbuticum ſignum, ſive ſymptoma accidit unquam, cui non ſimul gingivarum ſugillationes eveniant: ita ut *primarium & perpetuum hujus morbi ſymptoma* ſit dicta *gingivarum ſugillatio*, *cum pulſu & urina febrili*, *& febri lenta*, ex quibus deinde in gradum ſecundum, & ex hoc in tertium increſcit, niſi cito medela fiat: quæ in tertio gradu, ubi orthopnœa, hydrops & dyſenteria &c. jam præſto ſunt, uti in caſu dictum eſt, nunquam amplius inveniri poteſt. Ceterum

16to. de *doloribus artuum lancinantibus rheumaticis* in ſecundo ſcorbuti gradu evenientibus notabile eſt, eos æqualiter diu noctuque per intervalla inæqualia affligere, & a calore, ſive ſtragulis non exacerbari. Sic etiam

17mo. *tumorem genuum* in gradu ſecundo duritiei *ſcirrhoſum* dixi, non quod verus ſcirrhus ſit, ſed quod duritiei ſuæ ſimilitudine ad duritiem ſcirrhoſam accedat, quem tumorem etiam in principio ſuo *ſugillatione magna notatum & maculatum* recte dixi; quæ tamen ſugillationes mox iterum aliarum more decreſcunt, & ſenſim evaneſcunt: in peripheria ſua nimirum flavere, & virideſcere, & ſic absque ſuppuratione diminui & ſenſim evaneſcere obſervantur; atque hæc de tumore & ſugillatione genuum & oculorum puta, non vero gingivarum, quæ perpetuo *ſuppurantur & exulcerantur*, &c. ſicut etiam non raro ipſæ genæ tumidæ. *Tendines rigidos* in genu convulſo non intelligo ſuperiores tibiam extendentes, ſed inferiores & *tibiam flectentes*, eosque præcipue internos, ſcilicet *muſculorum ſeminervoſi & ſemimembranoſi.*

18vo. De *ſugillationibus* & *muſculorum indurationibus* id etiam adhuc addere poſſum, me ſugillationes nullibi obſervaviſſe, niſi circa genua convulſa & oculos, & in genis; & tumores hos principio ſuo ſugillatos ſemper eſſe.

19no. Hæ *veritates poſitivæ* ſunt; nunc, ut plurimorum practicorum de ſcorbuto phanthaſmata, in quolibet ferme morbo im plagis ſeptentrionalibus nil niſi ſcorbutum aut canentia, aut ſubolfacientia, illuſtrem, *veritates* addo *negativas*. Hinc

20mo. notandum eſt, *ſcorbutum evenire populis non tantum plagas boreales*, *ſed etiam temperatas zonas incolentibus*, cujusmodi eſt, *Italia* (num. 4.) præcipue *Pedemontium*, imo etiam *Gallia* (num. 6. & ex obſervat *Poupart.* in caſu Pariſiis obſervato) *Luſitania* & ipſa *zona torrida* (num. 7.) imo, teſtibus itinerariis variis, in *Summatra* & *Guinea*: ex quibus numeris etiam concidit quorundam opinio, quaſi in plagis maritimis tantum graſſetur. Notandum porro eſt *in regionibus* dictis *calidioribus herbas antiſcorbuticas*, humum humidam poſcentes, *non quidem creſcere*, verum *creſcere* tamen ibi *alia vegetabilia antiſcorbutica* (num. 8. & 9. quibus plagæ boreales carent, Plura de his ſequentur in cura hujus affectus; addo tantum, me etiam obſervare non potuiſſe, quod *aromatum uſus* in morbis

bis, ut quidam volunt, contribuerit ad ſcorbutum; potius ſuſpicor contrarium ex num. 2. & 3.

21mo. *Tormina* ſcorbuticis accidunt, quando ex mala diæta ſcorbuto accedit diarrhœa, aut dyſenteria, alias vero nunquam.

22do. Addo, me nunquam in aliquot millibus ſcorbuticorum obſervaſſe *pleuritidem*, *nephritidem*, *ſtranguriam*, *varices venarum raninarum*, *hæmorrhagias in cute externa ſpontaneas & ſinceras*, exceptis dyſentericis, aut ex vulnere, labiis, pulmonibus, ſtomacho, alvo &c.

23tio. Neque vidiſſe ullibi in corpore *ulcera*, quam ſupradicta in gingivis & buccis, multo minus *ſcabiei ſpecies* unquam mihi in conſpectum veniſſe, neque

24to. Unquam ſcorbutum ſtipatum animadvertiſſe *tabe* (niſi maciem corporis a morbo emaciati ſic dicere velis) *motibus epilepticis*, *tremore*, *paralyſi*; ſed ægros omnes tranquille, lenteque mori, ſi difficilem ſemper & anhelоſam excipias reſpirationem.

25to. Hoc tamen certum eſt, *plagas & urbes paludoſas*, præcipue *calidiorum regionum*, aut poſt *æſtates fervidiores*, præ reliquis ſcorbuto ſubjectas eſſe, at nunquam aliter, niſi mediate, ſive remote, ſcilicet, ſi eædem febrium nidi ſint, & ad num. I. reſtringi debeant. Tales ſunt in Hungaria *Temeswar*, *Karanſebes*, *Orſava*, *Belgrade*, *Eſſeck*, *Kinz*, *Caſſovia*, tota *Wallachia* ad Danubium non montoſa; in Italia *Ferrara*, *Mantua*, & *totus tractus Padi inferior* poſt prægreſſas *exundationes* a *Ramazzini* tam accurate deſcriptus; in Germania, ob lacum quendam aſſitum, *Stutgardia* quondam erat, nunc ob exſiccatum lacum ſana; e contrario vero totus *tractus Rheni*, Durlaco ad Moguntiam usque, poſt *exundationes majores Rheni* male notatur, præcipue *Philippiburgum*; in Luſatia ſuperiore Miſniæ aſſita *Ayerswerda* cum ſociis ſuis annumeratur, de quibus omnibus videatur *Diſſertat. inauguralis D. D. Mayer Heidelbergæ A.* 1735. *habita*, *de febri tertiana continua caſtrenſi*; *item Lanciſii tractat. de noxiis paludum effluviis.*

26to. Probabile etiam eſt, in defunctis ex ſcorbuto *hepar*, *lienem*, *pancreas*, *meſeræum*, *putrida & conſumpta* fuiſſe inventa: *trifolium* vero *aquaticum* certam ſcorbuti ſpeciem curare poſſe inter XII. dies, aliam autem ſcorbuti ſpeciem *cochlearia* inter VI dies curari; ſin vero hæc cochlearia in illa ſpecie detur, *hepar inde crepare*, ſicuti quidam ſcribunt, minime credendum eſt, quoniam ex frequentiſſima praxi ſcorbutica, *non niſi unica ſpecies veri ſcorbuti* mihi datur, eaque *fœtida*, *putrida*, & hinc *alcaleſcens* pro diverſitate temperamentorum &c. in paucis accidentalibus circumſtantiis variabilis, modo ſupradicto. Graviſſimusque quoque eſt error, *quamlibet cacochymiam*, imo etiam *cachexiam*, & ipſam *luem veneream*, a medicis ſuperficialibus, methaphyſicis illis phyſico-medicis, omnes ſcilicet morbos a ſolo acido deducentibus, *ſcorbutum putari*: quum *verus ſcorbutus ſpecies cacochymiæ ſingularis* ſit.

27mo. Ex his præmiſſis patet, definitionem in caſu propoſitam veram eſſe, quod ſcilicet *ſcorbutus* ſit *totius maſſæ ſanguineæ ſemiputrida viſcidaque diſcraſia & ſtaſis* ex fibræ motricis *Baglivii* languore & rigore, circulatione maſſæ ſanguineæ & ipſis ſecretionibus imminutis, a multis antegreſſarum febrium recidivis contractis. Sive

28vo. *Scorbutus verus eſt totius maſſæ ſanguineæ putredinoſa gelatineſcensque, & inde ad varias ſtaſes proniſſima, ad ſecretiones autem & excretiones ineptiſſima cacochymia, cum atonia variarum partium & viſcerum, horumque tandem infarctu & corruptione a multis aut chronicis febribus, præcipue intermittentibus, male curatis orta*: *& ideo* (ut magis ſpecificem & §. 19. extirpem) *ſymptomatibus in caſu & ſupra dictis, ante omnia autem gingivis ſugillatis, ſtipata.*

29no. Eluceſcit autem & facile probatur hujus morbi *putredinoſa conditio*, *& inde alcaleſcentia*, ex fœtore halitus cadaveroſo in caſu allegato, ex ſugillationibus gingivarum vere ſphaceloſis, &c. &. ex §. 6. 7. 8. 9. & 26. &c. *gelatinoſitas* autem ex §. 10. & 17. ubi muſculi ſemimembranoſus & ſeminervoſus ex defectu boni roris, ſive roridæ lymphæ, intra tam breve tempus exſiccantur, tabefiunt & convelluntur: quumque tales muſculi in toto corpore non dentur, mirum etiam non eſt, ſolas tibias, neque ullas alias partes in hoc morbo convelli. Sic etiam ipſa dyſpnœa, tandem ultimis vitæ diebus in orthopnœam tranſiens, & in caſu hujus morbi comes recenſita, gelatinoſitatem & ſpiſſitudinem maſſæ ſanguineæ ſatis probat, ut pote quibus anheloſis pectoris & ipſarum clavicularum motibus reſpiratoriis natura maſſam ſanguinis omnibus viribus per pulmones transprimere allaborat, ſicut in chloroſi ex levi motu. *Staſes* probant num. 14. & 15. ad viſum & tactum ſugillationes & tumores gingivarum & genuum genarumque, imo etiam num. 26. *Ineptitudinem ad ſecretiones & excretiones* probat I. Atonia partium & viſcerum, de qua mox; II. num. 14. & 15. & num. 26. ſi enim viſcera colatoria infarcta & obſtructa ſunt; eandem probat ipſa febris lenta, hujus morbi perpetuus comes in caſu recenſita. *Atoniam partium & viſcerum*, maſſam ſanguineam gelatineſcentem non ſatis promulgentium & per poros ſive vaſa capillaria promoventium, probant num. 13. 17. 18. & 26. & gradus tertius, ſive prognoſis morbi in caſu recenſita, ut & ſequentia. *Cauſam* vero *antecedentem proximam* probat §. in caſu, his verbis *p. 6.* incipiens: *tertio neque primaria*, *ſed ſuccedanea* &c. Item ſupra num. 1. & 3. & caſus ipſe.

30mo. Definitione cauſisque proximis, formalibus & materialibus, ſic ſtabilitis, ad *cauſas remotas tam diſponentes, quam adjuvantes & occaſionales*, transeundum mihi eſt, & poſtea ad *circumſtantias & ſymptomata quædam ſpecialia* huic affectui familiaria ſupra & in caſu necdum explicata, & fere portentoſa.

32do.

31mo. Dividuntur autem optime cauſſæ adjuvantes in internas & externas:

32do. *Internæ* ſunt ætas, ſexus, temperamentum, & conſuetudo, ſenſibilitas, imo etiam natio.

33tio. Ex *ætate* nulla eminet, neque poſtponenda eſt, quæcunque cauſſam antecedentem proximam incurrit; ſenem tamen nullum habui curæ meæ commiſſum, procul dubio, quod cauſſis externis febrium ſeſe minus exponunt, aut quod durioribus jam aſſueti ſunt.

34to. Ex *ſexu* omnes mei ſcorbutici, quotquot recordor, virilis ſexus, & quidem juvenes, erant, præter unam aliquam fœminam, Viennenſem, quæ febrem quartanam chronicam diæta male Viennæ excoctam 1720. paſſa fuerat, & 1721. Aprili & pincipio Maji in ſcorbutum inciderat, eumque medicina ſecunda feliciter ſuperaverat.

35to. Pro *temperamentorum* ratione, ſanguineo-phlegmaticos & phlegmatico-ſanguineos præcipue, deinde ſanguineo-melancholicos & melancholico-ſanguineos; item mere ſanguineos, ſine dubio ad regulas diætæ in febribus proniores, ad ſcorbutum proclives, imo eo affectos obſervavi: cholerici nullius, ſive puri, ſive mixti, recordor.

36to. Ex *conſuetudine* (minore ſcilicet, aut plane adhuc nulla contracta 1. ad aërem Hungaricum, de quo infra. 2. ad victum militarem, de quo ſupra & infra. 3. ad morbos ipſos ſuperandos, præcipue febres, conveniente diæta) recens in ſupplementum conſcripti milites, vulgo *recroutes*, in febres eoque ipſo etiam ſcorbutum fuerunt proni, præ reliquis vero ex

37mo. *Natione* Bohemica, ſicut in caſu eſt videre: hæc enim natio victui ſicco, crudo & quidem NB. per totum annum apud plebem ruſticam, plane excarni aſſueta, ſolo pane, piſis, farinaceis, braſſica & rapis, præcipue muria conditis, & lacticiniis in patria ſua vivens, in Hungariam fervidam ex aere patrio montano & valde frigido traducta & præter panem ſuum militarem, non niſi juſculis carneis & bubula ſola veſcens (nam vegetabilia ibi rara & cara ſunt) mox in febres, populi Iſraelitici inſtar in deſerto ex ſuis coturnicibus, & ex his ſupradicto modo in ſcorbutum proniſſimi incidunt, accedentibus præcipue reliquis ſupradictis, & infra dicendis; minus vero Itali, a carnibus præ reliquis nationibus magis abſtinentes, & in vitæ regulis accuratiores: præ his incolæ Rhaſciani & Wallachi Græco ritui, & hinc abſtinentiæ a carnibus & jejunio multo & magno cum vita agreſti & naturali, addicti, a febribus & ſcorbuto ſunt immunes, vitamque longævam ad Ann. 100mum 130mum imo 190mum, & ultra non raro attingunt, in ipſa Dacia Ripenſi Germanis adeo exitiali.

38vo. Ex *cauſis occaſionalibus*, ſive adjuvantibus, primarius eſt *aër*, per æſtatem in Dacia Ripenſi, vulgo Bannatu, ab Aprilis usque in Septembrem tam *fervidus*, quam in ullo loco Italiæ eſſe poteſt: augent hunc æſtum tentæ caſtrenſes, caſæ Turcicæ ex mero ligno exſtructæ, & quidem

indiſcriminatim plerumque feneſtris ſuis aut paludes, aut auſtrum, & fere nunquam ſeptentrionem, reſpicientes: & quidem hic fervor dictis menſibus, contra rumorem plebis, *diu noctuque continuat*, & noctes frigidiuſculæ raro ante Octobrem prodeunt: auget hunc aeris ſqualorem *raritas umbræ* ex altioribus ædificiis, ſylvis & arboribus intra civitates & in Hungaria finitima raris: ex quo æſtu, diu noctuque durante, maſſa ſanguinea colliquatur in ſerum excrementitium tam copioſum, ut motibus naturalibus placidis per ſua excernicula, præcipue in necdum aſſuetis, ſatis depurare nequeat, ſed potius magis ſpiſſeſcat, tam a copioſo ſero, quam humidi defectu (num. 39.) non ſecus ac illi, qui diutius ſub æquatore in mari circumnavigare ſolent, & inde paſſim in febres tertianas continuas, imo ipſas peſtilentiales ruunt, a quibus omnes perirent, niſi ad terras firmas citiſſime appellerent, ibique refrigerio ſe a dictis febribus, carbunculis & ſtigmatis ſcorbutico-peſtilentialibus, vi certæ relationis, ſtipatis liberarent: & profecto itineraria (vide ſcripta miſſionariorum Halenſium, *Dellavalle* &c. teſtantur, & ego non raro ipſe in Hungaria, quando æſtus erat inſolitus, obſervavi, quod febres tertianæ intermittentes in Malabar ex hac cauſſa ſint periculoſiſſimæ.

39no. Augentur hæc mala ex ſiti maxima, per talem continuum æſtum atque præterea non raro ſimul corporis motum majorem, de quo infra &c. producta &, pro ea reſtinguenda fluoreque maſſæ ſanguineæ cum ipſis ſecretionibus & excretionibus conſervandis, *potu fere continuo*, qui plerumque *aqua* (de qua infra) plebi eſt: & licet pro nobilioribus hæc ex Auſtriæ montibus eo apportetur, aut vinum merum ſit, nihilo minus frequentiſſimis & fere continuis ſuis hauſtibus digeſtiones turbat, ventriculum inteſtinaque emollit & debilitat, vaſa lactea extendit, ideoque ad febres, diarrhœas, dyſenterias &c. præcipitat, ita, ut ipſe *princeps Eugenius* A. 1717. in Belgradenſi expeditione, optimis diætæ regulis, pro more ſuo, & vino cum aquis ſaluberrimis ex Auſtria ipſi ſingulis ſeptimanis eo advectis uſus, nihilominus in periculoſiſſimam inciderit dyſenteriam.

40mo. Neque hujus mali aeris qualitas adhuc ſubſiſtit, ſed augetur præterea æſtus 1mo. dictæ regionis *profunditate*, reſpectu Bohemiæ & Germaniæ habito, *incredibili* ex longitudine interfluentis eam Danubii metienda, eaque in ſtagnis & paludibus adhuc majore, & hinc foco ſolis propiore, & a ventis ſanioribus ſitu ſuo nimis profundo impedita; deinde 2do. *ſolis radiis ab ipſis aquis paludum reflexis* & ſic duplicatis: quibus omnibus

41mo. Aëris malignitas accedit *ex ſtagnorum, paludum,* quin & *cloacarum Turcicarum,* aut etiam *caſtrenſium, cadaverum ſepultorum* &c. *effluviis putridis,* æſtu dicto exaltatis, ex fœtore ſuo, vi experimentorum phyſicorum medicorum, certe oleoſo ſalinis, putrefacientibus, & continua reſpiratione, imo etiam potu, copioſiſſime hauſtis, & maſſæ ſanguineæ mixtis, fermenti inſtar, non tantum num. 38. dicta continuo augentibus & produ-

cenſi-

centibus ſed forte etiam (ſicut ſpiritus ſalis armoniaci ſulfureus *Hoffmanni* cum ſero ſanguinis mixtus illud ſtatim coagulat, ſive potius in maſſam ſolidam inſpiſſat) noſtros humores cogentibus & mille modis deſtructuris: de quibus confer num. 75. quibus omnibus, ut majorem inveniant fidem, addo, æſtatis principio, in vere & hyeme loca num. 25. nuncupata, præcipue Hungarica, eſſe ſatis ſana ita, ut præter ſcobutum veris, vix ullus morbus graſſetur, menſibus nempe Novembri, Decembri, Januario, Februario, Martio, Majo, Junio, ac Julio; quam primum autem Auguſtus ad finem ſuum ruere cœpit, aut caniculares potius dies incipiunt, tunc incolæ militares ſupradicti numeroſe in febres malignas & benignas continuas & intermittentes tertianas, diarrhœas, dyſenterias, harumque pediſſequas quotidie incidunt. Aer præterea hic paludoſus, ſecundum experimenta phyſica humidus & minus elaſticus, & probabiliter cum maſſa noſtra ſanguinea, mere oleoſa & inflammabili, minus miſcibilis eſt, & hinc ſanguinem minus ſpumefacit, aut ſubtiliorem reddit: quas ultimas qualitates, præcipue ex effluviis paludoſis, Itali recte Malria vocant.

42do. Ex *cibo*, qui ad febres & ſcorbutum contribuit, taxo num. 37. continuo *carneum*, præcipue ex bubula, quæ in Hungaria, ob vile ſuum pretium, vel vaccina, vel mediæ ætatis inter bubulam & vitulinam eſt, & præterea fracida juſcula & carnes præbet: chylus enim carneus mere glutinoſus, & gelatinoſus adhuc etiam longe putreſcibilior eſt, quam chylus ex vegetabilibus, quæ, vi ſupradictorum & experimentorum phyſico-medicorum, non tantum corporis humores minus putreſcibiles faciunt, ſed etiam curant conf. num. 37. item raritatem & caritatem vegetabilium in caſtris & recenter expugnatis fortalitiis. num. 2. 3. 6. 7. 8. 9. in caſu: ex *potu* aquas Hungaricas, tam Danubiales conſtanter turbidas, & in non aſſuetis alvum laxantes, quam, & præcipue, paludoſas num. 41. ſive immediate ex paludibus, ſive ex fontibus proxime ad & intra eas effoſſis hauſtas; deinde etiam potus nimis tepidos & fere continuos, num. 38. adde etiam num. 37.

43tio. *Motus corporis, magna, longa & multa itinera, labores, exercitus* præcipue in ſummo æſtu diurno revera concurrunt cum num. 38. Medetur autem quies & mora in umbroſis domibus, more Hiſpanorum altis, ſeptentrionem (utpote ex quo ſolus continuus aëris ſpiritus & motus, procul dubio ob glaciem & nives ibi in æſtate deliqueſcentes) feneſtris ſuis reſpicientibus ex lapideis muris craſſis exſtructis, &, ſi poſſibile ſit, duplicibus cameris inſtructis, tam ſeptentrionem, quam occidentem & orientem ſpectantibus, ita, ut tranſeatur tempore opportuno ex una in aliam Italorum more; &, ſi haberi nequeant, præſtant caſæ rhaſcianæ conditionibus dictis in terra effoſſæ & ſuperius bene tectæ: plura vide in prophylaxi.

44to. *Excreta & retenta* cum *animi paſſionibus*, præcipue *patrimonii* cupiditate plebi militari non rara, per ſe *tibi*, *vir excellentiſſime*, nota ſunt.

Sic

Sic etiam ex retentis tranſpiratio & ſudores, in fine cujusvis paroxiſmi febriis non ſatis apud plebem obſervati, multum contribuunt, utpote a cujus tranſpirationis impedimentis *perilluſtris D. Archiater de Garelli* duos trientes morborum caſtrenſium recte derivat.

45to. Ex his præmiſſis colligo nunc & repeto *modum, quomodo ſcorbutus fiat*: ſcilicet maſſa ſanguinea ipſisque viſceribus ſecretoriis & excretoriis contaminatis & labefactatis 28. 29. ex cauſſis 33. usque ad 44. natura, ſive principium vitale, quidem reſiſtit inſtituendo, augendo, & multiplicando motus ſuos ſecretorios & excretorios, quos febrim appellamus, eosque pro majore vel minore neceſſitate & conſtante proportione &c. vel in uno continuo, vel per intervalla, & ſic vel per modum febris continuæ, vel intermittentis, continuat, donec dicta vitia præparaverit, ſecreverit & excreverit, & ſic tranquillitas motuum vitalium, quam ſanitatem appellamus, redierit.

46to. Ubi itaque per malum in caſu & ſupra paſſim repetitum regimen & in congruas medicationes principium vitale in ſuis intentionibus & operationibus non turbatur, ibi hæc brevi fiunt, & viſcerum tonus non multum labefactatur: ſed perſtat eorum vigor, cum omnibus œconomiæ naturali congruis motibus & viribus. Ubi autem

47mo. per dicta mala turbatur, motus vitales ſecretorii & excretorii a natura præternaturaliter intenſius & frequentius, pro corporis ſui conſervatione, diutiusque continuandi ſunt, v. g. in chronica quartana, vid. num. 3. & tunc viſcerum tonus ſive fibra *Baglivii* debilitatur & relaxatur: id quod ad viſum probant pedum œdemata poſt quartanam chronicam fere ſemper evenientia, item viſcerum internorum inflammationes & hinc factæ eorum nimiæ extenſiones, ubi conſtanter aliqua remanet nota, aut alteratio: ſicut remanet in ipſis ſtrenue laborantium membris externis certa labes, ſive defectus agilitatis & motus, quam Germani *Steiffigkeit* appellant, clariſſimeque apparet in omnibus ruſticis laborioſis, in equorum pedibus anterioribus, poſt nimium exercitium, imo etiam canibus venaticis, leporibus, cervisque nimia venatione exercitis, quibus inde tibiæ non raro adeo rigent, ut eas movere amplius nequeant, & canibus venaticis ſuccumbere cogantur. Viſcerum internorum autem tonum labefactatum & ſic dictam atoniam, clare, præter œdemata pedum, oſtendit phyſiognomia cachectica poſt febres chronicas perpetua, ſicut ipſe *infarctus lienis*, vulgo *Fieberzelten*, qui poſt omnem febrem chronicam, præcipue quartanam, in Hungaria conſtans & perpetuus eſt pedisſequus, & quem per multiplices ſectiones anatomicas infarctum lienis eſſe certe ſcio, & teſtari poſſum; quoties vero, & ubicunque ego hunc lienis infarctum inveni, toties etiam ſimul *hepar* plus minusve infarctum deprehendi, item *meſenterium*: confer. 26. ex *Boerhaave*, ita, ut de debilitato viſcerum tono poſt febres vehementes & chronicas *tibi* dubium ſuper eſſe nullum poſſit: ut autem clarius *tibi*, *vir excellentiſſime*, omnes meas cogita-

gitationes de ſcorbuto ex multa mea experientia explanem, temperare mihi non poſſum, quin longius ad ipſas *febrium epidemicarum cauſſas & modum fiendi* excurram, & deinde more meo demonſtrativo connectam & ex notis ignota deducam.

48vo. Communicavi quidem has meas cogitationes de febri epidemica 1735. caſtrenſi ad Rhenum cum D. D. *Majer*, qui enim illas ſuæ ſupra citatæ diſſertationi inaugurali inſeruit; quoniam tamen illa forte rara eſt, hinc pro bono publico eas hic iterum repetam: ſcilicet obſervavi, tam in illa, quam Hungarica epidemica febre tertiana, ſemper conqueſtos eſſe ægros de *dolore dorſi interno*, qui dolor aliquot diebus citius impetebat ægros, quam ipſa febris, neque ceſſaſſe febrim prius, quam dolor evanuerat. Plurimi ægri diu ante ullam febrim conqueſti fuerunt de magno *dolore cardialgico* & premente, qualis in ictericis obſervatur: attentius conſiderata *phyſiognomia* talium febricitantium, aut tantum ad hanc febrim inclinantium, erat *flava* & *albuginea oculorum* tanta *flavedine tincta*, quanta in ictericis incipientibus tingi ſolet: in *cruribus* præterea ſentiebant omnes febricitantes magnos, frequentes dolores trahentes, & lancinantes, quos *Dolæus* tertianæ intermittenti proprios dicit: æſtas tunc, poſt ver humidum & magnas exundationes Rheni, erat fervidiſſima, & ſicciſſima, & conſequenter qualitatis & effectus num. 38. 39. 40. 41. maſſam ſanguinis ſcilicet in ſerum excrementitium ſemiputridum colliquandi, & tam ex ſe, quam per ipſum hoc ſerum excrementitium inſpiſſandi &c. ideo

49no. *Spiſſeſcebat* multo facilius illis in locis, in quibus (ſicut *tibi, magne anatomice*, melius quam mihi conſtat) pro chymo & chylo diluendo, *copioſa lympha* per glandulas meſenterii, pancreatis, & inteſtinorum a ſanguine ſeparatur, & ubi naturaliter tardius, quam in reliquis corporis partibus, circumagitur, & ad ſecretionem bilis magis ſpiſſeſcit, ſcilicet *in toto tractu venæ portæ, liene, meſenterio & hepate*, imo etiam in ipſis *vaſis cruralibus*. Quid ergo

50mo. aliud inde fiet, quam vaſorum & viſcerum dictorum repletio & extenſio, a ſtaſi humorum & circulo maſſæ ſanguineæ nimis ſpiſſæ impedito, & conſequenter ſecretiones, præcipue bilis, difficiles, hinc cachectica & icterica phyſiognomia, dolores cardialgici & dorſi prementes, in cruribus autem lancinantes, ſpiſſam & ad ſtaſin pronam maſſam ibi ſanguineam propellentes, promulgentes & tranſprimentes, ſicut num. 48. inſinuavi.

51mo. Hæc ſi non juverint num. 50. & plane maſſæ ſanguineæ putredo adfuerit, num. 38. 39. 40. 41. &c. ſi impendeat natura, plane *febrim* 45. 46. 47. *inſtituit*, qua licet feliciter & ſecundo cum effectu expedita, nihilo minus viſcerum atonia, & infarctus num. 40. 48. 49. adhuc remanet, & præterea ſimul, ſicut phyſiognomia febres paſſorum cachectica, diu poſt curatas febres ſæpe adhuc ſuperſtes, docet, ſecretiones & excretiones in viſceribus abdominalibus impeditas, præcipue perſiſtentibus præterea num. 2. 3. 6. 7. 8. 9. 25. 37. 38. &c. & inde dedu-

 cendæ

cendæ ſunt *febrium periodi* certis diebus redeuntes: ſicut enim certe maſſa ſanguinea datur ſpiſſior & gelatinoſior, hincque ad ſtaſin pronior, quam altera, ita, ut vix per unum paroxyſmum diſcuſſa ejus in dictis locis ſtaſi, nova iterum incipiat quotidie, aut minus promte, ſcilicet alterno, aut tertio die, unde vel *quotidiana*, *tertiana* vel *quartana;* ſic etiam certum eſt, quod in quibusdam caſibus, præcipue epidemicis, talis ſtaſis uno integro paroxyſmo, longiſſimo licet, reſolvi nequeat, & talis febris aut conſtanter, aut ſaltem primis diebus, *continuam* ſimulet: omnia autem hæc reſpective deteriora fiunt, vel a nimio ſero excrementitio, putredinoſo, intra maſſam derepente accumulato, vel ab effluviis malignis, paludoſis &c. copioſe inſpiratis & maſſæ ſanguineæ admixtis. num. 25. 41. Item e malo regimine, præcipue cibis carneis, iisque in ipſo paroxyſmo ſumptis, mox vel paroxiſmum longiorem, vel quotidianum, vel plane continuum ex quartana efficientibus, ſpiſſitudinem &c. maſſæ ſanguineæ cruditate ſua ſcilicet augendo, quæ omnia tam in caſu, quam ſupradictis in praxi fundata apparent: id tamen pro confirmatione addo, quod *quartana duplex* aliunde non fiat, quam quod febricitans in ipſo paroxiſmo quartanæ vel juſculum carneum, vel plane cibos ſolidos, ederit, quibus omiſſis & paroxyſmi fine patiente regimine exantlato mox quartana duplex emanet.

52do. Quis mirabitur inde, ſi maſſa ſanguinis *per hyemem* ſenſim magis ſpiſſeſcat, ſero excrementitio copioſiore 49. 50. 51. oneretur, &, globo revoluto ſolem verſus, lumine ſuo omnia fluida motu inteſtino moventem, id eſt, *vere* & appropinquante majore calore *inter dormiendum*, ubi tonus alias relaxatus, & circulus maſſæ ſanguineæ tardior eſt, in caſu recenſita ſigna ſcorbuti, & num 28. dicta derepente incipiant, & ſecundum diagnoſin caſus continuent &c.

53tio. Sed necdum mihi adhuc temperare queo, quin pauca adhuc addam de ſupra num. 47. dicta *placenta febrili*, & quidem propria experientia ex proprio corpore hauſta, utpote qui talem poſt multarum febrium recidivas, aut potius ſingulis annis exantlationes in Hungaria 5. annis factas, ex Bannatu mecum Dresdam in Miſniam tranſportavi, & ſic ab an. 1716. usque ad an. 1726. eo laboravi & ſucceſſu temporis plane perdidi, ex bona potius aura Miſnica & bono regimine, quam ulla medicatione, niſi quod ſemel contra eam 18. urceos acidularum egranarum, ubi jam in maximo decremento fuerat, biberim.

54to. De hac placenta tam in memet, quam in aliis, obſervavi, quod ſæpe & ex improviſo atque derepente dolores obſcuros pungentes, per plures horas durantes, ſat moleſtos conciliaverit, & niſi tunc appetitui temperavi, ſed largos paſtus carneos, præcipue ex bubula, feci, mox in febrim intermittentem inciderim, ſtantibus præcipue & concurrentibus ſimul ſupradictis ſpecialiter de fine æſtatis; quotiescunque vero tunc abſtinueram, toties non ſolum nulla febris rediit, ſed etiam pla-

centa

centa ſenſim diminui incepit, manifeſto indicio, quod natura continuo contra reliquias febrium num. 47. 48. 49. 50. 51. laboret, & facile ſtantibus reliquis num. 57. evenire ſoleant.

55to. Hæcque de theoria ſufficiant, quum reliqua, in prognoſi caſus recenſita, partim per ſe clara ſint, partim ex dictis facile erui poſſint.

56to. *Curam* quod attinet, eam in duplicem diſtinguo, *curativam* ſcilicet & *prophylacticam.*

57mo. *Curativam* iterum diſtinguo, in illam ſcilicet *propriam* in caſu allegatam & nullius effectus; *alteram*, quæ mihi benigne a facultate inclyta Viennenſi communicata in præmiſſo reſponſo legitur, & tandem *tertiam*, poſt hæc nova experientia corroboratam.

58vo. Curativam in caſu conſcientioſe deſcripſi, quam quilibet facile perſpiciet.

59no. De *altera* ab inclyta facultate medica mihi transmiſſa obſervavi ſimiliter, inefficax fuiſſe *hippoenteron* ibi conſultum *Zwingeri*, ſicut etiam *maſſam* ibi commendatam *Hofferi* ex ſarſaparilla, farina hordei & ſaccharo: ibidem autem promiſſa *ſemina antiſcorbutica* non obtinui, neque *aquas deſtillatas*, ſpirituoſas, ibi dictas, ſed *ſucci ad mellaginem inſpiſſati antiſcorbutici* IV. libras, quæ parva quantitas, quum pro ſupradictis numeroſis ſcorbuticis non ſufficeret, tribus vel 4. tantum ægris, methodo præſcripta exhibui, & effectum parvum ab eo adverti; quoniam vero illius parva quantitas dicta pro cura plenaria non ſuffecerat, nullus ab eo integre fuit reſtitutus, ſed quilibet eorum tibias retinuit convulſas.

60mo. *Tincturam laccæ M.* quod concernit, ad gingivas ulceroſas ab inclyta facultate commendatam, de ea iterum, ſicut de omnibus topicis, hic repetere poſſum, quod neque hæc tinctura, neque omnia reliqua *topica* quidpiam efficiant aut proſint, niſi ſpecificis internis labes ſcorbutica prius extinguatur, & quod ſine ullis talibus topicis omnia ſymptomata ſcorbuti ſolis ſpecificis internis extingui conſtanter poſſint: nunquam vero *ſtrobilis pini*, aut *ſedo minimo vermiculari* aliisque, de quibus in caſu jam dixi.

61mo. An autem ſecundum quorundam obſervationes *aquæ Spadanæ* hunc morbum etiam curent, aut forte etiam *aliæ acidulæ*, aut *decoctum graminis*, ſive *herbarum a bove devoratarum* & in hujus ventriculo præprimis primo invenibilium, a *Boerhaaven mille floreum decoctum* apellatum, blande acidulum & diureticum, neſcio.

62do. Ex plus quam millena experientia, tam aliorum, quam propria, autem ſcio, quod *herbæ naſturtii & cochleariæ ſuccus* hunc morbum certo curent ſive inter ſe mixti, ſive ſingulatim ad uncias III. quotidie bis vel ter, in juſculo non fervido, ſed tantum tepido, exhibiti.

63tio. *Hæ herbæ* autem ſolum amant udum climaque temperatum, hinc *rariſſimæ ſunt in calida Italia*, *aut Hungaria finitima*, niſi circa Karanſebes; nullibi autem tam copioſæ, ut quotidie v. g. pro 60. ægris XXX. libræ ſucci earum haberi poſſint. Hinc

64to. *Methodus invenienda*, *qua cito & in magna quantitate haberi poſſint*, eaque optima eſt, quam inclyta facultas medici in ſuo conſilio propoſuit: ſcilicet ex ſeminibus cochleariæ & naſturtii hortenſis in locis laboratis & umbroſis ſatis eas in copia ſat magna procurandi: excreſcunt etiam hæ herbæ intra 8. dies bene cultæ in tantam magnitudinem, ut ad uſum ſat cito applicari poſſint: creſcunt etiam ſub ipſa nive, ita ut medicus, quum ſcorbuticos ex ſupradictis epidemiis & recidivis prævideat, hæc ſemina opportuno tempore ſibi procurare, etiam e longinquo, poſſit.

65to. Tota autem *virtus harum herbarum* conſiſtit in ſale ipſarum volatili macro, halitus & vaporis inſtar, totum corpus penetrante, & phlogoſes non raro ad genarum rubores usque, ſed valde breves, excitante, carminativo, & fibras præterea motrices ſubtiliſſime ſtimulante, & tam diureſin, quam tranſpirationem promovente: fibræ motricis ſtimulus ab hoc ſale autem ad viſum patet ex frequentiſſimis ructibus doſes ſingulas ſequentibus, qui, ut ſal volatile conſervetur, omni etiam ſtudio ab ægris compeſcendi ſunt.

66to. Sic etiam *naſturtium* & *cochlearia* in locis valde diſſitis cum ſacchari quantitate ſufficiente in mortario lapideo contundi, atque ita *in conſervam non coctam redigi*, & ſic condita in vaſis terreis & ligneis in maxima quantitate, etiam ex maxime diſſitis regionibus, haberi, ita autem condita, vel per modum conſervæ ad unciæ dimidium quotidie bis vel ter propinari, aut more recentium herbarum exprimi poſſunt.

67mo. Supra mentionem feci de *eſſentia quinta cochleariæ* Dr. *Maji* Brunſwigenſis, quam deinde etiam vidi, guſtavi & probavi in pharmacopolio regio Dresdenſi, nihilque aliud eſt, quam oleum ex ſemine cochleariæ cum aqua deſtillatum, odorem & ſaporem cochleariæ reliquaque ſupradicta quidem poſſidens, ſed non tam halituoſum, exhalabile, & cito penetrans, multo minus excernibile, ſicut herbarum ſuccus, hinc enormem, ſat diu & periculoſe ad hæmorrhagias narium usque excurrentem, (quoniam diutius juſto intra corpus moratur) maſſamque ſanguineam magis cogentem æſtum efficit, & contra ſcorbutum noſtrum minime prodeſt: eſt etiam hoc oleum tam volatile, & per accuratiſſima obturamenta adeo penetrans, ut nulla alia arte conſervari poſſit, niſi in vitris obturaculo vitreo munitis, & præterea, ut omne commercium aëris cum eo intercludatur, in aqua frigida continuo ſubmerſis. Eſt tamen præterea tam grave, ut, olei cariophyllorum inſtar vel cinnamomi, aquæ communi inſtillatum fundum petat, confer *Hoffmanni obſerv. chym.*

68vo.

68vo. Defectum harum herbarum ſupplet etiam *ſuccus citri vel pomorum aurantiorum* ad uncias 3. vel 4. cum ſufficiente ſacchari quantitate & I. libra vel aquæ communis, vel melius *ſeri lactis*, bis quotidie propinatus: quod ſerum cum ſucco citri D. D. *Pfundheller* ante aliquot annos, dum 20. & aliquot ſcorbuticos ad S. Marcum Viennæ curandi ei fuerint, valde efficax deprehendit, atque laudatur etiam a *Boerhaaven.*

69no. *Diæta* autem ſit excarnis durante tota cura & quantum poſſibile eſt ex vegetabilibus, ceterum excretiones omnes tutæ conſerventur, reliqua vide ſupra.

70mo. Ad *prophylaxin* quod pertinet, eam etiam divido in *remotam & proximam*, ſive mediatam & immediatam:

71mo. *Remota ſive mediata* conſiſtit in præſervatione a febribus, effluviisque paludoſis febrilibus num. 48, 49. 50. &c. & eo ipſo etiam num. 1. ab ipſo ſcorbuto, taleque medicamentum eſt vel *privativum* vel *poſitivum*:

72do. *Privativa remedia* ſunt *fuga* a num. 1. 2. 3. 38. 39. 40. & 42. quibus addo, ut illi, quibus fuga hæc impoſſibilis eſt, paludes exſiccari, aut aquas fluentibus elui, aut *arbores* (ſecundum experimenta *Lanciſiana*) inter civitatem & paludes denſe plantari curent, quibus id efficietur, ut aër effluviis paludoſis plenus per folia ramosque arborum cribretur & depuretur a ſuis dictis effluviis, antequam ad urbem penetret: his autem in terris paludoſis aliæ arbores coli aut creſcere nequeunt, quam *ſalices*, præcipue *ſalix altiſſima anguſtiſſimo folio*, *ramis non erectis ſed pendulis*, & quidem, ſecundum Turcarum fabulas, ex reſpectu erga Mahometem, dum ſub ipſius umbra quondam quieſcebat: reliquæ enim arbores omnes, aut humiliores juſto manent, aut ramis rarioribus effectum non præſtant, aut, quod omnibus arboribus aliis, præter ſalices, contingit, in radicibus ob terram paludoſam nimis humidam putreſiunt, & poſt paucos annos emoriuntur: doleo autem ſummopere, quod hæ arbores a Turcis adeo cultæ, in locis ſupra nominatis Hungaricis a Germanis iterum omnes fuerint exciſæ:

73tio. Poſitivum unicum mihi conſtat ab experientia, ſcilicet *eſſentia cort. Peruviani, vel pura, vel cum ſpeciebus aliis amaricantibus præparata*, & quotidie ante ſomnum ad drachmas II. vel unciam dimidiam ſumpta, vel etiam ſimul mane: ne autem ab hac abſterrearis, tanquam medicamento ſanitati ſuſpecto, ſcias ex relatione & teſtimonio excellentiſ. & illuſtriſſimi, *D. Comitis & Campi Mareſchalli Cæſarei de H.* quod hujus eſſentiæ dictæ quotidiano uſu, ſe cum tota ſua aula, multos annos in Hungariæ dictis inſalubribus locis habitantem conſtanter ab omni febri præſervaverit famoſus ille dux belli *Bonneval*, hodie dum hæc ſcribo, Conſtantinopoli ſeptuagenario major & vegetiſſime vivens: manſit hic cum ſuis domeſticis in dictis Hungariæ locis conſtanter ſalvus ad invidiam

 omnium

omnium reliquorum prætorum, quorum vix unus (multo minus vero eorum domeſtici) fuit, qui a febribus paludoſis ſupra deſcriptis manſiſſet immunis. Rationem erue ex ſupradictis, præcipue num. 48. 49. 50. 51. &c. interim per parentheſin moneo, quod item hic cortex contra *dyſenteriam* egregie valeat.

Prophylaxis proxima & immediata a ſcorbuto, quatenus immediate etiam a ſcorbuto præſervat, imo illum juvat, eſt eadem cum num. 72. & alia in prioribus dicta, præcipue num. 7. 8. 9.

CENSURA.

Hydram eſſe ſcorbutum, non maris duntaxat Balthici accolis endemiam, ſed bellatoribus, hodie cumprimis, ubivis terrarum exitialem, in propatulo eſt. Ad monſtrum hoc immane conficiendum Hercule opus erat alexicaco, qui & nodoſæ munitus robore clavæ in arenam deſcenderet, & calami ad hujusmodi pugnam attemperati acumine confoderet beſtiam malignam ac truculentam. Fecit hoc ſcripto prorſus eximio, & bonæ frugis pleno *celebratiſſimus ac primarius copiarum cæſarearum medicus* D. D. *Jo. Georgius Henricus Kramerus*, cujus epiſtolicam hoc de argumento diſſertationem ubi ex procerum mandato cum cura perlegi, mirificam inde animo percepiſſe voluptatem ingenue denuncio, dignamque adeo profiteor, quæ typis expreſſa in manus cupidorum doctrinæ melioris, & quæ ſalutaris fulcro experientiæ ſit innixa, philiatrorum ſine tergiverſatione exponatur. *S*cr. ipſis Idibus Jun. an. ær. *Chr.* CIↃ IↃ CC XXXVII.

GODEFRIDUS THOMASIUS.

GEOR-

CXCVII.

GEORGII ERNESTI STAHL

ET

GEORGII DANIEL THEBESII,

DE

SCORBUTI ET VENEREÆ LUIS DIVERSIS SIGNIS ET MEDICINIS.

Halæ 1706. Februarii.

P R OE M I U M.

SI uſquam judicium, agnoſcente jam Hippocrate, difficile eſt, & ambiguus ςοχασμὸς medicus, eſt certe in illis morbis eorumque circumſtantiis, quibus non ſolum magna inter ſe convenientia ineſt, ſed etiam communis quædam ambiguitas atque minor evidentia familiaris eſt. Sicut enim minus certa agnitio, cognitionis penitioris certitudini ingentem obicem ponit, ita eo magis plurium rerum, ſingulatim non ſatis diſtinguendarum, qualiſcunque generalior ſimilitudo, non poteſt non ingens præjudicium & impedimentum objicere, cuicunque tentamini exquiſitioris diſtinctionis. Cum autem incertitudo veræ morbi indolis nihil aliud parere poſſit, quam methodi etiam juſtæ occurrendi atque ſubveniendi inſuperabilem difficultatem: quoquo modo proinde neceſſarium certe eſt correctioni hujus defectus, quanta unquam ſperari poſſit, invigilare, imo inſudare. Planior autem via ad metam hanc pertingendi, alia certa verior nulla eſt, quam ut ſingulorum ſeorſim morborum ſymptomata certa, evidentia, adeoque communiter etiam eminentia & præcipua, quam maxime attendantur; ſepoſitis interim dubiis magis, & dubii præſertim cum directa morbi eſſentia, nexus: & illorum deinde in diverſis morbis ſolertior atque curioſior comparatio inſtituatur. Hac enim methodo fieri certe non poterit, quin cujuſque morbi veluti ſpecifica magis indoles ab altera rectius diſcerni, atque inde etiam ſolidius tractari, atque efficacius expugnari poſſit. Sicut autem in morbis manifeſtius diſcrepantibus, minus imo nullum fere circa hanc diſcretionem occurrit negotium; ita eo majori peritia certe tractari meretur hæc intentio in illis caſibus, ubi major ſimilitudo ambiguitatem auget: aut intimior diſparitas cauſarum, & conſequenter medicationum, errorem periculoſiorem reddit. Seorſim autem maxime conſultum eſt, loquacitatem αἰτιολογȣμένην, hodiernæ medicinæ familiarem, in ejuſmodi caſibus continere, ne de imaginariis humoralibus circumſtantiis confidenter aſſeveret, quæ vel anatomicis poſthac pateſcentibus examinibus, vel ſpontaneis tandem eruptionibus materiarum, vel tandem liquidius ad ἀκμὴν ſuam pervenientis morbi, dilucidioribus effectibus refellantur. Poſſent harum rerum exempla allegari, ſed tanto minus opus eſt, cum hodiernis moribus abunde notum ſit, quam raro numero plures medici, de una eademque re conſulti, ſi ſpecialius aliquod effatum edere debeant, conſona proferre ſoleant. Interim cum & veritatis, & uſus, imo ſubinde ſecuritatis patientium, omnino interſit, ut quantum fieri poteſt, conſtans aliquid atque verum circa propriam indolem affectuum qui aliquam inter ſe analogiam præ ſe ferunt, diſpiciatur atque decernatur: dignus certe medico ſuarum rerum ſatagente eſt labor, hujuſmodi implicationibus extricandis, ſolertem manum accommodare, & tenebris his lucem fœnerari. Placet per-

ticulam hujus operis ſpeciminis inauguralis loco deſumere, & quid in illa valeant noſtræ vires, experiri. Scorbutus, *famoſum hodie nomen nimium quam ſæpe variis valetudinis vitiis, imprimis autem quæcunque ſolidius nominare atque verius enucleare non liqueat, paſſim imputari ſolitum, hinc inde etiam temere transfertur, ad* Venereorum, *familiariſſimorum hodie, inquinamentorum, non ſatis agnitas aut intellectas, jam paſſiones, jam corruptelas: quam inconſulto vero, imo inauſpicato tale quidquam ſerio fiat, ſatis certe dilucеſcere poteſt ex eo, quod varia, & fere efficaciora alterutrius mali remedia, alteri non modo nullum commodum, ſed ſatis prompte periculum imo damnum, afferre poſſint. Ut itaque in his rebus nihil temere hallucinari contingat, diſtinguere nobis placet ſcorbuti & luis venereæ indolem, nec ibi ſolum craſſiorum ſpecialiſſimarum circumſtantiarum differentiam determinare, ſed tenuiorum etiam, & quadantenus alienæ perſonæ induendæ capaciorum, verius diſcrimen conſtituere.*

Faxit Deus T. O. M. *ut & bene ſuccedat hoc noſtrum propoſitum, & ad uſum etiam generis humani feliciter cedat.*

I.

QUemadmodum variæ ſunt morborum externæ facies ſecundum varios ſui *progreſſus*, & conceptum aut impetratum *ſucceſſum*; ita ſolent etiam ſubinde mutuis *ſimilitudinibus* fallere, & obſcurioribus *indiciis*, veram ſui diagnoſin difficilem reddere.

II.

Faciunt autem hoc tanto magis & facilius, quanto *lentiores* progreſſus ſervando aut nanciſcendo, a vera ſui formali ratione longius adhuc diſtant, adeoque non niſi *generaliores* ſenſus diſcretiones admittendo, minus perita judicia vel ſubterfugiunt, vel præoccupant. Unde quidem ingens hic eſſe debet & *peritia* veræ indolis, & circumſpectio atque cunctatio *judicii*, ne ex ſolis circumſtantiis prout in præſenti jacent, de ſumma rei aliquid ſtatuatur, ſed potius ad *præterita*, ad progreſſus, inquam, jam factos, & adhuc etiam *futuros*, comparatio dirigatur.

III.

Lues venerea, uti morbus eſt priſcis non ſolum ſeculis in orbe antiquitus cognito ignotus, ſed etiam in hunc uſque diem propterea vulgari medicorum catervæ minus ex aſſe perſpectus, quoniam cura ejus familiarius *empiricis* methodis, & *manualibus* adminiſtrationibus deſtinatur, quam

quam ſolertioribus ſive *penſitationibus*, ſive *methodi* ſcitis directionibus aut executionibus: & hoc quidem tanto magis, quo magis veras ſuas formales, ut loquuntur, corruptelas, jam vere ſubit atque infert: fieri hinc non mirum eſt, ut minus cognita illa ſui facie, & *immaturiorum* ſymptomatum ſchemate illis imponat, qui totam ejus efficaciæ hiſtoriam, & ut vulgo ajunt *motus generationis progreſſum*, ex ipſa experientia non affatim conquiſiverunt. Magnum autem eſſe talium non medicaſtrorum ſolum, ſed etiam magis ſyſtematice, juxta libros, per libros, & quantum in libris, practicorum numerum, non certum ſolum, ſed notum etiam eſt.

I V.

Sunt autem *tres* inprimis generaliores circa veram indolem *luis venereæ* dubitationes, imo ex parte *fluctuationes*, in *theoria*, & hinc offenſiones in *praxi*. *Prima*, quando lues venerea habetur pro *lepra* ſimpliciter. Quam cauſam pro ſe & aliis orare ſuſcepit, quamvis non peroraſſe appareat, *Ammannus medic. crit*. *Secundo*, quando *muſſitantia* adhuc ejus circa artus & exteriorem habitum corporis pathemata, ſimplicius pro *arthriticis*, aut *rheumaticis* (nec his ipſis etiam affectibus debite diſcretis) reputantur atque proclamantur. *Tertio*, quando tum ſub modo dictis, *arthritica* ſchemata mentientibus, tum aliis *pruriginoſo-ſcabioſis*, *maculoſis*, & adhuc levius *ulceroſis* affectibus, pro ſimplici *ſcorbutica* dyſcraſia judicantur.

V.

Ubi quidem, uti fere nulla diſciplina opinionum quarumlibet feraciſſimo proventu magis luxuriat, quam ipſa medicina, rarior forte eſt, ſed tamen non deeſt plane, illa etiam opinio, quod univerſus, vulgo aliis, quomodocunque etiam & agnitus & deſcriptus *ſcorbutus*, nihil aliud ſit, quam vera *lues venerea*.

V I.

Interim licet forte pauciores huic opinioni ſubſcribant, multos tamen revera audias indies, qui ex adverſo *venereos* affectus *ſcorbutici* mali appellatione ſalutent.

V I I.

Nullum eſt dubium hic etiam alibi *voluntate* peccari, alibi vero *intellectu*. Ita enim non ſolum medici ſæpiſſime hoc dant morum, uti volunt, elegantiæ, ut *veneream* impuritatem corporis, *ſcorbuticorum ſalium*

nomine pallient : ſed ipſi cumprimis patientes, quando ipſos præpoſtero, ſed recepto, morum habitu, effectus magis pudet quam cauſæ, jam vel craſſos *venereos*, impuros eventus, ad medicum denuntiant, *ſie hatten ſo* ſcorbu*tich geblüte*, *ſcharbockiſche ſchärffe im geblüte*, *ſcharbockiſche geſaltzene flüſſe*, *an ſich*.

VIII.

Quod quidem tanto ſolennius faciunt, quanto magis eum *medicis*, *medicaſtris*, *fœminis* ſexum ſuum ſapientia evaſuris, *tonſoribus*, & *balneatoribus* converſati, jam nihil ſimpliciter, ſed omnia philoſophice & pathologice eloqui geſtientes, puras putas *ætiologias* ad medicum afferunt, & non *quid* ſentiant, ſed quid ſentire ſe *intelligant*, eloquuntur, & per mera *nomina*, nulla vero *phænomena*, medicis moleſti ſunt : imprudentibus etiam, cum gravi ſæpe ſui proprio periculo, ſcandaloſi.

IX.

Interim eſt tamen etiam altera, *intellectus* hic aberratio nequaquam inſolita aut infrequens, ut utique ſine fuco aut dolo, *luem veneream* pro *ſcorbutica intemperie* hinc inde haberi, teſte ipſa medendi methodo & materia, obtingat.

X.

Cum vero non ſolum *à priori* ſinguli hi affectus a ſe invicem vere diſferant; ſed eo ipſo etiam medicatio, & medicamenta, una eademque, ſingulis convenire & conducere, nedum ſatisfacere, minime poſſint; adeoque etiam *à poſteriori* incondita quorumlibet remediorum, ad quoslibet morbos adhibitio, non ſolum prodeſſe non poſſit, ſed nocere etiam ſubinde ſoleat: putamus hinc tanto utiliorem futurum eſſe laborem, quo hæ diverſæ morborum ſpecies a ſe mutuo diſtinguantur, & quid alterutris minus quadret, debite diſcernatur.

XI.

Vix autem commodior methodus ad juſtam harum rerum diſcretionem ſuppetit, quam illa, quæ primo loco diverſitatem *totius indolis*, & conſequenter etiam *ſignorum*, atque ita *diagnoſeos* utriuſque horum affectuum, debite & ſufficienter evolvat : deinde tum *experientiam*, tum *rationes* producat, quam incommode *methodi* & *remedia*, alterutris ſpecialius convenientes, ad utraſque indifferenter ſeſe habeant, aut applicari patiantur.

XII.

Prima, quæ hoc nomine occurrit, diverſitas, eſt inprimis *Ortus* ingens diſparitas. Cum enim *ſcorbutus* primo præcipue cooriri ſoleat in *locis* frigidis *humidis*, aut ſane *humido-nebuloſis* atque *vaporoſis* : *diæta* alimentari etiam craſſa atque ſimul ſalſa, motuſque corporis & ſanguinis majore torpore : *lues venerea* e contra, & primam ſuam, ac veluti originariam ſedem, magis obſervata eſt habere in locis *calidioribus*, ſine peculiari ad *humiditatis* aëreæ influxum reſpectu : & *agilitati* reliquæ tam corporis univerſi, quam *humorum*, imo *floridiſſimæ* quoque reliquæ horum craſi, & promptius imminet, & profundius inſidet, quam ut peculiaribus *dyſcraſiis* ad *fomitem* ſui indigeat.

XIII.

Ratione *progreſſus* autem atque ſtatus ſui, *ſcorbutus* quidem etiam *contagio* diffundi atque ſerpere poteſt, ſed etiam proprio *ortu ac proventu* corporibus innaſci, & *ſpontaneo* velut ortu in illis generari. Cum ex adverſo *lues venerea*, nunquam, niſi *contagio* unice generetur, & de corporibus in corpora diſſeminetur atque propagetur.

XIV.

In quo ipſo tamen negotio diſpar omnino eſt utriuſque hujus affectus invadendi ſeu diſſeminandi *promptitudo*. Licet enim de *lue venerea* notiſſimum ſit, quod illa promptiſſime ex uno corpore in alterum communicetur : de *ſcorbuto* tamen minime reſpondet veræ atque ſolidæ experientiæ par penitus ratio, cum vere *ſcorbuticos* tam facile alios, vere & ſenſibiliter contagio ſui mali afficere, nullo modo obſervetur.

XV.

Tanto major autem eſt differentia *modi* tam invadendi quam progrediendi, intuitu partium affectarum, & modi effectuum ſeu affectuum. Cum enim *ſcorbutus* plurimum *ore*, *lues venerea* plurimum *genitalibus*, communicetur : quamvis etiam *ore lues venerea* communicari poſſit : *ſcorbutum* tamen *genitalibus*, & actibus *cohabitationis* magis directe, de corpore in corpus communicari, inauditum fuerit, & exemplo caruerit ſolido & *evidente*.

XVI.

Tantum enim damna *venerea* circa *genitalia*, à *ſcorbuticis* ſymptomatibus abſunt, ut ne quidem exquiſitiſſimi *ſcorbuti* ſymptomatibus ullo reſpectu accenſeri poſſint: cum, quicquid hic de qualicunque *ſalacitate aut prurigine* forte narrari ſolet, vix ulla *ſeria* probabilitate *ſcorbuto*, ſed longe verius *individuali* reliquæ propenſioni, poſthac ejuſmodi prætextibus colorandæ, in acceptis ferendum ſit: vel etiam *medicationibus* interdum variis, per *empiriam*, & *mirabiles ætiologias* varie inſtitutis, inprimis per *caſtorina*, ex *formicis* parata, ſubinde etiam *analeptica*, *moſchata* &c. imputandum.

XVII.

Cum præterea etiam *effectus luis venereæ*, *per os* ſeſe inſinuantes, aut in illud redundantes, longe plurimum diſcrepent a *ſcorbuticis*, facilis hinc eſt utrorumque affectuum etiam in hac parte diſcretio. Dum enim *ſcorbutus* in ore *gingivas* magis afficit, *cruentas*, *laxas*, & ſenſim veluti in tabum *fatiſcentes* reddit; *linguam* atque *fauces* anginode magis *æſtu*, & *inflatione*, æſtuoſiore quam *acriore*, obſidet, denteſque *carioſos* reddit: *lues venerea* ex adverſo lentoribus *mucidis*, *pruriginoſo acribus*, *ulceroſum* ardorem formantibus, imo non ſolum *arroſionem*, ſed profundiores etiam *eroſiones* prompte atque vehementer progignentibus, effectibus ſeſe exſerit, quæ non tam *gingivas* atque *dentes*, quam *tonſillas*; inprimis *uvulam*, *infundibulum*, *nares*, quin *oſſa palati* atque *narium*, & *cartilaginem* harum, prompte & potenter corripit, imo corrumpit: à quibus rebus *ſcorbutus* etiam *ferocior*, vel penitus abſtinet, vel certe neque progreſſus hujuſmodi, neque corruptionis propriam formam, efficit aut inducit.

XVIII.

Ita etiam lues venerea, circa *os externum cruſtoſis*, *ſalſo acri* ardore ſubinde aſperius infeſtantibus, & *nauſeoſum*, veluti *mucidum* atque ſitulentum nidorem ſpirantibus, *ulcerationibus*, nimio promptius & familiarius ſeſe exſerit: quales a *ſcorbuto* etiam in hac parte, cum univerſo reliquo corpore, velut inſolidum alienæ ſunt, qui magis *ſanguinolentis*, *ichoroſis*, *nigricantibus*, *liveſcentibus*, omni modo vero potius humidis atque *tenuiter manantibus*, quam *cruſtoſis*, *glutinoſis*, & *ſiccam eſcharam* ſive facile formantibus, ſive pertinacius foventibus, ulceribus gignendis fœcundum ſeſe gerit.

XIX.

XIX.

Unde etiam eſt, quod *ſcorbutus* quidem *maculas* gignere ſolet, vel *cruentis* collectionibus atque ſtigmatibus evidentius ſimiles; vel *tumores* etiam, cum paris *coloris* concurſu, *duritie* inſuper & infarctu copioſiore, ſatis ſæpe tamen etiam in ſat longum tempus, *ſpontaneas corruptiones* nullas concipiente.

XX.

Lues venerea ex adverſo, collectiones *craſſiores*, *nodoſas*, *gummatoſas*, *glutinoſas*, *exſangues* gignit, *ſteatomata*, *atheromata*, *melicerides*, *bubones*: pallida, lenti & glutinoſi muci proventu, non ſolum intus fœda, ſed etiam in ſui ambitu ſpiſſa atque denſa, ulcera atque tubera: omni modo vero in *ulcerationes* actuales, licet *lentas*, *ſalſas* magis quam *putrilaginoſas*, proclivior eſt, quam *ſcorbutus* ſibi relictus, nec incommodis remediis aut methodis temere irritatus.

XXI.

Inprimis etiam quod *oſſium* corruptiones attinet, & longe feracior harum, & in illis longe ferocior eſt *lues venerea*, quam *ſcorbutus*. Cum enim tarde ſatis atque raro, *ſibi* inprimis *relictus* ſcorbutus, aliis præter *dentes*, *oſſibus*, directe negotium faceſſat: contra, nimio facilius hoc facit *venerea* corruptela, & non invadit ſolummodo atque corripit, ſed corrumpit etiam *oſſa*, progreſſibus non contemnendis.

XXII.

Conſpirat præterea *ſcorbutus* plurimum cum *viſcerum* inprimis autem *abdominis*, pathematibus, ita, ut rariſſime ſine illis, ſolum corpus *externum* afficiat, communiſſime vero *reciprocis* pathematibus, aut connexis & intus, & exterius, male afficiat patientes.

XXIII.

Ex adverſo *lues venerea*, inprimis *directe*, *ſibi relicta*, ſine remediorum aliquid commoventium culpa, ſæpe peſſime habet *exteriores* aliquas corporis partes, vix effatu digna aliqua circa *interiores* moleſtia.

XXIV.

XXIV.

Dolores, quibus uterque affectus ſatis fœcundus eſt, in ſcorbuto ſatis ſenſibiliter differunt a *venereis*, quod longe *acutiores*, *ſubtiliores*, ſimplicius *æſtuoſi*, percipiantur; fere etiam propria ſua indole magis *tranſitorii*: ita ad minimum, ut poſt aliquod temporis ſpatium *miteſcant*, imo in malo adhuc mitiore *ceſſent*, & alio demum tempore, quaſi paroxyſmo quodam revertantur.

XXV.

Venerei vero *dolores* quantumcunque etiam vehementes atque feroces, diſtinctius *rodentem* quendam, & *ſalſi* veluti ardoris, & acris morſus participem, nec tam acute *lancinantem*, quam, ut ipſi patientes enunciant, *terebrantem*, quendam ſenſum exhibent. Sunt præterea magis *ſtatorii*, diu unum eundemque locum obſidentes: & licet admodum familiariter varietatem quandam, majoris aut minoris ſui impetus, exhibeant, breviſſimæ tamen periodi eſt eadem, dum ſingulis *noctibus* gravius affligit, interdiu ſenſibilius miteſcens doloris ferocia.

XXVI.

Quantumlibet etiam uterque affectus *pruritium* feraciſſimus ſit; differt tamen *ſcorbuticus* pruritus ſatis ſenſibiliter à *venereo*, quod longe *ſubtilior* atque tenerior; *æſtuoſi* magis; quam acris *ulceroſi* ardoris compos exiſtat; præterea leni etiam *frictioni* magis quam *ſcalptioni*, ſenſibiliter obtemperet atque ad tempus cedat, inprimis excutiæ (*einer bürſte*) non nimium rigidæ *frictioni*: *venereus* contra pruritus ſcalpendo ordinarie exacerbatur, neque vere inducias det prius, quam *excoriatis* partibus *acrior* dolor ingruens, manus ultra adhibere vetet.

XXVII.

Quod autem jam ſupra de *ulcerationibus ſcorbuticis* a *venereis* differentibus notatum, illud huc etiam referendum eſt; dum *ſcorbutici* quidem pruritus etiam ad *excoriationes* uſque confricti, magis *ſanguinolenta* ſtigmata, & ardentiores, magis *inflammatorios* ambitus formare ſolent. *Ulcera venerea* vero magis *ſeroſo mucidam* humiditatem exſudare conſueverunt, quæ in pertinaces *cruſtas* abeat ab *inflammationibus* parum incommodi habentes, ſed ſolum *rodente* quodam ardore maxime moleſtas.

XXVIII.

XXVIII.

Sicut autem univerſaliores *languores ſcorbutici*, cum *venereis laſſitudinibus* in eo minime conveniunt, quod hæ, *venereæ* inquam, longe majus *onus*, & quaſi pondus corpori una conciliare videantur: dum ſcilicet & *gravitatis* in membris, & intimioris cujuſdam *obtuſi doloris* contuſorii ſenſum incutiunt:

XXIX.

Ita ex adverſo ſcorbuticæ virium jacturæ, vel directam quandam velut à priori, virium inopiam, ſine peculiari oneris ſenſu, exhibent: vel non niſi ſub peculiari ſitu aut motu corporis ſeſe ſiſtunt, v. gr. dum patienti jacenti quidem, ſic ſatis bene eſſe videtur: erigenti autem corpus, *lipothymia* ingruit, aut evenit.

XXX.

Ubi etiam illa differentia attendi meretur, quod *ſcorbutici* quidem non ſolum in genere *decubitum*, ſed in ſpecie etiam *lectum*, ſic ſatis tolerent: *venereis* autem non ſolum à *decubitu*, ſed fere eo magis à *lecto* dolores augeſcant.

XXXI.

Neque vero obiter ſive memorari, ſive obſervari, meretur, differentia dolorum in *artubus*, ſcorbuticorum & venereorum. *Scorbutici*, ut omnia reliqua ejus claſſis, *teneriores* veluti & quaſi *ſubtiliores*, *acuti*, *penetrantes*, immo *mobiles* ſubinde, *vagi* & *volatici*, exiſtunt; *æſtuoſi* magis & ſi non *inflammatorii*, tamen ſenſu quodam *ſubtili caloris* urentis conſpicui:

XXXII.

Venerei vero quaſi *rodentes* magis, *fixiores*, *obtuſiores*, *gravitatem* veluti atque preſſionem parti inferentes: communiter etiam magis *ſtatarii* aut certe *contumaces*, atque pervicaces.

XXXIII.

Eſt vero etiam notabilis differentia in *excretis*, inprimis *urina*. Hæc enim in *ſcorbuticis* vel *tenuior* eſt, ſimulque *coloratior*: vel ſi *craſſa* quoque appareat, *fuſca* magis aut *nigricans*: ſi etiam *odorem* fortiorem ſpirat, *acrior* ille fere eſt, *ſubtilior*, penetrantior.

XXXIV.

Venerea vero urina familiarius *craſſa* eſt, minus colorata, *ſubturbida*, *ſedimento* tenaciore, ſubmucido, quaſi *grandinoſo* affecta: ſi quem etiam *odorem* ſenſibilius ſpargit, *fœdus* ille eſt, *putidus* & *nauſeoſus*, qualem Germani *ſubdulcem* vocitant.

XXXV.

Sicut autem hæc omnino ita ſeſe habent; ita certiſſima tamen methodus eſt, non ſolum *ſpecialiſſimis*, ſed ſimul etiam *evidentiſſimis* præcipue *ſignis* differentibus inniti; qualia præcipua ſunt, quæ primis locis allegavimus, circa *os & nares*, *infundibulum & fauces*, inprimis autem circa *genitalia*. Diverſam etiam notabiliter indolem, tam ſtaſium quam corruptionum *ulceroſarum*, atque *dolorum* hic conſiderare, pro cynoſura eſſe poterit, neceſſariæ, debitæ diſcretionis.

XXXVI.

Non poſſumus autem, quin adhuc ſpecialem diſtinctionem laudemus, differentiarum, quæ ſe partim circa *ſubjectorum*, partim ipſorum, horum *affectuum*, diverſam *ætatem*, exerunt. Ubi quidem ad prius, *ſubjectorum* ætatem, quod attinet, obſervatur conſtantius, quod *infantili* inprimis, immo vel *puerili* adhuc ætati, neque *ſcorbutus*, nec ipſa *lues venerea*, adeo æque communiter *graviſſima* damna, *breviſſimis* omnino progreſſibus, incutere ſoleat, uti fere familiarius evenire ſolet *adultis*.

XXXVII.

Quando vero hoc etiam contingit, ut nempe *gravius* etiam hanc ætatem alteruter affectus corripiat, exhibet certius atque ſolennius evidentiora ſigna inprimis *lues venerea*, quibus à ſuſpicione aliena *ſcorbuti* facile liberetur. Dum nempe vel *fauces* atque *nares ulceroſis* affectibus & effectibus evidentius inficit; quin circa *labra* etiam fœdas ejuſmodi *tenues* atque *depreſſas*, *languidiores* autem, *refractarias* inſuper, *cruſtas* inducit; tum etiam, in malo inprimis prævalido, circa *anum* infantum, *verrucoſa* quædam ulcera, & veluti *mariſcas* efformat: in *puerili* vero corpore *ſteatomata*, *atheromata*, *meliceride*s, malignas *ſcabies*, cum *tabidis*, & *atrophicis* ſymptomatibus, & artuum quoque fixioribus doloribus, format.

XXXVIII.

XXXVIII.

Cum ex adverſo *ſcorbutus* tum magis reliquis communibus ſignis, tum in ſpecie floridioribus *maculis*, ſeſe propius manifeſtet; tum etiam *gingivarum* cruentatione, & ſucceſſiva velut *abſumtione*, *dentium* vero nimis quam matura *denigratione* non magis, quam actuali *carie* & hinc *anhelitus graveolentia*.

XXXIX.

Sicut autem jam diximus, quod neuter affectus huic *ætati*, æque uti reliquis, præſentanee pernicioſus obſervetur; ita valet hoc tanto magis de *ſcorbutico*. Probabiliter propterea, quoniam in his ætatibus tam *motus*, quam *ventilationes* excretoriæ ſanguinis adhuc *vegetiores*, *ſcorbuticæ* dyſcraſiæ difficilius locum præbent.

XL.

Lues venerea tamen, vel gravius *ſcorbuto*, vel certe facilius aliquanto, etiam huic ætati ſeſe ingerit; & ſi nihil aliud, *radices* tamen profundiores agit, quæ creſcente tandem ætate & ſatis mature ſeſe exſerant, inamœnis ſuis fructibus, & certe *difficillime funditus* iterum *eradicantur*: longe profecto difficilius, quam in *adultiore* corpore etiam ſatis jam ferocientes.

XLI.

Deinde de affectuum horum ipſorum etiam *ætate*, in genere quidem illud verius eſt, quod magis jam *inveterati*, aut gravius *ferocientes*, certiora exhibeant ſui ſigna propria, quibus ſatis ſolide diſcerni poſſint. Aut, quamdiu hoc non faciunt, minus etiam fere poſtulent ejuſmodi *methodos atque medicationes*, quibus, ſi *diagnoſis* non ſatis perite facta ſit, ita facile gravius impingi poſſit.

XLII.

Interim excipi forte hic meretur *infantilis* aut *puerilis* ætas, utpote in qua, ceu proxime monuimus, præſertim *venereum* inquinamentum altiores radices agit per tempus, quibus adeoque *præoccupandis* operam dare convenientius videatur. Poteſt tamen modo data diſtinctio, etiam quam maxime hoc loco recte ſubvenire; nempe, ut quidem medicamentis ſatis *tempeſtive*, occurratur, ſed ſolum à *fortioribus* temperetur, quamdiu affectus adhuc quietior & magis *clandeſtinus*, etiam ſecundum reliquam indicationum proportionem, talia poſcere non æque apparet.

XLIII.

Ita nempe, uti *diagnoſis* horum duorum affectuum certa atque *ſolida*, propterea inprimis neceſſaria eſt, ne præpoſteram acceptionem etiam aliena *tractatio* ſequatur: ita hæc tractationis ambiguitas propterea maxime evitanda eſt, quoniam non ſolum *aliena alienis* non conducunt, ſed alias hinc inde, & hic etiam certius, *nocent* atque damnum afferunt.

XLIV.

Hoc quomodo fieri poſſit, ut *methodo* & *medicamentis* alteri horum affectuum debitis, alteri *damnum* aliquod inferatur, licet jam ſupra ſubindicaverimus, non incommodum tamen erit hoc ipſo quoque loco ejus iterum diſerte mentionem facere.

XLV.

Cum uterque horum affectuum in totum *ſanguinem* diffundi vel interdum videatur vel aliquando etiam ſoleat; & propterea communiter non ſolum medicamentis, *totam* ſanguinis *maſſam commoventibus*, ſed etiam methodis talibus atque regiminibus tractari conſueverit, inprimis *lues venerea*; *ſcorbutus* autem rudiores horum generum *commotiones* moleſtiſſime ferat: ingruit inde mox ab hoc initio, & velut in genere, ingens perturbatio, ſi *fortiores* illæ commotiones quæ *lui venereæ* magis vere debentur, *ſcorbuto* adhibeantur.

XLVI.

Ex adverſo *ſcorbutus*, cum medicamenta quidem univerſam maſſam humorum *pervadentia* poſtulare videatur, *excretionum* vero *ſtimulos* non pariter toleret, nedum exigat: *lui venereæ* autem commotio humorum *ſine exitu*, non modo nihil commodi, ſed etiam aliquid *detrimenti* afferre poſſit: fit etiam hoc intuitu *perverſio* harum methodorum atque medicationum inutilis, quin facile *noxia*.

XLVII.

Tanto magis cum remedia *antiſcorbutica* veriora, pleraque *ſubtili* ſua *acredine* ſanguinis quidem *grumoſæ ſpiſſeſcentiæ* conſulere poſſint: *ſeri* vero, præſertim jam in *ſalinas* corruptiones fatiſcentis *acrimoniæ* magis *exagitandæ* quam abigendæ inſerviant, incommode certe immo non ſine nocumenti periculo, perverſa ratione *venereo malo* adhibentur.

XLVIII.

XLVIII.

Valet hoc adhuc magis de illis *ſcorbuticarum* exacerbationum, imo aliquando *univerſaliorum* talium conſtitutionum, caſibus, ubi *fervidiori* commotioni per *acidula* remedia ſuccurrere, convenit. Siquidem talia *lui venereæ* adhibita, tum reliqua ejus ſymptomata, tum inprimis *ulceroſa*, tantum abeſt ut juvent, aut ſolum nihil perturbent, ut potius revera poſitivum *nocumentum* illis afferant.

XLIX.

Ad *medicamenta* ipſa quod attinet, nota eſt *antiſcorbuticorum* verior familia de *Raphanaceorum*, & *Thlaſpidiorum* acrium ſenſu, inter quæ primatum ducit *cochlearia*. Sicuti rem uti vere ſeſe habet eloquendo, *proprie* atque *certius cochlearia ſimpliciter*, & *integra* quidem magis, ſcorbuto, *oris* cum primis, certius opitulatur: alia vero magis ad hujus *ſimilitudinem* tentantur atque ſuadentur. Aliis, in *fervidiori* quam maxime corporum habitu placet *acetoſella*, aliis *acetoſa*, de *lapathorum* proſapia: e quibus à *Muntingio* laude penitus peculiari, (quamvis *efficacia*, vel ex ipſius authoris præfiguratione, ſumme *ſegni*) extollitur *hydrolapathum*, tanquam rediviva *Britannica*. Aliis *amara*, ſanguinem alias ſimul *purificantia* placent, *trifolium fibrinum*, *beccabunga*, *alſine major* (aliis *pulmonaria aquatica*) communiſſimo conſenſu *fumaria* &c.

L.

Sicut autem prima & ultima, *acriora* inquam illa & *amara*, velut indubium primatum ducunt, ita de prioribus non magis notandum, quam re ipſa notum eſt, quod *acria* talia *venereis* pathematibus minime conducant, ſed potius *moderato* uſu, nihil proſint, *largiore* vero etiam incommoda afferant, & nil niſi majorem *acrimoniam* corruptelæ venereæ veluti ſuperaddant.

LI.

Quid, quod intempeſtivus uſus *acrium* talium, *venerea lue* correptis peculiare damnum ad *pectus* adducere videatur, cui alias *directe* ab hoc malo, & ſibi relicti patientes, non temere obnoxii fiunt.

LII.

Poſteriora vero, nempe *amara* illa, inprimis *fumaria* ad ſubjiciendos *venereos* ægros penitiori inſinuationi *ulceroſæ* ſuæ corruptelæ in *totam humorum*

morum maſſam; atque diſtributioni velut *expulſoriæ* ad ſuperficiem corporis, vergunt. Immo, ſi *regimina* minus convenientia concurrant, exagitant revera etiam *crudiores* adhuc *venereas* corruptelas, & efficiunt, penitiore ſanguinis interagitatione, tanto *fervidiores*, *ichoroſiores*. Siquidem hæc etiam amara, certiſſime omnium autem *fumaria*, ſanguinis inprimis penitioribus agitationibus inſerviunt; *ſtricte dicti*, inquam, *ſanguinis* magis, quam *ſeroſæ* colluviei.

LIII.

Communius remedium inprimis plebis nauticæ, ſed omnino etiam ſatis notæ efficaciæ, cæteris debite paribus, ſunt *cepæ;* quin etiam *allium* temperanter uſurpatum, ad ſcorbutica pathemata. Quis autem niſi imperitiſſimus hæc ſuaſerit, immo tantum indifferenter conceſſerit, *venereis?*

LIV.

Ita etiam condimenta alia *aromatica* acria prudenter uſurpata, quantum ad averruncandum æque atque diſſipandum *ſcorbutum* conferant, notum eſt. *Venerea* vero corruptela affectis non alias tantum pleraque horum incommode cedunt; ſed formidantur etiam, nec id injuria, in *curationibus*, ſive per *ligna* atque *diaphoreſin*, ſive per *Mercurium* atque *ſalivationem*, perpetrandis.

LV.

Quantum etiam utilitatis adferat tam ad præfocandum atque excludendum *ſcorbutum*, quam ad *excutiendum*, tolerabilis *motus* corporis, imo priore intuitu etiam *vegetus* imo *laborioſus*, notiſſimum eſt illis inter quos de reliquo familiarior eſt hujus mali proventus.

LVI.

Aſt vero *venereo* malo, tantum abeſt ut quidquam veri commodi aut emolumenti adferat *motus*, ut potius jam acerbiori malo, non ſolum tolerabilis non ſit, ſed revera etiam poſitive noxius.

LVII.

Sicut autem *dyſcraſiæ* ſanguinis *ſcorbuticæ*, medicamenta debentur, quæ *grumoſam* ejus denſationem in fluxili ſero, ſubtiliter reſolvant: ita ex adverſo, *ulceroſis* ſtaſibus ejuſmodi ſanguinis, *ſanguinis* inquam in *fervidas putrilaginoſas acerrimas* corruptiones *propendentis*, tanto magis autem jam

actu

actu in illas prolapſi, *temperantia*, *mitigantia*, *ſubtiliter*, uti vocant *refrigerantia*, debentur: abſtinendo a *ſepticis*, *colliquantibus*, fortius *abſtergentibus*.

L V I I I.

Ex adverſo *venereæ* ulcerationes, niſi *acrioribus* abſtergentibus, *fortiter* emollientibus, immo *colliquantibus*, quin ipſis ſubinde *ſepticis*, perite atque dextre tractentur, fruſtra eſt omnis alia induſtria. A talibus autem, temperantibus fervores, & uti vocant leniter refrigerantibus, & læduntur familiarius, à poſteriori; & à priori nulla veriſimili ratione aut circumſtantia talia poſtulare apparent.

L I X.

Lui vero *venereæ*, quæ verius conducere obſervantur, tam *remedia*, quam *regimina*, ſunt quidem etiam quædam *acriuſcula* & ſubtilium partium, ut lignum *guajacum*, *ſaſſafras*, radix *chinæ*, *ſarſaparilliæ*, *pimpinella* noſtras umbellifera, neque contemnenda *ſaponaria*, *ſuccinum* etiam non plane poſtremo loco collocandum, immo ipſæ alicubi *cantharides*: magis tamen directe in *ſeroſam* atque *ſalivalem* colluviem, quam ſtricte dictum rubicundum ſulphureum *ſanguinem* hæc agere, commonſtrat non ſolum manifeſtiſſimus ſingulorum, & inprimis præſentius efficaciorum, effectus inſignis *diureticus*: ſed etiam plerorumque *diaphoreticus*: aut ſane ad minimum *regiminis diaphoretici* efficacia non magis utilis, quam neceſſaria.

L X.

Exemplar etiam hujus rei inſigne eſt uſus in venereis affectibus *tincturæ alcalicæ*, eo melioris, quanto *acrior* eſt. Quam nudam atque ſimplicem, licet pro *arcano ſpecifico* & *per ſe* ſufficiente remedio luis venereæ, agnoſcere, nedum venditare, nemini cordato in mentem venerit: prudenter tamen uſurpatam, inſigne *ſolamen* immo *levamen* huic etiam malo, *in genere* magis, adferre, non magis experientiæ teſtimonio, quam rationis ſuffragio conſonum eſt.

L X I.

Jam quod ad *methodum* attinet, qua hujus generis remedia utilitatem ſuam, etiam illi cui verius conducunt *venereo* malo, præſtare valeant, notum certe eſt peritis, quam parum illa efficiant, niſi ad minimum *affatim* & inſigni quantitate, *continue* inſuper, per longius tempus, offerantur; aut una cum *quantitatis* ſatis largæ exhibitione, *regimen* inſigniter diapnoicum nonſolum continuum, immo ſubinde, bis per diem ad mi-

minimum, *augendum*, ad largiorem uſque actualem *ſudationem*: ſed inſuper etiam multis diebus, ad minimum 14. ita jugiter *continuandum*, adhibeatur.

LXII.

Ubi, ſicut præſentis loci non eſt, prolixe tractare, quid obſervandum ſit circa proportionem *remediorum*, & *methodorum*, tam reſpectu *gradus* morbi, quam mutuo quoque & reciproco, intuitu, nempe, quænam horum remediorum, majore copia etiam *ſine regimine* dari poſſint, & contra, quæ regimen requirant, ſine illo facilius nocitura: ita valet tamen hoc de comparatione aut translatione talium ad *ſcorbutum*, quod, quo magis & medicamenta & regimina *ad illum modum* inſtruuntur, quo efficaciam ſuam *venereo* malo exhibere poſſent, eo magis *ſcorbuto* non ſolum uſum, ſed revera damnum, portendant.

LXIII.

Quamvis enim illa *antiſcorbutica*, quæ *generaliorem* quandam *anticatarrhalem* etiam efficaciam ſpondent, nonnullis etiam *ſcorbuticis*, nempe *ſeroſioribus*, *provido uſu* conducere poſſint: minime tamen hoc faciunt *directa*, ad univerſum adfectum efficacia: ſed magis unice *accidentali*, *individuali* illo reſpectu *ſeroſo-catarrhalis* conſtitutionis certorum patientium.

LXIV.

Ubi profecto ad *levitates* medicas pertinet, hominibus medicinæ notorie imperitis, quando commenta, omni fundamento deſtituta effutiunt, grandium commentatorum dignitatem non magis tribuere, quam aſſerere. Quale quid ad aliquam multo tempore circa uſum *acrium fervidarum aromaticarum* compoſitionum, & formularum, adverſus *ſcorbutum*, non magis præſervative quam curative laudatarum, factum eſſe, ipſa dies docet.

LXV.

Tanto minus autem *acriora*, ſive *ſpecie*, ſive *formula*, *ſcorbuto* conveniunt, aut *tolerabilia* ſolum ſunt. Adeo certe, ut ipſa etiam *tinctura alcalica*, quanto *acrior*, (eoque *lui venereæ* utilior) eo minus *ſcorbuto*, *directe* & *indifferenter* conveniat. Quamvis hæc ipſa diverſum habeat agendi modum, a reliquis *antivenereis*, & tam in *ſeroſas* mucoſitates, quam *ſanguineam* ſulphureitatem, ambidextram efficaciam.

LXVI.

LXVI.

Quanto vero *univerſalior* eſt, efficacia Mercurii vivi *ſalivatoria*, quod totum certe corporis ſyſtema penetrans, & non ſolum ad caput univerſum, ſed tanto magis ad *dentes*, *gingivas*, *fauces*, quin totum *os internum*, concentrata veluti energia, contendat: nulla interim directa efficacia in ſanguinis ſtricte dicti craſin:

LXVII.

Poteſt inde, tanquam mox *à priori*, facile conjici, quid commodi aut incommodi promittat hujus generis medicatio, tali adfectui, qui magis directe, & per ſe jam, *dentibus gingivis ori interno*, graves moleſtias conciliat, ſi per *mercurialia* illa facinora, ſponte jam adflictis partibus adflictio temere augeatur.

LXVIII.

Certe, poſtquam etiam optime ſuccedens *ſalivatio*, niſi externis circa collum & ipſas fauces, partim *gargariſmatibus*, & oris *collutionibus*, juvetur atque ſublevetur, ad *periculoſas* circa gingivas imo totum os internum, *ſtaſes*, *inflammationes*, & malignas *ulcerationes*, non magis prona, quam præceps eſt: ita ubi jam ſanguinis univerſi talis conſtitutio præſto eſt, ad *ſtaſes* in tenuiſſime ſpongioſo-tubuloſis, & privatiſſime quidem *oris* interni atque *gingivarum*, partibus, propenſa, quanto majus ibi horum rerum ſit periculum, quilibet faciliime agnoverit.

LXIX.

Non ſemel certe in hoc negotio graves committi errores, quotidiana experientia ſuadet. Quando ab *intempeſtivo*, aut *impetuoſo* uſu *ſalivationis*, in corporibus non ſolum alias *cacochymicis*, ſed ſpeciatim *ſcorbuticis*, tanquam ex improviſo, tam vehementes, *ſtaſes*, *inflationes*, *inflammationes*, & anomalæ *ulcerationes*, *putredinoſo corroſivæ* cooriuntur, ut illis vix ullum auxilium ſatis tempeſtive adhiberi poſſit, quin vel ad minimum aliquatenus, & fere graviter, *deformatum* relinquat os, aut reliquum vultum: vel penitus *jugulet* patientem.

LXX.

Fruſtra vero hic omnino ſunt, qui uſum *ſalivationis*, jam *arthritico-contractis*, jam *œdematoſo hydropicis* proficuum eſſe poſſe, alii quidem, ſecundum ſuas, vel etiam vulgo receptas hypotheſes, ratiociniis hypotheticis

contendunt: alii etiam ad ſuas experientias provocant: utrique vero ex eadem communiter, imo vulgariter, recepta, hypotheſi, hos affectus *ſcorbuto* pariter imputant.

LXXI.

Sicut enim hypotheſes illæ, tam circa veram *indolem* morborum talium, quam veram *operandi* rationem atque methodum plerorumque *remediorum*, communiſſime mirifice ſibi indulgent, & loco *ſubſumtionis* ex hypotheſi, licentiſſime potius puras novas propoſitiones, ſeu ulteriores gratuitas *hypotheſes* producunt, adeoque non inferunt, ſed ſolum adferunt: ita tanto magis ſterilis communiſſime eſt illa allegatio *experientiæ* in hiſce caſibus.

LXXII.

Teſtatum enim indies facit longe ſolidior, & nihil uſquam ſubleſtæ fidei *experientia*, quod hujuſmodi allegari ſolitæ hiſtoriæ, vel penitus a veritate univerſa alienæ exiſtant: vel ad minimum hallucinatione, nec ita difficili, neque tam facillime effugienda, *venereæ luis* quædam conſectaria & ſchemata, pro aliis, & inprimis per trivia *ſcorbuto* adſcribi ſolitis, venditent & interpretentur.

LXXIII.

Quamlibet enim præſens locus neque poſtulet, nec æque ferat, ut condigne hanc rem tractemus, integrum tamen omnino, imo conveniens erit, breviter notare, & ſolerti animadverſioni commendare, familiariter obvium illud ſchema *arthritῶδες*, quod *venerea lue* obſeſſis haud paucis obtingere, indies deprehenditur; dum nimirum ſive minus, ſive interdum etiam ſatis manifeſte, obviis occaſionibus externis, ex *vi*, à *medicatione*, ab *alterationibus aëris* ambientis, *humectationibus*, *refrigerationibus*, *relaxationibus*, aut repentinis *obſtipationibus*, interdum etiam *irritationibus* &c. jam à *decubitu* materiæ *venereæ*, jam a motuum *ſpaſticorum* præſentiore in partem impetu, dolores tales hic illis cooriuntur, quos de vera cauſarum atque circumſtantiarum perveſtigatione minus ſolliciti, ſed omnia in illud profundum *ſcorbuti* mergere promti, pro *ſcorbuticæ arthritide*, aut prorſus tandem nuda atque ſimplici, interpretentur.

LXXIV.

Adeoque ſicubi in tali forte patiente, inter multos fruſtra ita tentatos, *ſalivatio* profuiſſe videatur, ex illa diſtinguendi *genios* ſpeciales inopia, promiſcue omnibus & ſingulis eandem unam methodum atque medicationem deſtinare nihil dubitent.

LXXV.

Poſſemus certe allegare exempla, niſi alibi patientium, alibi agentium no-

nominibus parcere præſtaret. Siquidem v. gr. nec ita dudum eſt, quod quidam *arthriticus* ab audaci, & his negotiis operam ſuam non magis locante, aut offerente, quam obtrudente & ingerente, tonſore, hanc operationem pro certiſſimo remedio jactatam audiens, ſpretis peritis præſagiis, *ſalivationi* ſeſe ſubmiſit: ſed licet nullum, præter 50 ad minimum thalerorum frivolam impenſam, damnum in inſtanti incurrerit, tamen nec obulo melius inde habuit, ſive ſub *ſalivatione*, ſive ullo poſt illam tempore.

LXXVI.

Antequam hanc *comparationem* tam *adfectuum* quam *curationum*, & differentiæ mutuæ, obſignemus, placet illam adhuc adjicere diverſitatem, quod *ſcorbutus*; nonſolum nudo *regimine*, & conveniente diæta, *præoccupari* poſſit, quantumlibet inter cauſas ejus homo verſetur; ſed etiam jam actu *ſuſceptus* iterum *excuti*: utrumque ſine medicatione alia, quam ſimpliciter *diætetica*, inprimis *motuum corporis* & *humidi frigoris*, aut *caloris*, magis exquiſita ſubordinatione, & prudenti horum *regimine*, ciborum vero alieniorum evitatione. Tale vero nihil expectare licet *venereo malo* affectis. Sed niſi hi plane ſpeciali *medicatione*, tam *præparationem* ad exitum, quam actualem *eliminationem* inquinamenti illius adventitii impetrent, neceſſe utique habent ingentem ejus ſævitiam ſerius ocyus late graſſaturam expectare: aut omni penitus *diætetica* circumſpectione atque cautione, nihil aliud obtinebunt, niſi ut ad ſummum *præmaturum* prævalidum impetum cohibeant, ſenſim tamen non ſolum profundius *innidulantem*, ſed etiam latius *divagantem*, & omnino ſi tandem male diſſimulatam pravitatem collectis viribus effundit eo *terribiliorem* & vix compeſcendam, nedum in ſolidum *extirpandam* amplius. Nunquam autem ulla tali ratione, ſine *artificioſis* auxiliis, totum malum iterum ſuperabunt.

LXXVII.

Ex omnibus hiſce, ita ſufficienter monſtratis, diluceſcere confidimus, non ſolum quod talis realis *differentia* inter hos adfectus intercedat, ſed etiam, uti quidem ratio dictare poteſt, *tractatio* proinde ſeu *curatio* utrorumque, eandem utique diverſitatem neceſſario inferat. Et eo ipſo tum *cauto* hic opus ſit, ne irrita adhibeatur altrinſecus *methodus* tum ne *noxia* remedia plane eligantur, qualia *diverſo reſpectu* eſſe in alterum, quæ alteri conferant, abunde non magis monitum, quam monſtratum eſſe confidimus.

LXXVIII.

Sicut autem ex his merito colligi debet neceſſaria illa cautela, ne remedia *alteri* adfectui *debita*, *alteri* temere adhibeantur; ita negligi tamen neque poteſt, nec proinde debet illa conſideratio, quid conſilii capiendum ſit, quando non jam amplius error male ſuadus inducit, ſed ipſa neceſſitas poſtulat, ut *alteri malo altera medicatio ſuperinducatur*.

LXXIX.

Non enim neceſſe eſt *fingere*, ut vulgo loquuntur, caſus, ſed contingit potius offendere illum caſum, ut revera *ſcorbuticus*, *lue venerea* corripiatur; aut *venerea lue* affectus *ſcorbuticam* inſuper ſanguinis dyſcraſiam incurrat. Huic itaque conſtitutioni, quomodo mederi conveniat, & ita quidem efficaciter, ut cum ſana ratione cœpta cura, etiam felicem eventum ſortiri poſſit, breviter diſpiciendum erit.

LXXX.

Primo autem ex dictis facile agnoſci poterit, quod *lues venerea*, & *ſcorbutus*, ita a ſe invicem differant, ut ſi utrinque ſummum ſui gradum vehementiæ attigerint, & concurſu tam diverſæ corruptelæ graviſſimos effectus edere conjunctis viribus poſſint: & difficillimam etiam *curationem* admiſſura ſit hæc aſſociatio, propter *indolem* uti *affectuum*, ita etiam *remediorum*, ſi non *contrariam*, certe tamen plurimum inter ſe mutuo *diſtantem*. Unde revera, ſicubi hic caſus occurrat, longe cautiſſime procedendum fuerit, neque quicquam per remedia, alterutri affectui fortius occurrentia, ſed leniora potius quælibet, agendum.

LXXXI.

Quando vero etiam *alterutrum*, imo *utrumque* horum malorum, quod familiarius contingit, *levius* fuerit, tunc tanto proclivius etiam erit a methodis quoque *lenioribus* bonum effectum exſpectare.

LXXXI.

Cæterum, cum *ſcorbutica* intemperies revera præſentius *lenimen* admittat, quam *venerea* inquinamenta; imo etiam ad hunc effectum *lenioribus* remediis diſponi poſſit: hæc ipſa etiam *leniora venereo* malo nullum præjudicium adferant: optime hinc agetur, ſi *leniora* anti-ſcorbutica & præmittantur, & conjungantur illis, quæ *venereo* malo debentur.

LXXXIII.

Erit autem methodus optima, imo potius etiam neceſſaria ad bonum ſucceſſum, ut ſemper initium fiat à *lenioribus*; ut ſi nihil aliud, tantiſper ad minimum eximie *miteſcat* alterutrum malum, inprimis autem *venereum*, donec altero, ut *ſcorbutico*, efficacius imminuto, huic ipſi etiam audentius occurri poſſit, & directe contra reſiſti.

LXXXIV.

Velificatur autem etiam huic intentioni ſupra jam dicta *venereæ luis* indoles, magis fere ad *externos* ulceroſos affectus, graviore ſui corruptela

ver-

vergens, quam *interna* aut *univerſam maſſam* humorum concernente efficacia, tam prompte inſoleſcens. Unde quidem ſatis utilitatis habere poteſt talis etiam methodus, quæ per interna quidem *leniora*, nec ipſi etiam *ſcorbuto* peculiare præjudicium adferentia, præoccupando, & quaſi ſub manu *detrahendo*, conſulatur. Exterius autem circa unum magis aliquem locum, magis immediate affectum, illa ſucceſſive ſecurius uſurpentur, quæ tali ſpeciei preſſius quadrent.

L X X X V.

Eſt autem ex illis, quæ *venereo* quidem malo interne non inutiliter nec inefficaciter ſubveniunt, e peregrinis inprimis *ſarſaparilla:* e noſtratibus etiam *pimpinella alba* ſeu umbellifera, *ſuccinum*, *tincturæ alcalicæ* dextre uſurpatæ, *nitrum.* Abſtinendo a coactis *regiminibus ſudoriferis*, ſed potius illis inſiſtendo, quæ cum aliquo *motu corporis leniorem* ſudationis ſucceſſum provocant; utpote quæ *utriſque* his affectibus æqualiter conferunt.

L X X X V I.

In genere vero revera *ſcorbuti* longe facilius aliqualis veluti neglectus committi valet (niſi quidem ille *ſummum* aliquem *gradum*, quod certe rarius obtingit, adeptus ſit) quam *venerei* mali altius radicati, ſeu potius ferocius erumpentis: quamlibet, uti dictum, etiam raro caſus illi contingant, ut uterque affectus pari ferocia graſſentur: aut ad ſummum *venereus* ita magis externis effectibus inſoleſcens, ſecurius per *externa*, ſine univerſaliore *interna* ambigua commotione, quantum neceſſe eſt, cicurari tantiſper poſſit.

L X X X V I I.

Tandem autem perpetuæ veritatis eſt, & omnino manebit, *quod neceſſitas non habeat legem.* Omni modo interim intelligere has res decet, ne & *præter* omnem *neceſſitatem* temere tentetur, ubi potius circumſpectione ſit opus: aut plane ignorata atque inſuper habita univerſa harum rerum *theoria*, ita plane in diem, citra omnem æſtimationem, quicquid in mentem venit, id agere liberum eſſe reputetur.

Hæc quidem hactenus dicta, propoſito noſtro ſatisfacere poſſe confidimus, quamobrem pedem hic figimus. Divinæ autem Benedictioni devotas gratias pro præſtito nobis gratioſiſſimo auxilio, humillime nuncupamus.

F I N I S.

EBER-

CXCVIII.

EBERHARDI ROSEN

ET

JOANN. BORG,

DE

SYMPTOMATIBUS PURPURÆ CHRONICÆ SCORBUTICÆ.

Lond. Gothor. 1756.

D. D.

Scorbuti quidem, & quæ inde pendent ſymptomatum varia fuiſſe fata, ex hiſtoria medica ſatis edocemur (*a*). Alii enim hunc morbum ubique præſentem incuſant, alii iterum rarius eundem adeſſe contendunt. Ab hac quidem ſententia, non plane alienum fuiſſe celeb. Sydenhamum (*b*), ſcripta ejus non obſcure docent; cum tamen commendata ab ipſo medicamenta, quamvis non nomini morbi hujus, morbo tamen ipſi debellando, ſatis ſæpe evidenter deſtinentur. Ut, quemadmodum corticis peruviani oſoribus uſu venire quandoque comperimus; palam nempe damnaret remedium, quod clanculum ægrotantibus, ſpe non minus, quam ſucceſſu optimo propinabat. Forte quidem eadem Britannis ac Germanis (*c*) noſtriſque hominibus de ſcorbuto fuit opinio, in hoc morbi genere, turpitudinem neſcio quam poſitam eſſe putare; quaſi quidem pigritiæ unius & diætæ, non climatis pœnas luerent, affecti inde homines. Qui enim Scaniæ inter maria conſideraverit ſitum, magnatum ſæpius ſtagnis paludibuſque circumvallata palatia, nebulas denique frequentes, ſolum vero pingue & humidum; is quidem non admodum mirabitur morbum hunc noſtratibus ſatis eſſe frequentem. Ecquis enim putaret, corpus noſtrum, nulla labe contaminaturum aëra; cui in tectis noſtris eorundemque fulcris & ornamentis corrumpendis, quam par eſt, repentinam magis ineſſe facultatem, quotidie experimur? E re igitur eſſe putavimus, morbi hujus ſobolem, *purpuram chronicam ſcorbuticam*, brevi diſſertatione illuſtrare, quod frequentior ſit huic, in quo medicinam facimus, climati, & ſubdole magis varia ſub larva, in hominum graſſetur perniciem.

§. I.

Purpuræ chronicæ nomine, intelligimus affectum exanthematicum cum pruritu, aſperitate cutis, & ſudore peculiaris odoris conjunctum; febre quandoque ſtipatum, identidem cedentem ac redeuntem.

§. II.

Hunc quidem morbum, cum recentiores demum medici ſingulari nomine diſtinxerint; jure quærere licebit, an novus ſit & antiquis minus cogni-

(*a*) Conf. Drawitz. Præf. ad Tract. *Vom Schmertz machendem Scharbock.*
(*b*) Sect. VI. Cap. V pag. 349. 350.
(*c*) Drawitz citato loco.

gnitus affectus. De quo quidem haberi debere noſtro judicio putamus: morbum hunc, antiquis non plane incognitum, longe tamen minus quam noſtris temporibus fuiſſe frequentem. Purpuram chronicam & acutam; magnam invicem cognationem habere, extra dubium poſitum judicamus; cum aliam ſæpe aliam excipere, experientia teſte habeamus compertum. Harum quidem acutam novum plane morbum eſſe puerperarum Lipſienſium, Saxoniæ demum Ao. 1652 endemium factum: peculiari diſſertatione Godofredus Welſchius (*d*) conatus eſt evincere. Hunc ſecutus celeberrimus Fridericus Hoffmannus (*e*) *oritur*, inquit, *difficilis quæſtio, cur purpura, præſentibus omnibus, quæ ad ejus generationem faciunt cauſis, ante aliquot demum luſtra producta ſit.* Nec injuria tamen novum morbum queſti fuerunt celeberrimi, quos nuncupavimus medici, quum & ingentem ederet hominum ſtragem, & ſi non ipſum morbum, idonea ſaltem ad eum rite ſanandum auxilia, in veterum deſiderarent ſcriptis.

§. III.

Ipſum tamen, de quo agimus, morbum, remotioris ævi medicis non plane fuiſſe ignotum, plura ſunt, quæ evincunt. Num locus Hippocr. Epid. II. Sect. 3. p. m. Edit. Lind 697. *Fiebant in febribus æſtivis, circa ſeptimam, octavam & nonam diem aſperitudines in cute miliaceæ: culicum morſibus maxime ſimiles non valde pruriginoſæ;* ad purpuram referri debeat acutam, in medio relinquimus. Id certe evidens nobis videtur, Foreſtum, non chronicæ minus quam acutæ purpuræ aliquot vidiſſe exempla. Libro enim ſexto de febribus obſ. 59, *de purpura loquitur intus repercuſſa.* Idem obſervat. 60, puerperam commemorat, An. 1556 papulas rubentes habentem. Qua de re infra in ſcholio addit: *ejuſmodi autem rubores ſeu purpuræ, canicula æſtuante magis infeſtant, ob calorem quoque & æſtum foras protruſæ, præcipue vero in puerperis febricitantibus, aliquando etiam ſine febre.* Adjungit laudatus auctor ibidem ſequentia: *Si neglectim habeantur & intro repercutiantur, facile in ſyncopen, aliquando in mortem incidunt ſubitaneam.* Et paulo infra, *Si aër conclavi non bene occluſo, ſubito ingrediatur, ſudamina & purpuras intus revocat.* Speciatim autem de purpura chronica, ſequentia a Foreſto, citato loco pronunciari putamus: *Non tamen omnia hydroa & ſudamina adeo periculoſa ſunt, quæ enim ſine febribus ſunt, nihil mali adferre ſolent: interea tamen neque has puſtulas contemnere debemus: quocunque enim modo repercutiantur, motum naturæ facile lædere poſſunt, & graviſſima quoque ſymptomata inducere.* Cujus quoque exemplum rei, ejuſdem libri obſ. 61, idem proponit Foreſtus, de muliere, ſudamina habente, unde tandem ſubſequuta mors fuit

(*d*) Hiſtoria medica novum puerperarum morbum continens. Lipſiæ Ao. 1655.
(*e*) Med. Syſt. Tom. IV. p. III. p. m. 402.

fuit. Quod ſi hæc contendere placuerit cum iis, quæ nuperi auctores de purpuræ indole commemorant, facile erit intellectu, eundem utrinque indigitari & morbum. Sic enim de indole purpuræ chronicæ recens ſcriptor exponit (*e*): *Imo nec in ipſa purpura chronica, quæ ſine febre eſt, adeo omni noxa caret, frigidioris aëris ad pectus præſertim appulſus, ut non ad minimum retroceſſis puſtulis circa reſpirationem incommoda ſtatim ſentiantur, ac dyſpnoea, tuſſis, raucedo, vel artuum ſaltem laſſitudines, appetitus proſtrationes, ſimiliaque mala inde eveniant, haud citius haudque melius iterum ceſſantia, quam per ejuſdem purpuræ ad cutim revocationem.*

§. IV.

Sequuntur auctores, qui purpuræ, quam tractamus, non cognitionem ſolum habuerunt, ſed talem quoque, ut ad diathesin humorum ſcorbuticam, mala, quæ inde eveniunt referenda judicaverunt. Ecquid enim putandum erit eryſipelas ſcorbuticum, quod ex Eugal, obſ. 49 Sennertus deſcribit (*f*)? Ita certe genius morbi hujus enarratur, ut ad purpuram chronicam jure referri poſſe videatur. Idem quoque auctor p: 260 ex Eugal. Obſ: 58 ſequentia habet: *Interdum etiam circa pectus & in collo & facie (maculæ) efflorescunt, modo evaneſcentes, modo iterum erumpentes.* Ibidem quoque ex Salom. Alberti theſi 19. *Hæ lituræ nonnunquam in quaſdam velut ſquamas reſolvuntur, quæ a reliqua cute non ſecus, ac in eryſipelate ſeparantur.* Neque minus ad purpuram pertinere ſymptoma putamus, quod in tractatu ſuo de ſcorbuto, proponit Drawitzius, (*g*) cujus in latinum translata verba ita habent: *quod ſi hæc obtineri nequeant* (ſeceſſus nempe humorum per alvum) *extus ad cutim acria vergunt ſalia, ipſa vero inde cutis fragilis velut & exuſta redditur; quin & pedes manuſque urens velut occupat dolor & pruritus hinc inde intenſus.* Inprimis vero morbum hunc ejuſque natales evidenter commemorat Ettmuller. (*h*) *Præter maculas*, inquit *pruritum ſcorbutus interdum ſolet inferre, pruriginoſam ſimiliter purpuram, quæ certum ſignum eſt ſcorbuti latentis.*

§. V.

Poſt hæc vero tempora de purpura ſcorbutica curatius cognoſcenda, ſerio cogitare cœperunt medici illorum præcipue locorum, quibus ſcorbutus familiaris eſſe alias ſuevit. In primis vero ea gloria celeb. Frid. Hoffmanno tribuenda erit, qui malum hoc peculiari capite ſolita ſibi perſpicacitate pertractavit (*i*). Certe quidem, ſi ad conſueta olim ſcorbuti gra-

(*e*) Chriſt. Georg. Juſti de purpura p, 12 Gotting.
(*f*) De Scorbuto p. m. 260.
(*g*) *Vom Schmertz machendem Scharbock.*
(*h*) Praxis Med, p. m 398.
(*i*) Med. Syſt. Tom. IV. p. III. p. m. 397.

gravioris ſigna attendere velimus, ſtomacacen nempe Scelotyrben, tumentes maculis lividis ſuras, & ulcera cacoëthea: rariorem niſi in nautis forte & plebejis ſcorbutum Scanico in ſolo nunc eſſe diceres. Tanto autem frequentior purpura chronica ſucceſſit, quæ cum levi ſub ſpecie imperitis imponat, gravem tamen medicis eandem ſanaturis crucem figit.
Qua de re inſignis apud celeb. Hoffm. (*k*) locus eſt: *Notatu*, inquit, *perquam dignum eſt, quod ubi jam graſſetur purpura chronica, & incolas affligit; dolores illi ſcorbutici lancinantes artuum, ulcera cacoëthea, putridæ & ſanguinolentæ gingivæ, maculæ latæ & cæruleæ, quæ omnia & ſingula propria & eſſentialia ſcorbuti ſunt ſymptomata, rarius vel non in tanta frequentia & ſævitia amplius obſerventur.*

§. VI.

Verſatile admodum eſſe ſcorbuti ingenium & *novas* ipſum *induere*, *anteaque incognitas formas*, ſuo jam tempore Drawitzius (*l*) novit. Quo olim ſchemate in ſcenam prodibit ſcorbutus, alio forte introducto vivendi genere; difficile dictu putamus. Quod vero jam purpuræ ſub ſpecie ſæpius lateat, id diætæ, cui quam olim lautiori ne dicam an teneriori, aſſuevimus, tribuendum maxime judicamus. Præeuntem hac in opinione habemus celeb. Hoffmannum (*m*) *Quam primum vero*, inquit, *civium plurimi, calidiores potus in deliciis habere, & præſertim Coffemania laborare cœperunt, ſenſim paulatimque ſcorbuto diſparente, purpura tam maligna, quam benigna chronica, hinc inde apparuit, & inter initia ubi veram hujus morbi indolem pauciſſimi intelligebant, ingentem edidit ſtragem. Neque vero hoc loco ſolum talia contigiſſe memini, ſed poſt hæc etiam Oſtfriſtæ, aliiſque regionibus ſcorbuto olim infeſtatis, ſimilia ab eadem cauſa eveniſſe comperi: ut adeo de ſcorbuto purpuræ origine minus dubitandum ſit.* Non parum igitur intereſt, morborum per ſecula mutationes obſervaſſe, quum e mutatis vitæ victuſque rationibus, alium quandoque habitum induant, ut eoſdem eſſe ac ante non facile quis judicaret.

§. VII.

Qua autem ratione ex mutata victus ratione, ſequioribus temporibus, præ aliis ſcorbuti ſymptomatibus, ſecuta purpura fuerit, merito erit diſquirendum. Sciendum ergo erit, in omnibus quidem ſcorbuticis, obtinere talem degenerationem humorum, ut magis lenteſcant, ſimulque huic len-

(*k*) Med. Syſt. Tom. IV. p. III. p. 403. §. 30.
(*l*) In Præf. p. 5.
(*m*) Cit. loco. §. 35.

lentori junctam habeant acrimoniam (*n*). Commune ergo hoc vitium recentioris ævi ſcorbuticis nunc eſt, æque ac remotioris temporis hominibus quondam fuit Differentiam autem in eo poſitam eſſe putamus, quod acrimonia humorum antiquioribus craſſa magis, noſtris vero hominibus ſubtilior ſit, neque tamen ideo lenior cenſenda. Utebantur veteres cibis magis ſolidis, & jentaculi loco, non ut nunc moris eſt ignotum ſibi infuſum Thee, ſed ſolidiora quævis edulia aſſumebant. Neque tamen ſi hanc utriuſque ævi diætam contendimus, ſequi putamus, uberiorem ſic acrimoniam noſtris hominibus generari, quum revera potus Thee horis aſſumtus medicis ſcorbuticos craſſiores e corpore eliminet ſales: In eo autem a noſtris peccari putamus, quod decocto fabarum Coffee ciborumque aromaticorum nimio uſu, humoribus inſignem affricent noxam. Accedit, quod noxios quos ſales, potus Thee e corpore eliminat, eoſdem forte nimio uſu, corpori e longinquo reddit: cibo non ſatis, viſcerum chylopojeticorum virtute imminuta, contrito; unde viſcidi tenaciſque humoris prima duci poterunt incunabula. Nocent vero hæc præcipue illis, qui ſedentariam vitam degunt; nec admodum falli nos putamus, ſi noſtri ævi fœminas negotia domeſtica plus roboris poſtulantia, minus quam veteres curare, cum ſeculi moribus repugnet, affirmaverimus. Frequentior & ideo fœminis quam viris purpura obſervatur. Ex nimia autem quiete motum periſtalticum languere, ſatis putamus evidens eſſe. Naſcitur hinc tarda alvus. Aſſumuntur interea crebo calidi potus Thee ac Coffee; qui propriam acrimoniam excrementorum ſalibus acuatam, ad corporis peripheriam pellunt. Accedat aër humido frigidus, cutis ſpiracula obſtruens; videbimus collectas circa cutim acredines, purpuræ ſcorbuticæ primordia ponere. Acria autem maxime incuſamus aromata, quæ ſubtilitate ſua intimos videntur occupare nervorum receſſus, & oleoſa tenacitate parti, quam occuparunt diutius adhærent. Merito igitur concludimus, plebejos duriorique victu utentes homines, evidenti ſæpius ſcorbuto laborare, lautiori vero diætæ deditos, purpuræ magis incommoda perpeti.

§. VIII.

Non immerito hinc quæritur, utrum melius eſſet optione data, evidentem ſcorbutum pati, an vero purpuræ incommoda tolerare. Qua quidem in quæſtione experientiam, æquiſſimum provocamus judicem. Videmus autem navigantes duriori diæta aquarumque vitiis ſcorbutum cito, non lente tamen contrahentes; ubi ad littus appulerint, idoneis auxiliis non difficillime a morbo hoc convaleſcere, (*o*) dummodo integra adhuc

(*n*) Conf. V. Swit. Comment. T. III. p. m. 592.
(*o*) Idem ibid. p. 594.

viſcera ſint, & in humoribus tantummodo ſcorbuticum virus oberret. Contra vero, qui chronicam ſemel contraxerit purpuram, rarius inde ita ſaneſcere, ut non ſæpius, per totius fere vitæ decurſum, revertentis ejus patiatur incommoda. Cujus quidem rei non aliam eſſe rationem putamus, quam quod in majoribus vaſis evidentis ſcorbuti ſedes plerumque contineatur, in minimis vero vaſculis purpuræ materia hæreat infixa. Sic quoque natam in vaſis majuſculis inflammationem rubram, citius videmus periodum abſolvere; contra vero ortam in arteriis minimis lymphaticis obſtructionem, rheumatiſmum nempe, pertinaciter ſæpe diutiusque durare. Hujus vero indolis purpuram ſcorbuticam eſſe; ſpaſmodici, qui illam ſæpius comitantur affectus, evidenter evincunt. Neque autem hinc inferre licebit, craſſiorem diætam teneriori lautiorique ad ſanitatem tuendam præferri debere. Craſſior enim ſedentariis otioſiſque certa mala portendit, tenerior vero, non niſi eadem abutentibus vere nocet. Abſit enim Thee Coffeeque maxime abuſus, exſulent frequentiora aromata (cibi exquiſitioris guſtus *haut gout* vocant); ſpiritus vini inque his Arrak Indorum, vinaque calidiora, medicamentorum non alimentorum loco uſurpanda; moderata ſint excercitia corporis, nec mœrore ſanguis lenteſcat: videbis diætam recentioris ævi, priſtini temporis conſuetudini, ut corpus a ſcorbuto & purpura immune maneat, vere antecellere.

§. IX.

Solam igitur victus rationem, ut ſcorbutum ſic quoque purpuram chronicam gignere facile quis hinc concluderet. Neutiquam vero in his plane conſentire nos poſſe, plura ſunt, quæ ſuadent. Requiri enim etiam exiſtimamus, ut quis ejuſmodi in loco degat, cujus ad ſcorbutum producendum facultas, nota quoque quondam fuit; vel & calidæ, quam vituperavimus diætæ, craſſam quoque adjungat, carnium fumo induratarum, piſcium ſalitorum, alimentorumque hujus generis aliorum, quorum in ſcorbuto producendo facultas, nota itidem antiquitus fuit. Id niſi eſſet, per totam omnino Sueciam, ubi calida diæta viget, frequens purpura eſſet; quod tamen experientiæ minus videtur conſentaneum; cum mediterraneis ſaltem Sueciæ locis, ut ſcorbutus ipſe, ita quoque chronica purpura rarus admodum morbus ſit. Quod igitur diætæ hoc vitio, purpura Scaniæ frequens ſit, ſoli quod habitamus vitio plurimum fieri judicamus. Marinæ enim nebulæ, ſtagnantiumque aquarum vapores, peculiari ſæpe fœtore ingrati, intimos corporis noſtri receſſus, reſpiratione hauſti occupant; quorum in producenda ſcorbutica labe vires, ut occultæ, ita quoque antiquitus, experiundo ſatis fuerunt cognitæ (*p*). Acce-

(*p*) Conf. V. Sw. Com. Tom. III. p. 595 & 505.

cedunt aquæ Malmogiæ atque Londini admodum impuræ, quæ ad ſcorbuticos e corpore eluendos ſales, minus ſunt idoneæ. Ut taceamus domorum, quas habitamus rationem, quarum inſignis humiditas, cum ligna domorumque ornamenta facile corrumpat; perſpirationem Sanctorianam (*q*) inhibet, & humores acres non retinet modo, ſed & corruptioni magis reddit aptos. Ita quidem calida diæta, humores cum ipſa corrumpat; tum vero maxime ſcorbutica labe contaminatos eoſdem in corpore offendens, exaltat, acriores reddit, ad cutim propellit & purpuram, quam loquimur chronicam producit.

§. X.

Ex hiſce autem cauſis procatarcticis §. 7-10. nata purpura, cauſam proximam agnoſcere videtur, corruptionem humorum ſalino ſulphuream; ita tamen, ut magna rubri ſeroſique humoris pars lenta ſit atque craſſa, pars vero maxime lymphatica acribus referta ſalibus, admodum que tenuis. Hæc vero ita eſſe, ſanguis e venis eductus, ſæpius docet. Plerumque enim ut in ſcorbuticis quoque fit, pellis velut verſicolor ex flavo vireſcens, mucoſa & ſatis ſæpe tenax, frigefactum ſanguinem obducit; ſub qua tenuis admodum tegitur liquor, in fundo vero ſubſidet craſſamentum rubrum, atrabiliario, quem vocant ſanguini, admodum ſimile (*r*). Lentore igitur irretitur acre, ne promte per cutis ſpiracula urinæque emunctoria tranſeat. Subtile vero ſit & acre admodum id, quod purpuræ maxime ſymptomata producit exinde judicamus, quod cito admodum frigore admiſſo interiora petat, haud aliter ac tuſſim ſæpe frequentem experimur, dum Sanctorianum perſpirabile frigoris vi repercuſſum, bronchia pulmonum ſtimulo ſuo concitat. Salini vero plurimum in his contineri, & ſtimulus docet & urina laborantium, quæ tartareas matulæ lateribus concretiones rubicundas affigit, & nonnunquam (in ſcorbuto tamen confirmato), verſicolore velut pellicula, ut de ſanguine diximus, urinam tegit, quam ob ſimilitudinem aliquam pavonis caudam Ettmuller vocat (*ſ*). Neque autem acria hæc, unius ſemper ejuſdemque indolis eſſe putandum erit. Pro vario enim ægrotantium victus genere, vel alcalina magis præſto eſt, vel acida vel muriatica, vel oleoſa denique acrimonia; quam quidem ultimam, ut in purpura frequentiorem eſſe, ſic quoque curatu eam difficiliorem reddere, non ſine ratione judicamus. Non multum igitur a ſententia Celeb. Hoffmanni (*t*) diſcedimus, qui *purpuram rubram a ſero impuro ſalſo, acri ſulphureo excrementitio*

(*q*) Sanctorii Aphor. 469.
(*r*) Conf. V. Sw. Tom. III. §. 1151 p. m. 610.
(*ſ*) De ſcorbuto p m. 398.
(*t*) Hoffm. Syſt. Med. Tom. IV. p. V. p. 399.

titio originem ducere contendit. Quod enim albam purpuram laudatus Auctor (*u*) *a lympha & ſucco nutritio ad acido vappidam putridam naturam accedente*, ſuboriri contendat, noſtræ non hoc loco facimus diſquiſitionis.

§. XI.

Qui vero ex his cauſis §. 10. oriuntur effectus, ſigna haberi poſſunt purpuræ diagnoſtica. Præcedit torpor corporis inſignis & anguſtia aliqua pectoris ſæpius cum tuſſicula ſicca, ut fieri quoque in aliis morbis exanthematicis ſuevit, ſomnolentia quædam alios occupat, vigiliæ iterum alios. Neque conſtans habemus horrorem morbum hunc præcedere, idque rarius in illis contingit, quibus familiaris ante morbus fuit. Præcedunt in multis affectus cutis ſpaſmodici vagi, & in pleriſque ſenſus cutis ſequitur compunctorius, quaſi leni acu vellicarentur pori. Tum quidem cum leni ſudore, quando tamen abſque eo, maculæ erumpunt rubicundæ diverſis corporis locis manifeſtæ, quæ cito admodum, varorum inſtar minimorum elevantur, ſubflavæ plerumque, ita tamen ut niſi attentius inſpicienti, vix quidquam præter rubedinem cutis & aſpredinem elevatam appareat. Conjungitur peculiaris odoris ſudor, niſi ſenſus fefellerint, ſubacidus; quem quidem ſudorem adeo purpuræ proprium putamus, ut ſignum ejus pathognomicon nobis videatur conſtituere, ex quo etiam viſo nondum ægrotante, de morbi poſſumus judicare præſentia. Ceſſat tum quidem anguſtia pectoris; lenitur ſaltem tuſſicula, & deſinit, ſi quæ forte ab initio febris adfuit. Evaneſcunt aliquot dierum ſpatio puſtulæ exſiccatæ cum inſigni pruritu, & ſquamæ complures albicantes ut in morbillis fit; earundem occupant locum: ægro a gravioribus ultra ſymptomatibus admodum libero.

XII.

Sunt hæc §. 11. ſigna purpuræ chronicæ, quæ vario interpoſito tempore cedunt atque recedunt. Quemadmodum autem acutam purpuram in benignam & malignam diſtinguere auctores ſolent; ita quoque chronicam pari modo ſejungi debere putamus. Malignam igitur viſceris cujuſdam obſtructione vel exulceratione niti putamus, quæ lentam quoque comitem febrim habet, urinas ſimiles, illiſque ſæpius ſolet contingere, qui diutius chronicam purpuram neglectim habuerunt, puerperæ poſtea fiunt vel ad phthiſin ſunt diſpoſitæ; vel malo denique hypochondriaco graviori afficiuntur, ut exemplis poſſemus evincere diverſis. His quidem, præter commemorata §. 11. ſymptomata cuncta graviora, puſtulæ primum in collo, pectore atque dorſo apparent, quo modo in acuta fieri pur-

pu-

(*u*) citato loco.

pura ſolet. Adſunt ſæpe in his variationes crebræ caloris & frigoris, & vix dum exſiccatis primis puſtulis, nova iterum earundem ſeges progerminat; cui jungitur ſudor admodum copioſus, vires potius exhauriens quam levans.

§. XVI.

Ex his vero §. 11. 12. prognoſis duci purpuræ chronicæ poterit. De qua quidem experientia comprobante, cum Hoffmanno (x) pronuntiare generatim licet: quod *moleſtiſſimum malum ſit*, *renitens*, *difficilis ſanationis*, *quod mire torquere & fatigare ſoleat & medicos & ægros.*

§. XIV.

Longe autem hæc §. 13. magis valent de ſcorbutica purpura intus latente, quod fieri tum exiſtimandum erit, dum cauſa purpuræ proxima §. 10. in humoribus latet, ad habitum vero corporis propelli nequit. Neque enim ad dignoſcendam illam ſufficiunt tum ſigna, quæ dedimus §. 11. 12, purpuræ evidentis, & raro adeo vel nunquam ſanatur malum quod, quid ſit ignoratur. Gravia ſunt quoque ſymptomata, quæ ex oberrante ſic purpureo malo in corpus redundant; neque male *veneni æmulas operationes patrare* Hoffmannus (y) affirmat. Pro diverſitate igitur partis vel viſceris, quod occupat, conſueta cuique parti mala ſimulat & vere adeo, ut de venerea lue conſtat, aliorum morborum ſimulacra induit & ſchemata, plerumque ceſſatura, quam primum ad habitum corporis purpureum propellatur malum. Non inepte igitur judicamus, cuncta iſta mala, quæ in tractatu *vom Schmertz machendem Scharbock* Drawitzius quondam commemoravit; ad cognatam ſcorbuto deliteſcentem intus materiam purpuraceam, jure quoque poſſe referri. Quod vero non ſemper ad habitum corporis purpura tendat; id vires vitæ imminutæ, partes quædam corporis interiores infirmæ, vel externæ quædam cauſſæ, cutis ſpiracula obſtruentes, efficiunt.

§. XV.

Quo autem intelligi melius poſſit mobile purpuræ ingenium, quæque mala intus deliteſcens patret, quidque levaminis erumpens adferat; exemplo rem nupero declarabo.

Perſona illuſtris ſexagenaria circiter, pathematibus colicis & hyſtericis

(x) Med. Syſt. Tom. p. V. p. 405.
(y) citato loco §. VII. p. 398.

per intervalla obnoxia, mœrori per aliquod tempus nimium indulgens, quæque cibo utitur exquiſitioris guſtus, qualem coqui magnatum noſtri temporis parare artificioſe norunt; præterlapſo autumno, gravitatem corporis cum pruritu pati cœpit. Jungebantur turbercula hinc inde per corpus ſparſa & febris ſatis valida. Poſt hæc facies per triduum intumuit, (z) cum gravitate capitis, ſine dolore tamen. Faciei tumore evaneſcente, vomendi conatus cum nauſea appetituque deleto, ſequebantur, ut lectum repetere neceſſe fuit. Paucis vero elapſis diebus, totum corpus maculæ rubræ prurientes occupaverunt, & ſanitas utcunque conſtans reddita videbatur. Quatuordecim vero elapſis diebus, veſperi cubitum ituram gravis vertigo & capitis temulentia, ut ſe loco movere non poſſet, occupavit. Conjungebatur inſignis cardialgia & vomitus, donec viridis quoque prodiret bilis, & repetebant hæc ſæpius per noctem, uſque dum mane iterum erumperet purpura & ſymptomata cuncta ſilerent. Poſt hæc per aliquot ſeptimanas ſanitas conſtans fuit, donec febris valida nycthemeron durans, cum dolore brachiorum invaderet; qui dextrum mox unice occupans brachium, a manu ad humerum uſque rubicundum velut radium duorum digitorum latitudinis, conſtituit. Quievit inde dolor, nec tumuit nec doluit, niſi contrectatus rubor & ſpeciem præ ſe tulit ambuſti. Poſt id tempus debilitas major corpus occupavit, ſomnus fuit irrequietus, ſudores multi maxime matutini. Semel ſub morbo indicia fuerunt hæmorrhoidum. Quæritur conſilium.

Ex hiſtoria hac eluceſcere arbitramur, febrim, nauſeam, vomitum, capitis temulentiam, dolores brachiorum, ex intus deliteſcente materia purpuracea ortos fuiſſe; erumpente vero illa quieviſſe. Quod vero ultimam in brachio eruptionem, non ut ante perfecta ſecuta fuit euphoria, id imperfectæ criſi & ſufficienti minus purpuræ eruptioni, cujus maxima pars intus adhuc delituit, tribuendum judicamus. Dignus quoque eſt, qui ad hunc illuſtrandum caſum, legatur locus Hoffmanni: (aa) *Sicuti in omnibus exanthematibus, ut petechiis, variolis & morbillis; gutta roſacea, ſcabie, tinea capitis, nec non podagra, arthritide &c. materia quædam, vitali corporis conſervationi inimica ad extrema ſemel propulſa, longe vehementiorem efficit ſymptomatum inſultum, ſi interiora repetit, & vitalibus ſuccis denuo permiſcetur; ita ejuſdem noxiæ & pernicialis facultatis eſſe receptas in corporis penetralia, purpura diſparente, ſordes; ipſa experientia luculenter teſtatur.*

§. XVI.

Quæ autem in ſingulis corporis partibus, latens ſcorbutica purpu-

(z) vide, ſi placet, ſimilia apud Sennertum de ſcorbuto. p. m. 269.
(aa) Hoffm. cit. loc. §. VII. p. m. 390.

pura ſymptomata producat; experientia docti ulterius videamus. Ut vero a capite initia malorum ducamus, ſciendum erit, non temulentiam modo inde, & vertiginem & faciei tumorem quod §. 15. vidimus, oriri, ſed urentem quoque integumentorum capitis dolorem, ad dentes ſubinde devolutum, cui nec vulgaria doloris dentium remedia opitulantur, nec veſicatoria; ſolantur vero quandoque puſtulæ aphthoides ſponte natura erumpentes. Gravis quoque eſt, qui ex hac cauſa quandoque oritur *rigor maxillarum*, qui ex maſſeterum muſculorumque temporalium ſpaſmodica, ut videtur naſcitur conſtrictione; quem fruſtra validioribus, emplaſtris camphoratis tentaveris, cum emollientibus & leniter diſcutientibus vegetabilibus, cataplaſmatis ſub forma, cum lacte coctis cedat, quod dudum ſimili in caſu commendavit Sennertus (*bb*). Ita fœminam novimus triginta annorum, purpuræ frequentius obnoxiam, quæ cum eandem pateretur, ita tamen ut negotia ſua curare poſſet, in culina vero frigori ſemet tantillum exponeret, diſparente purpura, in rigorem incidit maxillarum per octiduum durantem adeo gravem abſque febre tamen, ut niſi ſiphone per evulſi antea dentis locum alimenta ſimul & medicamenta adminiſtrare licuiſſet; de exitu mali perquam fuiſſet dubium. Similem quoque de virgine caſum, brevitati navantes tacemus. Virum quoque quinquagenarium ex eadem cauſa *Otalgia* (auris ſiniſtræ) graviſſima, cum febre laborantem vidimus, ſanguine materiaque purulenta ex aure, ſummo cum dolore emanante. Eruperat ſimul ad labia & genas ejuſdem lateris unum vel alterum ulcuſculum dolorificum ſquamoſum ſiccum, quod munditiei nimiæ ſtudens, exſiccantibus ſenſim diſpulit. Sequebantur vel jungebantur ſimul aphthæ aliquot in labiis, interius ſudores profuſi graves fuerunt, & prodiit tandem purpura rubra cum levamine, quam excepit Podagra; triumque quantuorve ſeptimanarum ſpatio tota hæc malorum ſcena, in ſanitatem tandem tranſiit. Ad latentem quoque purpuram *ſalivationes ſpontaneas* pertinere vidimus: ut mercurio delibutos fuiſſe ægrotantes crederes, cujuſmodi quid ſcorbuticis evenire ex Eugaleno obſervavit Sennertus. (*cc*) Quæ vero alia ex hac cauſa, capiti incumbere mala ſolent, ſequentibus Hoffmannus exponit, (*dd*) *Si ad caput*, inquit, *impetus vergit, cephalagiæ, aurium tinnitus, memoriæ debilitas, aphonia, imo quandoque furores, inſaniæ, inſultus apoplectici & lethargus, ab intus retenta materia purpuracea, oboriuntur*:

§. XVII.

(*bb*) De ſcorbuto p. m. 283. conf. p. 265. Conſtrictionis & convulſionis maxillarum in purpura alba exemplum habetur: Annal. Vratiſlav. *Verſuch* 33. pag. 336.

(*cc*) De ſcorbuto p. m. 266, & Hoffmannus in ſimili fere nobiſcum caſu; Med. Conſult. p. m. 192. Confer. Hoffm. M. R. S. Tom. IV. p. m. 399. §. 12.

(*dd*) Cit. Loc, pag. 405. §. 38.

§. XVII.

Laryngen vero, aſperam arteriam, pulmones atque thoracem quandoque affligit latens materia purpuracea. Ita in fœmina quadragenaria *raucedinem* obſervavimus gravem, quæ pro eo, ac ex datis medicamentis purpura prodiit, ceſſavit, ne minima quidem pulmonis labe relicta. Frequentiſſima vero ex hac cauſa per Scaniam tuſſis eſt, cum gravitate pectoris, quæ ab initio ſemper ſicca cum ſit, acerrimo ſtimulo ægrotantes vexat, & humida dein tractu temporis redditur. Naſcuntur hinc aliquando hæmoptyſes, & niſi diligentius cuncta attenderit medicus, nulla quoque prævia hæmoptyſi in phthiſin pulmonalem delabuntur ægrotantes; cum parvi ſæpe tuſſim hanc crebro redeuntem & decedentem, pendant ægrotantes. Placet vero tuſſis ex purpura variis ſymptomatibus junctæ, brevem dare hiſtoriam: Virgo nobilis 25 annorum temperamenti ſanguineo cholerici, quæ ſexennis a tuſſi ſicca cum deleto appetitu, lactis caprini ope ſanata fuerat: per quadriennium ex mœrore tuſſim paſſa eſt ſiccam, cum premente thoracis gravitate, anxietate & palpitatione cordis. Poſt uſum acidularum Ramloſienſium, tumor œdematoſus cum levi quandoque ad motum dolore & rigiditate aliqua, alterutrum genu occuparit, pectoris vero inde mala multum emiſerunt. Diſparente poſt annum tumore in genu; tuſſis ſicca cum pectoris gravitate admodum increverunt, cum rubore alternante faciei & tumore matutino labiorum frigido, loquelam aliquantum impediente. Jungebantur ſæpe anxietates, palpitationes cordis doloreſque colici. Menſtrua reſpondebant, niſi quod frequentius quandoque, quam par eſſet, redirent. Ex venæ ſectione nihil levaminis fuit. Intra annuum tamen tempus lenioribus adhibitis cum ſero lactis antiſcorbuticis, pectoralibus atque ſtomachicis amaris cum martialibus conjunctis, erumpente demum affatim purpura, perfecte convaluit. Præter hæc, quæ recenſuimus mala, thoracem quoque ex eadem cauſa graves ſæpe rheumatiſmi & dolores pleuriticis æmuli occupant, quales in ſcorbuto adeſſe dudum obſervarunt Practici (*ee*). Tandem de affectibus thoracis a purpura latente oriundis, celeb. Hoffmanni afferre placet judicium: *Si ad pulmones*, inquit, *& ſenſiles diaphragmatis membranas fertur*; *aſthmata ſequuntur ſpaſmodica*, *nec non punctorii & lancinantes in pectore dolores* (*ff*).

§. XVIII.

In abdomine quidem a latente purpura non *cardialgiæ* ſolum & *vomitus*, ut ante vidimus, oriuntur; ſed frequentes quoque colici & iliaci do-

(*ee*) Drawitz. *Vom Schmerk machendem Scharboct.* p. m. 233.
(*ff*) M. R. S. Tom. IV. P. V. p. 405. 538.

dolores, alvo alias obſtructa, alias reſpondente. Non abs re fore putamus exemplum hujuſmodi colicæ, ut ab ipſo ægrotante accepimus breviter enarrare: Vir 36 annorum, macilentus, qui ante ſeptennium hæmoptyſi ex eadem hac cauſa laboraverat, cum tuſſi & raucedine; hiſce liberatus malis ab illo tempore, ſerpigine, ut vocat, occupatus eſt, quæ ſenſim a nucha infimaque facie ad genua uſque proſerpſit. Levamen quærit mali, quod purpuræ vel eryſipelatis factum putat latibulum, ob frequentia ſimul & fœtentia ſudamina. Quandocunque enim hæc ſerpigo diſparet, febriles patitur inſultus cum dolore iliaco, ſub umbilico incipiente ad præcordia dein protenſo. Jungitur calor ventriculi cum dolore alterius lateris, ſudore & purpuræ excretione cum levamine ſubſequente. Si frigori corporis objecerit, graviora hæc fiunt, colica vero deſinente, tuſſis cum inſigni raucedine ſuccedit. Sublividus ſalſuſque mucus tuſſi eliditur; amarities quandoque oris obſervatur, dolores pariter pectoris rheumatici, tinnitus aurium cum levi vertigine. Appetitus interea ſatis conſtat, alvus reſpondet, & ubi purpura in brachiis quoque efflorescit, cuncta levantur mala.

In fœmina triginta annorum, decima a puerperio ſeptimana, ſimile obſervavimus malum, ſed cum alvo pertinaciſſime adſtricta, & colica adeo cum lenta febri longe graviori. Fruſtra hujus mali levamen laxantibus & clyſteribus fortioribus tentaverant Chirurgi, ſed facile dein ſanatum fuit emulſionibus & laxantibus, quibus ſatis inditum fuit olei amygdalarum dulcium; interpoſita mixtura ſimplici antiſcorbutica, unde latens prodiit purpura.

§. XIX.

Vix autem cuipiam graviora mala quam *puerperis* minatur, latens antea in ſanguine purpura. Cum enim ex puerperio infirmus admodum uterus ſit; illuc facile, quicquid in ſanguine impuri fuerit, confluit, unde tot de purpura puerperarum, querelæ, quæ ab auctoribus paſſim tractantur. Nec minus *menſes* in feminis irregulares reddit, latens purpura; præcipue vero ut citius juſto intervalla ſua repetant, idque majori plerumque quam par eſt, copia efficit. Quod quidem adeo certum hoc in ſolo eſſe comperimus, ut vix fœminam noverimus, cui 14 vel 21 quovis die menſes intempeſtive redeunt, quin certo de illa pronuntiare poſſimus, latente illam purpura vel ſcorbutica ſanguinis diatheſi laborare. Non mirum igitur eſt *hæmorrhagiam uteri* pertinacem, ex hac quoque eadem cauſa foveri. *Dyſuriæ* quoque & *ſtranguriæ* in viris, maxime vero in fœminis puerperis, frequentes ſatis ex purpura obſervantur. Imo vero nigras ex hac cauſa in fœmina 64 annorum urinas vidimus, quales Sennertus ex Eugaleno refert (*gg*). Nec rarus inde *fluor albus* evenit, qui ubi ſiſtatur, dolores paſſim in corpore rheumaticos cum febre graves

 red-

(*gg*) P. m. 266. & Hoffm. M. R. S. p. 399. §. 12. Bartholin. vero in Epiſt. Cent. IV. Epiſt. XIV.

reddit, & erumpente quamvis purpura ex toto non quieſcunt, niſi & ſimul redierit fluxus. Ad abdominis quoque mala non inepte forte retulerimus, *melancholiam*, qualem in uxore æditui quadragenaria obſervavimus adeo gravem, ut liberum ſæpe mortis occupare vellet arbitrium. Sanata vero fuit, aquis mineralibus artificialibus, ex aqua fontana, tartaro ſolubili & vitriolo martis; prodeunte dein affatim purpura. Similiter quoque fœminam novimus generoſam, quæ 30 fere annorum ſpatio melancholica, purpuram ſæpius paſſa eſt chronicam miris junctam ſymptomatibus. Cum vero fatiſcente demum natura, per triennium; purpura non ultra prodiret; ſexagenaria hydropica mortua eſt, liene admodum magno, ſcirrhoſo & tuberculoſo poſt mortem reperto. Ulteriorem enim diſquiſitionem, cultro anatomico inſtituendam, demortuæ non paſſi ſunt neceſſarii.

§. XX.

Quandoque autem artus occupat latens materia purpuracea, dolores in illis & ſpaſmos, quales *rheumatiſmos ſcorbuticos* Sydenhamus (*bb*) quondam vocavit excitat. Horum autem cum ſcorbuto cognationem ſequentibus declarat Etmuller: Pr. M. p. m. 410. *Terminatur arthritis vaga nunc per ſudores & urinam, nunc etiam excipit excretio cutanea inſtar purpuræ, & tota ſuperficies corporis fit aſpera.* Hi autem rheumatiſmi quandoque fixi cum ſint, ſæpius tamen obſervantur vagi, & miræ, niſi purpura effloruerit, obſervantur pertinaciæ. Referri quoque huc poſſunt *tumores repentini manuum*, ſæpe indolentes & abſque rubore, quorum magis originem mirantur, quam gravitatem experiuntur affecti inde homines; cum cito & abſque incommodo, ut vidimus, tranſeant. Qua de re ex Eugaleno, Sennertus de ſcorbuto p. m. 269. ſequentia habet: *antequam* inquit, *ſedem figit certam ſcorbutus, aliam atque aliam corporis partem, momentaneo tumore ac inflatione attollit & diſtendit.* Gravior autem eſt, quæ ab hac cauſa oritur *pareſis* vel *paralyſis* artuum. Harum quidem alia, ſi tempeſtive ſanetur, cito tranſit erumpente purpura; alia vero morbum facit pertinaciſſimum. A leviori hujuſmodi paralyſi cruris pediſque alterutrius, affectum vidimus puerum nobilem ſexennem, qui matre erat natus, cui rheumatiſmi purpuracei pertinaces æque erant ac frequentes. In hoc vero cito admodum malum tranſiit, purpura idoneis remediis propulſa. In viro quoque, cujus uxor purpura laborabat chronica pertinaci, pareſin & ſtuporem brachii obſervavimus poſt toleratam leniorem purpuram rubram acutam. Cuncta autem is in vado eſſe exiſtimans, a frigore ſibi non ſatis cavit, unde ſtupor brachium occupavit, ceſſans erumpente denuo purpura. Gravioris vero hinc ortæ paralyſeos exempla, ſcientes præterimus, id ſolum monentes, quod a paralyſi ordinaria ſollicite debeat diſtingui; cum aliam omnino medelam poſcat & venæ ſectionibus reddatur deterior. Id quod exteris medicis, qui-

(*bb*) Conf. v. Swit. Com. Tom. III. §. 1151. p. m. 605.

quibus ex noſtris terris ſanandus obveniat advena, diligenter eſſe obſervandum; experientia teſte, habemus cognitum. Bene vero Paralyſin ſcorbuticam ab ordinaria, his verbis diſtinguit Ettmuller: (*ii*) *Senſim inchoat & primo ſaltem vagus ſtupor aut inſenſilitas, cum formicationis ſenſu partem prehendit ſenſus manet utplurimum, aut ſaltem aliqualis ſtupor inducitur: ſubinde cum dolore gravi, ut plurimum vago, raro fixo, juncta eſt; jacentes fere commode movere membra poſſunt, ſed ſtantes vix denuo pergere. Non rarum eſt, ut in talibus ægris ſcorbuticis, membrum nunc ſpaſmo contractum rigidum reddatur, nunc paralyſi affectum idem flacceſcat & plus minus ſtupeat* (*kk*).

§. XXI.

Cum ergo hæc §. 15. 20. in aliis atque aliis corporibus purpuram chronicam latentem comitentur ſymptomata; plurimum intereſt ſigna noſſe ex quibus judicari queat, num hæc vel alia cauſa, præſens produxerit malum. In hoc vero omnem ingenii aciem intendat, neceſſe eſt, medicus; cum quomodo ſcorbuti latentis, ſic etiam purpuræ hujus, difficillima ſit cognitio. Quemadmodum autem in morbo hoc ſcorbuticam humorum diathesin adeſſe novimus, quam indicant ſæpe maculæ lividæ & corruptæ gingivæ in iiſdem ſubjectis, redeuntis purpuræ intervalla quandoque diſtinguentes; ita quoque ſcorbuti incipientis, vel provectioris ſigna, purpuram quoque præſentem poterunt manifeſtare. De quo quidem ita Ettmuller p. 398: *Ut igitur*, inquit, *cognoſcatur latens ſcorbutus, conſideret medicus urinam, quæ nimis flammea, vel cum arenulis iſtis ruffis imprægnata, vel & caudâ pavonis eſt inſtructa; præter urinam attendat medicus ſymptomata doloroſa &c.* Vere quidem, ſi abſque febre & ſiti, urina meitur rubra, præſentis ſcorbuti certum habemus indicium, (*ll*) raro vere hæc niſi in provectiori malo, locum habere ſueverunt. Obſervavimus vero urinam dilutiorem, & ſanorum ſimilem, ſi fortius oleat, & hypoſtaſin non nubeculam deponat uberiorem albicantem vel roſeam, diutiuſque ita pergat, homine interea utcunque ſano apparente; latentis ſæpius ſcorbuti & purpuræ præbere indicia. Omnium vero maxime latentem deſignant purpuram dolores ſpaſmodici vagi, ſudores peculiaris odoris §. 11, temulentia denique quædam capitis aut levis ſæpe ingruens vertigo, quam tantum non ſemper in hoc obſervavimus adeſſe malo. Addantur his cauſæ enarratæ §. 7-10 procatarcticæ, & præcipue quidem favens ſcorbuto ſolum; habebis ad latentem detegendum morbum, præeuntes non obſcuras faces.

§. XXII.

Quemadmodum duplex datum novimus medico officium, præſentes nempe ſanare morbos, futuros vero præmunire & antevertere; ita quoque

(*ii*) De Paralyſi p. m. 321.

(*kk*) Conf. Drawitz. *Von Schmerk machenden Scharbock*, Cap. de Paralyſi ſcorbutica p. m. 139. ſequent. ſpeciatim vero p. 142. 145.

(*ll*) Conf. Rega de Urinis, in meth. Med. p. 292 & 293

que ut de prophylaxi purpuræ chronicæ pauca commemoremus, dignitas rei poſtulat. Præcavetur autem, ſi cauſſas §. 6. 10. quoad fieri poſſit, ſollicite evitemus. Imprimis vero diætam, quam damnavimus §. 7. calidam vitent, quicunque alvum patiuntur ſegniorem, uberius enim inde non minus quam fortius ad cutim vergunt collectæ impuritates, purpuræ latibulum conſtituturæ. Hæmorrhoidum porro rationem habeant diſpoſiti utriuſque ſexus homines, cum neminem morbo huic magis viderimus obnoxium, quam hæmorrhoidarios: ubi tamen effectus ne ſint purpuraceæ materiæ, an cauſæ, hæmorrhoidaria molimina, difficile ſæpe eſt judicatu. Porro quoque aquarum maxime rationem habeant; quæ quo ſint puriores, eo quoque plus ſalium peregrinorum e corpore educunt & a purpura præſervant. Quamvis enim non confectum putemus (*mm*) Germanici Cæſaris exercitum trans Rhenum deductum (*nn*) fontis cujuſdam unius vitio ſcorbutum contraxiſſe; mala tamen hæc ab impuris aquis foveri, non rei ſolum natura, ſed peregre maxime navigantium ærumnæ, abunde docent (*oo*). Poſt hæc domorum, quas habitamus ſollicitam habere curam decet. Ut enim *frigida* (adde ſi placet humida] *murorum exhalatione morbum hunc foveri*, *intra tabulata miteſcere* illum vere ait Olaus magnus (*pp*); ita quoque ad præcavendam cognatam ſcorbuto purpuram magni momenti res erit, muros interius tabulis quorumcunque lignorum cooperire. Ubicunque etiam facultas fuerit; ſuperiorem domus contignationem habitare præſtat, ab humiditate noxiiſque vaporibus magis liberam. Neque demum fumum vendere nos exiſtimandum erit, dum ſuaſerimus, aere humido nebuloſoque exiſtente, conclavia ſuccino aliiſque ſimilibus accenſis odoramentis, gratiora pariter reddere ac ſalubriora. Tandem vero locum ſubinde mutare & in clima ſcorbuto minus obnoxium ſecedere in potiſſimis erit auxiliis, ut ſuo jam tempore expertus eſt Profeſſor Lips. Johan Michælis, Roſtochio Wittebergam tranſmigrans (*qq*).

§. XXIII.

Ubi vero cum ſignis §. 11. enarratis, evidens conſpicitur præſens purpura, regimine adhibito moderato, paucis adjuta remediis, malo tantiſper tollendo ſufficere natura ſuevit. Præſtant igitur, quæ ſpaſmos moderantur, acre quodvis deleniunt, & æquabilem ſanguinis circulum, medicamenta promovent. Quod ſi igitur vis vitæ in expellendis exanthematibus ſatis ipſa valeat, diaphoreticis calcaria velut naturæ ſubdere minime putamus tutum; ſatis enim eſt potionibus mediocriter calentibus, exha-

(*mm*) Conf. Sennert. de ſcorbuto p. m. 246.
(*nn*) Plinius in hiſt. nat. Lib. 25. Cap. 3.
(*oo*) Conf. v. Sw. Comment Tom. III. p m 596.
(*pp*) In ſeptentr Gent. Hiſt. Lib. 16 Cap. §. I. Qua de re confer. Sennert. p. m 256. & v. Sw. Tom III §. 1150 p m 596.
(*qq*) Conf. Præf. Michaelis ad tract. Drawitzii de Scorbuto.

exhalantium tenuiorum humorum diſpendia penſare. Priſana igitur ex ſcorzonera, in qua tuſa fuerint emulſiva ſemina, frigida dicta, & alia hujuſmodi, addita liquoris anodyni mineralis portiuncula, egregiam opem præſtant. Segnior autem natura, quæ fuerit, juvatur commode remediis, quæ ſanguinis circulum naturali paulo reddunt citatiorem. Pertinent huc bezoardici dicti pulveres, quorum ab antimonio diaphoretico, cornu cervi uſto & unicornu marino, nitri tantillum addito, medicata vis pendet. Ubi vero deterioris indolis §. 12. purpura fuerit, non hæc modo, quæ diximus, erunt obſervanda, ſed ſingulari viſceris cujuſvis vitio, idoneis remediis pro cauſarum diverſitate erit proſpiciendum. In plerisque autem hujuſmodi caſibus egregiam cum Hoffmanno obſervavimus virtutem Selteranarum aquarum, dummodo horis a ſudore vacuis tepide potentur, & ſic de cetero curetur, ut medicamentis tranſpiratio inſenſibilis ſarta nihilominus maneat ac tecta. Ubivis vero ſollicita habenda ratio alvi erit, quæ quo magis in hoc morbi genere vel citata vel tarda nimis eſſe conſuevit, eo quoque ſtudioſius, ita erit moderanda, ut naturæ niſui, quam proxime reſpondeat

§. XXIV.

Quando ex propriis ſignis §. 21, dignoſcenda latens purpura chronica §. 14, variis corpus humanum exagitat ſymptomatibus §. 16-20; prudenti molimine in id erit incumbendum, ut relictis interioribus ſedibus, ad habitum corporis, proprium ipſi emunctorium purpura vergat. Si igitur fatiſcentis naturæ vitio intus deliteſcat malum, roborantibus medicamentis ipſi erit ſuccurrendum, quæ alia atque alia eſſe debent, pro eo ac abſens fuerit vel præſens febris. Illo enim in caſu moderata proſunt alexipharmaca, hoc vero urgente, bezoardici pulveres, admixtis acidis lenioribus cardiacis, deſideratam opem non fruſtrantur. Utrinque vero ſpecificam edere virtutem videtur mixtura ſimplex antiſcorbutica Werlhofio (*rr*) dicta, quæ penetrabili virtute latentem ex ſedibus ſuis dimovere valet materiam purpuraceam, & viribus, cum ſpiritu aperitivo Penoti, Hoffmanno una cum liquore ejus anodyno, adeo in hoc morbo commendabili, ita certat, ut primas nobis partes jure videatur tueri. Quod ſi vero pulmonem §. 17. afflixerit materia purpuracea; ob acidum quod fovet mixtura hæc ſimplex, præcipue quidem validiori igne per retortam, vel figulinam vel ferream parata; huic non erit fidendum remedio. Sed ne ſic quidem, tuta ope deſtituuntur ægrotantes. Emulſionibus enim leniter diaphoreticis addi commode pulveres poſſunt, qui una cum lactis ſaccharo unum vel alterum granum, ſulphuris aurati contineant antimonii tertiæ præcipitationis, ita tamen ut de vera ejus præparatione ſecurus ſit medicus, nec vomitus tutum per ſe remedium refracta doſi datum, ſequatur. Dum autem viſceri cuipiam aut

 parti

(*rr*) Werlhof. obſerv. de febribus p. 145.

parti corporis infirmæ pertinacius adhæſerit materia purpuræ; oſcillationibus fibrarum labefactatis, externis quoque ſuccurrendum erit auxiliis. Quem in finem nervini ſacculi, ſimilibus acuati ſpiritibus, vere ſunt commendabiles. Tandem vero ubi cauſæ quædam externæ, frigus nempe improvide admiſſum cutis ſpiracula obturaverit; moderato calore hæc erunt removenda obſtacula. Idem quoque de ſpaſmis valet & doloribus gravioribus purpuræ eruptionem impedientibus; qui anodynis prudenter deliniti, remoram nitenti ad cutim malo, ultra non ponunt.

§. XXV.

Adhibitis quæ laudavimus §. 23. 24. auxiliis, cum ceſſaverit purpura, meminiſſe oportet, eam morbi hujus indolem eſſe, ut interjecto tempore ſponte iterum recrudeſcat. In id igitur erit laborandum, ut vacuis a morbo intervallis, minera mali hujus e maſſa ſanguinea repurgetur. Efficiunt hoc ipſum medicamenta, quæ viſcidum ſolvunt, peregrinos e corpore ſales educunt, & fibris denique conſuetum robur reddunt. Cum vero in diatheſi quadam ſanguinis ſcorbutica fomes mali hæreat & plerumque acrimonia quædam ſanguinis alcalina præſto ſit & oleoſa: intelligitur facile ſuccos recens expreſſos vegetabilium, & in his ſubacidos quoque, ſaponacea ſua virtute plurimum boni præſtare. Egregius igitur obſervatur ſuccus beccabungæ, naſturtii aquatici, acetoſellæ, cochleariæ aliarumque ſimilium herbarum, quibus pro eo ac major adfuerit vel minor humorum in corpore putredo, addi poſſunt ſucci recentes chamæmori, pomorum citreorum, aurantiorum vel limoniorum. Ita tamen hæc cum ſero lactis vel juſculis vitulinarum carnium erunt miſcenda, ut & vires ægrotantibus conſtent, & nauſea ingrato maxime & diuturno remedio familiaris, prohibeatur. Hæc dum vernali maxime tempore inſtituuntur; æſtivis menſibus minerales aquæ in uſum revocentur; quarum quidem pro diverſitate ſubjecti & ſymptomatum ſelectus, prudenti erit relinquendus Medico. Caveant vero ægrotantes, ne frigidas has aquas vel affatim hauriant. Subdolum enim mali genus purpura eſt, tum quoque, ubi vel maxime latet & nullis plane moleſta obſervatur ſymptomatibus. Raucedines enim, tuſſes, colicæ & cardialgiæ graviſſimæ, conſueto alias modo aquis mineralibus utentes, hic ubi latuerit morbus, facile prehendunt. Atque hæc quidem ea ſunt, quæ de purpura chronica monere, neceſſaria maxime duximus. Quæ vero ſingulares cuivis ſymptomati animadverſiones debentur, brevis diſſertationis limites comprehendere non valent.

T A N T U M.

SAM.

CXCIX.

SAM. THEODOR. QUELMALZ,

PROGRAMMA.

QUO FRIGORIS ACRIORIS IN CORPORE HUMANO EFFECTUS EXPENDIT.

Lipſiæ 13. April. 1755.

Cum annis abhinc quibusdam de fervidioris tunc æſtatis prægreſſæ calore, ejusque in vitam ac ſanitatem influxu quædam in medium protulerim, non abs re fore opinor, ſi, oblata hac opportunitate in præſenti, acerbi illius frigoris, quod præterita hyeme noſtram atque univerſas propemodum Europæ regiones ſtrenue exercuit, bene memor, ejusdem in corpus humanum effectus brevi ſcriptura expendam. Pauciſſimis in frigoris explicanda natura morari expedit. Diſſenſum phyſicum, utrum in ſola caloris abſentia vel privatione, ſine aliarum cauſarum concurſu, aut particularum ætherearum quiete tantum conſiſtat, haud meum faciam. Ex altera enim parte radiorum ſolarium longiorem remotionem, ſole de nocte infra horizontem commorante, aut illorum nimis obliquam in terræ ſuperficiem directionem, hyeme in regionibus ſeptentrionem occidentemque verſus ſitis accidentem, frigoris manifeſtam conſtituere cauſſam nemo inficiabitur. Mirandos autem in natura effectus poſitivos idem quoque præſtare, corporibusque naturalibus minus exiſtere proprium, facile largior. Ex altera vero non minus parte preſſionem a motu rectilineo centrum verſus partium ætherearum ſubtiliſſimarum denſiorumque frigus ſemper præſupponere non obſcuris indiciis atque experimentis evincitur. In cujus aſſerti probatione otia mihi fecit ſolertiſſimus naturæ ſcrutator *du Hamel* in *Reg. Scient. Acad.* pluresque neotericorum. Qui gravioris compreſſique ætheris motus in fibras nerveas ſenſiles ceterasque corporis partes, gradibus etſi diverſis, impingens non poteſt non frigiditatis excitare ſenſum, ſicuti e contrario, ejusdem impulſu, contraria ratione, ſive a centro ad peripheriam accidente, rapidiſſime calor, ceu effectus e regione oppoſitus, exſurgit. Quibus ſic conſtitutis, non obſcure intelligitur, qui unus idemque aër ipſa labiorum oris majori diductione aut conſtrictione viciſſim ea, qua minima ſaltem relinquitur apertura, aut flabellatione, pro motus ſolius directione ac diverſa preſſione, jam calidus, jam frigidus fieri queat. Ipſa vero per univerſam atmoſphæram magna probabilitate diſperſa corpuſcula ſalina variæ indolis diverſis ex rationibus aſſerenda frigori propter eandem aëris condenſationem augendo paria eſſe in aprico eſt. Quod vero nitro ſolum debeantur, ex allegat. Commercii liter. Norimb. a. 1736. p. 40. *Leſſerus*, autor annotationum in ſpeluncam *Baumannianam* &c. §. 9. de frigore gravitatem aëris augente perhibet: *hoc vero*, inquit, *dependet tum a ſolis abſentia*, *tum nitri*, *quod aër frigidus continet*, *copia*. Nitro ſcilicet aërem hyemali tempore impræguatum eſſe, auctor probare conatur ex parietibus ædium ſacrarum ac cellularum, itemque ſtabulorum, & potiſſimum aſininorum, quod ex figura particularum acidorſalinis particulis ignis contrarietur, ſeu harum motum celerem impediat.

 Verum

Verum enim vero tantum abeſſe puto, ut ſal ex parietibus, recenter, quod obſervavi, calce obductis ſepulchrisque atque concamerationibus variis ſubterraneis hyeme efflorescens, nitrum verum nuncupem, ut potius idem, ſollicite collectum, amaricans in modum tartari vitriolati ſicque alius indolis non ſemel obſervaverim, quod etiam ob miſcelam cum calcis cæmento aliter comparere haud poterat. *Gaſſendum* tamen atque *Bartholinum* nitroſas partes e nive, ſpagyrica arte, eduxiſſe *Schraderus* in Diſſert. de *Frigore* meminit. Vulgaria interim loquantur experimenta, quibus jam ſal commune, jam ſal ammoniacum in pollinem redactum ſicciſſimum nivi, vel glaciei, ope cultri raſæ, admixtum frigus intenſius longe, imo manibus vix tolerabile producimus, cum idem ſal, aquæ additum frigidæ, poſt girationem præviam, frigoris atmoſphæræ gradum gradibus viginti octo ſuperaſſe, deprehenſum fuerit. Notatu digna ſemper mihi viſa ſunt, quæ incomparab. *Boerhaave* in Elem. Chem. ad Exper. IV. de *igne* corrolario 4. p. mihi 147. ex *Fahrenheitii* ipſi communicato tentamine percepiſſe gratus profitetur. Scilicet laudatum virum *glaciei minutim contuſæ affudiſſe duas uncias ſpiritus nitri fortis*, cujus utriusque calor graduum 48. fuiſſet, unde momento temporis frigus natum eſſet, ut thermoſcopium, illico immerſum illi miſto, ſubſideret ultra quatuor gradus ſub O. Quod experimentum cum illo poſtmodum ab eodem *Fahrenheitio* confecto thermometro, mercurium vivum in cylindro anguſtiſſimo recipiente, & ita conſtructo, ut ſupra bulbum adhuc gradus accuratiſſime diviſi notatique 76. infra O. eſſent, ad minimam caloris varietatem facillime mobili, poſtquam aqua ſupernatans effuſa, recenſque aqua fortis glaciei contuſæ denuo repetitisque vicibus affuſa eſſet, longe adhuc majorem frigoris, arte producti, gradum eumque manifeſtavit, ut ad 29. infra O. deſcenderet. Nec dubium, quin repetita operatione idem plus plusque increviſſet. Sponte hinc patere arbitror, ultimum ſummumque frigoris gradum, qui omnem prorſus excludat ignis vel leviſſimi, ſeu vis rarefacientis præſentiam, ut ne unquam ullibique major reperiatur, determinatu niſi impoſſibilem, tamen difficillimum eſſe. Quæ dum ſcribo, temperare mihi haud poſſum, quin ipſum thermometrum indicem frigoris certiſſimum omni exceptione majorem haud venditem. Etenim non ſolum præterita hyeme, ſed ſuperioribus quoque annis aſſerti veritatem tunc aperte cognovi, cum frigus nonnunquam exiſteret ſatis intenſum, thermometro idem minus indicante. E contrario deſignante eodem alio tempore idem acerbum ſatis, ad tactum tamen tale haud extitit. Cujus phænomeni notatu digniſſimi rationem vaporibus in aëre diſperſis nebuloſæque humiditati, ex ſpiculis minoribus congelatis, in aëre ſereno verſus ſolem conſpicuis metiendam recte tribui experientia quemlibet docebit. Has ſcilicet frigus longe ſenſibilius ſiſtere animadvertimus. Idem eſto judicium de frigore gelido, quod, loquente *Boerhaave* in Elem. Chemiæ Edit. Lipſ. p. 170. *gelida vento ſpirante forti*

ſatis

ſatis, corpori noſtro longe magis infeſtum eſt, ita quidem, ut nemo illi ferendo ſit, quin ipſi brevi admodum gangræna perimantur membra. Quibus præmiſſis, quæ jam noxæ a frigoris inclementia corporibus animalibus, quæ præ plerisque vegetabilibus eandem difficilius ferunt, præcipue etiam hominibus immineat, diſpiciamus. Equidem hyeme ventres eſſe calidiores, ſapientiſſime dicit *Hippocrates*, nec negandum, appetitum tunc magis vigere, digeſtionem ciborum gnaviter peragi, roburque muſculorum validius eſſe, quam æſtuante cœlo, quod corpora non niſi ſoluta reddit. Verum aliud de frigore atrociori cenſendum erit, quod in externum impingens corporis habitum, poros cutis vaſaque cutem perreptantia minora adeo conſtringit, ut liberum humorum per eadem iter, neque ipſa ex parte tranſpiratio non ſolum intercipiatur plenarie, ſed ut iidem ad interiora ruant, aliasque vias pro ſeri eliminatione quærere cogantur. Nec in ſuperficie ſolum diſtributos canaliculos afficit, ſed ipſa ſanguiflua per muſculos excurrentia vaſa ſtringit, ſanguinemque verſus truncos majores repellit, non raro in ipſis arteriis eundem in motu plane ſiſtit. Tendentibus ſimul fibris muſcularibus harumque filamentis verſus centrum, inque mutuos nexus euntibus denſior exſurgit partium rigiditas. Veluti autem extremitates & artus præ ipſo corporis trunco frigoris atrocitati magis expoſiti ſunt, ſic etiam frequentiores in iisdem perniones, inflammationes, imo ipſas gangrænas eandem excipere, triſtis experientia nos hic loci olim, cum utraque crura ex eadem cauſa ſphacelata miſero intra unicam horam extirpanda eſſent, & ipſo anno 1740, imo hoc ipſo tempore abunde docuit. Digitos non ſemel frigoris vi enectos excidiſſe, ipſe *Galenus* L. III. de *Uſu Part.* c. 5. tradit. Nonnullos e Perſide in Thraciam ſæviente frigore iter facientes, poſt reditum naribus auribusque deſtitutos comparuiſſe *Xenophon* commemorat. Haud aliter nempe partes corporis vivi omni vitalitate privari frigoris morſu, quam a cauterio actuali aut alio medicamento cauſtico, ut plane reſecentur animadvertimus. vid. & *Borell.* Cent. 3. Obſ. 32. it. obſ. 24. *Hippocrates* de *Humid. Uſu* IV. Sect. V. aphor. 10. cerebro, ſpinali medullæ nervisque admodum hoſtile exiſtere gelu, nec minus idem autor Sect. V. aph. 17. cauſam convulſionum crebro frigus exquiſitum conſtituere, affirmat. Quid mirum, & tremorem & paralyſin pedum aliarumque partium eo obrigeſcentium diu inſequi? Equites congelati, per Alpes equitantes, & habenas tenentes manibus a *Camerario Syllog. Memorab. Cent.* V. *part.* 60. adducuntur. De borealibus regionibus narraſſe mihi advenas bene recordor, ex incolis pagorum, diebus dominicis, frigore hyeme exiſtente vehementiori, ante concionem in diverſorii hypocauſto, ut caleſcant iterum, convenientibus, campanarumque poſtmodum ſonitu monitis una exeuntibus, inque templum ſe conferentibus, ſæpius quosdam jam apoplexiæ, jam peripneumoniæ, aut pleuritidis inſultu, imo ſyncope opprimi. Quod ipſum & in his, etſi temperatioribus, regionibus, frigore crebro fieri conſtat. Nec mirum illi videbi-

debitur, qui ſanguinem ceteroſque humores eadem cauſa & ſubitanea alteratione ad interiora, ſicque ad corticem cerebri tenuioraque plexus choroidei vaſcula adeo reprimi cogitat, ut vel compreſſio principiorum nervoſorum, vel perruptio eorundem humorum in ventriculos cerebri, apoplexiæ cauſa frequens, inde conſequi debeat. Citius adhuc in partes, quæ acceſſum ipſi per aperturas externas conceduut, in fauces puta ac pulmones calidiores, per inſpirationem uterumque admiſſa aeris frigidioris aſperitas ſumme pernicioſas hæmoptyſes, inflammationes, in pulmonibus, pleura atque faucibus, phthiſin, catarrhos, tuſſes, varios aſthmaticos affectus, ſuppreſſionem menſium atque lochiorum excitare ſolet. Quid in reliquis abdominis partibus internis valeat, quantos cruciatus colicos, hyſtericos, dyſentericos, calculoſos, quam, inquam, ſingultum, diarhœas, imo annotante *Ætio* Tetr. III. Serm. I. c. 28. paſſionem iliacam: pluraque alia incommoda ex repulſis humoribus acrioribus creet, quamque ipſis organis ſenſoriis externis inſidietur, obſcurum eſſe nequit. Utut ſolidas inter corporis partes atque fluidas perpetua ſit harmonia, nec ulla ex illis male ſe habeat, quin hæ ſimul ægre afficiantur, inque conſenſum quendam trahantur: peculiarem tamen reſpectum etiam fluidæ poſtulare videntur. Eminet has inter ſanguis, qui a gelu ambiente exceſſivo compreſſioneque vaſorum periphericorum, in corporis interioribus cordi vicinis partibus mire coacervatur, ſique inſitus calor a motu progreſſivo jam multum ſuppreſſo extinguatur, ſucceſſive in grumos cogitur, ſicque ineptus evadit, qui per vaſa anguſtiſſima, inprimis viſcerum circumeat. Cujus cum ſint diverſæ partes, annon una præ altera frigoris violentia fortius alteretur, nolim dubitare. Præ ceteris immunes magis æſtimarem oleoſas ſeu ſulphureas ejus portiones, quas frigoris impetu penitus coagulatas vel condenſatas vel nunquam, vel rariſſime, repertas fuiſſe invenies. Quod niſi ex obſervationibus abunde conſtaret, ſimpliciſſimum tamen experimentum, quo ex aqua, ſpiritibus vinoſis atque oleis deſtillatis, in unico vaſe contentis, intenſum frigus aquoſas quidem partes in glaciem cogere conſuevit, minus autem ſpiritus vel olea, præcipue æetherea, ſi illa ex ſemine aniſi pauciſſimisque ſimplicibus producta, quæ in cryſtallos abeunt, excipias. Major nimirum ætheris copia, quæ in iis detinetur, in motu quaſi undulatorio eorum partes conſervat, ut, urgente licet frigore, tametſi eædem ita comprimantur, ut minori tunc ſpatio contineantur, teſtantibus thermometris, cohærere facile nequeunt. Idem eſto judicium de ſumme mobilibus activiſſimisque ſpirituoſis ſanguinis laudabili maritatis partibus. Quo ipſo clare patet, ſerum ſanguinis, quod per varia tentamina maximam cruoris efficit partem, quæque ipſi admixta ſunt ſalia, frigoris injuriis eſſe expoſita maxime, eoque citius, quo largiorem pituitam viſcidam, per præcedentem diu tempeſtatem humidam & frigidam antea contractam, commixtam tenet. Quoties namque, ſi vis vitæ humores circumagens deficiat, in ſani-

ſenibus digeſtionis vitia ingruunt, vel ſi torpeat motus voluntarius, fluidaque inquilina aſſimilantia fatua quaſi exiſtunt, inque aliis quoque, cum pectoris pulmonumque debilitate atque affectionibus morbidis conflictantibus, humorum decens præparatio atque elaſticitas remittit, toties lentorem lymphæ comitem eis experimur fideliſſimum. Qui igitur temperato corporis calore ſuum difficulter ſatis conſervat fluorem, is ab excedente frigore, ut in pulmonibus, ſic quoque in univerſo corpore glutinis conſiſtentiam induit. Quin imo, ſecedente tenuiori lymphæ parte, cum filamentis ſanguinis ceu elementis ſolidis in polypoſa coagula ex eadem cauſa degenerat. Confirmat id evidenter ipſa anatome ſenis ſeptuageſimum ætatis annum transgreſſi, quam A. 1726. demonſtrationibus publicis tunc præfixus inſtitui. Cujus in itinere, menſe Januarii, conſtituti, prope Zwenckaviam, frigore vehementi extincti oppreſſique cadaver in theatrum anatomicum delatum, blandoque calore, ob rigiditatem eius fotum, præter alia in cunctis vaſis ſanguifluis, tam arterioſis, quam venoſis paullo capacioribus polypoſas concretiones longas, teretes, figuram de reliquo vaſorum ſuorum poſt extractionem æmulantes, ſimulque vaſa meningum ſanguine turgida lymphamque viſcidam in ventriculis obſervanda præbebat. Illorum igitur pleroſque, quotquot gelu exceſſivo intereunt, ex apoplexia, perrupto vel ſanguine, vel ſero accumulato in cerebri ventriculis ſuccumbere, vero videtur ſimillimum. Ipſe ſopor vel ſomnus, in quem adeo proclives ſunt, ante mortem, ſerumque largius in cerebri ventriculis poſt mortem repertum, non obſcurum ejus rei præbet teſtimonium. Enim vero impetuoſam repreſſionem ſanguinis, qui craſſitiem ex eadem ratione contraxit, ab externis partibus ad cerebrum, & ſomnolentiæ & apoplexiæ viam manifeſto pandere extra dubitationis aleam eſt poſitum. Ipſe *Galenus* libr. de *morborum Different.* c. 5. Iter hyeme facientes apoplecticis ſimilia ſymptomata paſſos notat. Utrumne famulus ille, de quo novellæ ſuperiori menſe commemorabant, quod frigore ſummo extinctus de curru decidiſſet, inque via retro a domino atque domeſticis ipſius revertentibus inventus, nive interim coopertus, & quaſi ſepultus eſſet, quo diebus aliquot elapſis, reduces facti cadaver ejusdem currui impoſitum, ſecum domum deportare poſſent, redivivus in hoſpitio præter omnem ſpem atque opinionem repertus, ſoporem talem apoplecticum fuerit perpeſſus, nolim dubitare. Non abſimile exemplum vide ſis in *Boyle Hiſt. Frig.* & ex ea in *actis Anglic. philoſ.* menſ. Maj. 1665. Metuo inſuper, ne ſpiritus vini aut aquæ ſic dictæ vitæ, largius hoc ipſo tempore ingurgitatæ ſerum ſanguinis inſpiſſent, & mortem in miſeris accelerent. Sæpius certe miratus ſum, illos, qui pro frigore exquiſito arcendo ſpirituoſis ... potulentis delectati fuere, niſi motus per ambulationem ſimul ... junctus, illo fortius potius fuiſſe correptos, quod ipſum phænome... ...tra quædam addenda, ut puto, illuſtrabunt. Quas vero polypo... ...ncretiones a gelu in adducto exemplo notavimus, tales in febribus

cum

cum magno frigore paſſim, una cum ſcirrhis glandularum, alii obſervavere. Cumque frigus in febribus diu durans ſenibus inprimis ac inbecillis valde non ſolum periculoſum, ſed mortem ipſam in intermittentibus illis, frigoris tempore accidere notum ſit, cur parem ejus cauſam allegare haud debeam, non video. Eſt præterea nonnullorum hominum ea, tum totius corporis, tum ſyſtematis ejus nervoſi tenerioris ac ipſius temperiie diſpoſitio a teneris per ſollicitiorem frigoris evitationem, vel morbos etiam præcedentes inducta, ut vel a mediocri frigore vehementius afficiantur. Quibus illos per multam experientiam annumerare juvat, qui calidiores terræ regiones, imo ipſas Indiæ orientalis frequentarunt, iterque trans mare, propter intolerabilem æſtum moleſtiſſimumque ſuſtinuerunt. Sic *Ludovicum Saladinum* ad primum hyemis initium non domo ſolum, ſed etiam cubiculo quaſi carcere incluſum hærere fuiſſe coactum, refert *Theophil. Bonetus* in *ſepulchreto* additque eundem adeo metuiſſe frigidi aëris invaſionem, ut omnes rimas curatius firmaret, reditum hirundinum expectaturus. Exemplum porro iſtiusmodi ſingularis prorſus ſenſationis a frigore Exper. *Haſeneſtius* Commerc. litter. Norimb. ejusque anno 1736. hebd. 49. inſeruit. Viri nimirum mentionem injicit tenerioris hincque ſenſibilioris, qui, quum in cœlibatu adhuc viveret, in nimis calefactis hypocauſtis commoratus eſſet, ſub finem vero anni 1730. tempore conjugii, poſt prægreſſos magnos languores & ſitim admodum fortem, invaſiſſent eum ſudores continui per X. aut XIV. dies, qui ægrotum adeo vexaſſent, ut nullum aëris acceſſum liberiorem pati poſſet, contra vero ſub lecto detineri, vel extra hunc pellibus circumvolvi deberet, niſi triſtiſſimam ſenſationem, qualem glacies noſtro corpori impoſita edit, experiri vellet. Qui ſtatus eo uſque increvit, ut & media æſtate omnes corporis partes, imo genas pellibus contegere cogeretur, quid quod ipſas denique oculorum palpebras cooperire voluiſſet, niſi amicus impediviſſet, adeo triſtem ſenſationem cum pruritu ac vellicatione conjunctam in cute allegans, quæ urgeret hæc velamenta. Nullus dubito, fore plures tenerioris indolis, qui ab ineunte ætate auram frigidiorem, hyeme, cane pejus & angue fugientes in conclavibus potius calidis educati, ex paullo intenſiori frigore ſenſationem ſint percepturi triſtiſſimam, aliaque incommoda. Quid contra ea eſt, teſte *Pechlino* ejusque libr. 3. *Obſerv. Phyſico-Med.* 33., quod climatis borealis ſive zonarum ſic dictarum frigidarum incolas, Suecos, Finnos, Lappones, Norwegas, Ruſſos, &c. obfirmat, frigorique tolerando idoneos ſiſtit, quam quod a teneris tempeſtatum viciſſitudinibus atque gelu aſſueſcere fuerunt coacti? Quodſi inopinati iſtjusmodi caſus medico obveniant, uti paullo ſupra adduxi, hominum gelu recenter extinctorum, aut ſaltem partium corporis congelatarum, conſilium & promtum ac rationi conforme, & inprimis experientia confirmatum præſentiſſimumque ſatis exigitur. Profecto vereor, ne ſpe ſalutis excidamus, ſi rerum medicarum Antiſtitis *Hippocratis* dicto

Sect.

Sect. 3. *aphor.* 19. audientes ſimus: *calefacere oportet*, inquientis, *quæ perfrigerata ſunt*, & *Tract.* de *Humid. Uſu* II. p. 606. *quæcunque præ frigore aut moriuntur*, *aut ulcerantur*, *his maxime conducit aqua calida.* Aſt præcedente p. 600. contrariam aperte manifeſtat ſententiam, dum ipſe fatetur: *ex calida perfuſione pedes decidiſſe perfrigeratos.* Cum ideo inconſtantem in eo animum prodat, magis nobis amica ſit veritas experientiæ confiſa. Septentrionalium potius regionum incolarum methodum ſectemur ſecuriſſimam, qua alter alteri in via obvenienti membra ac partes gelu penetratas rigidasque, quaſi ex cera alba confectas, nive ſtrenue ac tamdiu perfricare conſuevit, donec rubeſcant, vividumque colorem denuo induant: vix diverſorium aut domum ingrediuntur peregrinantes, & manus, pedes, nec non auriculas atque naſi extremitates congelatas, nive probe perfricant, artusve in aquam frigidam ilico immergunt, aut nive obtegunt. Sique gelu vita ipſa privatos miſeros reperiunt Ruſſi, ocyus eosdem in conclave frigidum deportant, fortiter eos fricantes, imo, ſi e re viſum ipſis fuerit, totum corpus in gelidam aquam demergunt: quo facto gelu undique ex corpore erumpit, ut glacie quaſi idem obductum conſpiciatur, quemadmodum cum ovis pomisque congelatis matres familias facere aſſolent. Nec citius calori per gradus ſolum temperato, vel vaporario quaſi redivivos committunt, niſi in conclavi frigidiori prius fuerint expoſiti. Haud abſonum videretur, pellibus hispidis paullo, uti lupinis, corpora, probe antea pannis perfricata, demum obtegere atque involvere, continuatisque frictionibus ſucceſſive regiones denudandas diutius exercere, internisque analepticis, ſi vel calidioris indolis potentia ſint, locum dare, quemadmodum ipſe *Galenus* libr. 3. de *ſimplicibus medicam. facult.* c. 20. de ſe profitetur: quod quendam extreme jam refrigeratum vini Lesbii potione ſervaverit. Quotus jam eſt quisque, qui non remedium pro recens congelato illo, cujus memini, ex nive depromtum probet, illisque meditationibus, quæ novis Hamburgenſibus non ita pridem inſertæ erant, magna ex parte ſuffragetur? Utut vero hæc ipſa medendi ratio canonem illum, quo contraria contrariis curare jubemur, poſthabere videatur, effectus tamen, quem malo præſtat, minime exiſtit contrarius. Et quid impedit, quo minus nivem calore quodam perfundi profiteamur, cum ex campis agrisque progerminantes plantas atque frumenta terræ mandata, horumque prolificam virtutem a gelu deſtructione defendat. Nec mirari ſatis valeo, qui actu calida nivi addita ejus frigiditatem exaltent, quod de ſale communi, ammoniaco atque nitro, calidis ad ignem factis, conſtat. Idem vero efficere ſpiritum vini, magisque ſi calidus ſit, imo ipſam aquam calidam nivem ſiſtere frigidiorem, arenam calidiſſimam eandem reddere frigidiſſimam, autor eſt Exper. *Nebelius* in Diſſert. de *lapide Nephritico novo*, Heidelbergæ 1733. habita ejusque Corollario 5. & 6. Ex quibus non obſcure evinceretur, quare regimen calidum actuque calida partibus frigore

gore confectis plus detrimenti, quam utilitatis afferant. Poſthabitis multis obſervationibus, quas pro roborando aſſerto in proclivi mihi eſſet adducere, illius a *Borello* Cent. I. Obſ. 84. commemorati famuli meminiſſe hic juvat, qui, cum frigore enectus reperiretur, poſitus in fimo, ut ejus calore reſuſcitaretur. Tantum vero abfuit, ut fuerit reſtitutus, ut potius poſt pauca, quæ indignabundus proferebat, verba animam ſubito efflaret. Quæ enim frigida applicata pororum & tubulorum partium corporis æqualitatem tamdiu ſervant, donec humores condenſati coagulatique in fluorem naturalem ſenſim fuerint redacti, peractu calida cum impetu reſolvuntur, relictisque partibus ſolidis corruptis quaſi emortuis flaccidisque. Partes hinc gelu atroci læſas, ſubito calori ignique admotas decidiſſe prorſus, toties relatum legimus.

GEORG.

C C.

GEORG. CHRISTOPH. DETHARDING

ET

J. DANIEL SCHÆFFER,

DE

CORTICIS CHINÆ EFFICACIA

IN GANGRÆNA ET SPHACELO

ADHUC DUBIA

Roſtoch 25 Auguſt. 1746.

PRÆFATIO.

Novitatis amor, ſi unquam in diſciplina quadam reperitur, in medicina certe plurimum exercet auctoritatis. Vix enim medicamentum vel caſu quodam invenitur, vel medici cujuſdam ſpeculationibus in medium producitur, ſtatim a plurimis, præjudicio auctoritatis, vel præconceptæ opinionis laborantibus, ad cœlum uſque extollitur, licet efficacia ejuſdem admodum ſit dubia, nec experientia ſatis comprobata. In Anglia in primis, quæ ceteroquin medicos generavit exaſciatos, ſummoque ingenii, & judicii acumine præditos, nova remedia eſſe admodum grata, experientia dudum comprobavit. Quam celeri vero progreſſu, ſubinde hujus medicamenti laudes per totam regionem ebuccinantur, tam cito quoque iterum ſilere ſolent, ut non raro oblivione plane ſepeliantur. Curæ avenaceæ, a Lowero *primum commendatæ, quam ſtupendæ non adſcribebantur virtutes! ut fere in omnibus morbis, tam chronicis quam acutis adhiberetur, & in ſpecie, eandem longævitatem conciliare poſſe prædicaretur, adducto exemplo medici* Johannis de Catharina, *qui ſolo hoc remedio annum centeſimum & vigeſimum attigerit. Hodiernis autem temporibus admodum deferbuit ardor hicce, ut quidem laude ſua non privetur, aſt non niſi ſub ſpecialioribus circumſtantiis adhibeatur.* Nemini *quoque ignotum, variolarum inſitionem eadem experta fuiſſe fata. Deſiderium, ſe ſuoſque, hacce methodo a variolis per totum vitæ ſtadium liberandi, inſtar torrentis defluxit per quoſcunque hujus inſulæ tractus, ita ut vix quiſpiam fuerit repertus, qui ab eadem abſtinuerit, imo Auguſtiſſima domus Regia huic operationi ſe ſubjecerit. Verum enim vero, poſtquam ſucceſſiva experientia, methodum hanc ad remedia variolarum prophilactica non pertinere docuerat, plane illam obſervamus abrogatam, & altum ejus in annalibus medicorum ſilentium. Remedium lithontripticum, a matrona* Joanna Steffens, *neſcio quo caſu, vel qua occaſione inventum, tanto habebatur in pretio, ut pro ejus detectione ingens nummorum quantitas fuerit ſoluta. Patefactis vero nunc ingredientibus, unicuique patet, efficaciam ejus calculum comminuendi precariam ſatis eſſe. Conf.* Dn. Junckeri Diſſert. de Calculi curatione nova nuper in Britannia publicata, & D. Schultzii *Abhandlung von der Stein-Cur. Uſus infuſi axungiæ pini aquoſi, Germanis: Theer-Waſſer, quam cito ex Hybernia in Angliam, & ex hac per totam fere Europam tranſmigraverit, & ad hunc uſque diem continuetur, res eſt & lippis & tonſoribus nota. Quod vero ſubinde corvos illuſerit hiantes, experientia quotidiana docuit. Unicum liceat adhuc addere exemplum de Cortice Chinæ. Hocce medicamentum peculiaria plane ſuſtinuit fata. Ab eo ſiquidem tempore, quo in Europam fuit translatum, innumeros fere habuit præcones & veneratores, qui pro certiſſimo & maxime ſecuro antifebrili illud venditarunt quos inter* Badius, Didericus, Decker, Faber, Geuder,

Geuder, Lentilius, Lanciſius, Morton, Raimannus, Sponius, Sydenhamius, Tortus, Cohauſen, Berger, *&c. potiſſimum numerandi veniunt. Obſervatis poſtmodum hinc inde noxis, ab ejus uſu ſubortis, a* Chifletio, Ramazino, Caudatio, Coſato, Magneſio, Plempio, Stahlio, Alberti, Junckero, Gohlio, Goelicke, Woodwardto, *aliiſque, ad infida, imo damnoſa fuit relatum remedia. Continuatus tamen ejuſdem, a ſui amatoribus uſus, & exinde enatæ obſervationes, felicis, imo quandoque non ſperati ſucceſſus, effecere, ut de novo inter medicamina maxime præſtabilia locum occupaverit, & hodiernis jam temporibus, non tantum ad febres intermittentes domandas, verum & in variis aliis morbis, tanquam ſumme polychreſtum adhiberetur. Erit de illo diſſerendi locus in ſubſequentibus; hoc tamen præmonere volui, præeunte* Amyando *& hunc ſequente* Douglaſio, *lithotomo anglicano, mirificam huic cortici fuiſſe aſſignatam efficaciam in gangræna & ſphacelo, a cauſis præſertim internis oriundis, ſiſtendo. Diſſertationem ergo inauguralem conſcripturus, mecum conſtitui, inquirere ulterius in veritatem hujus adſerti, & detegere, effectum votis non ſemper reſpondiſſe, ſed experimenta cum hoc cortice inſtituta; laborare quandoque fallacia cauſæ non cauſæ. Clar. Dom.* Vater, *Profeſſor Vitebergenſis famigeratiſſimus, in* Diſſertatione de Efficacia admiranda Chinchinæ ad gangrænam ſiſtendam in Anglia obſervata, *varias quidem obſervationes felicis ſucceſſus in medium protulit. Quia vero modo laudatus* Author *in fine hujus Diſſertationis ipſe fatetur, propria ſe deſtitui experientia, crambem ſemel coctam me recocturum non autumo, quando, quæ propria experientia, & obſervationes, a Dom.* Præſide *mecum communicatæ detexerunt, in medium adduxero. Det Deus cœptis rebus felicem ſucceſſum!*

CAP. I.

CAPUT PRIMUM.

Hiſtoriam Corticis Peruviani ſiſtit.

§. I.

Corticem hunc ab arbore quadam depromi, extra omne quidem dubium poſitum, ſed cujus indolis eadem ſit, non parva olim nata ſunt diſſidia. Quam enim *Bartholinus* (*a*) deſcribit, quod ab incolis Peruvianis vocetur *garmaparide*, ab Hiſpanis *palo de calenturas*, id quod lignum febrifugum denotat, & cui ſuffragatur *Jonſtonus* (*b*), hanc negat *Doncellus* (*c*) & cum hoc *Rajus* (*d*). Huic iterum contradicit *Tancredus Robinſon*, & iconem longe aliam adfert, quæ in muſæo Curtiniano adſervetur. Ab omnibus his iterum diſtat *Ringotus*, qui ad amicum provocat *Gratianum*, utpote qui frequenter ex Luſitania in Indiam profectus ſit, cum quo facit *Krautermannus* (*e*) quod ſit arbor ceraſi inſtar, cujus folia prunorum non diſſimilia, flores malorum punicorum, ſemina vel nuclea cucurbitæ.

§. II.

Hodiernis temporibus magis inter ſe conveniunt hiſtoriographi plantarum, ſecundum quos (*f*) eſt arbor, ceraſorum magnitudine, cortice brunneo veſtita, atque in ramos plurimos, eoſque ſæpius inflexos terminata: quibus ramulis, intermedio brevi petiolo, adhærent alterne oppoſita folia nervoſa, figura inverſe ovata, apice obtuſo margineque ciliato. Florem fert monopetalum, infundibuliformem, tubo prælongo, cylindraceo, ac limbo patulo quinquifido, ſerraturiſque acutis inſtructum, atque periantheo minimo, monophyllo quinquifido perſiſtente, ſuſtentatum. Quinque ſtamina, ſtilumque unicum includit, qui peracta fructificatione, abit in capſulam ſubrotundam calice coronatam, bilocularem, ſemina oblonga at compreſſa (*g*) continentem. Genus maxime convenit cum genipa (*h*) a qua calyce tamen differt. Nam germinis membranæ in genipa extenduntur in marginem, integrum, corollam ſiſtentem. Pariter a coffea, calyce quadridentato, nec non fructu acumina-

(*a*) Vid ejus Hiſtoria cent. V. hiſt. 50.
(*b*) In dendrographia pag. 476.
(*c*) Vid ejus theatrum pharmaceuticum.
(*d*) In hiſtor. Plantar. Libr. XXXII. p. 1796.
(*e*) Vid ejus lexicon exoticorum p. 116.
(*f*) V. *Pomet* Hiſtoire des Drogues Livr. IV. Chap. VI. pag. 132.
(*g*) v. *Linnæi* Genera Plantar. 1021.
(*h*) v. *Tournefort.* Inſtit. 436.

to, ſeminibuſque hæmiſphæricis, hinc convexis, inde planis, diſtinguitur. Colitur in provincia Peruana, Quitto nuncupata, atque creſcit prope urbem Loxam (*i*).

§. III.

Cortex hujus arboris, ſub variis innotuit nominibus, adpellatur enim *Cinchona*, *Chinchina*, *China Chinæ*, *Kinkina*, *Quinquina*, cujus nominis variæ adducuntur rationes (*k*). Majorem tamen inter omnes probabilitatem obtinet derivatio *Bæcleri* (*l*), qui ita nominari adfert, in honorem Comitiſſæ de Cinchon, proreginæ regni Peruani, quæ corticis hujusuſu a febre fuit liberata, unde etiam nomen *pulveris Comitiſſæ* obtinuiſſe, idem auctor contendit. Audit itidem *cortex antiquartius*, quia in febri quartana fuit adhibitus, *Peruvianus*, a loco ſcilicet natali. Pulveriſatus quoque dicitur *pulvis Talbotii*, *Cardinalis de Lugo*, *Jeſuiticus*, *Patrum*, & ſic deſignatus eſt, quia a patribus Jeſuiticis primo in Europam tranſlatus, & tanquam arcanum remedium febrifugum fuit diſpenſatus.

§. IV.

Ex his nominibus elucefcit, in America virtutes corticis hujus antifebriles jam diu cognitas fuiſſe. Quod vero non ſtatim ab eo tempore, quo orbis novus ab Europæis fuit detectus, uſus ejuſdem innotuerit, fortaſſis ex odio inſigni erga Hiſpanos, eorumque crudelitatem inhumanam derivandum, quo permoti Americani remedium hocce omni ſtudio celare voluerint (*m*). Donec tandem circa medium elapſi ſeculi (*n*) Comitiſſa de *Cinchon*, febri tertiana ſæviſſima correpta, conſilio Hiſpani, corticem hunc adhibuerit, & ſubſecuto, brevi temporis ſpatio, exoptato ſucceſſu, ejus fama quaquaverſum increbuerit.

§. V.

In Europa, patres Jeſuitarum procul dubio primi fuere, qui corticem huncce in febribus intermittentibus debellandis adhibuerunt, & cum exinde inſigne lucrum reportaverint, variis modis eundem occultare fuere adniſi. Intervallo autem non levi interjecto, hoc medicamentum, neſcio quo fato, penitus fere exolevit, donec *Talbotius*, empyricus Anglicanus, qui notitiam hujus remedii in Anglia ſibi comparaverat, illud in tenebris quaſi ſepultum, luci iterum reddidit, priſtinoque reſtituit ni-

(*i*) Teſte *Pometo* l. c.
(*k*) v. P. G. *Werlhof.* Obſerv. de febrib. pag. 31.
(*l*) v. Ejus notæ in P. *Hermanni* cynoſuram materiæ medicæ pag. 204.
(*m*) Teſte *Bæclero* l. c.
(*n*) *Gerar.* v. *Swieten*, comment. *Bærhav.* Aphor. Tom. II. pag. 559. it. *Bæclerus*, l. c.

nitori. Delphino enim febricitanti, qui nullo potuit curari remedio, tam felici cum ſucceſſu corticem hunc tradidit, ut brevi priſtinam recuperaverit ſanitatem. Hoc vero medicamentum, cum ſibi arcanum eſſe dixerit, nec cuiquam communicare voluerit, *Ludovicus XIV.* Rex Galliæ, magno tandem pretio revelationem impetravit, & in ſolamen ſubditorum, corticis hujus efficaciam antifebrilem, publico ſcripto divulgandam curavit (*o*). Hinc *Talbotium*, reſtauratorem hujus remedii, jure meritoque nuncupare poſſumus.

§. VI.

Quamtumvis vero efficacia hujus remedii, modo jam recenſito, univerſo orbi fuerit communicata, tantum tamen abfuit, ut ad unum omnes medici huic adſtipulaverint, ut potius in varias hinc inde abierint ſententias. Quidam enim, variis adductis exemplis, chinam maxime fallacem, & corpori humano damnoſam pronuntiarunt; alii e contrario, inter ſaluberrima, tutiſſima, & tantum non divina collocarunt (*p*) immo veriti ſunt, ne tandem *Deo*, medicinæ datori, iſti difficulter rationem reddituri ſint, qui ex vana timiditate, vel præfracta, in morborum impetu permittendo, temeritate, immitique, in omittendo miſerorum ægrotantium levamine, pertinacia abunde moniti, meliora acceptare, candide profiteri nolunt (*q*).

§. VII.

Ratio diverſæ de cortice chinæ opinionis, tam in perverſa ejuſdem exhibitione, quam in bonitate hujus repoſita eſſe videtur. Prouti enim optima, & probatæ fidei medicamina, damna ægrotis conciliare poſſunt non levidenſia, niſi debita cum cautela, & conſideratis prius indicantibus & contraindicantibus adhibeantur, ita & cum uſu hujus corticis tumultuario & intempeſtivo comparatum fuit, a quo, non niſi mala, morbo priori graviora, & difficilius eradicanda, ortum trahere potuerunt. Quando vero provida manu ægrotis porrigitur, & imprimis ſelectus corticis hujus inſtituitur, de effectu ſalutari certus eſſe poteſt Medicus; ſicque corruit omnis ſuſpicio noxiæ & deleteriæ ejus qualitatis (*r*).

§. VIII.

(*o*) Vid. *Richard. Morton*: Exerc. I. Cap. 7. de morbis univerſalibus. It. *Nicol* de *Blegny* Zodiac. Gallic.

(*p*) Teſtante *Werlhofio*, in obſervat. de febr. ſect. V. §. 2. p. 182. ſeqq. ubi magnum catalogum clariſſimorum medicorum, ſollicita experientia corticis uſum certiſſimum atque innoxium reddidit, refert.

(*q*) Cf *Werlhof.* l. c. pag. 335.

(*r*) Corticem peruvianum, in ſe conſideratum, medicamentum eſſe, tuto adhibendum, ab omnibuſque noxiis & deleteriis qualitatibus liberum, teſtatur van *Swie-*

§. VIII.

Ut ergo in electione ejuſdem nullus contingat error, ſiniſtro eventui anſam ſuppeditans, notas bonitatis perſpectas habeat Medicus, neceſſe eſt. Eligendus ergo eſt ille cortex, qui colore brunneo, albicante quaſi hinc inde tunica extus obductus exiſtit (*ſ*). Superficies externa ſit aliquomodo ſcabra, levioribus ſulcis diſtincta. Præſtat itidem tenuior, mediocrem tantum craſſitiem habens, a ramis detractus, & ab omni ligno liberatus; facile ſit frangendus, ita ut nullæ fibræ lignoſæ protrahantur, fracti vero color internus ſit cinnanomum quodammodo referens, vel magis obſcurus ſeu ferragineus (*t*). *Werlhofius* tanquam præcipua bonitatis indicia refert ſaporem atque odorem (*v*). " Eligimus, ſunt ipſius verba „ (*w*), qui maſticatus, guſtum, acrimonia & amarore multis nauſeoſo, „ aliqua adſtrictione ferit, ſine eximia auſtera acerbitate, ſapore, qui ex „ acri & amaro velut leniter aromaticus ſit, & peculiari modo aliquan„ tum mucidus, cui ſapori odor etiam exacte reſpondeat, ſine corrup„ tionis putridæ notis. " Sunt, qui cum *Walthero Harris* (*x*) ad ſolis radios corticis diffracti fruſta contemplantur, an non conſpiciant ſplendeſcentes nitri cryſtalliſati quaſi atomos, quod fieri in genuino volunt, ſed abeſſe in adulterato, ſive obſoleto. Sed ad hanc ἀκρίβειαν raro adtenditur; modo ſupra memoratas notas bonitatis hic cortex habeat, qui officinis exinde vocatur *die feine China*, craſſior vero & lignoſa *die grobe China* audit.

§. IX.

Elementa hujus corticis quod concernit, varia quidem, pro modulo ingenii & phantaſiæ, a medicis producuntur. Subſcribendum tamen puto *Caſpari Neumanno* (*y*) in ſeparandis & detegendis ſimplicium partibus conſtitutivis admodum ſedulo, qui particulas terreſtres ſubtiliores, reſinoſas, gummoſas atque ſalinas, analyſi inſtituta chymica, in eodem detexit. *Werlhofius* (*z*) eidem adſcribit principia ſalino-ſulphurea, gummireſi-

ten, in comment. in *Boerhav.* Aphor. pag. 560. experimento in ſuo ipſius corpore inſtituto. Dicit enim: cum quondam, ſimplicium medicamentorum hiſtoriæ col„ ligendæ intentus, plurium vires, vel in proprio corpore tentarem, ſumſi mane „ jejunus, bihorii ſpatio, integram corticis peruviani, in pollinem contriti, un„ ciam neque aliquid inde detrimenti percipere potui.

(*ſ*) v. *Herman.* Cynoſura mater. Med. pag. 203.

(*t*) *Werlhof.* Tractat. de febr. Sect. III §. 3. pag. 83.

(*v*) ibid. pag. 85

(*w*) ibid. pag. 82

(*x*) vid. Ejus pharmacologia antiempyrica cap. 12

(*y*) v. Ejus prælect. chymic. Part. III. Cap. 53. pag. 813.

(*z*) l. c. pag. 261.

reſinoſa, ſuaveolentia, diuretica atque balſamica. Quibus vero ex his elementis, quam maxime competat virtus medica, determinare quidem non audeo. Licet enim reſinoſis partibus potiorem energiam competere videatur, crediderim tamen, integram ſubſtantiam, a *Deo* Protomedico, compoſitam, certiorem exſerere effectum, quam ſi divulſæ partes ſeparatim exhibentur.

§. X.

Circa modum enim propinandi valde diſcrepant auctores. Alii in ſubſtantia porrigendum eſſe corticem nolunt, alii contra jubent. Inter *illos* plurimum auctoritatis habet *Samuel Scharſchmidt* (*aa*) Medicus Berolinenſis Celeberrimus, utpote qui terram, quam craſſam atque ſtypticam dicit, corpori humano noxiam, & effectus ſalutares prohibentem, a cortice hoc ſeparandam eſſe monet. Commendat potius infuſum vinoſum, vel elixyrium, vel extractum ex illo paratum. Inter *hos* anteſignanus eſt „ *Werlhofius* (*bb*) qui dicit: pulverem corticis electi ſubtiliſſime tritum, „ in ſubſtantia, quod dicunt, longe quippe, uti in confeſſo eſt, & in „ vulgus notum, efficaciſſima, omnibus anteponimus præparationibus phar„ maceuticis & chemicis, quas ipſi magni alioquin æſtimamus.

§. XI.

Si meam his ſubjungere licet ſententiam, variis itidem edoctus ſum obſervationibus, exhibitionem ſub forma pulveris, reliquis omnibus & artificioſiſſimis compoſitionibus validiorem fuiſſe. Si enim ſub forma electuarii porrigitur, conſtituens roob, vel conſerva, vel ſyrupus qualitatem intrinſecam quodammodo immutat, imo fermentationem in primis viis excitare poteſt. Corrigentia & adjuvantia varia in primis ſalina aliquando electuario tali addita, ſaporem non tantum reddunt magis ingratum, verum & tormina ac diarrhœas quandoque excitare poſſunt. Sub forma pilularum, ſi præſcribitur pulveriſatus cortex, quantitate ægroto ſunt moleſtæ, & acceſſu conſtituentis, vis admodum infringitur, vel ſaltem retardatur. Infuſum vinoſum ſæpius irrito cum ſucceſſu fuiſſe propinatum, imo tempore matutino, & in vino non adſuetis, ſomnolentiam, cephalalgiam, ac majorem æſtum ſanguinis aliquando excitaſſe, deprehenſum eſt. Eſſentia corticis chinæ, item extractum, non niſi infantibus atque ſenſibilioribus auxilium ferre potis eſt. Idem ſentiendum de enematibus chinatis. Quando ergo quantitas pulveris adſumendi ægroto moleſta eſſe videtur, nauſea quodammodo tolli poteſt, ſi in plures doſes dividatur, & pulvis ex caliculo vel vitreo, vel porcellanico, mediante aqua, una vice hauriatur.

§, XII.

(*aa*) v. Ejus *Mediciniſche und Chirurgiſche Nachrichten* pag. 357.
(*bb*) In Obſerv. de febr. pag. 88.

§. XII.

Modum operandi determinaturus, libenter confiteor, me exactam, & ad ſingula phœnomena adplicandam ejus delineationem ſuppeditare haud quaquam poſſe. Virtutes ſiquidem mirificæ hujus corticis in oculos incurrunt, ratio vero earum abſcondita eſt (*cc*). Quouſque beneficio ſenſuum, atque analyſeos chimicæ pervenire licuit, ſubadſtringentis, vel magis tonicæ exiſtit indolis. Amarities detegit qualitatem aperitivam & certo modo deoppilantem, quæ inſimul adſtrictoriam illam indoles blande moderatur & determinat (*dd*). In partibus reſinoſo-gummoſis deliteſcit balſamica quaſi indoles, quæ fermentationi putredinoſæ reſiſtere, vappidam indolem corrigere, & humores in ſanguine deliteſcentes, reſolutioni mutuæ proximos coadunare poſſe dicitur. Miſcela vero harum partium conſtitutivarum ita affabre eſt concinnata, ut intentioni medici prudentis ex voto reſpondeat. Verbo, eſt medicamentum ſpecificum (*ee*) polychreſtum, admiratione dignum.

CAP. II.

Vires Corticis Chinæ Medicas exhibet.

§. I.

A prima hujus corticis detectione, ad noſtra uſque tempora, virtutem antifebrilem inter præcipuas exſtitiſſe, præcedenti capite fuit allatum. Exhibetur nempe exoptatiſſimo utplurimum ſucceſſu, in quibuſcunque febribus intermittentibus, modo debita methodo, & obſervatis cautelis, in libris practicis reperibilibus, in uſum trahitur. Nolo circa hocce negotium eſſe prolixe occupatus, ſed ad conſenſum omnium fere Clinicorum provoco. Et, quod præfiſcini dixerim, obſervatum eſt, etiam eos, qui ex præjudicio præconceptæ opinionis, ab ejus exhibitione abhorruerunt, aliquando, id exigente neceſſitate, ad hoc remedium, tanquam

(*cc*) Vid. *Schelhammer* de genuina febres curando methodo pag. 131. ſeqq. ubi, laudatis remediis, quorum virtutes experientia probat, licet ratio illorum agendi adcurate determinari non poſſit, dicitu ejuſdem remedium agnitum atque admiſſum „ eſt cortex ille peruvianus, cujus agendi modum multi quidam explicare adgreſſi, ſed, „ meo judicio nemo adhuc expedivit.

(*dd*) Adſtringentem virtutem ſatis temperatam eſſe, vel exinde conſtat, quia alvum non ita reddit obſtipatam, quin potius, additis e. g. paucis granis rhabarbari, eandem blande movet.

(*ee*) Vid. *Werlhof*, l. c. 263, ubi ingenue fatetur, ſe corticem peruvianum inter ſpecifica referre debere medicamenta.

quam ad ſacram anchoram, licet clandeſtine, confugere debuiſſe (*ff*).

§. II.

An porro conſideratio elementorum corticis chinæ ſupra (Cap. præc. §. 9.) adlatorum, an vero caſus fortuiti inopinati, ſalutares tamen ſub tot millenis exhibitionibus ejuſdem, anſam ſuppeditaverint, & felicem ſucceſſum fuerint experti, mearum non eſt inquirere. Sufficiat adduxiſſe, plures eſſe ægritudines, quæ ab uſu hujus corticis cum euphoria tolluntur.

§. III.

Non jam morabor conamina quorundam, qui in *febribus acutis* eundem in uſum trahere ſolent, crediderim enim, tentamina hæcce periculoſa, & fida experientia nondum ſatis munita, in primis quando in incremento & ſtatu morbi propinatur. Pariter experientiæ relinquendum, an, præeunte *Johanne Baptiſta Bianchi* (*gg*) in *febribus bilioſis*, præmiſſo evacuante, primo curationis ſtadio, nullaque exſpectata coctione, peruvianum febrifugum liberali manu præſcribi poſſit. Ulteriori itidem inquiſitione indiget methodus *Richardi Mortoni* (*hh*), qui, febrim in *variolis* recidivam hocce cortice omnium certiſſime profligari, imo faciem a foveis præſervari poſſe, monet.

§. IV.

In *febribus* e contrario *lentis*, chronicis, reſolutionem ſanguinis in ſerum poſt ſe trahentibus, ingentis eſſe efficaciæ hunc corticem, ratio atque experientia dictitat. Conſtat enim, ſub motibus febrilibus chronicis, lympham in dies magis reſolvi, partes ſulphureas hebetiores fieri, totam maſſam ſanguineam in ſerum fatiſcere, & tonum fibrarum relaxari, admodumque debilitari, teſtibus cachexia, œdematibus, leucophlegmatia, & denique diarrhœa & ſudoribus colliquativis. Hiſce moleſtiis, præparato prius corpore, egregie conducit China. Conſiſtentiam enim ſanguinis debitam reſtituit (*ii*), tonum partium adauget, & roborat, atque

(*ff*) Lubet ad probandum hocce adſertum, verba adducere van *Swieten*, in comment. in boerh. Aphoriſm. pag. 560. ita dicentis: infamiæ notam inuſſiſſe ſalutari huic remedio novi quoſdam, qui palam illud damnabant, tanquam nocentiſſimum: clam vero eodem, aliis additis, fucato, utebantur, dum curam febrium arcanis remediis perficere, turpiſſime gloriabantur, miſeroſque ægros; largiſſimo pretio extorto emungebant. Medicorum nomine indigni.

(*gg*) In hiſtoria hepatis part. III. pag. 282.

(*hh*) Tom. III. pag. 154.

(*ii*) vid. Experimentum *Hoffmanni* in medic. Syſtem, Tom. III. Sect. I. Cap. 13. §. 13. adlatum.

que ſua ſpecifica indole, motus febriles compeſcit. Ex quo eſt, quod obſervemus, tales ægrotantes habitum corporis exinde induere floridiorem, adpetitum & vires proſtratas pedetentim reſtitui, ſicque omnia in melius commutari (*kk*). Imo licet cauſa, quandoque febrim talem lentam inducens, radicitus auferri, ſicque ſanitas reſtitui non poſſit, prout illud evenire ſolet ſub læſionibus viſcerum internorum incurabilibus, *hecticam* conſtitutionem poſt ſe trahentibus, palliativa tamen cura a china expectari, & vita quadantenus procraſtinari poteſt.

§. V.

Hæmorrhagiis ſuccurrere poſſe corticem peruvianum, experimenta ab aliquo tempore inſtituta, docuerunt. *Hæmoptyſin* ſæpius ſublatam fuiſſe ab uſu ejuſdem, admixtione pulveris abſo bentis *Wedelii*, celeb. *Wagnerus* (*ll*) variis adductis exemplis probat. Nec dubito, fore, ut itidem in *vomitu cruento*, præmiſſis nempe præmittendis, parili modo adhiberi poſſit, quod tamen experientia adhuc comprobandum. In *Hæmorrhagia uteri* ſalutarem ejus uſum obſervavit *Johannes Baptiſta Bianchi* (*mm*). In *mictu cruento* enormi, nuper Cel. *Dom. Præſes* efficaciam hujus corticis egregiam expertus eſt, quem ſub forma electuarii, cum conſerva roſarum antiqua propinavit. Ratio fauſti hujus ſucceſſus eſt in aprico. Orgaſmus enim ſanguinis, qui hæmorrhagias iſtas activas nunquam non comitari ſolet, a china temperatur, tonus vaſorum, vim ſanguinis irruentis infringit, & ſub imminuta diametro, huncce aliorſum pellit. Hæc eſt ratio cur ad *abortum* præcavendum, qui hæmorrhagiam uteri preſſo pede ſequi ſolet, inſigni cum euphoria, præmiſſa venæſectione revulſoria, gravidis porrigi poſſit, prouti id jamdum *Mauriceau* (*nn*) *Apinus* (*oo*) *Boerhavius* (*pp*) aliique dudum comprobarunt.

§. VI.

Ex modo adlata ratione fluit, in *menſibus referandis*, uſum corticis peruviani quandoque proficuum exſtitiſſe, ita ut eodem modo, circa hoc negotium agat, ac de martialibus medicamentis conſtat, illa adſtringendo aperire, ſicque in referandis menſibus, a medicis ſubinde exhiberi. Quo ef-

(*kk*) Cf. *Brunneri* Tracta de Pancreate pag. 101.

(*ll*) In diſſert, de hæmoptoës, inprimis vero habitualis ſeu phthiſici, expeditiori quadam efficaciorique curatione

(*mm*) vid. Hiſtoria *hepatis* part. III. Schol. 5.

(*nn*) v. Obſervations ſur la groſſeſſe & l'accouchement obſ. 272. 697. & aliis.

(*oo*) In Hiſt. febr. epidem. pag. 93. ſeqq.

(*pp*) De medicamentorum facultatibus P. 3. cap. 18. legatur item *Schelhammeri* Lib. de natura pag. 248.

effectu permotus, ſupra nominatus *Bianchi*, gravidis corticem hunc propinare non auſus fuit, ex metu ſubſequuturi abortus, quem tribus vicibus ſe exinde obſervaſſe refert. Crediderim tamen, hanc rem ulteriori indagationi committendam, nec temere huncce corticem ſub obſtructione menſium in uſum vocandum eſſe.

§. VII.

Amarities huic cortici propria permovit fortaſſis medicos, ut ejus periculum in pellendis *vermibus* fecerint. Legimus enim, a *Johanne Lanzono* relatum (*qq*) uſum chinæ ad necandos lumbricos admodum proficuum fuiſſe, additis exemplis, febrem verminoſam, ægrotis ſummum vitæ periculum minitantem, ab exhibito vino chinato, quod ἄνω, καὶ κάτω ingentem vermium quantitatem expulſerat, feliciter ſuperatam fuiſſe, Nec improbanda mihi videtur hæcce methodus in febri verminoſa, præſertim quando ſtimulo leni laxante, virtus chinæ intenditur (vid. praeced. Cap. §. 12. ſub notis lit c).

§. VIII.

Sed non in morbis jam recenſitis, verum & in aliis, virtutes ſuas exſerit cortex chinæ. In *ſoporoſis adfectibus* cum fructu exhibitum fuiſſe, ſæpe laudatus *Werlhofius* (*rr*) variis adductis exemplis comprobat. In *Cephalæa periodica* ſine febre, exacte periodos ſuas quotidie tenente, ſolum hunc corticem, cum cinnabari nativa maritatum, deſideratiſſimam opem tuliſſe, refert *Riedlinus* (*ſſ*). *Phthiſin* pulmonalem moderari poſſe hocce cortice, *Irenæus Vehr* (*tt*) adfert, & *Mortono* ſimpliciter ſubſcribit. *Hydropem* ab uſu corticis hujus feliciter curatum, ſingulari exemplo probat *Elias Heiſterus* (*uu*). Dom. *Heldius* (*vv*), a *Sydenhamio* edoctus, in *podagricis* inſultibus hunc corticem utiliter adhiberi poſſe, refert, eundemque exinde *remedium antipodagricum ſine pari* appellat. *Bianchi* (*xx*) multiplici praxi ſe edoctum refert, corticem chinæ pallidis virginum coloribus, indeque & menſium ſuppreſſionibus profuiſſe, "
„ *illis* tamen, quibus non frigida, languida, mucoſa, obſtruens cauſa,
„ ſed vaſorum contractio, illaqueatio, &, ut dicitur, liberiori voca-
„ bulo, criſpatura, adauctum, uno verbo, ſolidorum momentum in-
„ cunabula præbuit. Addit porro: in ſtimulis cicurandis ſpaſmodicis,
„ ſo-

(*qq*) In Ephemer. N. C. Dec. X. Obſ. 140.
(*rr*) In Obſerv. de febr. pag 106. ſeqq.
(*ſſ*) Vid. ejus lineæ medicæ pag. 131.
(*tt*) In Diſſert. de Phthiſi pulmonali p. 24.
(*uu*) Cf. Diſſert. de quartana & hydrope, per corticem peruvianum curatis.
(*vv*) In Ephem. N. C. Cent. II. Obſ. 152.
(*xx*) Vid. I. §. 5. c.

„ ſolidiſque hoc pacto ſtrictioribus redditis, relaxandis, in hypo-
„ chondriacis, hyſtericis, colicis, ſtomachalibus, ipſiſque epilep-
„ ticis, dolorificis aut non dolorificis, fixis aut vagis, univerſalibus
„ aut particularibus adfectibus, in ipſo inſultu, vel ante, admodum
„ conduxiſſe peruvianum corticem. Itidem denique *ſpaſmos* abdominis u-
„ niverſales, aut ſolum inteſtinales, enemata ex infuſione china chinæ
„ in aqua ceraſorum nigrorum, fauſte ſublevaſſe, narrat.

§. IX.

Non equidem audeo, ſimpliciter ſuſcribere encomiis, ab amatoribus corticis peruviani ebuccinatis. Penſitatius enim eadem indaganti, & ad lapidem lydium experientiæ, omni circumſpectione inſtitutæ, adplicanti, occurrunt ſubinde caſus, limitationes virtutum corticis monentes. Huc referendæ obſervationes nonnullorum Medicorum, de ſpecifica hujus medicamenti efficacia in gangræna & ſphacelo curandis. Operæ ergo pretium futurum eſſe judicavi, quando, quæ circa hunc ſpecialem uſum, mihi obvenere phœnomena, prolixius paulum expoſuero.

CAP. III.

Inquirit in efficaciam corticis Chinæ ſpecialem, ad curandam Gangrænam & Sphacelum.

§. I.

EXplicatis elementis & partibus conſtitutivis corticis Chinæ, & ſubjuncto ejuſdem uſu, non tantum antifebrili, verum & polychreſto, ut ſcopo mihi præfixo ſatisfaciam, inquirendum eſt, utrum in gangræna & ſphacelo curandis, tam certam indubitatam atque evidentem exſerat efficaciam, quanta a celeberrimis Medicis, hiſce temporibus eidem obſervamus attributam. Præmonendum vero duco, ſermonem non eſſe de ipſis ſphacelatis & gangræna jam correptis partibus, utpote quas diſſolutioni putredinoſæ jam proximas, vel jam putreſcentes, nulla arte medica in integrum ſtatum reduci poſſe, & ratio & experientia dictitat. Pariter a propoſito alienus exiſtit ſphacelus, ex ſola læſione externa, & inepta medicatione oriundus, talis enim corticis hujus uſu non indiget, ſed, niſi nimis jamdum invaluerit, vel ætas decrepita, vel cacochymia, vel ſumma virium proſtratio obſiſtat, manu chirurgica abſque magno remediorum internorum apparatu, feliciter auferri poteſt. Sed conſiderandum ſaltem, an corruptio illa putredinoſa, a cauſa interna oriunda, mediante hocce remedio arceri ita poſſit, ut non tantum vicinæ partes ſanæ,

a

à ſerpente putrilagine immunes exiſtant, verum & in locum jam corruptarum, nova caro gigni queat.

§. II.

Superfluum eſſe arbitror, hiſtoriam gangrænæ atque ſphaceli integram, ejus ſigna, ſymptomata, varias cauſas, prognoſin, & methodum medendi in medium proferre. Proſtant enim abunde in libris medicorum, quos conſulere Benevolus Lector poterit. Sufficiat ſaltem, adduxiſſe, ſtagnationem, & exinde oriundam ſtaſin ſanguinis & humorum, cauſam proximam gangrænæ & ſphaceli nuncupandam eſſe; ad cauſas vero remotas referri debere, nunc ſanguinis diſcraſiam, in ſtaſin & putredinem admodum proclivem, nunc externas læſiones, motum humorum in parte adfecta ſufflaminantes, & reſolutioni putredinoſæ velificantes. Elementa enim ſanguinis ita ſunt comparata, ut, quamdiu motu, tam inteſtino quam progreſſivo, per ſubtiliſſimos partium mæandros propellitur, invicem conjuncta maneant, & homogeneam, externo adſpectu, qualitatem exhibeant, aſt, ſicubi mora iiſdem conceditur, ex diverſa indole facile ſe ſeparent, & reſolutione tali, putrilaginem incurrant fermenteſcentem, partibus ſolidis, ex iiſdem fere principiis conflatis, faciliime communicabilem, quas exinde mortificatas nominamus.

§. III.

His ſuppoſitis, quæſtio allata reſolvenda, an huic cortici peruviano virtus decantata in gangræna & ſphacelo perfecte competat, & quæ ſit ratio hujus efficaciæ ſingularis? Elementis ejuſdem gummoſo-reſinoſis, cap. I, §. 9. adlatis, eandem potiſſimum atribuendam eſſe, liquet quidem, hæc vero, utrum balſamica quadam vel ſpecifica energia operentur, adhuc ſub judice lis eſt.

§. IV.

Balſamicorum nomine veniunt talia remedia, quæ, ut verbis *Hoffmanni* (*yy*) utar „ tenui æthereo & ſubtili volatili oleo, naturæ ad„ modum blando & amico, in fluida non minus ac ſolida corporis noſtri „ agunt, virtutemque ſuam diffundunt, & partes ſulphureas calidas & „ æthereas, in ſanguine, & humoribus deficientes reſtituunt, augent, „ atque motum inteſtinum calidum & ſpirituefcentiam vitalibus humo„ ribus fœnerant. Pollent vero etiam ſale ſubtili acri balſamico, eo„ demque cordis, arteriarum & fibrarum muſculoſarum vim & potentiam „ elaſticam intendendo, ſanguinis & humorum progreſſum ac circulum „ egregie promovent, quo poſtea fit, ut humores craſſi & viſcidi at-

(*yy*) Vid. Ejus Med. Syſtem. Tom. III. Sect. II. Cap. 6. p. 519.

„ tenuentur, obſtructiones ſolvantur, & ſaluberrimum perſpirationis „ negotium, quo optime morbi arcentur, integrum ſervetur, ac illi- „ batum.“ Verum, an potiora hæc prædicata cortici peruviano competant, affirmare non audeo; æthereum quippe & ſubtile oleum volatile, vel ſal aliquod ſubtile balſamicum, nec ſapor nec odor, nec ulla analyſis chemica in eodem detegit, mediantibus quibus partes ſulphureas calidas & æthereas, in ſanguine & humoribus deficientes, reſtituere, augere, atque motum inteſtinum calidum, & ſpiritueſcentiam vitalibus humoribus fœnerari poſſit. Si quæ ergo virtus in curanda gangræna & ſphacelo a cortice hocce exſpectari poteſt, repoſita eſſe videtur in ſanguine, reſolutioni proximo, quodammodo coagulando, febrim ſymptomaticam vulnerariam compeſcendo, & tono roborando.

§. V.

Primum momentum roboratur experimento, cum ſaturato corticis chinæ decocto inſtituto, hoc enim, ſi ſanguini fluenti admiſcetur, illum in coagulum cogit. Quando ergo ſub imminente putredine, diſſolutio humorum metuenda, propinatione corticis hujus, arceri eadem, & partes ſeſe ſeparantes, ad priſtinam cohæſionem quodammodo diſponi poſſent. Ex quo inſimul ratio fluit, cur in febribus lentis, & hecticis cum fructu ſæpius adhibeatur (vid. Cap. 2. §. 4.

§. VI.

Præter energiam hanc Chinæ ſanguinis reſolutionem inhibentem, itidem vis ſpecifica in moderandis & ſufflaminandis motibus febrilibus attentionem meretur. Exſerere ſe eandem, non tantum in febribus intermittentibus, verum & aliis, eiſdemque ſymptomaticis. Cap. II. §. 3. ſeqq. allatum. Quando itaque ſub gangræna pulſus citatus, æſtus magnus, lingua arida, ſiticuloſitas, &c. febrim adeſſe, nunciant, huic reſiſtere poſſet, pro modulo qualitatis ſpecificæ (Cap. I. §. 12.) cortex peruvianus, temperat quippe æſtum, motum ſanguinis celeriorem infringit, ſicque ſymptomata aliquomodo tollit, quæ inflammationes tales, preſſo pede ſequi ſolent.

§. VII.

Quod a reſtituto & adaucto fibrarum tono, ſub gangræna & ſphacelo non parum ſolaminis experiantur ægroti, negari quidem non poterit. Labefactatum tonum indicant impotentia ſeſe movendi, proſtratio virium, flacciditas membrorum, & turgidus eorundem adſpectus & contactus. Si ergo a China tonus quadantenus reſtituitur, & fibræ roborantur, virium ma-

majus obſervatur incrementum, & quod palmarium, ſeparatio partis ſanæ a corrupta citius procedit, hæc enim quodammodo ſeſe contrahens, facile divellitur a mortificata, quæ ex putrilagine jam macerata exiſtit, prouti id in ſphacelo remediis externis auſcultante toto die videmus. Sub triplici ergo ejus corticis efficacia quando imprimis præſidia externa chirurgica adceſſerint, evenire poſſet, ut ægrotus, morti proximus, cum ſanitate in gratiam redire queat.

§. VIII.

Nihilo tamen ſecius arctioribus limitibus, medelam cum hoc cortice inſtituendam, circumſcriptam eſſe, res ipſa jubet. In ætate enim decrepita, tantum non ſemper nocivam eſſe perſuaſum habeo. Sanguis etenim ſpiſſus ſane, per fibras rigidiores, in primis in extremis partibus, ex vi vitæ deficiente, tranſire commode non poteſt. Si ergo ibidem ſtagnans in coagulum abit, mortificationem partis iſtius poſt ſe trahens, neſcio ſane, quodnam auxilium, a China ſit exſpectandum. Hæc quippe ſanguinem per ſe reddit ſpiſſiorem, (Cap. I. §. 4.) fibras ſanas, per ſe ſtrictas, ulterius ſtringit, ſicque loco ſperatæ ſalutis, mortem accelerare potis eſt. Pariter in ſcorbuticis, acribus, & rodentibus ſuccis repletis individuis, uſum corticis peruviani exiguum eſſe crediderim. Correctioni enim humorum plenariæ non inſervit, §. IV.) nec heterogeneitates tales e corpore expellit (zz), hinc medela perfecta ab ſolo hoc remedio non exſpectanda, prout caſus mox recenſendi ulterius probabunt. Denique & Præcones virtutum corticis hujus antigangrænoidearum diſſimulare non poſſunt, in viſceribus inflammatis, ſideratis, in abſceſſu, inſuperabili putredine, aut ſpaſmorum fluxionumque impetu continente, (*aaa*) vix ac ne vix quidem auxilium ab eodem exſpectari poſſe. Et ſane ita ſe res habet, cauſa enim harum ægritudinum tolli non poteſt, ſic & effectus, ab remedio hocce exſpectandus, foret fruſtraneus.

§. IX.

Quam ſpecioſa præterea videatur ſupra recenſita virtutum chinæ antigangrænoidearum theoria, & quantæ etiam afferantur obſervationes felicis ſucceſſus, non poſſum tamen non, quin adhuc dum eandem inter dubia, & fida experientia nondum munita remedia collocem. Sphacelus ſiquidem a cauſis internis oriundus, inter rariſſimos morbos pertinet, hinc unum alterumque exemplum nondum probare videtur, in omnibus, vel ſaltem quam plurimis individuis, parilem effectum futurum eſſe; quia

(zz) Vid van *Swieten* l. c. pag. 767 pag. 560.
(*aaa*) Vid. *Werihoſ.* l. c. pag. 335.

quin tot, imo plures exiſtant caſus contrarii, in quibus, china haud exigua quantitate exhibita, exſpectationem medicorum decepit, qui huic nimium confiſi, in formanda prognoſi, juſto liberaliores fuerunt. Placet ad probandum hocce adſertum, unum alterumque exemplum in medium proferre.

Vir generoſus & illuſtris, belli paciſque artibus clarus, corpore gaudens ſucci pleno, temperamenti ſanguineo-phlegmatici, poſt vomitus, per integram noctem durantes, poſtero die dolorem atrociſſimum in pede extremo experitur, quem tandem excipit ſphacelus metatarſi regionem mortificans, abſque ulla externa prægreſſa læſione, ipſaque oſſa eadem adficiens labe, ut poſt carnis receſſum triſti nigredine imbuta, brevi ruinam minitarentur. Chirurgus in arte expertus, extirpationem in conſueto ſub genu loco ſuadet, aſt medici in diverſas abiere ſententias, & medicamentis, malum oppugnandum convenere. Præter alia medicamenta, præſertim ad corticem Peruvianum confugerunt, ab ejuſque efficacia optimum ſibi pronuntiarunt eventum. Factum quoque eſt poſt totius menſis intervallum, ut pes extremus a tibia receſſum fecerit, & quidem adeo placide ac clementer, ut æger in deligatione id ne quidem perceperit, niſi tum demum, cum in lectum rurſus delatus, pedem obſervaret altero breviorem. Magnum hoc ex eventu, quem cortici peruviano adſcripſerunt, penes medicos ſubortum eſt gaudium, quo permoti, hac incepta perrexerunt methodo. Aſt, loco ſperatæ reſtitutionis, ſphacelus ulterius ſerpendo, parteſque vicinas adrodendo, eam reddidit ægroti conditionem, ut omnis ſpes penitus decollaverit, præſertim quia exhauſtis ægroti viribus, amputatio impoſſibilis reddebatur. Per 5 ergo menſes ægrotus, tot diris tormentis, inedia, vigiliis, febreque tabifica exhauſtus, animam creatori reddidit, vir meliori fato dignus.

Præſens caſus ex manuſcriptis *B. Burchardi*, Profeſſoris almæ hujus olim famigeratiſſimi, mihi communicatus, innuere videtur, efficaciæ corticis Chinæ tribuendam eſſe ſeparationem ſpontaneam pedis extremi, & ſuſſlaminatum corruptionis ſphaceloſæ progreſſum. Verum, me quidem judice, illa ſeparatio autocratiæ naturæ & colliquatis a putredine ligamentis magis, quam huic cortici competit. Primum elucescit ex obſervationibus partium corporis ſphacelatarum ſua ſponte deciduarum (*bbb*) alterum ſub contrectatione pedis extremi, ſingulis diebus tot vicibus repetita, oriri potuit, dum ligamenta, ex putredine macerata, in ſolutionem continui abierunt, ſicque receſſum a connexis partibus firmioribus ſe-

(*bbb*) Vid *Borell.* Obſerv. Med. Phyſ. Cent. II. Obſ. 14. & 16. It. *Bartholin* Obſ. Anat. Cent. I, Obſ. 69.
It. Acad. des Sciences l'an 1702. Mem. pag. 270. &c.
It. La *Motte* Traité complet de Chirurg Tom III pag. 365.
Penem ſphacelatum ſua ſponte deciduum, in milite obſervavit Dom. *Præſes.*

fecerunt. Accedit, quod ulterior progreſſus ſphaceli arceri non potuerit, licet tarde ſatis inceſſerit. Si enim tanta vis balſamica & corruptelam humorum infringens, in hoc cortice chinæ exſtitiſſet, per tot menſium ſpatium certiſſime ſe exſerere debuiſſet. Nec obſtat, quod caries oſſium denudatorum huic obſecundare non potuerit; illam enim manus chirurgica, ſi reliquæ partes ſalvæ manſiſſent, facile auferre potuiſſet. Quod tardum ſphaceli progreſſum in hoc caſu concernit, ut plurimum talis contingere ſolet, in ſphacelo a cauſis internis oriundo, ut raro, niſi ingens cacochymica adfuerit conſtitutio, brevi terminetur. Sic notum eſt Dom. *Præſidi* exemplum de ſupremo quodam belli duce, ſphacelo pollicis pedis ſpontaneo correpto, quo amputato, & vulnere conſolidato, poſt ſex ſeptimanarum ſpatium pollex alterius pedis parilia fata ſuſtinebat, & hoc quoque ablato, mora trium hebdomadum interjecta, ſphacelus proximum digitum attingebat, cujus exſtirpationem vero ægrotus recuſabat, ſe certo moriturum eſſe, ſibi habens perſuaſum, donec admodum lentis progreſſibus, ſpatio nempe bimeſtri, ad genu uſque provecta putredine, ſub exhauſtis plane viribus, mors finem hiſce miſeriis imponebat. Quod ergo in hoc caſu allato cortici peruviano tribuendum eſſe videtur, a virtute antifebrili & tonica exſpectandum fuit, ex qua, juncto externorum remediorum inſimul apparatu, ægrotus per dimidium anni ſpatium, vitam tranſigere potuit.

§. X.

Femina quædam annorum circiter triginta, temperamenti ſanguinei, lautiori diæta gaudens, dolorem quendam urentem dextro in femore percipiens, atque doloris in cauſam inquirens, maculas quaſdam rubicundas in illa regione, ubi caput oſſis femoris in acetabulo oſſium innominatorum articulatur, deprehendebat. Chirurgus adcerſitus, ad inflammationem, cujus ſigna aderant evidentia, tollendam, præmiſſa venæſectione in brachio, omnia quidem adhibebat medicamenta diſcutientia, abſque ullo tamen effectu, ita, ut brevi potius ſigna apparuerint gangrænæ, quæ vero, methodo in hoc malo conſueta, funditus tandem eradicabatur. Spatio aliquo temporis interjecto, in eadem ſiniſtri femoris regione, parilem gangræna ludebat ſcenam, quæ ſimili ſucceſſu feliciter itidem curabatur. Tertia denique vice rediens malum in dextro femore, paulo tamen inferius ſeſe exſerebat, quod ad tollendum malum, priſtina reiterabantur remedia, ſed plane contrario ſucceſſu, ita, ut gangræna ulterius ſerpendo, adjacentibus ſanis partibus eandem communicaret labem, & totum fere femur pedetentim emoreretur. Continuabatur methodus conſueta & quum malum ex interna cauſa originem traxiſſe, judicaretur a medico in conſilium vocato, cortex peruvianus, cujus ſucceſſive integram libram, & quod excurrit, devoravit ægrota,

po-

porrigebatur. Aſt & huic remedio malum cedere penitus recuſabat, ægrotaque tandem miſere occumbebat.

Si in ullo ſubjecto, gangræna correpto, cortex chinæ ſuam efficaciam ſpecificam evidenter exſerere potuit, ſane in hacce fœmina fuiſſet evidentiſſima Corruptela enim ſanguinis eximia non aderat, iſte e vena miſſus a ſtatu naturali haud multum ſecedebat, in viride ætate adhuc erat conſtituta, nulla aderant ſigna viſceris alicujus corrupti, vires non admodum erant attritæ, verbo, non exiſtebant ſtatus interni conclamati indicia, nihilo tamen ſecius, morbus vim corticis hujus illudebat penitus, nec cuidam cauſæ procatarcticæ fortuitæ lethalis eventus tribui poterat.

§. XI.

Verbi divini miniſter, ſanguineo melancholici temperamenti, ætatis 50 circiter annorum, diæta craſſiori uſus, & carnibus muriaticis, & fumo induratis delectatus, experiebatur quotannis ſymptomata, quæ dyſcraſiam ſcorbuticam comitari aſſolent, quam tamen motu corporis laborioſo, ſanguinis ventilationibus, infuſis herbarum ſcorbuticarum theiformibus, & laxantibus per epicraſin ſumtis, quadantenus tollere conſueverat. Ante biennium tumoribus pedum durioribus, maculis ſcorbuticis refertis, item intumeſcentia quadam abdominis corripiebatur, ut futurum exinde hydropem metueret. Adhibitis vero antiſcorbuticis, diureticis, & ad alvum ſæpius obſtructam reſerandam, laxantibus lenioribus, juncta convenienti diæta, mitigabatur & hic adfectus, ut abſque impedimento officio ſuo præeſſe poſſet. Quæ medicamenta ergo, recrudeſcente ſubinde hoc malo, ab ægroto parili cum ſucceſſu iterabantur, donec medio hyeme, animi adfectibus agitatus, in dextro pede perſentiſceret extraordinariam rubedinem, ſecundum tractum tibiæ, inferiora verſus ſe extendentem, dolor in loco affecto erat urens, ſociabant ſe motus febriles, pulſus continuo celer, agrypnia, appetitus depravatus, anxietas animi, ad lipothymiam uſque quandoque invaleſcens. Auxilium ergo anxie quærens, avide adſumebat, quæ ad diluendum & mundificandum ſanguinem, & motus febriles compeſcendos, e re eſſe videbantur, non negligebantur fomentationes ex herbis convenientibus cum vino factæ, aſt in caſſum, quantumvis enim induciæ quædam remediis hiſce viderentur conciliatæ, rubedo & dolor imminuerentur, & febris quodammodo ceſſaret, tantum tamen aberat, ut in totum auferri ſonticum hoc malum potuerit, ut potius ex improviſo, omnia in deterius ruerent. Exſerebant ſeſe, ſub repullulantibus omnibus modo recenſitis ſymptomatibus, futuræ gangrænæ indicia, ſub hoc rerum ſtatu ad chinam chinæ, tanquam ad ſacram anchoram, confugiebatur, quam ægrotus ſingulis 24 horis ad unciam ſemis adſumebat, nihil autem hiſce efficiebatur, ſed in dies pejus ſe habebat æger, donec ſexto poſt adſumtio-

tionem chinæ die, ſub extremorum frigore, ſingultu, & vagis mentis alienationibus, ægrotus placide animum depoſuerat.

Habet & hic caſus, quod dubiam reddere videtur efficaciam corticis Kinæ in ſiſtenda gangræna. Licet enim objici fortaſſis poſſit, neglectæ venæſectioni, & nimis ſerotinæ exhibitioni corticis chinæ, mortem ægroti tribuendam eſſe; aſt, quod *primum* concernit, haud diu ante inſultum morbi venam ſibi tundendam curaverat æger, cujus vires, ſub ipſo morbo dejectæ admodum, omnem ſanguinis miſſionem contraindicabant. *Alterum* experientia refellitur, quando relatum legimus, ſpatio viginti quatuor horarum, exhibitum corticem jamjam virtutes exſeruiſſe ſuas, & omnia in melius fuiſſe commutata. Crediderim potius, ſi ſuccos ex herbis antiſcorbuticis recenter expreſſos ægroto propinandi copia fuiſſet, eundem fortaſſis inter vivos conſervari potuiſſe. Ad hoc ſtatuminandum ſequenti, a Dn. *Præſide* mihi ſuppeditato caſu permoveor.

§. XII.

Vir temperamenti melancholici, vitæ ſedentariæ, eſui frigidorum magis, quam calidorum alimentorum, pauco potui, ſed hauſtui crebriori ſpiritus frumenti adſuetus, ceteroquin tamen ſanus, ſtomacacem quandoque experiebatur, quam illinitione mellis roſarum, cum unguento ægyptiaco commixti, tollebat iterum, ſed jacturam ſucceſſivam dentium, carie corruptorum, patiebatur. Tandem circa malleolum pedis ſiniſtri internum puſtulæ prodibant rubicundæ, rodentes, quas ſcalpendo irritabat, adeo, ut inflammatæ in ulcera commutarentur, ſaniem fœtidi odoris plorantia. Ex parſimonia auxilium chirurgi recuſabat, ipſemet ſibi opem laturus applicando unguentum album camphoratum, & emplaſtrum diapalmæ, aſt infelici cum ſucceſſu, rubor ſaturatiſſimus in plumbeum, denique in nigricantem commutabatur, ſenſatio penitus ceſſabat, & odor ulceris mephitim ſpirans, verum ſphacelum adeſſe, detegebat. His phœnomenis perterritus medicum & Chirurgum adcerſi curat, ille, a cel. *Werlhofio* edoctus, corticem Kinæ ad drachmas tres ſingulis diebus ægroto porrigit, hic ferrum & pharmaca conſueta adhibet, ſed nil efficitur ſolidi, præter quod gradum quodammodo ſtetiſſe corruptio putredinoſa videretur. Tandem poſt octo dierum decurſum, ſcorbuticæ cacochymiæ rationem habens medicus, ſuccos recenter expreſſos herbarum antiſcorbuticarum ad ℥iij quotidie cum ſero lactis citrato propinat, & tunc brevi mutabatur ſcena, ſecedebant nempe partes putridæ a ſanis, odor cadaveroſus in dies imminuebatur, & generata nova caro conſolidationem hujus ulceris accelerabat.

Ex hoc caſu eluceſcit, in gangræna, a ſcorbuto ortum ducente, a Kina parum auxilii expectandum eſſe, corrigere enim talem dyſcraſiam nullatenus poterit (Cap. II. §. 4.) nec evacuationi rerum peregrinarum apta exiſtit. (Cap. II. §. 8.) An vero ulterior hujus ſphaceli progreſſus exhibitioni Kinæ tribuendus ſit, adhuc dubitandum, præter enim, quod putrilaginoſa ſcorbuticorum ulcera tam cito adjacentes partes vicinas depaſcere non ſoleant, remediis externis defenſivis & balſamicis a chirurgo adplicatis, ſufflaminatam corruptelam jure competere poſſe videtur, prouti illud toto die in ſideratione a cauſis externis oriunda, obſervare licet, eandem ſolis externis remediis cogi poſſe, ut in parte adfecta ſubſiſtat.

§. XIII.

Si dicendum ergo, quod res eſt, non equidem in totum negaverim, tribuendam eſſe huic cortici peruviano virtutem aliquam in gangræna & ſphacelo ſe exſerentem, inque virtute tonica & antifebrili potiſſimum repoſitam, (Cap. III. §. 6) ſi debita cum circumſpectione, & ponderatis cautelis, prudenti medico notis, in uſum trahatur; tantum vero abeſſe, ut reſtitutio corruptelæ putridæ præcipue eidem adſcribi poſſit, ut potius reliquis externis & internis remediis, atque diætæ convenienti palmaria efficacia competat.

§. XIV.

Sint in exemplum unguentum armarium, & pulvis ſympatheticus. Quantane binis hiſce remediis olim fuerunt attributa miracula, in ſiſtendis hæmorrhagiis, conſolidandis vulneribus, refrigerando & calefaciendo ſanguine, excludendis per diaphoreſin, diureſin, & alvum, heterogeneitatibus, quorum miraculorum plurima, examini curatiori ſubjecta, laborant fallacia cauſæ non cauſæ. Et probari facile poſſet, niſi tempori & chartæ parcerem, ab αὐτοκρατία naturæ ortum fuiſſe totum ferme reſtitutionis negotium, modo externa impedimenta fuerint remota.

§. XV.

Parili ergo modo cum efficacia hac corticis peruviani comparatum. In uſum enim inſimul trahuntur fomentationes, ſcarificationes, balſamica, defenſiva; ægroto porriguntur talia alimenta, & potulenta, quæ ſanguinem & humores corrigere potis ſunt; animus in hiſce ægro-

grotantibus admodum abjectus, inter impedimenta felicis curationis ſæpe collocandus, erigitur verbis, & reſtitutionis mox recuperandæ blandis pollicitationibus, cortice peruviano tanquam acceſſorio ſaltem exiſtente. Provoco inter alia exempla ad fide digniſſimum auctorem *Hoffmannum* (*ccc*), qui graviſſimum & refractarium ſphacelum, a cauſa interna oriundum, abſque ulla exhibitione corticis Kinæ, parili felicitate reſtituit.

§. XVII.

Hæc prolata vero, omni exceptione majora non reputo, ſed argumenta ſaltem in medium producere volui, quæ dubiam adhuc corticis efficaciam, in gangræna & ſphacelo ſpecificam innuere mihi videntur. Relinquo ambabus ulteriorem ejus inquiſitionem aliis, quibus contingit, plurimis experimentis adcurate inſtitutis, tandem certitudinem reddere magis evidentem, quo, (quod maxime optandum) morbus hicce, inter periculoſiſſimos jure reputandus, eadem dexteritate, ac febris curari poſſit.

(*ccc*) Vid ejus Diſſertatio inauguralis de Sphacelo ex cauſa interna feliciter curato, Halæ 1717.

TANTUM.

CCI.

PHILIPPI FRIDER. GMELIN,

ET

ACHATII GAERTNER,

SPECIFICA METHODUS RECENTIOR, CANCRUM SANANDI, CUJUS HISTORIAM, ANALYSIMQUE CHEMICAM, ET MEDICAM PRACTICAM EXPONIT.

Tubingæ 5 Martii 1757.

Q. D. B. V.

P R Æ F A T I O.

TOt inter, tantaque mala, quæ miſeros cruciant mortales, ac felicitati, ſanitati, & vitæ inſidias ſtruunt maximas, jure meritoque primum occupat locum ſonticus ille morbus, qui medicis diu cancri nomine innotuit. Hic enim omnia illa loca, quæ corripit, deſtruit, omnia devaſtat, & ſic nonnunquam lentam, nonnunquam citam, & celerem cauſſatur mortem, omnibus medicorum tentaminibus, omnibus conaminibus, quibus huic debellando, & extirpando ſtuduerunt, ſæpe ſæpius inſultat, & atrociſſimis doloribus torquet miſeros infectos, intolerabili fœtore replet omnia, &, qui plane confirmatus eſt, certo certius animam e ſua ſede corporea exterminat. Hæc mali atrocitas, & morbi contumacia, protracta diuturnitas, & ſummum periculum impulerunt omnis ævi medicos, ut ſerio cogitarent de remedio certo, quo & ipſum domare morbum, & crudeles ejus effectus lenire, ac ſedare quodammodo poſſent. Alii hanc, alii aliam, id ut obtinerent, ſelegerunt viam; alii unice in ferrum & ignem omnem ſalutis, & exoptati eventus ſpem poſuerunt, alii his externis, non ubique pro ratione loci, ob metum deſtructionis vaſorum majorum, & nervorum adjacentium, vel admittendis, vel alibi non ſufficientibus, non contenti, triplex naturæ regnum omni cura perquiſiverunt, quo remedia eruerent interne danda, ſufficientia, præſtantia, non neglectis tamen omnibus externis remediis, exſiccantibus, mundificantibus, ut ſic junctis viribus debellarent hoſtem horrendum, & infenſiſſimum. E vegetabilibus illa corpora, quibus narcotica vis ineſt, revera multum præſtiterunt, ſic exempli gratia cicuta, atropa, hyoſciamus, papaver album, in- & externe applicata, multum levaminis attulerunt (*a*). Atropæ grj. in aqua fontana infuſum, ægroque, cancro jam ad ſummum gradum producto laboranti, quotidie propinatum, poſt ſumtas dicto modo ſex hujus herbæ drachmas, abſtulit plenarie ſævum hoc malum, & perfectæ reddidit ſanitati ægrum hoc obſeſſum. Sic etiam phytolaccæ folia recentia, cataplaſmatis forma impoſita cancro, multis abhinc annis obſervationibus edocti laudaverunt Angli, tanquam ſpecifica virtute plenam ejus perſanationem præſtantia. Nec minus e regno animali millepedum ſuccum, & juſcula ſaturata e carne

(*a*) In *novellis Gœttingenſibus* tota hæc cura a Prof. Grœningenſi *Tiberio Lambergen* inſtituta & communicata recenſetur. vid. A. 1755. plenius autem e lectione inaugurali hujus medici, ſiſtente ephemeridem perſanati carcinomatis, Grœningæ 1754. apud Henr. Fechner. habet hanc methodum promtuarium Hamburgicum, cui tit. *Hamburgiſches magazin*, T. XVI. P. I. *Hamburg und Leipſig* 1756. vernacula editum. pag. 511. ſq.

carne viperarum ſingularibus aliqui extulerunt laudibus. E familia mineralium medici practici interna æque, ac externa ſumſerunt pharmaca, quæ inter mercurius, & ejus præparata eminent; hic etiam dulcis redditus, provide corpori ingeſtus, progreſſum cancri teſte multa experientia retardavit; ſingularem enim corpus hoc, & quaſi ſpecificum in ſedem cancri communem, glandulam ſcilicet, exerit effectum! Quæ igitur ab ullo remedio ſperanda erit medela in hoc indomabili fere morbo, certo certius hanc præſtabit argentum vivum, ex ratione, & effectu recenſitis. Sunt quidem, qui plane denegant remediis ſpecificam, & conſtantem efficaciam in unumquodque individuum, diverſam ætatem, ſexum varium, conſuetudinem, victus & vitæ rationem, idioſyncraſiam, quæ omnia mirum in modum variant, talem determinatum effectum non admittere profitentes. Nec ibo inficias, carere humanam cognitionem ſpecificis talibus, quæ nullos ullo in caſu limites metuant, ea vero, qui deſiderat & expectat, humanum omne, id eſt, imperfectionis minutias abeſſe vult ab homine; non alia ſperari debent ſpecifica, quam quæ ſua efficacia individualibus morbis, forſan & partibus humani corporis vivi conſtantiſſimum, exempliſque rariſſimis fallentem ſalutiferum effectum opponunt, & imprimunt. Atque ſic habemus oppido nonnulla medicamenta, quorum conſtans effectus innuit, non plane rejicienda eſſe hoc ſenſu ſpecifica. Sic jalappa, & reliqua purgantia ſemper movent alvum; opium nervis Europæorum conſtanter ſoporem inducit; Mercurius ptyaliſmum excitat; rubia tinctorum oſſa rubro colore tingit; Peruvianus cortex certo certius febriles motus ſupprimit, datura inſaniam creat; forte plura talia latent ad alios morbos remedia; felices medici, ſi noviſſent! Nonne ergo hæc probare videntur, certam, immutabilem, & ſpecificam vim remediis multis datam, & a natura conceſſam eſſe, quæ, quanquam a diverſitate conſtitutionis ægrorum, quibus propinantur, limitetur quodammodo, attamen ſemper efficaciæ ſuæ directionem eandem ſervat. Non autem negandum eſt, multa remedia pro ſpecificis venditari, quæ talia non ſunt, & contra vero eſt ſimile, dari plurima, quæ ignorantur, & futuræ ætati detegenda adhucdum ſunt. Placuit diſſertatione hac inaugurali diſcutere remedium ſingulare contra cancrum, & ratiociniis, ac obſervationibus diſquirere, quantum adverſus hunc morbum rebellem id præſtare poſſit, & qua ratione agat? Eſt compoſitum quidem, ſed potiſſimus rei cardo videtur in præparato chemico mercuriali verti. Deſcribam illud cum ſuis effectibus candide, tumque, ut felicius ejus analyſin, & agendi modum proſequi poſſim, præmittam conciſam cancri hiſtoriam, quæ fideliter geneſin, & naturam ejus, cauſſas & phænomena exponat. Sequetur hanc, anatome ipſius remedii ſpecifici chemico-medica ſolicita. Ex his autem omnibus inter ſe collatis, & mutuo ſibi applicatis modeſtam conſtruam epicriſin, quæ a priori etiam illuſtret quodammodo poſſibilitatem hujus effectus, cum prudens medicus non abſque opprobrio credulitatis adeo facile ſpecifica talia obtrudere ſibi patiatur.

TRACTA-

TRACTATIO.

§. I.

COlligam primo curate data omnia, quæ themati præſenti enodando ſerviunt. Atqui vero inter ea præcipua eſt ſpecifici contra cancrum plena hiſtoria, quam paucos ante annos Petropoli Tubingam perſcripſit *B. D. D. Gmelino*, Excell. Dn. Præſidis Fratri, Chemiæ & Botanic. Profeſſori heic olim publ. ord. *Dn. D. Sanchez*, nunc Lutetiis Pariſiorum vivens, natione Luſitanus, practicus feliciſſimus, & obſervator candoris puritate celeberrimus. Verba ejus in his literis ita habent: *Mitto tibi ad finem deſcripta remedia, quibus vidi perſanatum naſi cancrum, qui jam ad oſſa penetraverat, & ad jugalia uſque ſemet extenderat.* Dn. Nitch, *cui ego hanc impertitus fui methodum, applicuerat eam ægro per trimeſtre, cujus ſub finem perfecte ſanatus fuit, nec metue quicquam ab ejus uſu, obſervatis cautelis adjectis; optimo cum ſucceſſu ea ſic uſus fui, ego plus quam vicies in lue venerea; omnis medendi methodus huc redit: ℞. Mercurii ſublimati albi corroſivi grana quatuor, ſpiritus vini uncias quadraginta octo, m. exactiſſime, ſerventur; ſingulis diebus aſſumenda uncia una mane, alia veſperi, deſuper bibendæ ſex unciæ fervidi decocti. ℞. Rad. ſarſaparill. uncias quatuor, rad. altheæ unciam unam, ligu. ſaſſafr. drachmam unam, coq. ſec. a. in V. quadrant. aquæ per horas duas, lento igne, clauſo vaſe; colaturæ quatuor librarum, capiat uncias ſex, poſt ſpiritum vini, & ſingulis bihoriis mane in lecto ad ſudorem componatur corpus, tectum ſemper ſervandum in perſpiratione, capite, collo, auribus bene munitis, aliter tuſſis, diarrhœa, capitis immanes dolores ſuperveniunt. Cancro externe applicentur ſequentia: ℞. Acet. ſambuc. unciam dimidiam, aquæ roſarum, & ſamb. aa. libr. dim. ſalis ammon. drachmam dim. ſpiritus matric. drachm. unam, vitrioli cyprici grana quinque, m. f. fotus, pannis laneis excipiendus, quater de die applicandus egelide, & per dimidiam horam ſervandus, poſt linimento inuncto, plumaceolo excepto, ſc. ℞. Aceti litharg. unciam unam, ſacchari Saturni ſcrupulum ſemis, ſucci ſempervivi majoris recenter expreſſi unciam unam, unguenti nutriti unciam unam ſemis, ſubigantur inter ſe optime, fiatque linimentum; ſic per tres menſes ad ſanationem uſque hæc applicentur omnia interna & externa.* Hæc ſunt ipſiſſima cel. *D. Sanchez* verba, & ex iis apparere videtur, illum in mercurium ſublimatum omnem felicis eventus rationem poſuiſſe, ab eoque ſpecificam, propriamque medelam expectare.

§. II.

Subjungam ſtatim cancri hiſtoriam in prologo promiſſam : *cancer*, *carcinoma* (*b*) eſt tumor durus, ſolidus, a potiori glanduloſus, a parvo principio lente increſcens, difficile reſolubilis, ſub cujus incremento doloris ſenſus major eſt, minorve, intimaque corruptio, rupturam minitans malignam, inſanabilem, vel & ipſa tumoris accidit ruptura.

§. III.

Ergo cancri rudimentum primum eſt tumor durus in glandulis, ortus parvo principio; talem tumorem appellant ſcirrhum autores. Dividitur ſcirrhus in exquiſitum, & non exquiſitum; exquiſitus dicitur: ſenſu & dolore carens, non exquiſitus, dolorem quidem non habens, ſed tamen ſenſum. Debemus probe diſcernere reliquos in corpore obvios, duros tumores a ſcirrho, differunt enim ab hoc actu ratione eventus, & ſaltim ratione duritiei conveniunt (*c*). Tumores ergo ſcirrhoides appellandi ſunt magis; locus, materiæ contentæ denſitas, pertinax, quam omnibus remediis opponit reſiſtentia, & facilis in cancrum degeneratio diſtinguunt ſcirrhum a multis aliis tumoribus duris.

§. IV.

Veteres latius quidem ſumſerunt ſcirrhi vocabulum, eoque omnes fere indurationes, prominenteſque ſupra cutem excreſcentias e quacunque cauſſa ortas, reſolubiles, vel irreſolubiles inſigniverunt nomine. Sed hac ratione nullus eſſet ſcirrhus determinatus affectus præternaturalis. Multæ occurrunt inſuper eminentiæ duræ, propriis etiam nominibus inſignitæ, quæ per totam vitam innocuæ manent, &, licet aperiantur, cancri tamen naturam non facile induunt. Huc mea ſententia referendi ſunt ſequentes tumores, ex gr. ſcrophulæ, phyma, phygethlon, bubo, parotis, epinyctis, furunculus, omnes verrucarum ſpecies &c. quæ omnes, & ſingulæ indurationes, experientia teſte, vel reſolvuntur, vel, ſi in abſceſſum migrant, facilius digeruntur, conſolidantur, ſananturque. Si etiam unus, vel alter ex hiſce dictis tumoribus malignitatis quid alat, magis

(*b*) Veteres uſi fuerunt vocabulo cancri, quo recentiores pro carcinomate utuntur, ut exprimerent gangrænam, frequentius, carcinomatis contra vocem ſoli dederunt cancro, eadem ſignificatione, quam hodie cum veteribus tribuunt carcinomati, quod probat *Heiſterus* in ſuis *chirurgiæ inſtitutionibus* e variis *Celſi* locis.

(*c*) Clar. *van Swieten commentaria in Boerhaave aphoriſmos de cognoſcendis & curandis morbis*, T. I. p. 844. *edit. Hildburghus.*

magis tamen remediis adhibitis obſecundant, minus ſerpunt, crebriuſque curantur, ac ſcirrhus malignus, & cancroſus redditus. Tumores illi cyſtici, folliculoſi: meliceris, atheroma, ſteatoma, ſponte nonnunquam in abſceſſum deſinunt, vel inciſione & remotione materiæ contentæ feliciter ſanantur; excreſcentiæ autem fungoſæ, carnoſæ: ut fungus, ficus, epulis, ſarcoma, ſarcocele, ratione ortus, incrementi, naturæ, duritiei, ſymptomatum, atque eventus magis cum ſcirrho conveniunt, & hos tumores, ut ſcirrhos male tractatos in cancrum abire docuerunt (*d*) obſervata practicorum.

§. V.

Scirrhus ergo eſt, & manet peculiaris, atque diſtinctus tumor, qui ſiniſtre medicatus, intempeſtive motus, ſummum malignitatis, & deteſtabilis corruptionis gradum, quem *cancrum* tum appellamus, induit.

§. VI.

Individuus ergo *carcinoma* eſt ſcirrhi maligni comes; ſarcomata exulcerata etiam deplorabilem talem devaſtationem afferunt, ſimilemque partibus inurunt necem; ambo hi tumores duri, parvum ſumunt initium, ambo doloris ſunt expertes, ambo recentes, nec inveterati ſenſum habent, ambo in augmento adjacentia vaſa turgida, varicoſa reddunt, hæcque atro, & craſſo replent ſanguine; ambo medicationem reſpuunt, utrumque denique malum tandem in horrendam illam exulcerationem cancroſam terminatur (*e*); hinc color ulceris, ſqualor, odor, abominabilis, ipſo malo fere intolerabilior in utroque caſu unus & idem (*f*). Denique etiam ratione cauſſarum maxime inter ſe conveniunt; unica, & characteriſtica differentia in loco affecto quærenda erit. Sarcoma glandulam etiam obſidere poteſt, quanquam non ſemper obſideat, ſcirrhus autem non aliam ſedem, quam in glandula eligit (*g*).

§. VII.

Cauſſæ hujus mali remotæ infinitæ eſſe poſſunt; errores in diæta, qui ſpiſſos,

(*d*) *Joh. Grashuis exercitatio medico-chirurgica de ſcirrho & carcinomate*, cap. 5. p. 56. *edit. Amſtelod.* 1741.

(*e*) Idem loco cit.

(*f*) *Joh. Grashuis* loco cit.

(*g*) *Hippocrates de morbis mul.* l. 2. *Celſus* l. 5. cap. 38. *Galenus de praecognoſcendis ex pulſu* l. 4. it. ad *Glauc.* l. 2. cap. 4. *Veſalius chir. magn.* l. 5. cap. 17. *Frid. Hoffmann. med. rad. ſyſt.* T. IV. P. V. cap. 6. *Boerhaave aph. de cognoſcendis & cur. morb.* p. 484.

ſpiſſos, viſcidos, pituitoſos gignunt humores; animi pathemata, ira, mœror, terror, vel & contuſiones, nec non evacuationes, aut artificiales, aut naturales interceptæ, & omiſſæ, inflammatio partium prægreſſa; proxima cauſſa ſcirrhi, & antecedens cancri eſt obſtructio, & induratio humoris in glandula.

§. VIII.

Glandula eſt congeries, vel faſciculus vaſorum minimorum diverſæ ſortis, in glomus peculiare diverſimode inter ſe complicatorum, contortorum, implicatorum, medianteque cellulosa tunica inter ſe conjunctorum natus, eum in finem, ut determinatum huc advectum fluidum ſecernant, colligant, mutent & corrigant. Vaſa in dicta glandula conſpicua ſunt: (1) arterioſa, (2) venoſa, & lymphatica duplicis generis, unum, quod ſuccum in cavum quoddam, alias folliculum nuncupant, exonerat, alterum, quod iterum reſorbet, & denique fibrillæ nerveæ ubique obviæ; hæc omnia tandem vaſculoſa teguntur membrana, totumque hoc corpus ſalutatur glandula.

§. IX.

Trifariam hæc glanduloſa corpora diſpeſcunt anatomici utplurimum: illa, quæ receptum & ſecretum ſuccum in ſuis folliculis ad debitum uſque tempus recondunt, & denique per proprium excretorium ductum ulterius pellunt, ſimplices appellant glandulas, quæ autem & folliculo, & excretorio ductu carent, ſaltimque vaſis lymphaticis, lacteiſque tranſitum concedunt, conglobatas ſalutant, ſi denique plures ſimplices glandulæ collectæ, coacervatæ, atque per celluloſam inter ſe junctæ, utcunque laxe, propriis ſuis emiſſariis in unum communem confluunt excretorium ductum, propriaque membrana communi cinguntur, conglomeratam nominant glandulam alii, alii ſimplicem compoſitam (*b*).

§. X.

Apparet ex hac glandulæ notione, nullibi magis ſtagnationem ſuboriri poſſe, quam in ipſa glanduloſa compage, & ſcirrhum facile hic naſci. Mira convolutio enim, & implicatio vaſorum ſubtiliſſimorum facit, ut liquida juſto craſſiora, tenacia, hæc vaſa non ſubire queant, ſed ea magis oppilent.

§. XI.

(*b*) *Ruyſchius* in *reſp. ad epiſt. Boerhaavii*, de glandula. *Haller in notis ad prælect. acad. Boerhaavii in inſtitutiones rei medicæ*, Vol. II. p. 387. ſq.

§. XI.

Ex antecedentibus §§. patet, glandulam e minimis vaſis diverſæ ſortis conflari, multum ergo intererit, inquirere, ubi, & in quo vaſe proprie occurrat obſtructio? Hæc enim conſideratio in therapia magni eſt momenti. Si vaſi adferenti hæret impacta craſſa materia, ſpes ſupereſt, ut unda a tergo premens, atque a vi vitæ impulſa, hanc ſolvat, protrudatque; ſi vero in ſecernente vaſe tale quid obtinet, ubi impulſus jam minor eſt, plus erit periculi; ſi in cavo, ubi deponitur ſecretum fluidum, ſimilis occurrit ſtaſis, multo minus ſperanda erit reſolutio; ſi denique in interſtitiis celluloſæ tunicæ, vaſa glandularum inter ſe cingentis, ſuboritur talis inſpiſſatio, vix reſolutio obtinenda erit, quoniam quaſi extra leges circulationis impactum poſitum eſt; deinde non ſolum ratione loci, ſed etiam ratione materiæ diverſæ, quæ in hac glandula alia, in illa iterum alia exiſtit, ſtaſis occurrens conſideranda erit.

§. XII.

Si in tali deſcripta glandula tranſcolandum fluidum, ob craſſitiem immeabile, retardatur, fluidiore parte reſorpta, reliqua craſſa materia immobilis hæret, auctaque per affluxum novi, itidem ſpiſſi, liquoris diſtendet glandulam, tandemque magis magiſque indurata efformabit ſcirrhum, qui diu abſque omni incommodo parva mole, & ſine celeri augmento in uno eodemque ſtatu permanere poteſt, ſi ſaltim in adferentibus vaſis, præparantibuſque hæreat impactum, irreſolubile; ſi e contra in interſtitiis, atque alveolis cellularis tunicæ, valde extenſilis, reſideat, eoque deponatur tenax, ſpiſſa materia, brevi in ingentem molem poteſt excreſcere tumor durus; conſtat enim e phyſiologicis, hanc cellularem tunicam miram pati extenſionem, atque contractionem; docent id obeſi homines, a morbo prægreſſo macilenti redditi, brevi poſt ſuperatum morbum iterum pingues evadentes; hæ ergo cellulæ in ſtatu naturali a depoſito adipe extenſæ, atque dilatatæ patientur in ſtatu præternaturali eadem, ſimilemque admittent expanſionem; probat id etiam emphyſema, vel artificialis inflatio; ſi denique lumina vaſorum reſorbentium ſunt obſtructa, ut nec liquidiorem partem magis recipere valeant, celerius augebitur diſtenſio, creſcetque tumor ſcirrhoſus.

§. XIII.

Natus priori §. deſcriptus ſcirrhus, per multos annos innocuus, omniſque doloris expers permanere poteſt; ſi autem incongruis medicamentis movetur, vel diætæ erroribus, animique affectibus irritatur malum,

accedentibus-ataxiis evacuationum naturalium, in refractarium illum morbum, *cancrum* nempe, tranſire ſolet.

§. XIV.

Indolentia hujus tumoris dependere videtur a preſſione nervorum, qua influxus fluidi nervei in has partes quodammodo imminuitur, a lenta compreſſione fibrarum omnium, & hinc inducta plenaria tandem anæſthesia, quamvis & raritas pauciorum, quæ glandulas a potiori adeunt, fibrillarum nervearum hic pariter aliquam pro abſentia doloris ſymbolam conferat.

§. XV.

Impacta, condenſata, incarcerata maſſa, quieſcens, expers hactenus acrimoniæ, nulla creans incommoda, ſaltimque parti, cui inhæret, functionem ſuffurans, vicina non turbans, & hac ratione mitis, atque blanda, a cauſſa quacunque, vel externa, vel interna mota, inflammatione orta in vicinis vaſis, indolem mutat ſuam, indolentiam excipit dolor, magis inflatur tumor, fit lividus, fuſcus, niger, adjacentia vaſa inflammata tument, & varicoſa redduntur, atque ſic ſcirrhi in cancrum tranſitus peragitur, eoque præſente, integris tamen, nec adhuc exeſis involucris, *occultum* appellant *cancrum*; quando autem a materia jam acri eroduntur pelles hactenus coercentes, ut foras effluat ſanies putrida, corrodens, fœtida; *apertum* dicunt *cancrum*.

§. XVI.

Dictum fuit hactenus, cancrum naſci utplurimum e ſcirrho: interim non negandum eſt, in aliis etiam corporis partibus præter glandulam ſimile oriri poſſe malum, & quidem abſque prægreſſo ſcirrho, inprimis autem in illis, quæ ratione functionis certam quaſi cum glandulis habent analogiam, & ad quas multa vaſa excurrunt lymphatica, quæ ſcilicet etiam ſecretorium munus adminiſtrant, liquoremque a ſanguine jam diſtinctum, & ad coagulationem, ac ſpiſſitudinem aptiſſimum vehunt; hoc autem non obſtante, ſententia uſque dum aſſumta, firmo ſtat talo, a potiori enim fit denominatio.

§. XVII.

Cancer apertus redditus omnia devaſtat, corrodit, campum ulceroſum inæqualem, alibi madente ſuperficie, alibi retorridis, calloſis, aſperis labiis, ubique valde anomalum aperit, intolerabilem ſpargit odorem, cada-

cadaveroſum, vix tolerandum, miſerrime cruciat ægros, vaſa majora adjacentia exedit, perpetuo ulterius ſerpit, rodendo, dilacerando obvia vaſa majora, hæmorrhagias cauſſatur lethales, dieſque noctesque torquet miſeros, ichor exudans linamenta illico deſtruit, intolerabilis odor famulantes inficit, ut contagioſi quid alere videatur (*i*); tandem accedentibus aliis ſymptomatibus, ſc. vigiliis, pavoribus, anxietatibus, lipothymiis, ſpaſmis vehementibus, motibus convulſivis, tremoribus, mentis alienationibus, & quæ ſunt rel. mortem, tanquam ultimum ſolamen patiuntur ægri, afflictiſſimamque exſpirant animam.

§. XVIII.

Deſcriptus ergo hactenus horrendus morbus eſt ille, cui medendi ſpecifica methodus in præſenti diſſertatione proponenda, & examinanda reſiſtere perhibetur, & quæ methodus diverſis vicibus applicata a clar. de *Sanchez* virus actu extraxit omne optimo cum ſucceſſu.

§. XIX.

Cauſſam inquirentes medici proximam, repentinæ mutationis, materiæ antea blandæ apparenter, quietæ, ſtagnantis, in indolem tam acrem, rodentem, putridam, fœtidam, in diverſas deſcenderunt ſententias. Alii acidam, corroſivam admiſerunt cataſtrophen (*k*); alii alcaleſcentem cauſticam declaraverunt materiam (*l*). Alii putredinoſum una cum rodente acido ſtatuerunt principium (*m*).

§. XX.

(*i*) *Hildanus cent.* 2. *obſerv.* 78. it. *Tulpius l.* 4. *c.* 8.

(*k*) *Ettmüllerus oper. medic. Tom. II. P. II. p.* 1239. de cauſſa cancri agens, ſic ait: „ Cauſſa proxima cancri communiter ſtatuitur humor melancholicus, aduſtus, „ ſeu, ut alio nomine venit, atra bilis, i. e. ſi intelligibili ſenſu explicetur, aci„ dum volatile, inſigniter corroſivum, de natura quaſi arſenicali; & ſeq. §. hoc ip„ ſum acidum eſt occultum in cancro incipiente, increſcente, & nondum exulcera„ to, manifeſtum autem eſt in cancro exulcerato. *Berchelmann abhandlung vom* „ *Krebs* p. 28. *Es iſt alſo der Krebs ein in denen* glanduln, *oder andern* lympatiſchen „ *gefäſſen von einer ſauer*, *und* corroſiviſch *gewordenen* lympha *herrührendes*, *ent*„ *weder verborgenes*, *oder offenes um ſich freſſendes geſchwür.*

(*l*) *Heuermann in den abhandlungen* chirurgiſcher operationen cap. 20. *vom Krebs* p 299. §. 477. „ *nach innen in der harten geſchwulſt zeigt ſich gemeiniglich eine* al„ caliſche, *ſcharfe* materie, *die zulezt um ſich friſst*, *die haut durchbohret*, *und den* „ *verborgenen Krebs in einen offenen verwandelt.*

(*m*) *Stahlius theor. med.* p. 1315. artic. de cancro ſic ſcripſit: „ corruptio iſta „ ratione conſiſtentiæ ſuæ eſt, ut optime monent veteres, neque ſimpliciter corroſi„ va, nec etiam ſimpliciter putredinoſa, ſed de utroque participans, nequaquam autem „ neque purulenta, nec etiam lenius, & ſimplicius ulceroſa, ſed omnino valde acris, „ manifeſtius acido ſalina, ut inſtrumenta metallica corrodat.

§. XX.

Multum intereſt, ut perſpecte videamus, quid proprie in materia illa corrodente ſit accuſandum, hac enim cognitione deſtituti fruſtra applicabimus remedia, niſi forſan unum, vel alterum oblatum magis caſu, quam ex præviſo eventu proficiat, ſuumque præſtet effectum.

§. XXI.

Mea opinione, ſalvis quidem aliorum judiciis, alcalinum principium, ſumme acre, cauſticum, ſtupendæ atque horrendæ putredinoſæ corruptionis effectus eſt in ſcirrho maligno; probabo hanc meam ſententiam, auxiliante chemia, ſequentibus argumentis, quantum quidem licet ab analogia experimentorum, quæ fiunt extra corpus humanum vivum, concludere ad mutationes inrra corpus hoc accidentes.

§. XXII.

Primo ars nulla hactenus ullo experimento, & in ſolidis, & in fluidis partibus corporis humani vi vitæ, atque vaſorum in humanam naturam converſis, atque aſſimilatis acidi tam manifeſti detexit præſentiam; neque ipſa id perſuadere nobis videntur experimenta cel. *Homberg*, quæ allegat in actis Pariſinis (*n*), cum in ſanguine variorum animalium, & ſolo victu vegetabili, & ſolo animali, & mixto paſtorum deſtillatione acidi paſſim veſtigia invenit; fatetur enim *Hombergius* ipſe ad finem deſtillationis demum fortiſſimo igne liquorem obtineri rubrum, qui & acidi & alcali notas præ ſe ferat; ſcribit, quod e ſedecim libris cruoris deſtillati, non niſi duas uncias liquoris acidi aciditate aceti deſtillati obtinuerit; poſt rectificationem productorum primorum ſuper capite mortuo ipſius ſanguinis inſtitutam; quis autem neſcit, eſſe inſignem admodum vim ignis violenti, mutantem, ſeparantem, deſtruentem, ſæpe quoque nova reſolvendo producentem; quis neſcit, non mutatum in ſanguine, ut humano, ita & brutorum ſal manere immixtum marinum, vel culinare, cujus concentratum acidum, inflammabili unitum, ex ultimo urinæ deſtillatæ liquamine præcipuam conſtituit phoſphori materiam? Quis ergo non ſuſpicetur acidum hoc Hombergianum, ultima Vulcani tortura prolectum, hoc ipſum eſſe ſalis marini acidum, dilutum adhuc magis, ac eſt in phoſphoro? Optaſſem etiam, ut indicaſſet *Hombergius*, quo a paſtu tempore homini, brutiſque ſubtractus fuerit ille ſanguis, quem

(*n*) Vid. *Hiſtoire de l'Academie Royale des Sciences*, A. 1712. edit. Amſtel. 1715. pag. 58. ſq. & pag. 9. ſq. p. 352. ſq.

quem deſtillavit; niſi enim inediam per biduum triduumve pro rato paſſum fuerit ante ſubtractionem animal, ſemper erit ſuſpectus, quod non ſatis aſſimilatam adhuc habeat aliquam ex ingeſtis materiam; quid, quod nemo acidus adeo, & auſterus eſſe poſſit acidi animalis Patronus, ut ſalvis etiam experimentis his Hombergianis, & quibuſcunque deducendis inde corollariis largiri mihi non debeat, longe ſuperius prædominium eſſe materiæ alcalinæ in ſanguine, humoribuſque noſtris putreſcentibus, vel deſtillatis, ſi addamus etiam, butyrum, adipem, ſebum, deſtillatione ſemper in manifeſtum reſolvi phlegma acidulum, & oleum (o).

§. XXIII.

Acidum ex ingeſtis præcipue farinaceis, vegetabilibus, in primis viis ortum, cumque chymo remixtum nondum pertinet ad humanam naturam, & partim chymo dilutum, diverſimode mutatur, atque infringitur, partim cum fæcibus alvinis e corpore eliminatur; id etiam, quod forſan reſorbentia vaſa intrat, tantæ aciditatis non eſt, ut tam ingentes poſſit creare noxas, quales in cancro aperto obſervamus. Vegetabile enim eſt acidum, non minerale, mitiorem etiam indolem acidi hujus e vegetabilibus ingeſtis orti probat facilis reſorptio per vaſa lactea; ſi enim nimis acre foret, conſtringerentur hoc lumina vaſorum lacteorum, ſic, ut non admittere magis poſſent. Denique in officinis primæ digeſtionis affuſione diverſorum liquidorum quam maxime diluitur, & tandem cum chylo ſanguini admixtum, cordis, pulmonum atque vaſorum efficaciam, & actionem paſſum, deletur in ſanis corporibus, ſic, ut in illis partibus jamjam aſſimilatis inquilinis, ne minimum veſtigium ulla arte chemica detegi poſſit; quando etiam in corporibus laxis, debilibus ob defectum roboris non bene ſubiguntur, & mutantur ingeſta in noſtram naturam, & acidum adhucdum cum crudis non mutatis humoribus vaſa pererrat, multa inde provenire poſſunt mala, in ipſo torrente ſanguinis non ſolum, ſed etiam in ſolidis partibus, ut taceam ea incommoda, quæ jam in primis viis a nimia quantitate talis acidi vegetabilis gignuntur, ſc. ructus acidi, ardores ventriculi, iliaci dolores, flatus, tormina &c.; aſt plane aliter ſe habet hoc acidum in illo ſtatu putredinis, quæ in cancro conſideranda eſt; docent nos chemica pericula ex omnibus vegetabilibus, etiam acidiſſimis per fermentationem educi ardentes ſpiritus, hac autem nimis diu protracta digeſtione putridum naſci fœtorem ſtercoreum, tandemque omnia abire in corruptionem fœtidam, putredinoſam, alcaleſcentem, deleto omni acido, & ſpirituoſo, e qua denique maſſa putrida, & fracida, igne ſicco verus ſal alcalinus, aſt volatilis elicitur; ſi quis hoc phæ-

(o) *Macquer elem. de chem. practiq.* T. II. à Paris 1751. pag. 436. ſq. & p. 481.

phænomenon rite perpendit, illico videbit, quid, & quantum acidum in ſummo illo corruptionis cancroſæ gradu efficiat, facileque intelliget, in perfecta tali putredine, qualis etiam in cancro adeſt, hoc acidum plane deſtructum, ab ejus ergo effectu nil metuendum eſſe.

§. XXIV.

Secundo. Argumentum e facili lactis animalis inclinatione ad aceſcentiam ſumtum, quo probare conantur, non ſolum acidi præſentiam in noſtris humoribus, ſed etiam ab eodem acido frequentiores in mammis obortos cancros, non multum valet. Lac enim eſt fluidum, nondum plane in humanam naturam converſum, & aſſimilantes, atque mutantes illas vires aliquoties circulando per vaſa nondum paſſum eſt (*p*). Chylus, dum venæ ſiniſtræ ſubclaviæ infunditur, mox una cum ſanguine a vena cava ſuperiori receptus, dextroque cordis ventriculo infuſus, per arteriam pulmonalem pulmonibus advectus, ibique agitatus, revehitur per pulmonalem venam ad ſiniſtrum cordis ventriculum, ab hoc iterum in aortam projectus, certa quantitas a ſubclaviis arteriis recipitur, & per mammarias, ab his originem ducentes, mammis ad lac educendum educitur; breve ergo hoc iter, & unus ſaltem per cor & pulmones tranſitus nondum ad immutandum ſufficit chylum, quamvis contendere nolim, omnem lactis materiam breviſſimam hanc emetiri viam, ſed & paucam aſſimilationem, & nativam indolem ingeſtorum remanentem demonſtrat odor & ſapor, quem e multis retinet lac ſeparatum. Ad ipſam autem aceſcentiam, quod attinet, certus ad hanc inducendam requiritur caloris gradus, qui auctus adhuc lac etiam in putredinem, ab alcaleſcente non parum abludentem, teſte fœtore, præcipitat; evidenter ex his apparet, lactis degenerationem intra mammas in aceſcentiam multa producere mala, ſed cancri cauſſam proximam, quæ in ſumma putredine, qua vegetabiles & animales partes in alcaleſcentem naturam mutantur, conſiſtit, non poſſe conſtituere.

§. XXV.

(*p*) *Bohnius circul. anat. phyſ. progymn.* 12. p. m. 174. „Lac nil niſi chylus, „aut lympha crudior eſt, cum ſanguine mammis adductus, ab illo intra harum glandulas ſecretus, in earum alveos lactiferos depoſitus *Stahlii theoria* pag. 364. Hæc „ipſa vero media adhuc ejus indoles præbet proprie præcipuum argumentum, quod „lac revera nihil aliud ſit, niſi chylus, ſubſtantia nempe adhuc quadantenus crudior, „& a craſi animali remotior, nempe propinquior adhuc illi, unde proceſſit. *Hoffmanni ſyſt. med. rat.* T. I. p. 251. lac eſt chylus, non vero ſanguinis immutatus. „Notæ *Halleri in prælect. acad. Herm. Boerhaavii in inſtitutiones rei med.* Vol. II. „pag 222. chylus non tranſmutatur ſubito, atque una circumductione per pulmonem. „*Lowerus* chylum in animalibus quatuor vel quinque horis a paſtu innatantem reperit, „lacti, & chylo receptaculi, ſimillimum. cap. 5. pag. 237. deinde in homine ex vena „ſecta poſt paſtum effluxiſſe lac, idem obſervat“.

§. XXV.

Tertio. Denique facta cum ſanguine, & ſero chemica experimenta nullum, uti antea jam dictum, in his manifeſtant acidum. Si ſero a rubra ſanguinis parte liberato affunditur ſal alcali, nulla ſequitur ebullitio, quæ quidem neque acidum affuſum comitatur, unde in neutram partem experimenta hæc decidere aliquid videntur; quando autem idem ſerum calore fovetur, tunc ex inodoro, inſipido mutatur in fœtidam, acrem, fracidam indolem, alcaleſcit, intolerabilem ſpirat odorem, cum acidis efferveſcit, & deſtillatione dat ſal alcalinum volatile; cum albumine ovi, liquido animali perfectiſſimo, prorſus elaborato, eundem obtinemus effectum, & urina putrefacta ſimilia offert producta. Si autem hiſce animalibus dictis partibus ſpiritus vini alcoholiſatus affunditur, denſantur, coeunt, & ab omni putredine immunes per innumeros annos conſervantur. Sic etiam reliquæ animalium partes, nec deſtillando, nec putreſcendo ſuppeditant acidum præter illud, quod eſt de ſale marino, exceptis obſcuris acidi veſtigiis in pinguedine, manifeſtiſque in lacte non putreſcente, largiuntur contra plurimæ, reſolutæ ſat magnam alcali volatilis quantitatem.

§. XXVI.

Quarto. Acida, niſi ſint fortiora, mineralia, carnes magis conſervant, quam deſtruunt, & fortiſſima etiam, etſi carnoſas corrodant partes, omnem tamen ab his arcent putredinem, ut recentiſſime repetitis experimentis didici. Si fruſtum carnis recentis oleo vitrioli rectificatiſſimo immergitur, intra viginti quatuor horas tota maſſa in unum liquidum homogeneum ſanguinei coloris migrat, & fornacis etiam calori expoſita non mutatur ulterius, nec ullus putredinis percipitur ſenſus. Spiritus nitri fumans ſimili modo ſolvit carnem, ſed colorem carni proprium plane mutat; a putredine autem inſimul præſervat. Solutio hæc ultima diaphana, atque pellucida eſt. Quem denique fugit mos, ſale culinari animalium carnes, peregre longe lateque mittendas, condiendi conſervationis gratia? nonne ſolutio etiam aluminis inſecta, & integra animalia per multos annos a corruptione vindicat?

§. XXVII.

Inter ſe his collatis experimentis prono fluit alveo, acidum corruptionis putredinoſæ animalium partium nec cauſſam proximam, nec effectum eſſe, illos ergo quam maxime falli, qui ſtatuunt, putredinem cancroſam ab hoc acido gigni. Neque pro eo quicquam probat corroſivus effectus, quem inſtrumentis exploratoriis metallicis ichor ex ulcere cancroſo

emanans affricat, quod argumentum *Stahlius* urget: quis enim neſcit, ferrum præſertim, & cuprum ab omni humore, quem vix impurum cognoveris, arrodi tantiſper? quis neſcit, ſolis etiam alcalibus volatilibus ſingularem eſſe, propriamque in plures materias metallicas, maxime cuprum, efficaciam, ut ex ære ſpecioſiſſime cœruleam extrahant tincturam; quo experimento tincturæ vere ſpuriæ argenti nituntur (*q*); quem fugit ſublimatio ferri ope ſalis ammoniaci, quæ non fit abſque ſolutione, quamvis in ea non ſatis tuti ſimus ab omni ſuſpicione immixti acidi, quod quidem terræ, partibuſque oleoſis arctiſſime unitum ipſum componit alcali volatile (*r*); quidni ergo varius ille glutinoſus, corruptuſque humor exulceratione cancroſa natus acerrimo alcali volatili fœtus eadem præſtare poſſet?

§. XXVIII.

Jam vero propius videam, quid in partes animales alcalia valeant volatilia æque ac fixa? Si carnis fruſtum recens oleo tartari per deliquium humectatur, atque calori exponitur, mutat ſuave rubentem colorem in luridum, & brevi putreſcit cum fœtore: ſed aperte fateor, alcali volatile ſimilem effectum non præſtare, hoc enim affuſum non ſolum carnis colorem rubrum naturalem conſervat, ſed putredinem etiam diu arcet, unde mea hactenus aſſumta theſis, quæ alcali in putredinoſa corruptione cancri roſionis malignæ cauſſam agere primariam affirmabat, corruere videtur. Cum vero examen chemicum abſciſſarum cancroſarum partium alcalici ſalis volatilis præſentiam ſatis ſuperque comprobet (*s*), & inſuper etiam Clar. *Boerhaave* hujus effectum cauſticum in ſanas partes extra omnem

(*q*) *Macquer elem. de chem. theor. à Paris* 1753. p. 235.
(*r*) *Macquer* ibidem, pag. 220.
(*s*) *Memoires de l'Academie Royale de chirurgie*, *Tom. I. part.* 3. *pag.* 377. *à Paris.* Dans le memoire ſur une tumeur chancreuſe à la mammelle, par M. *Faget.* Clar. Auctor reſectam cancroſam mammam in partes diviſit, unam harum partium magis ulceroſam in aqua excoxit, ut videret poſtea, quales, & cujus indolis extraherentur ſucci ſub coctione per quatuor fere horas, adhibito fortiori igne durante, ſpumam denſam, quam a lympha, vel ſucco albumini ovorum ſimili derivat, in ſuperficie obſervavit, & inde concluſit: vitiatam lympham in hoc tumore cancroſo extitiſſe cauſſam. De chemica diſquiſitione remanentis a coctione juſculi en ipſa auctoris verba! p. 314. „Je fis le lendemain différentes épreuves ſur le bouillon, il ne laiſſa aucun „ veſtige d'acidité ſur le cuivre, ni ſur le papier bleu; au contraire, étant mêlé „ avec le ſyrop de violette, il parut contenir un ſel, qui tendoit deja beaucoup „ à l'alcaliſation; en effet, le ſyrop prit une couleur verte fort ſenſible, quoique „ le bouillon n'eut encore contracté aucune mauvaiſe odeur, qui fit ſoupçonner quel- „ que commencement de pourriture; le ſuc de la tumeur exprimée apporta le mê- „ me changement à là couleur du ſyrop, & ne fit aucune impreſſion ſur le papier „ bleu; & p. 316, le ſuc exprimé étoit un peu épais, je tâchai par differens mélan-

omnem dubitationis aleam poſuerit (*t*), plane non dimittam theſim, & a ſententia diſcedam, hoc enim abſolute verum eſt, acidum non adeſſe, alcali autem poſſe demonſtrari; forſan etiam adhucdum aliud in ſummo putrefactionis cancroſæ ſtatu per factam partium reſolutionem produci poteſt principium, quod ſali volatili mixtum magis tunc putredinem auget, & promovet, & ſic applicationem experimenti, quo probari videtur, animalium carnes affuſione ſoluti ſalis volatilis alcalici puri, & ab inquinamento reliquarum omnium, inprimis oleoſarum partium craſſiorum liberi, non tam ſponte in corruptionem tendere, limitat? Et ipſa profecto ſingularis natura humoris in plurimis depoſiti, & elaborati glandulis, glutinoſa, ſaponacea, unguinoſa, quæ facit, ut recentes multæ glandulæ animales ipſis quibuſdam brutis vulgato experimento nauſeam, & vomitus creent, perſuadet nobis, putrefactionem hanc aliunde quoque augeri, & materiam ex hac putrefactione natam ſingularis eſſe debere indolis mixtæ, etſi, quantum chemice determinare licet, atque ad cognitas acrimonias reducere illam, quæ hic eminet, continuo adhuc inſiſtam prædominio alcalinæ volatilis.

§. XXIX.

Denique ad concipiendam putredinem facilis, nec impeditus acceſſus aëris abſolute requiritur, in vacuo enim nulla corruptio, nulla putredo locum habet; liquet ex his, cur materia ſcirrhoſo tumori incluſa tam diu abſque omni noxa inhærere poſſit, & cur tandem tam ab intus irritata, quam etiam tergoribus ruptis ab admiſſo aëre mota, cito in ſummam ruat malignitatem.

§. XXX.

„ mélanges de découvrir quelque ſubſtance, qui pût le diſſoudre, j'eſſaiai ſur tous „ les agens, qui me parurent les plus actifs & les plus puiſſans. Mr. *de la Caſſaigne* „ apoticaire du Roi, qui me les fournit, déſira être préſent à nos expériences; elles nous firent aſſés appercevoir, que cette humeur reconnoit peu de diſſolvans; „ car l'huile de tartre par défaillance la coagula ſur le champ, l'eſprit de vitriol y „ excita une effervecence, & l'epaiſſit enſuite, le vinaigre diſtillé l'a fit auſſi fer- „ menter légérement, & la coagula un peu &c.

(*t*) Clar. *Boerhaave in P. II. Chem. Elem. p.* 321. de ſale volatilì agens: „Sal, „ ille inquit, actus calore corporis humani ſani, ocyſſime inflammat, exurit, in „ gangrænoſam eſcharam convertit, hinc penitus deſtruit omnem partem corporis „ humani, cui ita apponitur, ut motus ejus calore dicto natus cogatur retundi in „ illam partem, cui applicatur. Si enim ſcrupulum puri ſalis cornu cervi volatilis „ cuti externæ impoſuerit quis, moxque tenax ſuperpoſuerit de pice emplaſtrum, „ intra ſemiquadrantem horæ atrum carbunculum excitatum mirabitur, haud aliter, „ quam ſi ferri igniti applicatu pars fuiſſet exuſta. Quin color, dolor, calor, criſpatio cutis ſemper eodem modo obtinent, humores vero reſolvit in ſanioſam tenuitatem.

§. XXX.

Cancrum medicamentis curaturus ex dictis attendat, neceſſe eſt, lymphaticum utplurimum, glutinoſum ſuccum in glandulosa compage, vel vaſis lymphaticis, vel horum celluloſa tunica hærere condenſatum, ſpiſſum, quem vis vitæ, actio vaſorum, & impulſus humorum ægre posſunt legibus circulationis iterum ſubjicere, quare neque ſcirrhi benigna ſperari unquam ſuppuratio, prout etiam rupto carcere, tam ob ſummam corrupti, & copioſi humoris malignitatem, quam etiam ob profundam ſolidorum labem, bonæ notæ pus generari non poteſt. Hinc ergo cogitet, excitatos, evigilantes, auctos e quacunque cauſſa, & ad hanc obſtructam, ſemimortuam partem invitatos, determinatos, ruentesque vitales impetus inducere ſenſim, & ſenſim impactæ maſſæ talem inteſtinum motum, quem omnem putrefactionem antecedere obſervamus, tandemque facere, ut omnia putreſcant, atque alcaleſcant, vicinaque ſana fluida & ſolida circumjacentia ab hoc ſingulari putrido alcaleſcente erodantur, atque corrumpantur, propria quidem corruptione, mixtaque alcaleſcentia, cujus virus facile contiguis ſanis partibus, & ſolidis, & fluidis affricatur, miſcetur, permanensque damnum impertitur, & infundit, ut paucum fermentum materiam oppido multam, in fermentationem, ſponte ad minimum ægerrime lapſuram, ſatis cito ad eam diſponit.

§. XXXI.

Tradita hactenus *Cancri*, hujusque cauſſarum, & effectuum hiſtoria ad examen *mercurii ſublimati* tranſeo chemicum, cum indicata medendi methodus, oppoſita Cancro, hoc in veneno potiorem ſalutis, & ſanationis cardinem ponere videatur; expenam producti hujus chemici conſtitutivas partes, & indicabo inſimul, quo modo hoc compoſitum ſalino-mercuriale, arſenico inquinatum, & adulteratum, optime ſit examinandum, atque explorandum, ſic, ut certi ſimus, id ab omni arſenicali contagio liberum, tuto atque ſecure in uſus medicos adhiberi poſſe. Hæc diſquiſitio eo magis neceſſaria eſt, quo pluris intereſt, noſſe medicum, pro uſibus præſertim internis, bonæ notæ eſſe mercurium ſublimatum, & quo certius conſtat, a quæſtuoſis hominibus nefandi lucri cauſſa, ut videlicet augeant pondus ſine magnis ſumtibus, nonnunquam arſenicum ante ſublimationem ſecundariam, quam eo fine adornant, immiſceri, & ſic ſublimatum mercurium ad medica pericula noxium, atque ineptum ab his divendi. Sunt quidem, qui non admittunt, arſenicum, & mercurium ſublimatum in ſublimatione combinari poſſe, ac ſi fraus cum hac merce admittatur, ambo in forma pulveris debere inter ſe miſ-

ceri;

ceri; patebit autem e ſequentibus, ſublimatione intime conjungi mercurium ſublimatum cum arſenico, non deſtructa cryſtallina ſolida ſua facie.

§. XXXII.

Mercurius ſublimatus corroſivus albus genuinus ex arctiſſimo acidi ſalis communis connubio cum argento vivo ſolo, auxiliante ſublimatione ſicca emergit. Methodus, qua hanc artifices combinationem efficiunt, variat, omnis autem eo redit, ut ingrediens utrumque probe ac intime conjungatur; uſitato modo fit, ſi ex. gr. unciæ duodecim mercurii vivi depurati duplo aquæ fortis ſolvuntur, ſolutio in balneo ſicco ad ſiccitatem abſtrahitur, atque reſiduo adduntur vitrioli ad rubedinem calcinati ſex unciæ ſalis decrepitati culinaris, longa trituratione intime omnia hæc inter ſe mixta in vitreo vaſe, leni ſub initium adhibito igne, ſenſimque aucto, denique fortiſſimo, ſublimantur, maſſa internos capitelli parietes obducens alba, ſolida, cryſtallina formam referens ipſum mercurium ſublimatum conſtituit album. Rationes proceſſus nituntur ſequentibus: ſpiritus nitri ſaltim ad dividendum mercurium melioribus mixtionis cum reliquis ingredientibus cauſſa additur, & maxima pars hujus abſtrahendo aufertur; reſiduum, mercurium in minores particulas diviſum continens, ſi cum vitriolo calcinato, & ſale culinari decrepitato miſcetur, & actione ignis totum mixtum movetur, tunc acida diverſa heic contenta liberantur, & certa quaſi ſympatia, & ſingulari magnetiſmo junguntur aliis materiis, nova ineunt conjugia, & mutua. Vitriolicum acidum deſerit ſponte ſuam metallicam terram, arripitque mox, dum volatile aquæ fortis acidum fugam capit, alcalinam ſalis communis baſin, cujus acidum, ab acido vitriolico ſic expulſum e ſua combinatione cum alcalina terra, nubit mercurio, tandemque fortiori accedente igne ſalis communis acidum hic ſubtiliſſimum, puriſſimum, concentratiſſimum in ſublime una cum mercurio, intime ſibi juncto fertur; manet adeoque in capite mortuo, & metallica vitrioli terra cum ſuo acido, & alcalina ſalis communis baſis, utramque materiam nunc vitriolicum acidum detinet, acidum enim ſalis id ſingulare habet, ut metallis albis, licet ponderoſiſſimis certam quaſi addat ſub connubio volatilitatem, ſic, ut hæc corpora cito ab igne ſurſ m pellantur, teſte cornua lunæ, intimeque etiam cum dictis albis metallis ſe conjungit, in ſicca, vel vaporoſa forma; in fluida autem ea certe non ſolvit. Sic enim ſalis ſpiritus argentum vivum etiam accedente coctione non mutat, cui contra, uti proceſſus præſens docet, in ſicca forma immiſcetur exacte, & intime. Denique aſcenſus etiam ex ipſa hydrargyri volatilitate, quam additum ſalis culinaris acidum magis auget, quam minuit, facile poteſt concipi; reliqua ergo acida, vitriolicum nempe, & nitroſum ſaltim diviſionis, liberationis, atque ſeparationis gratia addita eſſe, probat illud experimentum, quo conſtat, mercurium naſci ſublimatum corroſivum, ſimpli-

ſimplici miſcela acidi ſalis, & argenti vivi absque vitriolico, & nitroſo; hac methodo hactenus recenſita in Batavia integri centenarii, aſt in diverſis vaſis, præparantur ſublimati mercurii; alii nitrum addunt in ſubſtantia, alii ordinariam methodum ſecuti, ejus ſpiritu ſolvunt argentum vivum; alii plane id excludunt, tamquam rem ſuperfluam; præter hunc traditum modum diverſi adhuc ſunt alii, quibus mercurius ſublimatus impetratur, placet curioſitatis gratia quosdam hic apponere: ſi ſolutioni argenti vivi, aqua forti factæ adduntur quatuor ſalis culinaris decrepitati partes, mixtura retortæ includitur, ſex horarum ſpatio poſt abſtractum nitri ſpiritum ſublimatur mercurius corroſivus albus; itidem mercurius currens in aqua forti ſolutus, ſale communi præcipitatus, & ſublimatus præbebit mercurium corroſivum ſublimatum. Si denique ſecundum Bo- ulduc, Gallum, una pars Turpethi mineralis cum tribus ſalis marini miſcetur, & ſublimatio inſtituitur, obtinetur idem mercurius ſublimatus albus; ſic ſemper naſcetur, ubi ſalis acidum cum argento vivo ſicca forma exacte combinatur.

§. XXXIII.

Productum hoc ſalino-mercuriale per ſe, nec immutatum, animalium corporibus ſi applicatur, exedit & deſtruit horum partes illico, interne ſumtum ad pauciſſima grana, non ſatis dilutum, nec aliis cicuratum præſentaneum eſt venenum; ſi e contra nova quantitate addita mercurii vivi, reiterata ſublimatione, ſalis acidum agiliſſimum magis infringitur, & mitigatur, emergit pharmacum egregium laxans, tutum, interne dandum, quod in morbis a vitiata lympha ortis, rebellibus, vix ſibi ſimile habet, vel ſi ad methodum Exc. *Boerhaave*, quæ non multum abludit a propoſita, tractatur, mira, teſte ſummo viro, in multis inſanabilibus alias morbis efficit interne datum. (*s*) Quando ſublimationes ſæpius repetuntur, omnis effectus laxans deletur, & ſaltim diaphoreſin producendo agit ſub nomine panaceæ mercurialis; acidum autem ſalis, quanquam intime in ſublimato reſolutum habeat mercurium vivum, attamen antimonio addito hunc iterum deſerit, uti ex. gr. accidit, ſi cum antimonii minera ſublimatur mercurius corroſivus albus, ubi dimiſſo mercurio ſalis acidum regulinam antimonii partem aggreditur, cumque eo conſtituit notum antimonii butyrum; hoc experimentum, aliudque, quo arſenicum a ſalis ſpiritu apparenter ſolvi videtur, anſam præbuerunt, ut negarent aliqui, mercurium corroſivum ſublimatum arſenico adulterari poſſe

(*s*) *Boerhaave Chem. P. II. pag.* 426. „granum unum (ſc. mercurii ſublimati) „aquæ uncia dilutum dat remedium cosmeticum prudenter uſurpantibus. Venenum „omnium infectorum cutaneorum ſimplici lotura. Si drachma talis mixturæ ſyrupo „violaceo mitificata, potatur bis, terve in die, mira præſtat in multis morbis incura„bilibus.

poſſe, quoniam ob aliquam antimonii cum arſenico affinitatem concludebant magis, quam experimento diſcebant, mercurium ſublimatum cum arſenico mixtum non in ſicca cryſtallina forma, ſed butyri antimonii ad inſtar aſcendere, atque mercurium reviviſcere. Experientiſſimus alias chemicus *Neumann* id ipſe aſſeruit, (*t*) cum aliis. Interim certo certius eſt, optime ſuccedere hanc adulterationem, & mercurium corroſivum, & arſenicum intime ſublimando conjungi; experimenta hunc in finem noviter a me ſuſcepta veritatem rei probantia conſentiunt cum illis, quæ Clar. *Pott*, princeps atque exercitatiſſimus noſtri ævi chemicus inſtituit. (*u*) Apponam mea pericula eo magis, quo plus damni tali arſenicali labe infectus mercurius adferre poteſt in medicina; adjungam inſimul modum, quo fucatus talis mercurius ſublimatus a genuino diſcernitur optime.

§. XXXIV.

Si uncia una arſenici albi cryſtallini, & pulveriſati cum una uncia mercurii

(*t*) *Caſp. Neumann Chemia medico-dogmatica experim. T. I. P. II. pag.* 188. §. 15. „*übrigens haben ſich verſchiedene ſehr vergangen, daß ſie ſchreiben, es würde der* mercurius ſublimatus corroſivus *mit* arſenico *verfälſcht, und hätte man ſich dafür ſehr* „*in acht zu nehmen; ja es gebe einige wohl gar Kunſtſtucke an die Hand, wie* „*mans probiren, und erfahren könne, ob er mit* arſenico *verſezt, verfälſcht oder* „*nicht? welches gewiß lächerlech iſt, maſſen ich denjenigen vor einen rechten Kunſt-* „*ler anſehen wolte, welcher dergleichen ins Werck ſetzen ſollte, oder welcher geſchickt* „*wäre*, arſenicum *mit* mercurio ſublimato, ſublimando *zu vereinigen, oder in den* „*cryſtalliniſch ausſehenden* Sublimat *zugleich mit darein zu bringen, ſo, daß dieſe* „*Herrn den Betrug nicht recht müſſen unterſuchet, oder vorher nicht ſelbſt probiret* „*haben, ob es einmal möglich ſeye*, arſenicum *mit* mercurio ſublimato *zugleich* ſublimi- „miren, *oder zu verfälſchen. Ein anderes wäre es, wenn man dieſe beyde Dinge* „*in Geſtalt eines Pulvers miteinander meliren wollte; hat man aber ganzen, cryſtal-* „*liniſchen, ſtückichten* mercurium ſublimatum, *ſo darf man ſich gewiſslich niemals* „*beförchten, daß* arſenicum *darunter ſeye.*

(*u*) *Clar. Joh. Henr, Pott Obſerv. & animadv. Chem. præcipue circa ſal commune &c. pag.* 75. ubi ait: „Si rationes ejus; ſc. arſenici cum mercurio ſublimato perqui- „rimus equidem jam *Glaſer* in hodego chem. aſſerit, mercurium ſublimatum cum „aa. arſenici mixtum, & deſtillatum formare liquorem gummoſum, & mercurium „revificari; & *D. Sperling* in diſſert. de arſenico aſſeverat, arſenicum cum duabus par- „tibus mercurii ſublimati mixtum, deſtillatumque ſuppeditare butyrum, & ſpiritum „fumantem, qui martem radicaliter ſolvere, & tincturis ingreſſum præbere perhibea- „tur. Sic & collectanea de biſmutho perhibent, mixturam hanc ſola digeſtione ſe- „parari: ex hoc fundamento quoque negatum hactenus fuit, mercurium ſublima- „tum cum arſenico adulterari poſſe, &c. verum, cum ego duas partes ſublimati „cum una parte arſenici miſcui, & deſtillationi ſubjeci, nil in forma ſoluta, ſeu li- „quoris prodiit, ſed ſublimatum pulverulentum aſcendit, quod inſequebantur fumi „cum tota mixtura; pauca demum pars ſub forma cryſtallorum aſcendit, & per- „parum pulveris levis albi reſtitit in fundo, adeoque hæc omnia ſicca ſublimantur „forma. rel.

rii ſublimati albi corroſivi trituratione in mortario ſerpentino optime miſce-tur, mixtum ſiccum album vitro ſublimatorio traditur, atque in arena levi in initio, tandemque fortiori applicato igne ſuſcipitur ſublimatio, tota maſſa ſicca forma, & absque omni veſtigio cujusdam materiæ butyraceæ ſuperiora petit; fracto vitro in parietibus internis ſuperioribus apparet mercurius una cum arſenico in ſublime latus albus, ad oras parum friabilis, in medio autem maſſæ ſublimatæ ſolidus, denſus, cryſtallinam formam exhibens, ponderoſus, in fundo vitri parum pulveris levis, gryſei coloris remanſit.

§. XXXV.

Quando arſenici albi cryſtalliſati dimidia uncia cum uncia integra mercurii ſublimati mixtura combinatur, & ſublimatio inſtituitur, itidem aſcendunt invicem, conſtituunt ſolidum, album, ponderoſum ſublimatum, cujus margines ambit magis pulverulenta ſubſtantia, media autem regio, ut in præcedenti proceſſu, ſolidam ſiſtit maſſam. In hac etiam ſublimatione reſtitit in fundo pulvis paucus gryſeus.

§. XXXVI.

Si denique arſenici albi cryſtalliſati uncia dimidia cum ſesquiuncia mercurii corroſivi ſublimati albi lege artis ſublimatur, idem productum album, ſolidum affertur.

§. XXXVII.

Tria hæc experimenta ſatis ſuperque probant poſſibilitatem adulterationis mercurii corroſivi cum arſenico; tria producta ſolidam conſtituunt maſſam album, & cryſtallinam, pellucidam habent faciem, ſic, ut ſolo aſpectu a ſublimato mercurio vero non poſſint diſtingui. Excell. Dn. *Præſes*, cui monſtravi, teſtem hujus veritatis fide digniſſimum ſemper aget, & inſuper etiam experimenta a Clar. *Pott* inſtituta certitudinem meorum confirmant. Corruit ergo ſententia eorum, qui hactenus contrarium crediderant, ſeducti experimentis, quibus, & oleum arſenici, & antimonii butyrum conficitur, concludentes inde, ſalis acidum ab arſenicali ſubſtantia, tanquam magnete amabiliori elici e conſortio mercuriali, & conſtituere butyrum. Aſt, ſi rite perpendimus omnes experimenti utriusque conditiones, & rationes, facile intellectu erit, ex utroque parum concludi poſſe; in præparatione arſenici olei ſpiritus ſalis in dupla portione arſenico pulveriſato additur, & de hoc etiam accedente coctione parum ſolvit. (*v*) Id autem, quod deſtillando

(*v*) *Clar. Pott. cit. tract. de ſali communi pag.* 75. „Arſenici relationes luſtra-„turi

do alembicum tranſcendit in forma liquida, eſt materia, magis mixta intimius, quam ſolutio radicalis; ſequitur inde, ſalis acidum non tam avide appetere arſenicum, ut mercuriale corpus ex hac ratione tam facile dimittat; ſed ſi hoc etiam fit, uti videtur fieri in elaboratione antimonii cinnabaris atque butyri, intercedere debere adhuc tertium, ſc. ſulphureum corpus, cujus ope acidum ſalis, tanquam per amabiliorem hydrargyri magnetem expellitur, & poſtea cum ſubſtantia regulina antimonii conjunctum butyrum præbet, primum in ſublimatione aſcendens, quod deinde vehementiori igne cinnabaris ipſa ſequitur. Sine hac ergo encheireſi, qua phlogiſton additur majori copia, connubium ſalis acidi cum mercurio additione arſenici non ſolvi poſſet, ſed, ſi ſublimantur invicem, arſenicum ſic ſe miſceret, atque inſinuaretur mercurio ſublimato, ut unam conſtituerent maſſam, ægre diſcernendam a puro mercurio ſublimato, isque hinc maculam hanc arſenicalem retineret, & alia corpora, cum quibus miſcetur, itidem inficeret, atque conſpurcaret, & ſic præparata, quæ talis adulteratus mercurius ingreditur, ad medicum uſum damnoſa, atque periculoſa evaderent.

§. XXXVIII.

Demonſtrabo noxæ hujus extenſionem novo experimento: quando uncia dimidia mercurii ſublimati corroſivi, arſenico adulterati cum uncia dimidia mercurii vivi currentis puri in mortario lapideo teritur tam diu, ut omnes globuli mercuriales evaneſcant, pulvis fit gryſeus, ſimilis illi, quem videmus, dum genuinus ſublimatus mercurius cum vivo argento ad præparandum dulcem mercurium ſubigitur. Si maſſa hæc gryſea ſublimatur, aſcendit mercurius corroſivus, mere inſipidus, dulcis redditus, aſt adhucdum ob nimium additum vivum argentum, cujus globuli epiſtomio chartaceo ſeſe affigunt, parum lividus atque luridus, quem colorem reiterata ſublimatio demit; hic mercurius dulcis ſat ſolidus eſt, ſpicula offert pellucida, alba, denſa, ſed nimium ne credas colori, hic inprimis neceſſe eſt; latet enim anguis ſub herba, fucatus eſt arſenico, quod in ſuo ſinu intime fovet dulce venenum.

§. XXXIX.

Denique, ſi ejusdem mercurii ſublimati corroſivi albi arſenico contaminati uncia una cum dimidia uncia antimonii mineræ miſcetur optime, tunc ſublimatione prodit primo butyracea maſſa, quæ actu arſenicales & regulinas antimonii in ſalis acido ſolutas in ſe continet partes, e conſortio mercurii liberatas; aucto igne elevatur antimonii cinnabaris, quam pars

 ſul-

„turi advertimus ſubjectum hoc coquendo in ſpiritu ſalis lente reſolvi, pulvis levior „ſub coctione ſupernatat, interim pleraque pars ex ſoluto cryſtalliſando rurſus coit. rel.

ſulphurea inflammabilis antimonii cum deſerto ab acido ſalis mercurio juncta format; hæc cinnabaris ab adhærentibus quisquiliis probe purgata, novaque ſublimatione exaltata meo judicio eſt pura, & ab omni labe arſenicali libera, niſi in tanta adſit quantitate ſuperflua arſenicum, ut præſens copia ſalis acidi non ſufficiat, omni arſenico convertendo in butyrum, ſed intactam, nec ſubactam hujus relinquat portionem, quæ deinde omnino ab igne ſurſum pulſa ſublimatam inficiet cinnabarim; ſemper enim in novis, atque mutatis formis, chemica arte producendis, certæ atque determinatæ relationes, quoad quantitatem, qualitatem, & pondera corporum requiruntur; ſi enim vel in exceſſu, vel indefectu erratur, nunquam id productum deſideratum, & expectatum emerget; in hoc autem proceſſu mercurius ſublimatus cum dimidia parte arſenici maculatus adhibitus fuit, magna ergo ſupereſt ſuſpicio, ut inde nata cinnabaris etiam arſenici quid contineat; ſi autem ille corroſivus mercurius, qui ſaltim tertiam, vel quartam junctam habet arſenici partem, ſumitur, non dubito, quin inde orta cinnabaris eveniat pura, ſincera atque incorrupta, uſibusque medicis apta. Cum butyro e contra, quod in hac operatione provenit, aliter ſeſe habet res: id enim, & inde præparatum vitæ mercurium, & ex hoc confectum minerale bezoardicum, ob contentas veri arſenici particulas, non ſic, uti regulinæ antimonii, mutandas partes reddet ſuſpectum; niſi ſperes, in bezoardico minerali ipſam detonationis cum nitro vim fugare omne arſenicum, & expellere; ſin autem hoc fieret, forſan cum aqua ex hoc butyro præcipitata maſſa, & detonata cum nitro, iterumque in aquam projecta rubro colore detegeret arſenici immixti præſentiam, quod vero experimentum non inſtitui; nullus autem dubito, quin effectus reſpondeat conjecturæ?

§. XL.

Addo paucis modos, quibus mercurius ſublimatus verus a defraudato dignoſcitur: ſi in ſolutionem mercurii corroſivi albi genuini ſublimati, & arſenico inquinati duobus diſtinctis vitris contentam aqua deſtillata factam infunditur oleum tartari per deliquium, turbatur illico ſolutio, præcipitatur pulvis fuſco rubens, vel aurantius colore; quemadmodum etiam hoc accidere videmus, ab aqua calcis vivæ, quæ pauco ſublimato permixta phagadænicam chirurgorum aquam conſtituit: ita etiam, quando ſiccæ mercurii ſublimati & puri & arſenico mangoniſati glebæ paucæ olei tartari per deliquium guttæ inſtillantur, utrobique mox humectata nivea ſublimati ſuperficies ſaturate citrinam contrahit maculam, claro argumento: nihil prorſus experimentum probare, quo affirmant, ſolum genuinum ſublimatum mercurium ab hoc affuſo liquore ſalino talem induere maculam, alterum autem, id eſt, arſenicalem atro inde carbone notari, vel nigram concipere maculam, & obſcuriſſimam. Eidem ſolutioni mercurii

curii

curii ſublimati genuini & ſpurii aqua fontana factæ, ſi additur vitrioli ſpiritus, nulla obſervatur mutatio, limpida manet ſolutio; aqua fortis infuſa eundem præſtat effectum, nullimode turbatur enim ſolutio, clara, & pellucida permanens. Salia denique volatilia genuinum exhibent lapidem lydium, qui illico prodit contentum arſenicum; ſalis ammoniaci enim ſpiritus, & cum ſale tartari, & cum calce viva paratus, infuſusque ſolutioni mercurii ſublimati albi genuini lacteo & niveo colore hanc præcipitat; fucatam e contra nigro tingit colore, ex hac enim id, quod præceps datur, pullo aſpectu, atraque facie ſeſe ſiſtit. Exactam ergo exhibet diſtinctionem, notamque tradit perfectam, qua diſcernere licet adulteratum ſublimatum mercurium genuinum, & verum. Ultimo tandem corruptus arſenico ſublimatus mercurius corroſivus ignitis carbonibus inſperſus alliaceum offert odorem, cujus præſentia teſtatur ſemper arſenicum, licet huic experimento fidem dare non ſemper liceat, ſi quidem pauca eſt immixti arſenici quantitas. Habemus ſic methodum certam, atque veram, qua intelligimus, & diſcimus cognoſcere, ac dijudicare, an oblatus, & ad medicos uſus adhibendus ſublimatus mercurius albus corroſivus venalis tuto atque ſecure poſſit admitti, ut ſic omne avertatur damnum.

§. XLI.

His præmiſſis diſquiram nunc a priori, & poſteriori, quid talis mercurius albus ſublimatus genuinus in cancro efficiat, & quæ ab ejus uſu interno ſint ſperanda? Auctor methodi hujus medendi cancro quatuor grana in unciis ſpiritus vini quadraginta octo ſolvere, atque ſingulis diebus mane, & veſperi unciam unam hujus mixturæ aſſumere jubet, ſuperbibat æger ex præſcripto uncias ſex decocti calidi, ſingulisque bihoriis mane in lecto ad ſudorem componatur corpus ægri, tectum ſemper ſervandum in perſpiratione, capite, collo, auribus bene munitis; aliter tuſſis, diarrhœæ, capitis immanes dolores ſuperveniunt; externe cancro applicentur epithema præſcriptum, pannis laneis excipiendum, quater de die egelide, & linimentum ordinatum inungendum, poſt tres menſes his tam externis, quam internis continuo adhibitis *Clar.* de *Sanchez* perſanatum vidit naſi cancrum, qui jam ad oſſa penetraverat, & ad jugalia usque ſeſe extenderat.

§. XLII.

Conſtat e §. XXX. in affecta parte cancroſa ſummum adeſſe virus, indolis alcalicæ, rodens, devaſtans totam viciniam, ſerpens perpetuo, ſanas adjacentes partes inficiens, tandemque omnia deſtruens; innuunt hæc, cardinem totius curæ verſari circa remotionem partium, jamjam corruptarum, & defenſionem ſanarum, ne pariter infician-

ficiantur, ulceriſque denique conſolidationem. Sed hæc tria, ut obtineantur, in deplorabili ſtatu cancri ex omnibus viribus tentarunt medici, ſed ſumma veneni agilitas, miraque ſubtilitas, qua ſeſe inſinuabit ſanis partibus, hasque una corrumpebat, vix ac ne vix quidem admiſit effectum remediorum ſalutarem, ut potius præſertim in initio cancri, inprimis occulti adhucdum, a viris exercitatiſſimis in praxi, hunc crudelem morbum magis augere, exaſperare, quam minuere conſueta cancri antidota obſervatum fuerit. Hac experientia priſca jam monita ætas abhorruit ab omni medicatione, magis ratum habens, relinquere ſibi plane ſcirrhoſum tumorem, ad cancrum jamjam vergentem (*x*). Quid ferrum, & ignis efficiat? Prolixius propoſuit, & examinavit *Clar. Triller* (*y*), qui nonnullis triſtiſſimis exemplis motus, plane damnoſam declaravit exſtirpationem inveterati cancri, ferro factam chirurgico. Conſtat interim aliorum exemplis, inprimis exercitatiſſimi *Hildani*, *Clar. Heiſteri* &c. tumorem cancroſum recentem feliciter extirpatum fuiſſe ferro; ratio etiam præcipue ſuadet exſciſſionem, qua, ictu quaſi uno removetur malum, & alias inextirpabilis rivus exhauritur, atque fons damni indomabilis obturatur. Sed locus atque regio, ſedesque morbi non ſemper hanc admittunt medelam, &, ſi concedunt hanc, eventus non ſemper reſpondet voto, ſi altius, atque profundius jam egerit radices malum. Ex his colligitur facile, ferrum & ignem non ſemper, ſed ſaltim ſub certa conditione a loco, regione, ſede atque ætate morbi deſumta præſtare opem, nonnunquam etiam plane excludi, ſi ad locum affectum nullus datur aditus; in tali autem ſtatu a remediis, quæ applicationem admittunt, unica expectanda erit medela. In noſtro morbo talia inprimis utilia atque proficua eſſe, quæ omni vi putredini non ſolum, ſed etiam ſummæ acrimoniæ alcalicæ reſiſtunt, atque tam ſolidas, quam fluidas noſtri corporis partes ſic diſponunt, ne facile a materia morbifica, hic præcipue lethifera, inficiantur, & quæ inſuper ſingulari dote, & quaſi ſpecifica gaudent, qua immediate in partem morboſam agunt, ſatis ſuperque elucet, deinde apparet, in- & externa adhibenda eſſe remedia, ut ſic conjunctis viribus oppugnetur malum, & etiam injuriæ ab extus metuendæ arceantur ſolicite; quid enim, & quantum aër ad promovendam putrefactionem valeat, ſatis conſtat, hic ergo ſemper & diligenter avertendus eſt, defendendo topicis impoſitis mali fontem. Nimis prolixum foret, ſi enarrare vellem omnia, hunc in finem a medicis adhibita pharmaca in- & externa. His ergo miſſis perſcrutabor ſolam methodum propoſitam: Imo medicamentum e vini ſpiritu, atque mercurio ſublimato corro-

(*x*) *Hippocrates in libro aphoriſm. Sect. VI.* §. 38. „quibuscunque occulti cancri „ſunt, eos non curare melius eſt, ſi enim curantur, citius moriuntur, ſi vero non „curentur, multum tempus perdurant.

(*y*) *Dom. Wilh. Triller Diſſert. medica de nociva cancri inveterati extirpatione, novis exemplis demonſtrata, Wittebergæ*, 1752.

corroſivo, corporibus ægrorum ingerendum ad unciam unam pro doſi, bis de die, mane & veſperi, primariam meretur attentionem, cum in hoc reſidere videatur vis illa, quæ ut ad arcendam putredinem, ita & ad dirigendum motum, & actionem ad locum affectum deſideratur. Mercurius ſublimatus corroſivus albus genuinus, & vini ſpiritus conſtituunt hoc pharmacon, ab his ergo ingredientibus ſalutaris effectus præcipue derivandus erit.

§. XLIII.

Spiritus vini, conſentiente experientia quotidiana, miram poſſidet efficaciam, cuſtodiendi omnes animalium partes ab omni putredine, animalia integra, inſecta, per dimidia ſecula, & ultra perfecte conſervat, & ſic diſponit, ut nec aër, nec aliud quid effectum in hæc putredinoſum producere valeant, & ſi in parte quadam carnoſa aëri, vel calori expoſita jam quædam putredinis apparent ſigna, affuſo vini ſpiritu incipiens corruptio deletur, tale fruſtum carnis, quando vini ſpiritus diligenter, & ſemper novo addito ſpiritu reſtituitur, ab omni vindicatur putrilagine. Animalium partes, inprimis fluidæ, & inter has lympha primario, ſi putrere incipiunt, ſoliditatem ſuam amittunt, fluidiora redduntur, confluunt in liquamen fœtidum; retardat affuſus vini ſpiritus confeſtim hoc liquamen, coagulando, adunandoque denuo inter ſe partes jamjam reſolutas, quas deinde tuetur ab omni ulteriori putredine. Differt hic effectus ratione adhibiti ſpiritus; ſumme rectificatus id præſtat ocyus, quam ſimplex, nondum concentratus, poſterior ergo jure meritoque ad uſus internos præferendus eſt, cum prior plus juſto hauſtus nimium coagularet lymphaticum laticem; plus ergo damni, quam emolumenti adferret, & in ſano, & morboſo ſtatu. Simplex e contra vini ſpiritus multo adhucdum phlegmate dilutus inſpiſſat leviter humores hujus conditionis, & ſine notabili noxa; id certiſſimum eſt, & lex quaſi æterna: ubi vini ſpiritus, ibi nulla putredo, & in animalibus, & in vegetabilibus obſervatur; caſte interim hæc applicemus ad vivum corpus, & cum ſalis grano admittamus in medendi methodo neceſſe eſt; facile enim quis poſſet regerere, cur tot, tantisque dotibus antiſepticis imprægnatus vini ſpiritus, canceroſo infuſus ulceri non illico ſiſteret diri mali progreſſum, omnesque averteret mox horrendi morbi effectus putredinoſos. Reſpondeo: vini ſpiritum actu in diverſis vulneribus, atque ulceribus arcere omnem putredinem, miramque præſtare conſolidationem læſis partibus; ſed ubi jamjam ſunt emortuæ, atque corruptæ partes, quæ adhucdum principium recondunt agiliſſimum, chemice intelligendum, ſanam inficiens viciniam, vixque compeſcibile, alcalicæ indolis, non tam cito ſpiritum vini ſubigere hoc, & ejus effectus ſufflaminare poſſe illico; tanta enim hic adeſt acrimonia, tantusque ſummæ putredinis gradus,

ut

ut etiam aliis alias valde comprobatis remediis vix obſecundent, nec niſi ſenſim ſenſimque continuatæ applicationi, ſi ſpes felicis eventus ſupereſt, ſaltim cedant. Interim ex analogia conſtat, ſi unquam ullum remedium cancroſæ corruptioni putredinoſæ poſſit reſiſtere, id certo certius præſtare vini ſpiritum, miræ hujus enim virtuti antiſepticæ debemus artificium balſamandi cadavera integra, quæ per annorum fere millia reponuntur incorrupta. Concedam interim, vini ſpiritum in vivo corpore vi vitæ, atque vaſorum agitatum alium effectum edere, ac in mortuis partibus: aſt ſemper manebit antiſepticus, & cum ipſa humana natura, vel vis illa vitæ ſic adornet ſemper ſuos motus, ut arceatur, & avertatur omne id, quod vitæ ac ſanitati poſſit eſſe detrimento, promovebit hac ipſa ratione ſpiritus vini efficaciam, ut declinetur putredo. Denique ſcimus, ea medicamenta, quæ ſomnolentiam atque temulentiam excitant, mirum profuiſſe in cancro; exemplum de Atropæ uſu efficaci jam ſuperius allatum hoc probat, & alia etiam. Quem autem fugit ſimilis ſpiritus vini vis, qui nimia quantitate ingurgitatus pari modo hanc exerit, ſi ergo in hoc ſingulari effectu ſopiente, impreſſo nervoſo ſyſtemati ſpecifici quid contra cancrum reſidet, quis non videt, id in vini ſpiritu non ſolum deprehendi, ſed inſuper adhucdum tutius atque ſecurius, quam in plantis illis ſumme narcoticis, quæ ad inſaniam usque agunt, nervosque mirum in modum afficiunt, atque debilitant, cum e contra temulentia illa a vini ſpiritu inducta magis ſuperficiaria ſit, nec tam moleſtas poſt ſe trahat conſequentias. Semper autem intelligendus eſt modicus hujus ſpiritus vini uſus, abuſus enim perpetuo nocet in genere, & conſuetas potulentas alias res, & edules convertit in venenum. Alcohol lumina vaſorum ruptorum mox ſic contrahit, ut hac inducta ſtrictura præcaveatur lethalis nonnunquam hæmorrhagia, nervos, quos tangit, immediate privat quodammodo ſuo ſenſu. Concludamus ex his: quod, & quantum cancroſo ulceri infuſus valeat ad compeſcendos atque ſedandos dolores horrendos intolerabiles, atque ad avertendas hæmorrhagias, nec non contrahendo reſorbentia vaſa ad excludendum miaſma cancroſum; talis autem ſumme rectificatus ſpiritus ad uſum internum merito rejicitur, & loco ejus ſecundum ductum Clar. de *Sanchez* adhibetur phlegmate multo adhucdum dilutus vini ſpiritus, hic enim omnem præſcindet metum nimiæ coagulationis, ebullitionis humorum, atque irritationis nervorum noxiæ, diffundet ſe per omnia vaſorum genera, placide conſtringendo vaſa novum his addet robur, augebit horum functiones, promovebit ſe - & excretiones; purgabit ratione hac œconomiam totam animalem ab omni heterogeneo, accelerabit humorum progreſſivum, & inteſtinum motum, inducet ſic talem corporis ſtatum, qui non facile putredinem admittit, & ea, quæ hanc producere poſſent, ad peripheriam pellet. (z)

§. XLIV.

(z) *Clar. Boerhaave Chem. Element. T. II. pag.* 174. de ſpiritu vini agens, inquit;

§. XLIV.

Hæc vis vini ſpiritus non ſolum experientia probatur, ſed facile etiam poteſt deduci ex partibus ejus conſtitutivis; conſtant hæ oleo ſubtiliſſimo eſſentiali, ſummæ agilitatis & efficaciæ miræ, oleum interveniente acido finiſſimo, aſt perpauco cum aqua multa ſic exacte conjunctum eſt, ut unum conſtituant homogeneum liquidum, cujus vis tamen propria ab oleo pendet. Summa hæc partium, inprimis olei ſubtilitas, facit, ut corpori humano ingeſtus ſpiritus omnia vaſa capillaria ſubire facile absque omni impedimento, & effectus ubilibet præſtare queat ſuos, diluit aqua, roborat oleum, & una cum ſubtili acido putredini reſiſtunt. Si deinde alio accedente novo pharmaco figitur, atque determinatur actio hujus ſpiritus ad locum certum morboſum, & in præſenti caſu cancroſum, ibi præſtabit dictos effectus conſervatorios, antiſepticos, & cum ulcus cancroſum foveat alcalinum principium, coagulando ejus agilitatem infringet. Exemplum analogicum hujus veritatis habemus clarum in offa Helmontiana, ubi ſpiritus vini rectificatus ſalis ammoniaci ſpiritui affuſus hunc illico coagulat. Simplex ſpiritus id etiam efficiet, aſt non tam cito, & in minori gradu, nec tam evidenter, præſtabit interim aliquid, & retardabit quodammodo ex allegata ratione progreſſum mali ad interiora verſus. Interim ab hoc ſpiritu non expectanda erit ſalus unice; disquiram igitur, quid alterum ingrediens unitum valeat, & qua ratione id agat, atque felicem promoveat eventum?

§. XLV.

Mercurius ſublimatus corroſivus albus unciis quadraginta octo ſpiritus, ad quatuor ſaltim admixtus grana, ſecundum conſtituit ingrediens medicamenti. Objicient multi confeſtim: quid hoc ſibi velit, qualis ſit ſperanda medela a quantitate adeo parva mercurii ſublimati, qui in tanta copia vini ſpiritus ſolutus, atque diviſus vix exiſtentiæ ſuæ relinquat ulla veſtigia? Sed his reſpondetur: mercurium in partes infinite parvas eſſe diviſibilem, & minimam adhucdum partem eſſe mercurium, qui ſemper retineat ſuas virtutes, & ſal denique mercurio unitum itidem ſummæ eſſe diviſibilitatis; optima microſcopia in calcibus mercurii alcoholiſatis detexerunt globulos; intima ergo, & ad ſenſus externos apparens ſolutio plenaria hujus metalli nihil aliud eſt, quam diviſio in minimos globulos, qui dividenti exacte adhærent; fumi mercuriales, in quibus mercurius in

quit: „in corpore humano vivente odore, ſapore, halitu ſuo ſpiritus animales, na„turales, vitales, nervos, cerebrum mirifice excitat, grate afficit, movet; unde ani„mos, ſenſus, agilitatem auget, alitque; inde varios per gradus tandem temulen„tiam excitat, quam ocyſſime, ſed & quam celerrime evaneſcentem.

in forma inviſibili exhalat, ſi lamina frigida excipiuntur, confluunt in viſibiles iterum globulos, ſphærulasque perfectas exhibent mercuriales; in minima ergo mole mercurii vis ſuperſtes eſt, quæ ſemper ſuum præſtat effectum. Chemia multa ſuppeditat adhucdum exempla, quibus confirmatur, metalla in infinitum eſſe diviſibilia, ſic, ut diviſione hac non obſtante retineant ſemper ſuam efficaciam. Unum auri granum in aqua regis ſolutum ſex ſpiritus vini libras metallico imbuit ſapore, & nonnullas aquæ menſuras flavo tingit colore. Cupri ſolutio in ſale volatili cærulea colorem hunc impertitur multis aquæ menſuris, in vegetabili regno flores ſuaveolentes totum conclave ſuis replent exhalationibus, ſine ullo ponderis ſui ſenſibiliter amiſſo grano; hæ tranſpirationes plantarum in hypocauſto verſantis nares afficiunt mirum in modum, & nervos, immanesque capitis excitant ſæpe dolores. Ex his videmus: non quantitatis pondus ſemper producere tantos effectus, ſed partium agilitatem, miram ſubtilitatem & concentrationem. Quod autem de mercurio hactenus dixi, pari jure applicari poteſt ſalis acido; hoc enim ſimili modo ex partibus valde concentratis in mercurio ſublimato, & ſumme diviſibilibus, ac penetrantibus conſtat; deſtillationes hujus acidi comprobant id perfecte; dum enim ſub forma vaporis alembicum tranſcendit, vix vaſis coërceri poteſt, optime luta incaſſum adhibentur, viam ſibi aperit per hæc, fugamque capit in auras, parva quantitas hujus vaporis improvide inſpirando hauſta unumquemque convincet, quid, & quantum valeat minima pars acidi ſatis concentrati; his exemplis & experimentis de utroque ingrediente mercurii ſublimati, extra omnem dubitationis aleam poſitis, mercurii ſublimati effectum in cancro compoſitum examinabo.

§. X L V I.

Mercurius vim ſuam, atque efficaciam in glanduloſum exerit ſyſtema, probant id externæ inunctionis efficacia, quin & admiſſi ad oris interiora cinnabaris accenſæ vapores, & deglutitio mercurii cum ſalibus remixti; crudus enim ægre id præſtat, etiam interne ſumtus; ſed requiruntur ſalia, illi admixta, & inprimis ſalis marini acidum, ut citius hunc effectum exhibeat; ptyaliſmum tunc excitat ſummum, ſi ejus præparata dulcia, ſaltim ad grana aliquot, bis de die, propinantur per tempus aliquod; additione enim ſalium dividuntur mercuriales globuli in minores, ut citius atque promtius orificia vaſorum reſorbentium in tubo inteſtinali affatim ſparſorum ſubire queant, cum e contra crudus mercurius ob ſummam ſuam gravitatem interiora verſus magis premat, & denique cum alvinis fæcibus egeratur; neque putem, theoriæ huic dividenti cinnabaris exemplum obloqui, cum ſciamus, eam e ſolo ſulphure conflatam & mercurio, larga etiam doſi datam, in ſubſtantia rariſſime tamen, vel nunquam movere ſalivam, prout eſt in illo ſuo ſtatu concreto, nullo

mutata

mutata igne, quo in vapores reſoluta, plenoque hauſta ore, mox ſalivam copioſam provocat, deſtructa ſcilicet cinnabari, & minutiſſimas in ſphærulas diviſo ejus mercurio. Etenim, ſi proportionem inſignem hydrargyri cogites in cinnabari ad ſulphur, recte procul dubio ſuſpicaberis, nec forſan ſulphuris acidum adeo profunde diviſiſſe mercurium, ut eſt diviſus in præparatis cum acido ſalis marini, nec adeo prorſus innocentem eſſe ſulphuris in cinnabaris cum mercurio unionem, quin aliquid inde patiatur, ſuiſque viribus impediatur ſialogogis mercurius. Fundit tunc interne datus, atque liquat lymphaticum laticem, & tunc ex omni corporis regione ad ſalivales glandulas ducit, & per has e corpore educit. In ſubjectis ſanis atque robuſtis, quibus inſunt bonæ indolis ſucci, tardius efficaciam exerit ſuam, ubi e contra cacochymicæ, atque ſcorbuticæ conditiones fluidorum prædominantur, ad dimidium ſaltim porrectus granum mercurius dulcis cito citius agit; in genere, ubi nimis rigida, vel ſpaſmo conſtricta ſunt vaſa, ut nimium reſiſtant preſſioni globulorum mercurialium, qui ſuo pondere inprimis agunt, & quando vim vaſorum reſiſtentem ſuperare non valent, horumque ordines ſubtiliſſimos ſubire non poſſunt, ſuam efficaciam ſalivantem nunquam exhibebit mercurius; ſi e contra laxa præſto ſunt vaſa, uti hæc ſcorbuticis, & cachecticis ſunt communia, & propria, mercurius ſe ubique inſinuando mox deſideratum producet ptyaliſmum. Omnis enim effectus, quem mercurius in humano corpore edit, fluit ab ejus gravitate, diviſibilitate ſumma, & motu ab hac pendente celerrimo; receptus enim vaſis reſorbentibus, a vi vaſorum projectus, & pondere proprio protruſus, atque acceleratus ubique ſeſe inſinuat, & vaſa capillaria ob ſummam diviſibilitatem permeat, maxima velocitate, atterit ſuo pondere, vel dividit inſtar cunei ſanguineos globulos, ſolvit nexum eorum, & fluidiora reddit omnia, promovet ex hac lege omnis generis ſecretiones, lymphamque fundit, & ſic omnes impuritates, præcipue autem eas, quæ in ſyſtemate glanduloſo, atque lymphaticorum vaſorum compage ſtabulantur, efficaciter tollit. In Syphilitico malo contagioſum virus educit, & glandularum indurationes removet; dum ſuum edit effectum ſalivantem, excitat in iſthmo faucium, collo, ore, atque in confiniis tumores, ob nimiam diſtenſionem vaſculorum a perpetuo largiori affluxu materiæ inductam, e quibus tandem, luminibus ſemper magis magisque ampliatis, atque relaxatis vaſculis, tenaxque conſtanter effluit liquor, & dum a potiori latex hic lymphaticus quandam in ſe recondit acrimoniam, eroſiones, atque inflammationes, & omnia, quæ has comitantur, inducit ſymptomata, dolores adjacentium partium, capitis inquietudines, ſitim, inſomnes noctes, febrem, & quæ ſunt rel. Ab hoc effectu mercurii in humanum corpus apparet evidenter, quod ille in ſtatu cancri perfecto atque completo tantum poſſit nocere, quantum valet in initio hujus morbi, ſi nempe ad ptyaliſmum usque continuetur. Scimus exaſperari cancrum nimis motum

tum; id autem actu fit, ſi ſalivatione lenire hunc volumus, mercurius fundet magis id, quod quietum hæret in ſcirrhoſo tumore, & ſic eo ipſo promovebit degenerationem blandæ adhucdum materiæ in putridum ſtatum; practici ex hac ratione jure meritoque repudiant uſum mercurii in cancro tam diu protractum, ut cieat ſalivationem. Aliter ſe res habet, ſi in principio tumoris ſcirrhoſi, nondum plane confirmati, nec adhucdum in lapideam duritiem indurati in uſum trahitur, vel externe, vel interne ad ſalivationem uſque; tunc enim multa habemus exempla, quibus edocemur, feliciter talem tumorem nondum inveteratum extirpatum fuiſſe (*a*).

§. XLVII.

Quæ hactenus dixi, ſaltim de uſu mercurii ad ptyaliſmum uſque intelligenda eſſe, unuſquiſque videbit. Aliter autem ſe habet mercurius ſublimatus corroſivus albus, qui per ſe datus ſummum exiſtit venenum, & hac ratione alium etiam in corpore humano edit effectum, ſemper tamen ob mercurium in glanduloſum ſyſtema directum, ad vehementiorem, & magis rodentem, quam reliqua mercurialia præparata; ruber ſic dictus præcipitatus, turpethum minerale, arcanum corallinum, nimia copia ſi aſſumuntur, deleteriam ſuam efficaciam certo certius exhibent, interim, ſi ad aliquot grana provide ingeruntur, reiteratis etiam vicibus non ſolum non nocent, ſed & mira efficacia rebellibus alias medentur morbis. In ipſa peſte Vigo virtutem rubri præcipitati deprædicavit (*b*). Effectus, quem præter ſalivationem edunt mercurialia præparata, pendet a ſalibus adhærentibus; quo ſubtiliora hæc ſunt, eo fortior erit vis, unde ſublimatus mercurius corroſivus, qui ſalis acidum concentratiſſimum, & ſubtiliſſimum junctum habet, præ reliquis mercurialibus præparatis perniciem inducit ſummam, ſi per ſe datur. E conſilio veterum chemicorum optima methodus, mercurialia præparata corrigendi, atque tutiora reddendi conſiſtit in illa encheireſi, qua bis, vel ter vini ſpiritum ſuper his præparatis deflagrant, hoc enim acidum adhærens mitigatur; conſtat enim ex chemicis, fortiſſimos ſpiritus minerales, concentratiſſimos, ſuis ſaltim exhalationibus ſuffocantes, addito vini ſpiritu, ſic infringi atque caſtrari, ut poſtea tutiſſima, atque præſtantiſſima exhibeant interna pharmaca. Venenum ſublimatum mercuriale album e ſalis acido concentratiſſimo, quod præcipue pernicialem cauſſatur effectum,

(*a*) *Clar. van Swieten Commentaria in Boerhaavii Aphoriſmos de cognoſcendis atque curandis morbis*, *T. I. pag.* 865. „& in ſcirrhis reſolvendis ſæpe argenti vivi uſus „profuit tam internus, quam externus, ſed tantum in ſcirrho benigno incipiente, ubi „enim in lapideam duritiem converſus eſt, & malignus fieri incipit, nullum omnino „a fortiſſimis etiam mercurialibus præparatis, neque ab ipſa ſalivatione argento vivo „excitata levamen expectari poteſt; quin potius exacerbantur omnia, & aucto humorum motu per hoc remedium ſcirrhus citius in cancrum mutatur.

(*b*) Vid. *Joh. de Vigo Wund-Artzney oder kleine practica 5tes Buches*, *pag.* 176.

ctum, & mercurialibus globulis ſubtiliſſimis conſtans, pari ratione per ſolutionem in vini ſpiritu mitigatur, oleoſa pars ſpiritus obvolvit ſpicula ſalina, & impedit, ut non tam rodere, quam potius blande, placideque roborando vaſa agere queat; cum autem, uti ſæpius jam monui, omnia ſint ſubtiliſſima, ſic etiam ultima & minima vaſorum genera pervagantur, atque ſuam efficaciam quaquaverſum extendunt. Mercurius dirigit motum ad glandulas, & lymphatica vaſa, & cum cancer his inhæreat a potiori, attingit hunc etiam, ſolvit ſtagnans, ad putredinem inclinans, reſerat obſtructa, fundit viſcidum in vicinia ob motus defectum, impertitur omnibus liberum circulum. Salis acidum, quod ſemper ſocium habet mercurius, immutat acrimoniam ſpecificam alcalinam, cancroſi ulceris ſobolem, & effectum, & impedit ejus progreſſum in ſana loca proxima, mutat ejus indolem rodentem cauſticam in materiam blandam; fortiſſimum enim acidum cum ſale ſumme cauſtico alcalino mixtum migrat in tertium quoddam cum hoc, & ambo ex nocentiſſimis fiunt mitiſſima, & ad internum uſum aptiſſima. Habemus plura exempla, miræ efficaciæ ſalis ſpiritus diluti contra cancrum (*c*); ex eadem ratione putredini ex natura omnium ſalium acidorum fortiter reſiſtit, & inſuper vim vitæ, ſtringendo ſolida, auget; a ſalis enim ſpiritu hoc acidum ſiccum non aliter abludit, quam quod ſecum vehat, & intermixtos habeat mercuriales globulos, puriſſimum eſt, ut ſæpe ſæpius repetii, & facili negotio in fluida forma ab omni heterogeneo liberum ſiſti poteſt. Si butyrum antimonii, quod in confectione cinnabaris ex antimonio & mercurio ſublimato primum prodit, aquæ infunditur, pulvis albus præcipitatur, aqua ſupernatans decantata, eſt acidula parum, & ſi deſtillationi ſubjicitur, inſipida tranſcendit alembicum, igne leni centum tantum graduum, aucto igne aſcendit phlegma acidulum, remoto igne, id quod remanſit in vitro, jam magis eſt acidum, & ſi denuo ex retorta deſtillatur, exhibet limpidiſſimum, aciditſimum, pinguem, fumantem parum, ſalis culinaris ſpiritum; fluit ex his: acidum ſiccum effectum parum differentem ab illo ſpiritus ſalis edere; poſſet quis objicere: in ipſo ſale culinari latere hoc acidum, interim ſal culinare tuto atque ſecure introſumi, ergo hoc acidum non ſeparatum, nec ſibi ipſi relictum, ſed aliis immixtum nullum ſpecificum effectum præſtare. Sed reſpondetur: aliter ſe habere tales acidos ſpiritus, ubi cum ſalibus miſcentur, aliter ſi metallis ſociantur; in priori caſu plane obtunduntur, in poſteriori autem eorum vis rodens manet, quam blandiſſimis etiam me-

(*c*) *Exc. van Swieten Commentaria in Boerhaavii Aphoriſmos de cognoſcendis & curandis morbis*, *T. I. pag.* 901. „Spiritus ſalis marini, cum adeo efficaciter omni „putredini reſiſtat, ſummi pariter uſus erit, modo tanta copia aquæ diluatur, ut „oculo inſtillatum hoc liquidum vix dolorem faciat, cancrum exulceratum mammæ „in paupercula muliere, cæteroquin ſanisſima per quindecim menſes potui hujus re„medii uſu ſic ſuſtinere, ut vix in deterius vergeret. iei.

metallis communicant, & his uniti ſummum corroſivum edunt effectum, revera parum diſtinctum ab illo, quem efficiunt per ſe dati. Acidum ergo ſalis forma ſicca mercurio junctum, & vini ſpiritu mitigatum non multum differt a ſalis ſpiritu, vini ſpiritu dulcificato, quis autem neſcit, hoc ſpiritu miros in arcenda putredine produci effectus (*d*). Tandem vini ſpiritus temperat, mitigat, & determinat effectum utriuſque, impedit ex parte blande coagulando, ne nimium fundat mercurius humores, & avertatur ipſa ſalivatio, ex parte autem noxium, atque roſivum, uti jam monui, acidum ſalis oleoſo ſuo principio obtundit, & ejus effectum lenit. Sic unum alterum corrigit, & mutuum limitat effectum, atque unitis ſic viribus in ægri ſalutem agunt, diluendo, deobſtruendo, roborando, expellendo, putredini reſiſtendo, & ſic non ſolum ad cancroſum ulcus cum humoribus delata id corrigunt, purificant, acrimoniam invertunt, immutant & abſtergunt, ſed inſuper ulteriorem progreſſum hujus diri mali cohibent, a vi vitæ ſuffulta morboſum tollunt, corruptum ſeparant, novam ſeminortuis & ſemianimis infundunt vitam, reſtituunt ſanitatem, quod non fieret, ſi ſingula ſigillatim atque ſeorſim darentur, compoſitio ergo neceſſaria fuit, e qua demum emergit pharmacon tutum atque efficax. Specificam vim compoſiti hujus remedii in glanduloſum ſyſtema comprobare videntur etiam tuſſes & diarrhœæ, ex negligentia atque incuria in regimine obortæ; ſi enim non perfecte ſemper tectus jacet æger, & perſpiratio ſufflaminatur, illico hæc ſentiuntur ſymptomata; humores nempe ab improvido refrigerio, dum totum corpus ſudore a pharmaco dato madet, e corporis ſuperficie conſtrictis a frigore vaſorum exhalantium oſtiis, retropelluntur, & cum mercurius inſimul agat, diriguntur naturæ motus non ſolum, ut ad alia emunctoria, ſic inprimis ad illas glandulas, quarum emiſſaria in cavum quoddam corporis hiant; cum autem in larynge, pharynge, aſpera arteria, bronchiis, pulmonibus, atque ſubjacente œſophago ingens glandularum adſit numerus, hæ facile a juſto copioſiori affluxu extenduntur, irritantur nervei ramuli a pulmonali plexu, & recurrente nervo oriundi, excitatur tunc facile tuſſis, & ob inſignem affluxus ad caput impetum, ſub quo tamen nulla motis humoribus porta patet, ſed quæ pateret naturaliter, perverſo regimine clauditur, vaſorum infarctus tenſivos creant capitis dolores. Quem denique fugiunt Peyerianæ, & Brunnerianæ glandulæ, in toto inteſtinali tubo affatim ſparſæ, nec non ſumma vaſorum exhalantium copia, quorum emanante rore interna ſuperficies hujus canalis perpetuo madet? Quis neſcit, a largiori ſecretione, tam

(*d*) *Clar. Boerhaave Elementa chem. T. II. pag.* 357. de uſu ſalis ſpiritus: „hic „ſpiritus habet proprietates acido communes, & ſingulares; ſingularis eſt ſtomacho „grata, appetitum ciens, mucoſa attenuans, digeſtionem promovens, putredini „adverſa, bili corrigendæ, ubi acri copia putrido peccat, apta. Gangrænæ gingivarum, oris, linguæ, extirpandæ pulchre prodeſt: ſed verbo dixerim, omnes ſuperat laudes liquidum hoc ſalis marini acidum.

tam in glandulis, quam in vaſis exhalantibus inteſtinorum, & ſic a nimia excretione, ac infuſione materiæ in hoc cavum obortam fuiſſe diarrhœam? Quid mirum, talem etiam naſci, ſi in propoſita medendi methodo ex regiminis errore ad has internas partes a peripheria copioſius ducuntur eo excernenda fluida? In ipſa ſalivatione, ſi non rite procedit, reliquæ ſecretiones ſunt largiores, ſi autem perfecte hæc ſuccedat, imminuuntur reliquæ evacuationes (*e*). Intelligimus ex his facile, quomodo perſpiratione a dato medicamento inducta, aſt imprudenter ſuppreſſa, & tuſſis, & capitis dolor, & diarrhœa poſſint induci?

§. XLVIII.

Poſt conſideratum agendi modum laudati medicamenti a priori, ſupereſt, ut paucis adhucdum videam, quid, & quantum proſit potus calidus ſuperbibendus? Practici in omni humorum impuritate, inprimis in lymphæ vitiis decoctis talibus calidis ſummam attribuerunt laudem; ſelegerunt inter alia radices *ſalſaparillæ*, & lignum *ſaſſafras*, quibus ſingularem ineſſe credebant virtutem, ad corrigendos vitioſos lymphaticos liquores; perplures hic allegare poſſem autores, qui veritatem dicti probarent, aſt ſtudio his ſuperſedeo; ſufficit, me dixiſſe, potum talem calidum diluere, temperare, expellere, corrigere, ſe & excretiones promovere, & ſic reliquis medicamentis offerendis, & oblatis ad melius agendum ſternere viam; talia enim decocta ſubeunt minima vaſa capillaria, &, cum ſecum vehant extractas, & ſolutas e materiis adhibitis vegetabilibus ſalino-oleoſas ſaponaceæ indolis, ſubtiliores partes, his armis inſtructa eo melius & fortius agunt; ex hac ratione differt etiam effectus ratione qualitatis, & quantitatis ſubjecti decoquendi; alia enim majorem, alia minorem poſſident hujus, vel illius partis, vel oleoſæ, vel ſalinæ, vel mucilaginoſæ copiam, in aliis mixtio partium a natura ſic ordinata eſt, ut menſtruo ſpirituoſo meliorem concedant introitum, quam aquoſo, & vice verſa. In præſenti decocto *ſaſſaparillæ*, & *althea* radice, nec non *ſaſſafras* ligno utimur; mixtio phyſica radicis *ſalſaparillæ* teſte chemica analyſi conſtat e multis partibus terreſtribus, non ſolubilibus, e mucilaginoſis paucioribus, reſpectu terreſtrium, ſolubilibus, & perpaucis reſinoſis; quando unciæ duæ hujus radicis in aqua excoquuntur, evaporatione inſpiſſata, antea autem colata, dat ſex drachmas extracti aquoſi, e reſiduo poſt decoctionem cum vini ſpiritu extrahitur ſaltim dimidius ſcrupulus reſinoſi extracti; id autem, quod adhucdum remanet, pendet novem drachmas, & ſcrupulos duos:

(*e*) *Aſtruc de morbis venereis*, *l.* 2. *cap.* 8. *pag.* 149. „ aliquando tamen, ſed raro „ nullam, vel perexiguam ſalivationem cieri, & oris interiora nullo modo, vel parum affici, quamvis cæteroquin mercurius & debita doſi, & modo debito, adhibeatur, ſed tunc plerumque paulo largiores eſſe, vel ceteras omnes excretiones, „ vel ſaltim unam alteramve, quæ idcirco ſunt velut vicariæ deficientis ſalivationis.

duos: ſi loco aquæ primo vini ſpiritus raſuræ hujus radicis affunditur, ſolvit ob intimum nexum reſinoſarum partium cum gummoſis notabilem harum copiam, ſed hac methodo poſtrema remanent drachmæ decem reſidui inertis, quando poſt extractionem cum vini ſpiritu ope aquæ mucilaginoſum extractum eductum fuit, claro indicio, partes terreſtres inutiles prædominari, agiles autem in mucilaginoſo, & reſinoſo principio hoſpitari. *Althea* radix e principiis, vel partibus conſtitutivis mere mucilaginoſis conſtat, ſic, ut coctione in aqua purum putum exhibeat gelatinoſum, & mucilaginoſum ſuccum, lignum *ſaſſafras* denique ultimum decocti ingrediens communicat aquæ, ſi ejus uncia una cum hac coquitur, duas drachmas extracti gummoſi. Intelligimus ex his, quibus proprie noſtrum decoctum ſcateat partibus, & quales poſſideat medicatas vires? Præter aquam, quæ optimum eſt diluens remedium, mucilaginoſæ partes leniunt, lubricant, dolores ſedant, gummoſæ, reſinoſæ particulæ, quæ principio ſalino ſubtili intermedio exacte cohærent, & ſaponem quendam conſtituunt, roborant, ſtimulum addunt, abſtergunt; in methodo propoſita decoctum ergo hoc mirum prodeſt, & juvat actionem ſalutarem reliquorum remediorum.

§. XLIX.

Ultimo adhucdum remedia externa conſideranda veniunt. Sunt illa *fotus* & *linimentum*, quæ partim ad purgandum, & conſolidandum cancroſum ulcus, partim ad arcendum aeris ſemper hic noxii afflatum imponuntur. Experientia docuit quidem, topica talia ad domandum rebelle virus cancroſum non ſuffeciſſe, ſi ſola per aliquot etiam tempus applicata fuerunt, quin potius magis augeri ferocitatem ulceris, ſi inprimis acria quædam ad tales compoſitiones adhibentur; quando autem huic malo pertinaci etiam interna, & quidem efficacia, atque ſpecifica opponuntur pharmaca, quæ in fontem mali agunt, & notabilem in eo producunt immutationem, atque inverſionem agiliſſimæ putridæ maſſæ, tunc etiam topica immediate applicata, atque internis remediis adjuta certiorem, atque feliciorem ſpondent eventum; conjunctis tunc viribus reſiſtunt morbo, & ejus efficaciam infringunt. Inter hæc topica primariam attentionem merentur illa, quæ alcalini principii cauſticam rodendi facultatem tollunt, carnem putrem ſeparant, & quæ impediunt, quo minus ulcus nimium ſerpat. *Acetum*, blandiſſimum vegetabile acidum, mirum conducit: ex hac etiam ratione optimi practici ſemper ſuis remediis cancro externe imponendis immiſcuerunt acetum (*f*), non tam vehementer agit hoc acidum vegetabile, quam minerale, ut etiam tuto intro ſumi poſſit, & ſufficit tamen ad invertendum, & immutandum alcali, teſte tartari arcano; nititur virtute hac egregia antiſeptica aceti methodus con-

(*f*) *Platner inſtitut. chir. rationalis pag.* 164. Tr. de cancro & ſcirrho: „idonea eſt compoſitio, quæ habet acetum, quod argenti ſpumam excepit, & oleum „roſarum, quale vulgo linimentum nutritum appellant.

conficiendi ex herbis ſic dictis vulnerariis cum aceto officinales aquas vulnerarias, quorum uſum internum, & externum in omnis generis vulneribus, ulceribus cacoëthicis, gangrænoſis, & ad ipſum declinandum ſphacelum mirum attollunt; in ipſa peſte acetum virus contagioſum agiliſſimum enervat, putredini ergo ſemper, & efficaciter reſiſtet etiam in cancroſo ulcere. Vaſa enim ſtringit, hæmorrhagias impedit, alcaleſcentem tabum obtundit, & ſic ex ſua parte opem atque auxilium fert eximium, reliquis & internis & externis adhibitis remediis. *Plumbacea* tandem virtutem ſuam exſiccantem comprobaverunt diu, imbibunt ſaniem, atque ichorem corruptum, exſiccant ulcus, novæ bonæ carnis incrementum augent, ſemper ergo inter primaria epulotica habita, & in omnibus ulceribus malignis tanquam optima mundificantia applicata fuerunt. Cancro exulcerato impoſuerunt, tanquam ſpecifica, & laminam ex plumbo confectam in cancro nondum rupto, hac ſemper tecto, deprædicarunt, ut optimum defendens ab aëris afflatu damnoſo. Sempervivi majoris ſucco vim refrigerantem, & adſtringentem tribuunt medici; non ſine ratione ergo hic etiam ſuccus noſtrum ingreditur unguentum, conſtringendo placide dilatata, & ex parte rupta, atque eroſa oſcula, novum is etiam creabit tonum, ad promovendam ſanationem neceſſarium, & refrigerando moleſtum atque doloroſum inflammationis ſenſum levabit, qualem etiam effectum temperantem *roſarum* atque *ſambuci* aqua præſtant. *Sal ammoniacum*, & *vitriolum de cypro* ad auferendam luxuriantem, & mortuam jam carnem addita eſſe per ſe patet; cum autem omnia acria tam infenſa ſint alias cancro, putaremus, hæc non optimo conſilio adjecta eſſe, ſed ſcimus generaliter, omnia externa parum levaminis adferre, niſi etiam per interna efficacia occurratur malo remedia; nocerent forſan, ſi non aliis jam morbi vehementia eſſet infracta: hoc autem facto abſque omni damno, & noxa tollunt carnem mortuam, conjunctis enim & congregatis viribus agunt omnia, & niſi hæc combinatio facta fuiſſet, fruſtra expectaremus bonum eventum; pro topicis in præſenti noſtro caſu optima ergo ſelecta fuiſſe, quæ auxiliantibus reliquis internis felicem ſpondent effectum, ex dictis patet.

§. L.

Pertractaſſem atque expoſuiſſem nunc omnia, quæ ad enodandam & probandam a priori methodum ſpecialiorem, & ſingularem medendi cancro neceſſaria fuerunt? Feci id pro modulo virium mearum; ultra poſſe nemo obligatur, nec obligari poteſt; experientia ordine præcedit in medicina, ratio ſequitur; priorem non ſolum a Clar. de *Sanchez* habemus plenam in communicata methodo, qua feliciter cancrum jam profunde ſerpentem, & quaquaverſum ſe extendentem exacte curatum vidimus; ſed etiam præter illum Exc. *Van Swietem* tanquam infallibile remedium

contra atrocem, rebellem, atque dirum inimicum noſtræ ſanitatis & vitæ, quem cancer, ſi adeſt, perpetuo agit, commendavit mercurii ſublimati uſum: dimidium hujus granum in frumenti ſpiritus uncia una ſolutum mane & veſperi ad duo cochlearia ſumtum, non ſolum luem veneream, ſed ipſum cancrum profligaſſe teſtatur (*g*). Ratio denique conſentit, & a priori ſummam habemus probabilitatem, quod hactenus perpenſa remedia egregium talem effectum ſalutarem ex ſua indole, atque natura edere poſſint. Quid dubitemus? Alacres occaſione oblata imitemur & methodum hanc, ut experientiam tantorum virorum fide digniſſimorum noſtra ipſa comprobemus. Sed omni cura, omni attentione, omni prudentia, atque exacta conſideratione circumſtantiarum omnium eadem tentemus, quam maxime neceſſe eſt. Vela nunc contraho, & colophonem dum addo pertractationi, utor dicto Quintiliani: *Si quid deſit operi, id ſupplet ætas, &, ſi quæ ſunt dicta juveniliter, pro indole accipiuntur!*

(*g*) Vid. *Joſ. Benevenuto medici Lucenſis diſſertatio hiſtorica epiſtolaris ad Clar. Jac. Barth. Beccarium, qua epidemicæ febres in Lucenſis dominii quibuſdam pagis deſcribuntur graſſantes, nec non mercurii atque corticis Peruviani uſus in earum uſu rationis examini ſubjiciuntur*, *Lucc.* 1754. *in* 4.

TANTUM.

J. PETRI

CCII.

J. PETRI BUCHNER,

DE

RACHITIDE PERFECTA

ET IMPERFECTA,

DISPUTATIO.

Argentor. 4 April. 1754.

Mm 2

Empiria Rachitidis.

§. I.

RAchitis, græcis Νόσος Ῥαχίτις, aut Νόσος τῆς Ῥαχέως, hinc latinis *morbus ſpinalis*, aut *ſpinæ dorſi*, Anglis *the Richets* dicta, eſt morbus, ſub quo articulares oſſium proceſſus intument, ipſaque oſſa incurvantur, & dorſi ſpina ex naturali ſitu ſuo diſtorquetur. Quamdiu oſſium proceſſus ſolum tument, ingredi vero ægro per morbi vim adhuc licet, *Rachitidem imperfectam*, *Galli Chartre*, & inde *Enfans en Chartre*, *Enfans noueux*, Noſtrates *verknupft ſeyn*, ſublata vero etiam ingrediendi facultate *Rachitidem perfectam*, germani *Engliſche Kranckheit*, in patria mea & alibi *Wechſeldag*, vocant.

Sed ut hiſtoriam pathologicam hujus morbi, ſeu quæ nihil quam quod omni individuo hac ægritudine decumbenti competit, complectatur, rite concinnemus, ad hiſtorias prius empiricas, quas nempe individuales determinationes ingrediuntur, deſcendendum putavi, propterea quod, quæ pluribus entibus communia ſunt, recenſere nequeamus, niſi ſingula ſpeciali contemplationi noſtræ ſubjecerimus. Hoc vero opus aggredienti una Parens quinque rachiticas proles, & ſex alias ab hoc morbo non multum deflectentes obtulit. Quarum ſingularum adeoque en

---

Hiſtorias Empiricas Rachitidis.

§. II.

1. PUella natu maxima ſupra annum tres menſes ætate attingens, primo abſque convulſionibus dentes gignere incepit, mox ab eo tempore nodos articuli exhibuerant, brachia & pedes curvabantur, ac tertio anno etiam gradi prohibita, in perfectum morbum ſpinalem incidit. Abdomen prætumidum, & pectus ad latera compreſſum, anterius elevatum geſtabat. Caput prægrande, caro pendula & laxa, diſpnœa continua. Sæpe per hebdomadem obſtructa alvo laborabat: deinde ingentibus cruciatibus, & nervorum diſtenſionibus (deinceps enim *nervorum diſtenſiones* cum veteribus, & ſpaſmos ſeu contracturas, & membrorum rigidas, ſeu Tetanoideas extenſiones, & convulſiones ſeu agitationes partium perinde dicemus, ac vulgus germano nomine, *Gichter*, omnes tres haſce affectiones deſignat (indurata & lapidea ſcybala, ea vi extrudebat, ut fiſſis,

 ſeu

ſeu rhagadibus diſtinctis ani marginibus, ſatis copioſis rivis ſanguis profflueret. Cæterum plurimum comedebat addephaga; & a ſecunda pomeridiana uſque ad ſeptimam veſpertinam, ubi tres cum dimidio annos nata vivis exceſſit, convulſionibus & nervorum diſtenſionibus, cum clamore ingruentibus, divexata eſt. Quartam vero horæ partem ante obitum crepitans ſonitus ex ipſius corpore exaudiebatur, qui, cum moreretur, repetebatur.

§. III.

2. Quæ huic natalibus ſucceſſit puella, dimidium annum nata, ablactabatur; ſana nihilominus & vegeta erat, donec ſecundo demum anno, poſtquam & loqui & ire jam didiciſſet, dentes erumperent abſque convulſionibus quidem, ſed magno cum æſtu corporis, & delirantis animæ ludibriis, cum modo equorum, modo aliarum rerum phantaſmatibus territa tremiſceret. Ita dentitio cum articulorum nodis ad quintum uſque annum ſucceſſerat, ſternum elevabatur, abdomen & caput intumeſcebant, nec pedes amplius ad præſtandum officium ſuum tam prompti vegetique erant. Mox vero dentes primo flavi, poſt nigri redditi, iterum exciderant. Septimo autem ætatis anno reparabantur. Eodem hoc anno antica tibiarum parte proxime infra genua candenti ferro admodum comburebatur. Atque ab eo tempore, etſi feliciter conſolidato ulcere, morbus tamen ſpinalis incrementum, nondum vero perfectum ſtatum ſeu ἀκμὴν acquiſivit: quem undecimo primum anno attigit. Hic enim ſimul & ſemel una nocte omnem gradiendi potentiam amiſit; poſtea longitudine ita corpus detruncabatur, ut integro pede brevius redderetur, & magno capite, ac inter elevatas ſcapulas, quaſi gomphoſi immiſſo, brachiis & pedibus curvatis, mirumque intortis, elevato ſterno & eminente abdomine, ex homine in monſtrum degeneraret. Tunc ne quidem ſedere valens, ex brachiis & dorſo, miſerandum ſpectaculum! ſuſpendenda erat. Et retro, niſi caput perpetuo muniretur, mox totum cadebat, quo nempe curvatura concava vertebrarum colli divertebatur. Præterea continuo quodam interno æſtu, aut lenta febricula comburebatur. Intellectu ſemper pollebat, & expleto decimo ſexto ætatis anno, veſpertino tempore, vita, ſub levibus nervorum diſtenſionibus, functa eſt.

Sed ecce, quænam alia adhuc memorabilia phænomena morbo acceſſerint! Extremo vitæ tempore hydrophobiæ quadam ſpecie per quatuor aut quinque hebdomades ita correpta fuit, ut, etiamſi ſiti detenta, bibere tamen ſemper prohiberetur, facta ſenſatione, quaſi quid ex vertice in os deſcenderet quantocyus, ac poculum labiis admotum eſſet. Sub hoc ſtatu octo ante obitum dies, pedibus & manibus præcipue ſiniſtris intumeſcere, ſiniſtro quoque oculo illachrymari cœpit, ac brevi poſt, potum quoque aſſumere; quo ſumpto, tumor etiam increvit. Tribus ante mortem diebus pedibus emori, ita ut nihil amplius ſentirent, & viſio obſcu-

curari incepit. Per totum vitæ decurſum frequentibus narium hæmorrhagiis ſubjecta erat, quæ primo ſenſationem vermis ex fronte in nares deſcendentis, & iterum recedentis, ſupremo autem tempore ſenſationem quaſi gladii ex infirmo abdomine ſurſum ea doloris poteſtate protruſi, ut in clamores miſera puella effunderetur, ſequebantur. Perpetuo duro fibulatorio thorax includendus, & cuſtodiendus erat; quo ſemel ablato in ſuffocationem & gravem hæmoptoen incidit. Iiſdem extremis temporibus femur ſupra genua leviſſima vi fractum diſſiliit.

Porro clinico non inutile erit, & ſequentia annotaſſe. Ab eſu qualiumcunque dulcium, ut ſaccharatorum, pomorum, pyrorum, paſſularum, tam male habuit, ut inde in horrores, æſtus, continuos vomitus, per tres aut quatuor dies ſævientes, inciderit. Eadem mala ſemel, a comeſto raphani fruſtulo, per octo dies perpeſſa eſt. Rheno navi deſcendens, peſſime habuit, dein a thermis Baadenſibus quoque. Etſi ergo rachitica hæc puella fuerit, admodum tamen ſenſibilem fuiſſe, neceſſe eſt. Adhuc addes, quod decimo quinto ætatis anno de dolore, intra articulationum eminentes nodos ferveſcente, majorem in modum conqueri inceperit. Demum tuſſi & dyſpnœa ſemper angebatur: eaque extremo vitæ die in orthopnœam aucta, ex brachiis continuo ſuſpendi voluit, una ore tetram mephitim exſpirans, a qua ſaniſſimus volucris, caveæ, quæ puellæ vertici pendens imminebat, incluſus, mox enecatus eſt.

§. IV.

3, Jam duæ gemellæ ſequuntur, utraque ſequioris ſexus, quæ etſi neque dentes, neque morbum ſpinalem attigerint, huc tamen pertinere deinceps intelliges. Una tres quartas partes anni, altera ultra annum vivendo explevit. Utraque perpulchra quidem erat, ſed magnum tamen caput, & genæ relaxatæ, licet jucunde rubentes; magnum quoque abdomen, admodum addephagæ, vere epilepticæ erant, ore ſpumantes, & digitis in pugnum collectis, admodum trementes convulſæque. Per diem ſæpe infeſtabat hic paroxyſmus, cum acuto clamore exorſus, & cum terroribus alternans. Miſerum viſu! ſubinde ſub paſtu convellebantur, poſt tamen æque ac antea admodum ingurgitabant, & vix dimidia a paſtu hora elapſa, redibant convulſiones. Extra domum delatis certa epilepſia inſtabat. Ano ſæpe obſtructæ erant, tuncque graviores convulſiones, dato tamen clyſtere mitigatæ. Pulvis epilepticus Marchionis ſæpe ad duos dies terrores & epilepſiam diſtulit. Sæpe pedibus, ſæpe toto corpore tumebant, ſæpe quoque tumor ſucceſſive ſolutus fuit, & mortuis uni dexter, alteri ſiniſter pes tumidus erat. Obibant autem convulſionibus & terroribus, per duos dies, continuo alternantibus. Non vero pulchritudinem faciei mors vicit, alias abunde miſeras hippocratica facie dedecorare nolens.

§. V.

§. V.

4. Quæ gemellas excepit puella, inter vivos adhuc agit. Hæc a dentitione, abſque convulſione ſuccedente, nodoſa facta eſt; ſed ſeptimo anno morbum ſpinalem adhuc imperfectum exuit. Semper adhuc puellæ corrupti dentes excidunt, ſed reparantur. Variolis diſcretis bis laborabat & tertio ætatis anno, & decimo quarto. Nimirum ſtatum ſecundæ ægræ ad ſeptimum uſque annum ſervavit.

§. V I.

5. Quæ ſuccedit, variolis confluentibus, ſero livido repletis, bis laboravit, ſeptimo nimirum ætatis menſe, & duodecimo anno, decimo autem quarto, cum ſuperiorem annum longa tempeſtas Auſtrina clauderet, veſperi fatis ceſſit.

Per duos ferme annos lactata bene habuit, increvitque, etſi a nervorum diſtenſionibus non plane libera. Poſtea dum dentes edere incepit, continuis convulſionibus ita infeſtata fuit, ut ſanguis e faucibus ſæpe evolveretur. Præterea meticuloſa erat. Geniti demum dentes huic tragœdiæ finem dederant, ſed nodoſa fieri & in imperfectum morbum ſpinalem præceps agi, denteſque denuo, flavi primo, dein nigri facti, excidere inceperant. Ita per quinque annos ſine dentibus vixit, donec undecimo anno novus ſuccederet, quem ad tumulum aſportavit. Ætatis $3\frac{1}{2}$ anno in platea currens, os femoris fregit, & cum a primo ætatis anno pedibus uti valuerit, ab eo tamen tempore, etſi conſolidatum femur ſectio anatomica mortuæ docuerit, gradiendi non ſolum facultate privata fuit, ſed miſerum corpuſculum in eam figuram, quam huic tractatui affixa tabula exhibet, degeneravit. Perfecte ergo ſpinoſa facta fuit. Porro ab eodem tempore bono appetitu, ac multo ſomno fruebatur. Diarrhœa ferme aſſidua per 14-20. dies durante, dein per incertum & vagum dierum numerum intermittente, non tamen in obſtructiones ullas terminata, tenebatur. Hæc autem ultimis ſex vitæ menſibus ſponte ceſſavit: & ultimis duobus obſtructio alvi ſucceſſit, bis ante mortem per octiduum durans. At vero diarrhœæ in locum diſtenſiones nervorum, & animi deliquia, quibus ingruentibus modo in præceps ſeſe agi lamentabatur, modo auxilium implorabat, ſubrogatæ, alterniſque diebus, antequam extremis temporibus in anomaliam abierint, exacerbatæ ſunt. Præterea lenta febricula acceſſit, & ultimis duobus vitæ menſibus per tres ſæpe dies urinam retinuit, ultima vero ſeptimana per omnes fere horæ quadrantes paucam, & ultimo die, quo ad veſperum inclinato, mortua eſt, guttis continuis ſtillantem miſit. Flaccida & inflata facies quatuor ſupra decem dies circiter ante, quam deceſſiſſet, collapſa eſt. Pede & brachio ſiniſtro primo in-

intumuit, dein ad dextras partes tumor tranſiit, & ita quoque per 14. dies ante mortem ſerum ex oculo dextro, ſeu lateris magis tumentis, exſtillavit. Tribus ultimis vitæ diebus de nebula, oculos obfuſcante, conqueſta eſt, & peſſimam mephytim ore exhalavit, atque extremo die, ob orthopnœam ſuſpenſa eſſe voluit. Quibus junge, quod dulcibus aſſumptis per tres dies peſſime habuerit, quin tamen vomitus accederent, ſed ut diſtenſiones tantum nervorum & animi deliquia intenderentur. Leniores demum nervorum diſtenſiones vitæ impoſuerant finem.

Sectio Anatomica,

CUi mortuam ſubjeci, hæc docuit. Externa corporis facies talis erat, qualem & figura exhibet, & hiſtoria ſecunda jam contemplati ſumus. A morte corpus non obriguit, ſed extremo gradu flaccidum erat, ſponte propendentibus membris, quo gravitas, aut ſecantis voluntas traheret. Neque obfriguit, ſed diu a morte caloris quendam gradum retinuit, ſanguis ſummopere tenuis, reſolutus, & rutilus erat. Cutis non modo flaccida, & extendenti obedientiſſima, ſed juſto quoque denſior erat. Flaccida, & in ſpatium juſto majus propendens vulva. Celluloſa omnis, tam cuti ſubſtrata, quam omentorum & meſenterii plane evacuata fuit. Nec ſive in hac, ſive in vaſis reperire fuit, quod dextrum maxime latus in tumorem levaſſet: hinc emphyſematicum, aut aëreum, fuiſſe dubitare non potui. Flaccidi ac cum ſuis tendinibus relaxati muſculi, a naturali ſua rubedine abhorrentes, album admixtum habebant. Supra modum molles, & ſciſſu faciles cartilagines erant. Ipſa vero oſſa cartilagineam naturam, & mollitie, & facie ipſa æmulata ſunt. Cultro anatomico abſque vi totum os femoris diſcidi. Articuli a naturali ſua conſtitutione, uti totum corpus, degeneraverant. Ita contracta ac collapſa pelvis oſſa erant, ut digitum ano immiſſum vix admitterent, atque ut inde tota veſica in abdomen expulſa peregrinaret. Cavum oſſium fiſtuloſorum ex binis oppoſitis lateribus admodum compreſſum erat; ut cavitas cylindrica in planam, & parallelogrammiformem mutata eſſet; rubellum tamen ſerum continebat, reſolutum, & neutiquam pinguedinoſum, quod preſſis lateribus plorabat. Spongioſa nullas cellulas exploranti exhibuerant. In abdomine veſica urinaria ſtupendæ erat molis, urinaque tota repleta; ita ut dimidia ſuperior pars ultra umbilicum aſſurgeret, inferior vero lata baſi abdominis tegmini accreta eſſet. Porro valde denſæ ejus membranæ erant, nec diſſectæ, ac excuſſa urina, ullo elatere ſeſe contrahebant. Magna inteſtinorum pars præcipue coli initium induratis ſcybalis repleta, altera flatibus ita diſtenſa erat, ut diametro illam multo vinceret. Ventriculus vacuus, ſed nequaquam pro more evacuati contractus, ſed flaccidus, & diſtentus fuit. Saniſſimum erat hepar, ſed mole auctum. Veſicula fel-

lea ne veſtigium bilis, aut alterius liquidi, ſed expanſa, aërem continebat; id quod opinionem meam confirmabat, credentis, tumorem etiam dextri lateris emphyſematicum fuiſſe. Saniſſimi renes & pancreas, ſed lien juſto & minus & durius, tangentique digito ſenſationem cujuſdam aſpredinis exhibuit. In thorace excolores & pallidi pulmones, cæterum ſaniſſimi, nullis tophis, nullis tuberculis, nullis vomicis, nulla ſuppuratione &c. læſi, nec pleuræ ullibi accreti. Sed mole cor flaccidum excedebat, non enim puellæ aliquot ſpithamarum, ſed viri erat. Caput aperire & nox, & defectus inſtrumentorum, & feſtinatio me invitiſſimum prohibuit. Sed cum perpetuo ſtupida eſſet ægrota, ſecus ac illa, de qua hiſtoria ſecunda agit, non dubito, quin humidum cerebrum occurriſſet, propterea quod tale ſtupidis infantibus eſſe, tot ſectiones jam teſtatæ fuerint. *Vide Bonnet. Sepulchret. Lib. I. Sect. XIV. Obſerv. I. II. III. VII.* Ita quoque *Authore citato Libr. II. Sect. XII. Obſerv. IV.* refertur, in rachiticis aliis humidum, & ſeroſa colluvie inundatum cerebrum, quale ſtupentibus eſſe mox percepimus, repertum fuiſſe, in aliis firmum & inculpabile, quale puellæ hiſtoriæ II, quæ intellectu ſemper vigebat, fuiſſe nullus ambiges. Porro *Loco cit. Obſerv. III.* de rachitide agitur, in qua non modo cerebrum, ſed & tota ſpinalis medulla humida, & vertebræ emollitæ erant. Itidem *Libr. II. Sect. VII. Obſerv. LXXIX.* perhibetur, cerebrum in rachitico aquoſius repertum: idemque innuere videtur *Obſerv. II. Libr. II. Sect. XII.*

§. VII.

6. Poſt has puellas parentes primum tandem maſculum dederant, qui vero ſequiori ſexu non fortior, ejuſdem morbi tyrannidi, poſtquam ſeptem annos & aliquot dies vivendo attigit, ſuccubuit. Balbutire, ire poterat, & facultatibus animæ præmature valebat, antequam, ætatis anno ſuper tres menſes expleto, ſub plurimis convulſionibus, & nervorum diſtenſionibus dentes fudiſſet. Quo tempore nodoſus fieri, & difficilius gradi incepit, ita tamen, ut ad eundum æſtate expeditior, quam hyeme eſſet. Sexto ætatis vix exacto anno, omni eundi potentia intercepta in perfectam ſpinam incidit. Quoque verno tempore exanthema purpureum rubrum expertus eſt, quod copioſiſſima cutis deſquammatione ſolvebatur, atque ab eo per æſtatem melius habuit. Sexto anno, antequam in perfectam rachitidem ageretur, bis æſtate variolas diſcretas, aquoſas, nec recte ſuppurantes, per tres dies præeuntibus, & concomitantibus quoque convulſionibus, paſſus eſt. Diſpnœa ſubinde ſummopere angebatur, quæ in feritam tuſſim, copioſum ſanguinem excutientem, ſolvebatur. Quare per quatuor hebdomadas nihil ſoliti, nil certius quam hanc diſpnœam illaturi, ſed fluida ſolum aſſumebat. Huic hæmoptyſi quatuor ante obitum ſeptimanis largiſſima narium hæmorrhagia ſucceſſit. Plenaria etiam alopecia dimidio anno, & major pedum tumor, non tamen ultra ma-

malleolos aſſurgens, quatuor hebdomadibus mortem antevertit. Quatuordecim quoque ante obitum diebus facies, quæ plena, flaccida tamen, & pulchro rubore tincta erat, ita collapſa, & in rugas contracta eſt, ut vetulam referret; atque ſingulis noctibus ſordibus, oculis, & naſo effuſis, ita conſpurcabatur, ut purgatu difficilis eſſet. Per eoſdem quatuordecim dies urinam, niſi acri epithemate ad hypogaſtria admoto, urgeretur, per duos dies retinuit. Porro admodum addephagus erat, nec cibo unquam ſatiandus. Et vere epilepticus, ſpuma oris, & in pugnum coactis digitis, cum malis ſuis dimicabat. Dimidio jam ætatis anno per novem dies identidem ſibi ſuccedentibus paroxiſmis, & cum ſingultibus, æſtu corporis, & frequenti frontis frictione junctis, dein duorum dierum induciis factis, per quatuor alios vexabatur. Ita quoque mane in lecto mortuus repertus eſt, ad amuſſim tota dextra corporis medietate cæruleus, aperto oculo dextro, ſiniſtro clauſo, & ſpumæ quid ore adhuc referens. Quibus addere potes immanes teneſmos quibus perpetuo, præſertim ad vitæ finem, urgebatur, ita ut eadem hora repetitis vicibus ſellæ imponendus fuerit, modo particula exeunte ſcybalorum, modo inani conatu.

§. VIII.

7. Alter puer tribus menſibus ſupra annum expletis, levibus nervorum diſtenſionibus obiit. Tertio ætatis menſe ablactabatur, dein per totum vitæ curſum, ſeu per integrum annum, plane nihil amplius fluidi, ſed ſolida omnia, denſa, & ſicca aſſumpſit. Addephagus erat. Alvo ſæpe per tres & quatuor dies obſtructus. Non convellebatur. Abdomen magnum, altum pectus, articuli non nodoſi, facies plena, pulchra, flaccidior. Quadrantem horæ ante obitum cum ſubmiſſo clamore nigram & cadaveroſam alvum depoſuit.

§. IX.

8. Puella, pueros ordine natalium ſecuta, ſupra annum tres menſes vivendo, non dentes attigit. Facies valde plena, vere epileptica, magnum & tumidum abdomen, altum pectus, manus ſiniſtra per ſex ſeptimanas ante mortem frigida & paralytica. Convulſionibus comitata tuſſis demum in epilepſiam per viginti quatuor horas continentem, & perpetuo ſudori junctam, atque hæc veſpertino tempore in mortem tranſiit. Nodoſa non erat, nec mortua facie hippocratica terrebat.

§. X.

9. Hanc puer excepit, qui adhuc inter vivos agens, ſeptimum annum mox ingredietur. Hic uno & dimidio ætatis anno ſine convulſionibus quidem, ſed cum hæmorrhagiis narium, prævio æſtui ſuccedentibus,

 den-

dentes edidit: inde tamen nodoſus factus eſt, & hæmorrhagiæ continuant. Anno ætatis quinto bis in hyeme uno menſe variolas diſcretas maturantes habuit. Non loquitur, ſtupore quodam detentus, & purgatu difficilis. Æſtate hactenus pedum officio magis valuit, quam hyeme. Præſertim proxime elapſa æſtate, quæ ſiccior erat, bene habuit. Sed diuturniori tempeſtate auſtrina, quæ ſuperiorem annum finiebat, ita proſtratus eſt, ut ingredi non valens, in perfectam rachitidem adactus ſit. Ab eo tempore non rara alvi obſtructio, urinæ quædam retentio, una cum lenta febri vexare incepit. Ab eſculentis dulcibus hactenus abhorret, & corporis externam faciem talem gerit, qualem rachiticis eſſe, jam ſæpius percepiſti. Corpuſculum hoc per aliquod tempus alternis diebus fortioribus ſtricturis affici, pulſus me docuit, atque ſub ejuſmodi ſtrictura ita invaleſcente, ut pedes rigidos redderet, ſubito olim intumuit, tumore brevi iterum & ſponte evaneſcente. An ſeptimus quoque annus huic puero lethalis, uti alteri hiſtoriæ VI. mortem attulit? perinde nimirum ac pubertatis tempus puellas hiſtoriæ II. & V. ad lethum deduxit.

XI.

10. Natu minima denuo puella fuit. Creſcendo ſtaturam infantis annum unum nati, non exceſſit, nec vivendo tres annos. Uno cum dimidio anno convulſa, & vomens dentes protruſit. Et etſi a cunis miſera eſſet, debilior tamen ab eo tempore extitit, nec ire, nec ſedere valens. Abdomen tumidum, pectus elevatum, addephaga, vere epileptica, & pauciſſimi ſomni erat, ita, ut intra viginti quatuor vix duas horas dormiret. Sub paroxyſmis epilepticis urina & ſcybala vi excludebantur. Strabiſticam convulſiones fecerant perpulchram alias puellam, & facie pleniſſimam, licet flaccidiorem. Sed id memorabile eſt, quod omnis color veſtiſque ruber ab ipſius oculis procul removendus fuerit, nihil certius, quam epilepticum inſultum excitaturus: porro quod aliquando per duos dies mirum in modum toto corpore intumuerit; tertio ſummopere inquieta, ab omnibus exſpiratura credebatur, ſed veſperi uno vomitu, & dejectione nigra, ac ova putrida redolente, & mortem eluſit, & ſimul atque ſemel omnis corporis tumor evanuit. Teneſmis inanibus quoque pluribus per horam vicibus correpta fuit. Vitæ extremo anno bis hyeme variolas, ſero livido non ſatis impletas, experta eſt, & ſub poſterioribus decem dentes, caninos, & molares, raro phænomeno una protulit. Poſtquam per quatuordecim dies & facies in rugas collapſa ex infante anum finxerat, & tribus abhinc diebus dormire inceperat, epilepſia continente vivis erepta eſt. Nodoſa fuiſſe negabatur, reliqua tamen morbi ſpinalis ſymptomata erant.

§. XII.

§. XII.

Undecim harum prolium mater ſcrophuloſa eſt, & quadrageſimo ætatis anno ita vetulam facie mentitur, ut mirarer de anomaliis menſium querentem. Pater & ante, & quam diu genuit, inconcuſſæ valetudinis ſeſe ſemper fuiſſe affirmat, vermibus tamen majorem in modum olim laboraſſe conſtitit, & hodie quoque exſucco ac rheumatico corpore ſenium anticipat. Cæterum ſedentariæ vitæ homo acu durum panem lucratur, atque eos inter eſt, quos vitam merendi difficultas conterit, ac conſumit.

§. XIII.

Cæterum adhuc ſubjungere placet, quæ vaga praxis de rachitide præterea docuit.

Obſervatio 1. Non alium adhuc, quam a dentitione ortum ſpinalem morbum vidi.

Obſ. 2. Stantis aut erecti rachitici ſpina lumbaris eo convexo arcu antrorſum non curvatur, quo in ſanis, ſed retrorſum in lineam rectam magis propulſa recedit.

Obſ. 3. Retrorſum caput inclinare ſolent, quo nempe concava vertebrarum colli inflexio ducit.

Obſ. 4. Ego ſaltem plures ſtupidos rachiticos, quam facultatibus animæ valentes hactenus vidi: etſi hos quoque viderim.

Obſ. 5. In caſtello, quod humidius cœlum, quam ipſa urbs, ſortitum eſt, mirabar numerum, & rachiticorum, & cachecticorum prolium.

Obſ. 6. Hic morbus inter juventutem Argentoratenſem, ubi ob cœli humiditatem corpora pulchra & relaxata frequentiora ſunt, creberrimus occurrit.

Obſ. 7. Excepta puella ultimæ hiſtoriæ ſomnolentos eſſe rachiticos, & ægre per nares ſpiritum trahere obſervavi.

Obſ. 8, Vidi, quibus dormientibus admodum in pectore ebulliret, qui deinde quamdam materiam, in fauces tuſſi evolutam, deglutirent. Vidi, quibus vigilantibus idem contingeret.

Obſ. 9. Vidi ætatis curſu rachitide imperfecta exemptos, ſcrophuloſos fieri.

Obſ. 10. Mutato argentoratenſi cœlo, pubertatis tempore imperfecta rachitide liberatam novi, & in corpus ſtrictum ex flaccido mutatam.

Obſ. 11. Pueros novi, qui circa eundem annorum terminum rachitidem imperfectam exuere, & creſcere inceperant; laxi tamen, non mutato cœlo, eſſe perſeverant, imo diu adhuc retentam, & facile exacerbandam, diſpnœam demum cum annis quoque amiſerant. Novi porro, qui rachitide eluctati, facile in pleuritidem quandam ſpuriam, cum ſuffocationis periculo junctam, incidunt: quæ venæ ſectione male tentata,

 tata,

tata, juſculo vinoſo cum melle ſumpto, & cathartico, aut epithemati acri mox ceſſit. Porro hos, perinde ac ipſos ſtupidiores rachiticos, admodum diſemetos & diſcatarticos eſſe, expertus ſum.

Obſ. 12. In rachiticis linguam mole exſuperantem obſervavi.

Obſ. 13. Infantem nodoſum, unius & dimidii circiter anni pedibus, abdomine, ſcroto non rugoſo, facie tumentem, flaccefcentem, plane ſtupidum, eundi loquendique potentia quadam, qua antea pollebat, defraudatum, cum largis doſibus Reſinæ Scammonii, Tartari Emetici, & Sulphuris Antimonii aurati, ad vitam, ſenſibilitatem, ac debitam ſtricturam revocare fruſtra tentaſſem, tandem amplo cingulo mercuriali, cum ſpiritu vini ſæpius fricata dorſi ſpina, & tinctura Veneris Helvetii, quæ Vitriolum Cyprium ſpiritu vini ſolutum continet, ita data, ut vomituriendi quidem conatus, raros tamen vomitus cieret, & appetitum plane proſterneret, in integrum reſtitui furibundam praxin! Exclamabunt, quibus venus in omni caſu venenum eſt. Sed venerabundi Senis noſtri æterno præcepto. *Sect. I. Aph. VI. Ad extremos morbos extrema exquiſite comparata remedia optima*; ad extremum igitur ſtuporem & relaxationem extrema ſtringentia adhibenda.

Id adhuc notabis, etſi doſeos dati tartari emetici, & vitrioli venerei oblitus ſim, me tamen obſtupuiſſe, ad excitandam nauſeam ac inappetentiam ea copia opus eſſe: non propterea, quod ſtupido draſtica convenire, ex dogmatibus vetuſtatis ignorarem, ſed quod, eam vim requiri, non augurarer.

Jam ex his hiſtoriis empiricis ſeu therapeuticis ea collecturi, quæ omni individuo, morbo ſpinali decumbenti, communia eſſe obſervavimus, ad condendam præſentis ægritudinis pathologicam hiſtoriam accedemus.

Hiſtoria Pathologica Morbi Spinalis.

§. XIV.

A Dentibus oritur iſte morbus. Oſſa mollia & cartilaginea reddit. Hinc proceſſus articulares, & pari ratione omnia oſſa ſpongioſa intumeſcunt. Fiſtuloſa cylindricam ſuam cavitatem in planiformem, & ex binis lateribus compreſſam mutant, ac vario modo inflectuntur. Ipſi articuli diverſam, & a natura abhorrentem conſtitutionem induunt. Flaccidæ fiunt, ſeu admodum relaxantur partes flexiles. Inde denſæ membranæ & cutis, magna viſcera, quibus & caput nimiam molem exporrigitur, & thorax, retro ſpina dorſi, antrorſum ſterno in gibbum elevato, deformatur, & abdomen præſertim dextrum ob hepatis magnitudinem (*Hiſt. V. Sect. Anat*), ac regio hypogoſtrica ob veſicam (*Hiſt. cit.*) majorem in modum extumeſcit, ſpina, ubi lumbos diſtinguit, retro propulſa.

Ca-

Caput, emollita antrorſum convexa ſpina, quæ collo ineſt, retro inflexum portatur, nec rite ſuſtentatum inter aſſurgentes ſcapularum ſummitates procumbit. Ob mollitiem collabentibus, quæ non nominant, oſſibus, pelvis anguſtata, deformatur. Relaxati muſculi primo difficulter, & cunctantes officia ſua exercent, deinde, ſpreto animi imperio, agere plane recuſant. Inde eundi, loquendi impotentia, reſpirationis difficultas, ſeu diſpnœa, rachitidis imperfectæ in perfectam mutatio. Hic tandem lenta febricula, noctu exacerbari ſolita, accenditur, plane conſumens corpuſculum, quod jam antea, evacuata omni ſubſtantia cellulari, contabuit, & faciem, quæ antea plena, & rubore ſuperba erat, in æruginea rugas, ſquammaſque comburit. Una admodum dyſpnœa increſcit, tumores accedunt, emphyſematici mihi viſi (*hiſt.* & *Sect. Anat. cit.*), atque urinæ, aut oculorum ſtillicidia, viſuſque obſcuratio. Demum nervorum diſtenſio mortem infert, miſeræ huic vitæ longe præhabendam. Adde adhuc, addephagos eſſe hos ægros, bile deſtitui, & reſolutum ſanguinem venis circumagi, ſæpe fluidum quoddam copioſius in pulmones excretum in rhonchos exagitare, demum in fauces evolutum deglutire, dentes flavos fieri, dein nigros excidere. A morte quoque flaccidum corpus non obrigeſcit, nec innatum calorem omnem mox exuit. Hæc conſtantia morbi ſpinoſi ſymptomata ſunt. Variabilia ſunt, quæ ſequuntur. Obſtructio, nimia lubricitas alvi, teneſmi immanes, convulſiones, epilepſiæ, hydrophobiæ ſpecies, terrores, ſtupor, ingenium, paralyſes, hæmorrhagiæ omnis generis &c. Porro ex hiſtoriis empiricis hæc fluunt.

Prognoſtica.

§. XV.

1. SI infans relaxati ſeu fluentis corporis ſit, ſi abdomen tumidum, & altius pectus præ ſe ferat, ſi ſerius, poſt primum annum, v. g. anno uno & dimidio aut quadrante, aut plane expleto jam annorum binario, dentes edat, ut ut antea vegetus & alacris fuerit, metuendum eſt, ne in morbum ſpinalem incidat, ſive convulſiones dentitioni accedant, ſive non.

2. Rachitis imperfecta cauſis externis violentis, caſu, fractura, ambuſtione, facile vel augetur, vel plane in perfectam mutatur (*hiſt. II. V*).

3. Rachitis imperfecta circa ſeptimum annum, & tempus pubertatis ſalutariter ſolvitur (*hiſt. IV. Obſ.* 10. & 11): Secus, ſeptimo anno, aut undecimo in perfectam mutatur (*hiſt. IX.* & *II*).

4. Rachitis imperfecta difficulter, perfecta vix, ac raro curatur. Saltem oblata licet occaſione, curam periclitari nolui. In ipſa autem imperfecta *opportet non modo ſe ipſum exhibere promptum ad ea, quæ decent facien-*

cienda, ſed & ægrum, & præſentes, & externa: quod primum Hippocratis præceptum non alibi magis quam hic obtinet, præſertim, ubi ſordida parentum œconomia eſt.

5. Auſtrina tempeſtas rachiticis mala (*hiſt. V. & IX*; mala hyems, ſed ſerena ſiccaque æſtas opportuna (*hiſt. VI. & IX.*)

6 Cælum humidum rachiticos facit (*Obſ.* 5. & 6.): hinc & morbum auget.

7. Si febris lenta rachitidi ſuperveniat, ſi facies in rugas collabeſcat, ſi conſtantes extremitatum tumores accedant, atque ab uno latere ad aliud migrent (*hiſt. V*). ſi oculus e directo tumoris ſtillet (*hiſt. II. & V.*) ſi dolor, quo ſanguis hæmorrhagicus exprimitur (*hiſt. II*). aut teneſmi (*hiſt. VI*). aut alii ſtricturarum morbi augeantur, (*hiſt. V*). mors imminet.

8. Si viſus obfuſcari, & pedes emori incipiunt, non ultra tres aut quatuor dies mors inducias agit (*hiſt. II. & V.*).

9. Variolæ rachiticis lethales non ſunt, raro tamen bonæ, & ſæpius occupant.

10. Tumor, qui rachiticos ſub ſtricturis corripit, conſtans non eſt, & uno vomitu ſolubilis (*hiſt. IX. & X.*).

11. Epilepſia ſpinoſorum in continentem facile tranſit, quæ jugulat (*hiſt. X.*).

12. Si facies tandem collabeſcat, vix ultra quatuordecim dies mors differtur (*hiſt. X. & VI.*], quam obſervationem quoque apud *Bonnet. Sepulchret. Libr. II. Sect. XII. Obſ. IV. Nro I.* reperire eſt.

13. In rachitide imperfecta dentes, carie ejecti, ſeptimo anno reparantur (*hiſt. II*), non vero in perfecta (*hiſt. V.*).

14. Subitæ mutationes, ut diarrhœæ in obſtructionem & urinæ retentionem, in rachitide lethum indigitant (*hiſt. V. &c.*).

15. Inſignis graveolentia oris rachitidi ſuperveniens mala, & facile lethalis (*hiſt. V. & II.*).

16. Hæmorrhagiæ rachiticorum ſalutares non ſunt, ſed neque lethales, ſeu adiaphoræ (*hiſt. II. & IX.*), neque exanthemata lethi metum incutiant.

Theoria ſeu Tractatio Dogmatica de Rachitide.

§. XVI.

EMpirici olim dicebantur, qui omnem medicinam non niſi experientia magiſtra conſtare defendebant, *Dogmatici* ſeu *Theoretici*, qui rationem jungebant, *Methodici*, qui a ſtricto, & laxo, ſeu fluente, atque mixto totam artem derivabant. His *Pneumaticos* ſubjungere potes, qui calido, frigido, ſicco, humido quintum elementum, quod *ſpi-*

ri-

ritum dicebant, addiderant. Jam veterum monumenta evolventi liquebit, ab Hippocrate & Galeno terminis *ligare*, *carnem duram reddere*, *cogere*, *colligare*, alibi quoque terminis *extenuare*, *exſiccare* idem indicari, quod a methodicis verbis *ſtringere*, ab Aretæo, & pneumaticis *exſiccati*, *&* *excalefacti ſpiritus* nomine traditur Porro dogmaticorum illi duumviri *ſolvere*, *emollire*, *carnes molles reddere*, ſæpe *implere*, *incraſſare*, *humectare*, *refrigerare* dicunt, ubi methodici *fluoris* & *relaxationis*, pneumatici *frigidi*, *&* *humidi ſpiritus* nominibus utuntur. Præterea veteribus dogmaticis *bilioſos*, & *a bile morbos* dici, qui methodicis *ſtricti*, *&* *a ſtricto morbi* vocitantur: ſtrictura enim excreta tenuia facit, quæ *bilioſa* Hippocrati nominantur: relaxatio craſſa reddit, ab eodem *pituitoſa* dicta. Unde homines, & *morbi frigidi ac pituitoſi* idem Hippocrati & Galeno ſunt, qui *relaxati aut fluentes* methodicis.

Ita quoque dogmatici *cholagoga*, ſeu bilem educentia dicebant, quæ lenius purgantia, minuſque ſtringentia bilioſis ſeu ſtrictis ad fluida tenuiora evacuanda propinabant, *phlegmagoga* *&* *hydragoga*, quæ acriora magiſque ſtringentia relaxatis, ſeu phlegmaticis, aut ad craſſiora, aut ad aquam œdematoſam educendam exhibebant.

Nempe vetuſtas nihil, quod non obſervarit, conſcripſerat. Sed ut eas notiones cum ipſorum terminis, loquendique modis jungas, quas ipſi animo fovebant, cum vetuſtate exoleverint, ſingulari ſtudio, & interpretandi arte opus eſt. Porro ut has notiones, diverſorum temporum & ſeculorum authoribus uſitatas, inter ſe conferas, earumque identitatem perſpicias, opus ingenio. Vides ergo, methodicos & pneumaticos nullis novis dogmatibus Medicinam auxiſſe, ſed novis tantum terminis, atque erroribus, utpote omnem catharſin rejicientes, morbos ſæpe, & medicamina magis pro voluntate, quam pro ratione in relaxationis, & ſtricturæ claſſes diſtribuentes, imo præter laxum, ſtrictum, & mixtum omnium aliorum in Medicina ignaros. Unde non abſque cauſa a Galeno Theſſalum vituperante, qui inter Coryphæos methodicorum erat, quique intra ſex menſes cuique, ſive eruditionis alicujus compoti, ſive experti, omnem medicinam ſeſe traditurum pollicebatur, ejus ſectatores *Theſſali Aſinos* ſalutatos fuiſſe confido. Id quod cum & hodie multi imitentur, quot & Theſſalos, & Theſſali aſinos adhuc numerabimus? Opportet tamen in Medicina methodicorum terminos retinere, & quod in Latio conditi maxime latini ſunt, & quod aptius, veriuſque id exprimunt, cujus ſigna methodicorum placidum conſtituit, præſertim quod in Galeni latinis verſionibus *tenſionis* ſeu ſtricturæ, & *relaxationis* nomina me reperire memini. Quibus prænotatis, evolutaque morbi ſpinalis empiria, jam ad dogmaticam partem convertimur.

§. XVII.

Rachitis eſt morbus magnæ relaxationis, quippe quemadmodum tenſio ſtricturæ, ita flacciditas relaxationis ſignum eſt. Quare cum rachitici admodum flaccidi exiſtant: hic morbus nimiæ relaxationis nota inſigniendus. Quoniam ergo exſiccatio ſtringit, humectatio autem relaxat; *partes ſolidæ rachiticorum nimium humectatæ ſunt.* Inde eſt, quod glutine, perinde ac machinæ Papinianæ ope, nimis humectato, oſſa ſpinoſorum molleſcant, cartilagineam naturam induta. Inde eſt, quod humidius Argentinenſium, & præcipue Caſtelli cœlum rachiticos generet. Inde eſt, quod mari circumfuſa Anglia, quod Hollandia, quod Lutetiæ, quod humidæ quæque ſeptentrionis regiones rachiticis frequentes ſint. Inde eſt, quod in regionibus ſiccis rarior ſit morbus.

De cœlo Argentoratenſi id adhuc notabis, quod, cum apertum, & omni vento pervium ſit, ſalubritate ſeſe admodum commendet; quod vero, cum frequentes rivi, urbem interlabendo diſtinguant, circumque fluant, cum proximus quoque Rhenus in aerem evolutos vapores ſuos tranſmittat, cum demum gremium vallis, levibus paludibus penes Rhenum notatæ, occupet, humidius utique cœlum noſtrum exiſtat. Inde eſt, quod magis relaxata corpora, atque hinc pulchritudine quoque inſignia hic reperias. Inde eſt, quod quæque tempeſtas humida mox officinas noſtras formulis medicis repleat.

In ſpecie de Caſtello tenebis, me noviſſe, qui dum huc ex urbe migraſſent, brevi ita relaxatos eſſe, unum, ut cachecticum facie ferret, in incompletam herniam, & quartanam incideret, alterum, ut ſtrictior antea exſucciorque, laxata cute, totus repleretur.

§. XVIII.

Infantia de ſe ætatum omnium maxime relaxata eſt. Quare ſi relaxanti ſive diæta ſive regimine, ſive pharmacia nimium obruatur, cum ſummæ relaxationis morbus ſpinalis ſit (§. ant.): *cur*, recenſente *Bœrhaavio Aphor.* §. 1484. qui praxin exercuit, ubi rachitidis patria eſt, *diæta aquoſa*, *mucoſa*, *farinacea*, *horæacea cruda*, *ſaccharata*, *piſcibus frequentior*, *balnea*, *fotus*, *linimenta*, *unguenta* (relaxantia utique) *vapores humidi*, *perpetua quies*, *frigida ac humida in genere*, *rachiticos reddant*, intelligis. Ita quoque quia *quartana* ipſa morbus relaxationis eſt, *&* quia *morbi acuti* in magnam relaxationem ſolvi obſervantur, *ad rachitidem tenellam ætatem diſponunt*.

Nimirum hæ ad morbum ſpinalem diſponentes, ſeu proegumenæ cauſæ ſunt; quem nos quidem hactenus non aliter, quam a dentitione ortum, obſervavimus. Dentitio ergo ipſa, nobis vera cauſa eſſe videtur, quæ in ſubjecto, per alias cauſas prædiſpoſito, rachitidem determinet. Non enim

enim abſolutæ ſunt aut morborum, aut ſalutis, aut mortis cauſæ, ſed relativæ, cum non abſolute in quoque ſubjecto effectum edant ſuum, ſed in eo ſolum, quod per alias cauſas, quas prædiſponentes, aut *proegumenas* dicunt, quæque, ita nuncupatam, *receptivitatem* ſubjecto inducunt, ad ſuſcipiendam cauſæ primariæ, & procatarticæ actionem, idoneum aptumque redditum eſt. Jam a Galeno tradita hæc doctrina infinitis exemplis practicis illuſtrari poteſt. Ita enim tinctura veneris Helvetii ſtricto ſeu bilioſo data, hyperemeſes, & facile mortem invitat, laxo & ſtupido propinata ſaluti eſt. Aer peſtilentialis, qui optimi *Sydenhami* tempore civibus Londinenſibus incubuit, multis ſalubris fuit, & a morbis chronicis liberavit, ſed infinitos alios interemit. Vidi olim vehementer ſtrictum, cui auſtrinis tempeſtatibus bene ſemper erat, ſereno, ſicco, ſtringentique cœlo pejus, qui adeoque a communi hominum natura abhorruit. Sic humido cubili alios læſos, alios a chronicis levatos fuiſſe, memini, læſos nempe phlegmaticos ſeu laxos, levatos bilioſos, ſeu ſtrictos. Germanorum methodus morborum Syndromen malum hypochondriacum acribus laceſſendi, quam male bilioſis & ſtrictis cedit, quot inde mala in meo ipſius corpore accenſa dolui! quam vero convenit morbis viſcerum abdominalium laborantibus laxis & pituitoſis! Sed ab obſervationibus, a præſenti materie alienis, reverſi, videamus quoque, quinam parentes prolem ſuam ad rachitidem diſponant.

§. XIX.

Quoniam parentes corporis ſui conſtitutionem proli impertiri, quotidianæ obſervationis eſt, a laxis parentibus laxa proles generanda eſt; & cum corporis relaxatione tenellam ætatem ad rachitidem diſponi §. 17. demonſtratum ſit: *relaxati ad rachitidem diſpoſitum puſionem generent.* Inde eſt, quod, obſervatore eodem *Bœrhaavio* Aphor. §. 1482. *Rachitis maxime infeſta ſit liberis, quorum parentes laxa & debili conditione corporis, otioſi, molles, opipera menſa, cibis pinguibus, ſaccharatis, pane pauco, vinis dulciſſimis, & aqua multa calida uſi ſunt.* Hæc enim & diæta & regimen genitores ipſos nimium relaxat. Porro cum morbi venerei in ſecundo ſtadio frigidi, ſeu relaxationis ſint, id quod & obſervatio, & ſuis *conſultationibus Med. Tom. II. Conſult. LXXXVIII. A Fonſeca* te docebit, ubi ita habet: *Lues venerea eſt morbus a tota ſubſtantia venenatus & occultus; præterea intemperies calida & ſicca ipſius jecoris, quæ utplurimum a principio cum hoc affectu copulatur, quia fit ebullitio quædam, licet progreſſu temporis degeneret in affectum frigidum & humidum.* Cur quoque *venere & gonorrhœa laborantes, prolem ad rachitidem diſponant* (*obſervante Bœrhaavio loc. cit.*), ſeu, cur lues venerea parentum in prole in rachitidem degeneret, teſtante *Aſtruc de Morbis Venereis. Libr. II. C. I.* intelligis. Demum *ſenes*, etſi exſiccati, naturaliter ſtricti ſint; cum tamen fluidi nervei, ſeu

vitæ debito in partes influxu ſublato, vitaliter relaxentur, *ſobolem ad rachitidem properantem enituntur*, *vide Bærh. loc. cit.*

§. XX.

Jam conſideratis cauſis prædiſponentibus, examinandum quoque veniret, cur rachitis a dentitione potius, quam ab alia cauſa primaria actu ingruat. Enim vero hæc cauſa repertu difficilis, & ejus cognitio praxin exercentibus forte ſupervacanea, forte utilis erit. Viam tamen, quam reperturus teneat, ſternemus. Et ante, & cum dentes erumpunt, magna in corpore mutatio, magnos ſtricturarum tumultus cietur, modo vomitum, modo diarrhoeam, modo alvinam obſtructionem, modo largam diureſin, modo convulſiones, epilepſias, febres, corporis incendia, deliria, ſitim, inappetentiam &c. exſuſcitans. Sub his turbis mole aucti, intumeſcenteſve dentes, diviſa gingivarum carne, prorumpunt. Sic etiam ſub ſtricturis, quæ variolas & antecedunt, & comitantur, octo dentes alveolis ſuis emerſiſſe hiſtoria X, docuit. Jam vero, ſi in hoc rerum articulo oſſium proceſſus, & quæque oſſa ſpongioſa æque in ſpatium amplius, ac ipſi dentes eniterentur? Vel quid, ſi eo tempore oſſa omnia conſtanti quadam naturæ lege molliora eſſent, quam alio? Quid etiam ſi ſtrictis vaſis, uti Manica Hippocratis, expreſſa aqua lamellas fibraſque oſſium nimia vi inundaret, & ita emolliret, ut Papiniana machina? Sed, quod mihi quidem videtur, nondum ſatis obſervationum collegimus, ad hanc cauſam intelligendam conducentium. Adhuc tamen, quæ ſequentur, addito. Scio oſſa aquis ſepticis macerando, plane emolliri poſſe, ſcio in altero ſtadio morborum venereorum, & ſcorbuto, quos relaxationis morbos eſſe hiſtoriæ docent, ſubin mollia reddi: quare cum magnam, dentes edentium, ſtricturam, magna quoque relaxatio ſequatur, cum porro relaxatio acris cacochymiæ parens exiſtat; forte eadem cauſa emolliendorum oſſium & in rachiticis, & in venereis ſeu ſyphiliticis, & in ſcorbuticis occurrit, cacochymiæ nimirum ſepſis.

§. XXI.

Quia gibboſi omni tempore occurrebant, etiam Hippocrati, ut ex aphoriſmis, & libris de articulis intelliges, quia quoque, quibus extremitatum oſſa incurvata eſſent, haud minus frequentes fuiſſe, confido: a rachitide morbo autem & gibbi & oſſium inflexiones dependent: *Non ipſa rachitis, ſed obſervatio rachitidis ſola mihi nova eſſe videtur.* Nam *Hippocrates Aph, 46, Sect. 6.* enuntians, *qui gibboſi ex aſthmate & tuſſi fiunt, ante pubertatem moriuntur*, vel ut apud alios lego, *qui gibboſi ex aſthmate & tuſſi ante pubertatem fiunt, moriuntur*, quid, quæſo, aliud, quam ipſam rachitidem, ſolo omiſſo termino technico, qui hodie in uſu eſt,

eſt, deſcribit? Atque cum maritimum cœlum ob madorem ſuum cauſam proigumenam morbo ſpinali præbeat (§. 17.): quin ex inſula Coo nato Seni noſtro, obſervatorum principi, hic morbus obviam factus fuerit, quis dubitabit? Nimirum uti methodici, pneumaticique, quod novos terminos condidiſſent, propterea nova theoria medicinam a ſe ornatam, putabant, ita hodie quoque non raro ex terminis de morborum ætate ſeu duratione ſtatuimus. Jam, ſpectatis morbi ſpinalis cauſis, ad ſymptomata explicanda doctrinæ ordo deducit.

§. XXII.

Cum relaxatæ fibræ difficilior ſit motus muſcularis, quam debito gradu ſtrictæ: rachitici vero magna relaxatione laborent (§. 17.); vides, cur, *ſi antea & ire & loqui potuerint, ſpinoſi tamen facti, difficilius & gradiuntur, & in voces exſpiratum aërem modulentur*, aut cur *ambulare vel loqui plane non addiſcant.* Atque quod ipſa reſpiratio motu muſculari peragitur, cur *difficulter reſpirent*, ſeu aſthmate aut diſpnœa teneantur. Imo cur *caput*, quod motu muſculari erectum tenetur, *ſuſtentare nequeant*, retrorſum, quo inflexio vertebrarum colli vergit, prolapſum. Porro vides, cur *morbo*, hinc relaxatione, aut fluore *aucto*, *pedes*, *officii ſui plane obliviſcantur*, cur *diſpnœa quoque in orthopnœam increſcat* [*hiſt. II. & V.*]. Scio malam pectoris conformationem diſpnœæ rachiticorum cauſam haberi, verum, cum tot viderim pectore male conformatos, qui, quam diu ſanitate fruebantur, procul ab omni aſthmate remoti erant, nolim conſentire.

§. XXIII.

Cum relaxatæ partes, fibræque majus ſpatium occupent, quam ſtrictæ: id quod ſub diuturniori tempeſtate auſtrina ex ſubtumentibus hominum faciebus legere eſt: eodem modo ac §. ant. intelliges, cur *ſpinoſis viſcera mole aucta*, ut inde & ſternum & ſpina dorſi, utpote emollita, in gibbos eleventur, ut abdomen in monſtrum turgeat, ut amplis ſuturis diſtinctum caput (quod *Bœrhaavius Aphor.* §. 1784. *tradit*) ſe ipſum magnitudine exſuperet. Cur porro cutis & membranæ juſto denſiores ſint, & veſica urinaria tantæ molis a me ſub ſectione reperta.

§. XXIV.

Bilis rachiticis deficere debet, Sect. Anat. hiſt. V. Namque ſpinoſis in cellulari omni, & omentis pinguedinem deficere hiſt. cit. vidimus. Quare cum bilis amareſcentia pinguedinis, ex omentis, ex meſenterio, ex ſtratis adipoſis & appendicibus epiploicis coli & recti ramificationibus venoſis venæ portarum abſorptæ, & in hepate per ramificationes ar-

terioſas ejuſdem venæ ſecretæ, generetur: bile ſpinoſos deſtitutos eſſe, liquet.

§. XXV.

Sanguis ſpinoſis reſolutus, & humores mucoſi. Namque miſeris hiſce bilem deeſſe, mox oſtendimus. Sed chymi ea ſolum portio, quæ cum ſufficienti oleo bilis combinatur, in chylum & lac atque fluida albuminoſa mutatur, altera in mucum abit. Quare ſpinoſis humores mucoſi ſint, neceſſe eſt, propterea quod, deficiente bile, cum oleo chymus combinari nequeat, non itaque in lac, ſed in mucum tantum abeat. Quoniam igitur ſanguini quoque potiſſimam cohæſionem a materie caſeoſa lactis, & pituitoſis ſeu albuminoſis fluidis accedere, hic ſuppono: ſanguis ſpinoſorum levi cohæſione gaudebit. Cum ergo imminuta cohæſio reſolutio dicatur, rachiticorum ſanguis reſolutus erit. Utique ſanguini maximam cohæſionem a lactis materia caſeoſa, & fluidis albuminoſis largiri, recte ſuppoſui, quod hæc ipſa ſæpe ſuper cruoris placentam corii tenacitate concreſcant.

§. XXVI.

Spinoſi ad hæmorrhagias per anaſtomoſin diſpoſiti. Quippe ſanguinem ipſis admodum reſolutum, & flaccida vaſa nullo tono eſſe percepiſti. Quare ille per non obſtantia vaſculorum ultimorum extrema orificia facile elabi poteſt. Atqui hæmorrhagiam per anaſtomoſin dicunt extravaſationem ſanguinis, quæ per vaſorum ſive excretoriorum, ſive inhalantium aperta oſcula fit, nulla nec ruptura, nec eroſione facta; quare ſpinoſi ad hæmorrhagias per anaſtomoſin diſpoſiti. Inde eſt, quod tam frequentes rachiticorum hæmorrhagias hiſtoriis empiricis ſpectaverimus.

§. XXVII.

Spinoſis branchus frequens, præſertim ſub ſomno, & juſto gravior vox. Etenim ipſis totum corpus, hinc & pulmones flaccidi & relaxati, præterea mucoſa fluida ſunt (§. 25.), quare quia relaxatio excreta craſſa facit, augetque: rachitici affatim mucoſorum humorum in pulmones & aſperam arteriam ex frequentiſſimis harum partium mucoſis glandulis exudabunt. Sed nimia ejuſmodi in pulmones & aſperam arteriam excretio branchus audit: hic itaque ſpinoſis frequens ſit, neceſſum eſt, præſertim corpore & pulmonibus inſuper per ſomnum relaxatis. Inde ad tuſſim ſollicitantur, vel alio labore ex pulmonibus evolutum mucum deglutiunt (Obſ. 9.). Porro laryngis ſtrictura acutam, ſaltem reſpectiva relaxatio graviorem vocem reddit, cum adeoque ſpinoſi toto corpore, hinc etiam larynge

rela-

relaxati ſint, cur gravior ipſis vox ſit, me obſervante, pervides.

§. XXVIII.

Spinoſi ſomnolenti & addephagi. Namque relaxati ſunt: fluidum igitur nerveum non ſatis in partes movetur. Pone enim contrarium, cum a fluidi nervei influxu partes ſtringantur, ſpinoſi non erunt ſummopere relaxati, ſed ſtricti; id quod abſurdum (§. 17.). Quare miſeræ huic ſoboli pacatus fluidi nervei motus eſt. Atqui hujus fluidi pacatus motus, in partes non ſufficienter illati, ſomnum invitat. Spinoſi ergo ſomnolenti ſunt. Porro centies obſervabis, relaxatione appetitum augeri, ſtrictura proſterni: quare rachitici addephagi, ſeu edaces erunt.

§. XXIX.

Jam difficilius opus aggredimur, *ſtatum mixtum* ex rachitide diſtincte explicaturi. Rachiticos autem, etſi majorem in modum relaxati ſint, diverſis tamen ſtricturarum paroxyſmis, epilepſia, teneſmis immanibus, nervorum diſtenſionibus qualibuſcunque, frigore, æſtu, vomitibus, lenta febri, hæmorrhagiis activis corripi, hiſtoriæ empiricæ abunde teſtatæ ſunt. Quare cum relaxatorum ſtricturæ *mixti* nomine methodicis venerint: *mixtum dari*, & quidem *in Rachitide* quoque vides. Sed quid? an non ſatius eſſet, miſſo exotico hoc termino, *ſtricturas* rachiticorum, aut *relaxatorum* dicere?

§. XXX.

Si miſſis motu muſculari, & mentis affectibus, jucunda animi quiete fruaris, aut dormias, pulſus magnus, fortis, tardus, rarus, mollis eſt. Quare cum jucunda animi quies, ac ſomnus ſanitati competentem relaxationem inducant; debitæ relaxationis pulſus magnus, fortis, tardus, rarus, mollis eſt. Pone nimiam relaxationem, uti puellæ cachecticæ aut rachiticæ, aut ſomno longiori tempore producto, tunc pulſum parvum, debilem, tardum, rarum, mollem eſſe obſervabis. Jam cachecticam, ſeu relaxatam, & fluentem ejuſmodi puellam ad eundum incitato, prout, hujus ægritudinis non ſatis gnari, Practici ſæpe faciunt, tunc pulſus parvus, debilis, celer admodum, & frequens, mollis tamen adhuc, etſi minus quam antea, ſeu mollem inter & durum vacillans, reddetur, cor palpitabit, diſpnœa pectus anguſtabit, vertigo & animi deliquium imminebit. Atqui motus muſcularis ſtringit, & hi ſtricturarum effectus ſunt. Vides ergo, *quænam pathemata nimium relaxatis ſuperveniens ſtrictura excitet*, ſive hæc ſtrictura a cauſa externa, ſive ab interna, uti ab acri cacochymia proficiſcatur. Inde eſt, quod ſpinoſi ab acribus ſubito,

bito, & nulla arte applicatis, uti ſecundæ hiſtoriæ puella a raphano ſumpto, & thermis Marchionatus Baadenſis tam male ſeſe habuerit. Stringunt enim acria. Si igitur propoſitum ſtricturæ gradum laxatis inducant, non poſſunt non male cedere. Ita quoque quam ſæpe puellæ cachecticæ ab uſu martis, qui tamen maxime indicatur, initio infeſtantur, cum tamen, continuato ac arte Sydenhami gubernato remedio, ultra primum hunc ſtricturæ in mixto gradum deductæ, læte convaleſcere incipiant. Non ex theoria quadam commentata, ſed quæ fieri vidi, in medium profero. Non ergo melius fecerunt, qui, viſis hiſce malis, calybem in relaxatis fœminis damnaverant, ignari & methodi ea præcavendi, & bonorum, quæ inde conſequuntur, quam illi, qui propterea opium & theriacam rejecerant, quod verum uſum neſcirent, ut & veneris tincturas, quod ſtrictis, aut ſanis, aut ſaltem non ſummopere relaxatis porrectæ, damna intulerint. Nullum enim medicamen verus uſus, ſed abuſus, noxium fecit.

XXXI.

Sed aliam adhuc relaxatorum, ſeu in mixto ſtricturam contemplabimur, quæ tunc ingruit, cum corpus ultra ſtatum pulſus parvi, debilis, tardi, rari, mollis relaxatur. Ubi has obſervationes teneto: ſi relaxatus rachiticus dulci & relaxanti diæta, ut pomis, pyris dulcibus, paſſulis, ac ſaccharatis tractetur, in continuos vomitus, frigus febrile, & æſtum incidit (*hiſt. II.*): vel ſaltem debilitates & nervorum diſtenſiones per tres aut quatuor dies incrementum capiunt (*hiſt. V.*). Porro quo propius, morbo hinc & relaxatione, aucto, mors rachiticis imminet, eo magis & nervorum diſtenſiones, & deliquia animi, & teneſmos augeri, atque lentam etiam febriculam accedere, hiſtoriis empiricis edocti ſumus. Quare cum hæc omnia ſtricturarum ſint phænomena, *Quænam ſtricturarum ſymptomata ultra gradum pulſus parvi, debilis, tardi, rari, mollis relaxatis ſuperveniant*, *vides.* Quæ hic evolvimus ex aliorum morborum curſu, ſimili obſervatione colligi poſſunt, quos omittimus de rachitide, non de univerſa pathologia ſcribentes. Sed adhuc notandum, quod cum *rachiticos* nervorum diſtenſionibus emori viderimus, illos *ſtrictura in mixto interimi.* Et profecto hactenus tam hominibus, quam brutis nondum aliter mortem, quam ſtricturis vel ſimpliciter talibus, vel in mixto inferri videbam. Unde diu anceps hæſi, an de morte, an de morbo rachitide mihi diſputandum eſſet.

§. XXXII.

Jam vero rationem amabis percipere, cur eo gradu relaxati, quo pulſus parvus, debilis, tardus, rarus, mollis eſt, ſive rachitici ſive alii, tam ſtrictura, quam ulteriori relaxatione accedente, variis ſtric-

tu-

turarum ſymptomatibus, quæ ſtatum mixtum abſolvant, abripiantur. Sed hæc a poſteriori, & ex aliis morbis prius adhuc, quam ex ipſa rachitide obſervando intellexiſſe, mihi ſufficit. Et quamquam non eo ſcientiarum nos unquam venturos prævideam, ut plane omnium, quæ quotidie in animali corpore contingunt, rationes ſufficientes, veras intelligo, non precarias, & vaniſſimum quemque intellectum maxime fallentes, a priori eruamus: in hac tamen materie futuras obſervationes quid adhuc largituras ſpero.

In (*Hiſt. V. & IX.*) ſtricturas alternis diebus exacerbatas attulimus, atque hanc obſervationem pluries & ipſe & a me moniti alii fecere. Ita in me ipſo, atque in aliis ſtricturas tam a cauſis externis, quam ab internis exſuſcitatas modo tertio, modo quarto die, poſtquam prius exacerbabantur, vel plane tolli, vel notabiliter ſaltem remitti, & circa ſeptimum demum plane evaneſcere vidi. Quænam quæſo horum ſimiliumve phœnomenorum ratio ſufficiens? forte in fingendo me felicior eris. Sed ſcire, non fingere medicum, cui praxis exercenda eſt, juvat. Hæc quoque cauſas rationeſque ſufficientes fingendi licentia me eo impulit, ut nullam unquam morbi cognitionem theoricam ſeu dogmaticam concipiendam eſſe putem, niſi prius omnem ejuſdem morbi empiriam tam pathologicam quam therapeuticam intellexerimus.

§. XXXIII.

Ex his intelligis, quidnam de diverſis ſtricturarum morbis, quo etiam hæmorrhagiæ activæ pertinent, rachitidi ſupervenientibus judicandum atque ratiocinandum ſit. Hæc igitur, ne præfixos limites ſupergrediar, induſtriæ tuæ relinquo, id ſolum addens, rachiticorum mortem tribus aut quatuor imo quatuordecim diebus notabili mutatione anteverti (*hiſt. II. X. & V.*). Quæ obſervationes, cum aliis junctæ, utilia dogmata offerent contemplanti.

§. XXXIV.

Spinoſi cacochymici fiunt. Namque cum pulſus debilis ſit, vires vitæ admodum remiſſas eſſe, neceſſum eſt. Sed hiſce viribus excretiones, progenita acria corpore eluentes, præſtantur. Quare hæc, una cum materia perſpirabili in corpore retenta, acri ſaburra humores conſpurcant. Cum itaque humorum acrimonia cacochymia vocitetur, rachitici non poſſunt non cacochymici eſſe. Inde rachiticis exanthemata varia, & frequentes variolæ. Sed demum omnem hanc materiam terminabit.

Therapia dogmatica.

§. XXXV.

MOrbum ſpinalem, cum magnæ relaxationis & humectationis ſit, curare tentanti, prima indicatio hæc occurrit: *Admodum ſtringenti ac exſiccanti & diæta & regimine & pharmacia tractandus æger, rite tamen, quæ hoc ſcopo imperantur, viribus ægri vitalibus, & ſtupore, aut ſenſibilitate æſtimando.* Nam ſtupor & ſenſibilitas individui ægrotantis indicata pharmaca mutant: quæ enim ſtupido acerrima ſtringentia competunt, ſenſibili mitiganda.

Diæta ergo nec farinoſa nec aquoſa, nec oleoſa, butyracea, pinguis, ſaccharata, dulcis, nec ex vaccino lacte, piſcibus, fructibus horæis, inteſtinis, omentis, naſo, ungulis, pedibus & articulis animalium, nec ex carnibus coctis aut gelatinis comparata ſit, ſed ex aſſatis, aromatibus, magis minuſve vinoſis, ſolidiori forma, quam fluidiori concinnatis.

Regimen tale ſit: aër & natura & arte ſiccus comparetur, in loco lucido & tumultuoſo hoſpitent, in animi affectus, quos ferre poſſe prævidentur, cieantur, motu, quem ferent, fortiſſimo concutientur, lecto & frictione dura utantur, utraque enim, mollis ſi eſt, relaxat: a ſordibus cum cura purgentur, veſtis aut rubra aut alba ſit, & ſæpe mutetur: hic enim color & mutatio corpus ſtringit. Et frigori & multo ac ſicco calori exponantur. Præſertim tempeſtate humida & auſtrali eorum cura geratur, & ſuccenſis reſinoſis &c. quem colunt, aër ſiccetur.

Pharmacia acribus & exſiccantibus tam interne, quam externe, ſive in balneis, ſive in vaporibus, ſuffimigiis, ſtuphis, ſive in fotu, ſive in epithemate, cataplaſmate, unguento, emplaſtro, præſertim ad ſpinam dorſi, nucham, caput, plantas pedum, & manuum volas, articulos, & ubicunque major in corpore ſenſibilitas viget, applicatis, abſolvitur. Interna ore ingerenda ſunt, eadem ratione acria, ſive purgantia, ſive emetica, ſive ſepſi quadam agentia, ea tantum copia propinanda ſunt, ut conatus potius vomendi, quam ipſos vomitus cieant, atque ut appetitum proſternant; fames enim docente *Hippocrate Aph.* 59. *Sect.* 7. exſiccat, non vero ea copia, ut actu evacuationes exſuſcitent, has enim, etſi ſtricturis fiant, relaxationibus tamen excipi ſæpenumero videre eſt, niſi ſemel cœptas has evacuationes, cœptamque ſtricturam continuato pharmaco proſequi velis. Id quod oppido *Sydenham* agnovit, *in diſſertatione epiſtolari ad Guiliel. Cole.* monens: *in rachitide vera catharſin locum non habere, niſi ut ſemel aut bis ad plurimum æger purgandus, antequam uſum alterantium aggrediatur*, atque eandem obſervationem in cura mali hyſterici, relaxatas occupantis, & hydropis repetit. Quæ omnia quam vera ſint, qui praxi obſervandi induſtriam jungit, experietur.

§. XXXVI.

§. XXXVI.

Altera indicatio hæc eſto: *rachitico brevi a paſtu bilis inſpiſſata*, *aut ſapo venetus*, aliuſve cum oleo præparatus, *offeratur.* Quippe rachiticis bilis deeſt, atque hinc nullius conſiſtentiæ, ſeu cohæſionis ſanguinem & mucoſos humores ſortiuntur (§. 25.). Quare hunc defectum emendaturus a paſtu ocyus, ac chymificationem peractam eſſe judicabis, bilem, vel, ob olei vim, bilis vicarium ſaponem ſubjunges. Sic enim cum oleo aut bilis aut ſaponis combinatus chimus, in verum chylum & lac, ac inde in ſanguinem debitæ conſiſtentiæ, nec mucoſum abibit. His adde, acredine bilis, aut ſaponis incitato motu periſtaltico, primam digeſtionem adjutum iri, atque ex parte primæ indicationi, acria & ſtringentia poſtulanti, ſatisfieri. Hæ *indicationes univerſales* ſunt, quas, morbum ſpinalem ſublaturus, ſervabit, *individuales* ex determinationibus individualibus ſubjecti quique ingenio & doctrina excultus therapeuta derivabit. Admodum enim falluntur, qui omnem morbis medendi methodum ſcriptis comprehendi, & in ſcientias colligi poſſe, ſibi perſuadent. Nam cum ſcientiæ non niſi genera & ſpecies, quæque iis competunt, attingant, ad individuales vero determinationes, utpote quæ infinitæ ſunt, nunquam deſcendant, quæ ab his indicationes, individuales a nobis dictæ, offeruntur, libris ſcientiiſque exulent, neceſſe eſt, non niſi ab eo datis caſibus eruendæ, quem & ingenium & eruditio & cultura aptum reddidit, etiam ad ea perſpicienda, quæ natura intimo determinationum individualium receſſu abſcondidit.

THESES.

I. EMpiria facit medicum theoreticum, ſeu omnis morbi empiria cognoſcenda eſt, antequam theoria de ipſo condi poſſit.

II. Uſus remediorum draſticorum in quibuſdam morbis neceſſarius, hancque neceſſitatem veteres perſpexerunt.

III. Plethora ſine ſtricturis eſt non ens.

IV. Dantur phtyſes ſine pulmonum ulcere.

V. Epilepſia a terrore orta incurabilis.

VI. In pleuritide putrida & maligna ſive exanthematica ſive non, qualis ſuperiori verno tempore graſſata fuit, venam ſecare non licet.

VII. An in pleuritide venæſectio continuanda ſit, nec ne, ſanguis primo miſſus indicabit.

VIII. Sanguis vena miſſus, num febris continua ſive ſimplex, ſive cum exacerbationibus juncta, putrida & maligna ſit, nec ne, oſtendit.

IX. Podagra, quamdiu non eſt habitualis, curari poteſt. Quando au-

UNIVERSITY OF MARYLAND
LIBRARY
Founded 1813
SCHOOL OF MEDICINE

tem in habitum abivit, tunc iiſdem remediis exacerbatur, quibus antea curanda erat.

X. Materia podagricorum albuminoſa & gypſea eſt, nequaquam calcarea.

XI. Febris, græce, πῦρ, ſeu ignis, non aliter niſi per æſtum præternaturalem definiri poteſt, & periodici abſque æſtu horrores febres nec ſunt, nec a Galeno dicebantur.

XII. Cum puerum octo annorum noverim qui jam a tertio ætatis anno quotidie ſex menſuras aquæ bibat, plus ingurgitaturus, ſi a parentibus non prohiberetur: ut addephagi, ſeu edaces, ita, quos bibulos, ſeu potatores dicere poſſes, occurrunt. Sed unde? certe hic puer admodum ſtrictus, ſanus, vegetus eſt, atque ſubtracto poculo, labiis ſiccis & aſperis, & maculis rubris genas variegantibus exæſtuat, urinæ integrum torrentem una vice reddit.


FINIS.

Tab. XXVIII.



Puella Rachitica Historiæ quintæ. 14 annor.
Disput. Medico-Pract. Tom. VI. BUCHNER DE RACHITIDE. pag. 300.

Tab. XXIX.



Disput. Medico-Pract. Tom. VI. HOERNIGK DE INDURATIONE PART. pag.

UNIV

CCIII.

GEORGII AUG. LANGGUTH

ET

SAM. GOTTLIEB EICHLER,

DE

POLYPO INFANTIS RHACHITICI.

DISPUTATIO.

Vitemberg. 29 Octob. 1744.

P R O Œ M I U M.

Multiplex non minus, quam plane egregius, ille utilitatis fructus eſt, quem, in omni arte noſtra, habet, practica vulgo ſive Pathologica, quæ dicitur, Anatome; in primis vero illi medicinæ parti, quæ de morborum cauſſis, abditis plerumque & multa caligine involutis, exponit, lucem illa accendi longe clariſſimam. Nulla huic rei argumenta dico. Medicum diem a ſole illuminari laborioſa argumentatione nemo contendit.

Enim vero, hæc illa cauſſa eſt, quam ob rem nonnulli ex clariſſimis medicinæ profeſſoribus, quos ſuperior ætas vidit, media inter cadavera, Democriti *more, quaſi cum voluptate quadam, verſati ſunt. Veneramur* Wepferos, Bonetos, Kerckringios, Ruyſchios, Bidloos, Bartholinos *(a) etiam, ſi fata modo & invidus ille Vulcanus ſiverint, veneraturi. Cara hæc nobis ſunt, & digna, quæ imitemur, nomina. Sed utile niſi eſt, quod quærimus, ſtultam ſcimus eſſe gloriam.*

Hæc eſt ſpectata illa utilitas, propter quam doctiſſimi, apud Edimburgenſes, medici, in ſocietatem hodie coiverunt; propter quam non experientias ſolum & obſervationes colligunt, apteque diſponunt, ſed id omnium maxime urgent atque inculcant (b), ut homines, morte ſua peremtos, diligentes diſſecemus, &, qua fieri poteſt, adcuratione, in morbi, mortisque, cauſſas inquiramus, &, quæ viſa, pro eo, qui bonos viros decet, candore, medico cum orbe, communicemus.

Sic, ſcilicet, facile tandem, ſic unice, fieri poſſe, recte ſibi perſuadent, ut medicina ad majorem perfectionis gradum paullatim evehatur; &, qui illam profitentur, atque exercent, non divinare, non ariolari, amplius, ſed ſumma cum probabilitate conjecturare, & tantum non demonſtrare, dicantur.

At enim vero, quod illa Vulcani invidia Bartholino *olim denegavit, id ſancta hominum noſtrorum ſimplicitas, id puerilis quædam & anilis plane ſuperſtitio, &, ſi quid turpius iſtis, quotidie nobis vel omnino denegat, vel ſummis difficultatibus intricat atque involvit. Videas, enim, o philoſophicæ*

(a) Ipſe *Thomas Bartholinus* acerbiſſime conqueritur. *Exerc. de Anatom. Practic. Quidquid tot annorum ſtudiis ad anatomen practicam ex obſervationibus propriis & aliorum, in arena hac exercitatorum, congeſſeram, invidus ille Vulcanus, voraxque fortunarum mearum helluo conſumſit, & momento citius in cineres convertit. Cujus jacturæ inæſtimabilis nunquam ſine animi quodam motu, ſed inter ſapientis moderationem temperato, memoria occurrit acerba.*

(b) *Medical Eſſais and obſervations, Præf. T. I.*

phica noſtra tempora! Videas, qui a diſſectoris crudelitate male ſibi etiam poſt fata adhuc metuant, atque, vel ſuprema tabula, vermibus ita ſeſe apponi, jubeant, ut non exenteratas ſuas amicis ſuis Trimalchio delicias. Videas, qui, ut ne in conjuges, in liberos, in propinquos, Thracum more, impii poſt mortem videantur, id nullo a ſe modo impetrari patiuntur, ut medici, quod dicunt, in viſcera ſuorum graſſentur, &, quo morbo, qua mortis cauſſa, diem ſuum obierint, in aliorum demum utilitatem doceantur. Videas de plebe, de perditiſſima & infima populi fæce, homines, qui pro impudentia, pro ſtupiditate, ſua, fœdiſſima quævis & omnes contumelias, in, cadavera ſuorum, judicis vel juſſu, vel favore, ſecaturos, ſecanteſque, evoment, & omne cum illis commercium, ut mitiſſime dicam, cane pejus & angue, tum quidem maxime, devitent. Proh, dii immortales, quæ laborum medicorum condimenta, quæ voluptates, quæ deliciæ!

Sic, credo, rara ſatis, ſic difficilis admodum, illa nobis efficitur occaſio, qua optimæ artis perfectionem noſtra qualicumque ſymbola juvare, qua in commune prodeſſe, nos quoque poſſemus. Scilicet

Dum tumidis alii tranſmittunt æquora velis,

Ignava legimus littora ſumma rate. *

Hæc fundi noſtri, ut ita dicam, calamitas facile nos invitat, ut primam quamvis opportunitatem avidiſſime arripiamus, qua, quo affectu in Anatomen Practicam feramur, quam ſcilicet impenſe ipſi faveamus, demonſtrare permittitur. Propter ea, cum talem nuper ex voto nacti ſimus, Diſputationi huic Inaugurali argumentum voluimus eſſe Anatomico-Pathologicum. F. S. N. F!

INFANTIS

INFANTIS RHACHITICI ANATOME.

PUella, ruſtici filia, tres annos cum tribus menſibus nata, ſed rhachitica, & ab ubere matris cachecticæ, ex hydrope paulo poſt demortuæ, varie vexata, ſubita morte extinguitur. Judex, juſtis ex cauſſis metuens, ne violenti impetu peremta ſit, legalem cadaveris inſpectionem atque ſectionem decenter imperat; quam & medicus & chirurgus, præſentibus in officio judiciali conſtitutis, tertia poſt obitum die, ut artis eſt, inſtituunt & abſolvunt. Quæ notatu digniſſima deprehenderunt, hæc fere ſunt.

A. Erat puella (*a*), pro ætatis ratione, perparvula, ut dimidiæ ætatis illam vix habueris (*b*); tabe ſimul conſumta (*c*); ſumma partium laxitate atque mollitie (*d*); capite juſto majori (*e*); pectore a lateribus anguſto, anterius non nihil acuminato (*f*); abdomine tumido, paululum prominente (*g*); clavicula mirifice contorta (*h*); oſſibus brachii & femoris, non arcuatim, ſed in medio ad angulum fere, incurvatis (*i*); articulis valde nodoſis (*k*); ſpina dorſi extreme vitiata, & figuram literæ S quadantenus exprimente; uno verbo, & primo ſtatim intuitu, rhachitica; nullis cæteroquin externæ cujuſdam violentiæ veſtigiis, ſugillatione nulla, comparentibus.

B. Inciſis, & ad latera inclinatis, integumentis & muſculis abdominalibus, conſpiciebantur (*a*) inteſtina craſſa flatibus turgida, inania, rectum vero fæcibus exſiccatis, ad ſphincterem, non nihil obturatum (*b*); inteſtina tenuia conſtricta, exiguæ admodum diametri, ad inſertionem ilei in cœcum lumbricis aliquot teretibus, ſpithamam longis, glomeris inſtar in ſe involutis, oppleta (*c*); tunica earum externa, jam putredine, infecta, lividaque, a ſero (*d*), in cavitate abdominis copioſe collecto, jam ſatis fœtente (*e*); glandulæ meſenterii & meſocoli diſtinctæ, tumidæ, induratæ (*f*); hepar, præter naturam, duplo majus, parte ſiniſtra ventriculum omnem obtegens, cætera, ſanum (*g*); ventriculus, reliqua viſcera, ſecundum naturam conſtituta (*h*); omentum, ad fundum ventriculi, retractum, parvum, tenue, nulla pinguedine diſtinctum.

C. Pectore aperto (*a*), pulmones comparebant exigui, collapſi, ſani, pleuræ non adnati (*b*); pericardium cor laxe ambiens, ſero extravaſato non nihil diſtentum (*c*); cor ipſum parvum, contractum, omni ſanguine vacuum; ſed (*d*), venæ ipſius Coronariæ egregie conſpicuæ, ad rupturam tumidæ (*e*). In primis vero auricula cordis dextra ſiniſtram, ex altera parte, ſuperabat, cum ſinu venæ cavæ ſic quidem coalita, ut, a ſe invicem non diſtinguenda, pro uno ſacculo, turgidiuſculo, habueris; ſollicite inciſa polypum dabat craſſiuſculum, ſpithama

longiorem, auriculam corpore contorto replentem, venam cavam ſuperiorem altera extremitate obſtruentem, membranaceum, multo cruore arctius cinctum (*f*); venæ jugulares, in utroque latere, pleniſſimæ.

D. Capite ſerra diſſecto (*a*), calvaria cum dura matre arctiſſime conjuncta cernebatur, adeo, ut hæc ſimul incidi, & cum cranio auferri, deberet; tum vero, penitus cum ipſo coalita, tamquam verum pericranium internum, ſine dilaceratione plenaria ab oſſe ſeparari non poterat (*b*); moles cerebri major, mollior, turgidiuſcula, erat (*c*); vaſa ſanguifera Piæ Matris, turgidiſſima (*d*); & in anterioribus cerebri ventriculis extravaſati ſeri portio ſatis conſpicua inveniebatur. Sic diem ſuum, ex polypo maxime, ſanguinis circuitum ſufflaminante, puella obiiſſe judicata eſt.

---

§. I.

UT Anatomen Pathologicam ſuas etiam difficultates pati *Bohnius* (*a*) probet, ad *Gliſſonium* (*b*) in primis provocat, haud perperam, ut ipſi videtur, monentem: *Anatomicos non infrequenter in ſuis obſervationibus lapſos fuiſſe, dum, quæ ad alium morbum ſpectant, alteri, cum quo ante obitum complicatus erat æger, adſcripſerunt.* Quanta igitur cum adcuratione circumſpicere in præſenti debebimus, ut ſuum cuique tribuatur, ne errorem toties erratum denuo erremus, qui puellam noſtram ex tricipiti quodam cerbero, ex rachitide, polypo, vermibus, ad vitæ exitum, laboraſſe didiſcimus; triplicisque hujus morbi luculenta ſatis veſtigia, diſſecto explicatoque corpore, obſervavimus.

§. II.

Primus ex his morbus, cum quo, quoad in vivis fuiſſe videtur, conflictari miſera hæc puella debuit, rachitis, ſine dubio, habenda eſt. Illam, enim, niſi a matre ſua, hæreditario veluti jure, adultam jam, accepit, primum tamen mali hujus fomitem, teneramque infantiam, perditiſſimis cachecticæ parentis ſuccis, & lacti hanc ob cauſſam nocentiſſimo, tribuendam eſſe, nemo facile negaverit. Primam igitur attentionem noſtram, primaſque lineas, occupet.

§. III.

(*a*) *Diſſertat. de exper. fallac.* §. 60. *Lipſ.* 1710. Ipſam tamen practicam anatomen propterea non negligendam putat; ſed varios potius auctores excitat, qui omnibus illam modis commendavere, *Euſtachium*, *Donatum*, *C. Piſonem*, *Riolanum*, *Tulpium*, *Helmontium*, *Wepferum*, alios; enim vero, id, quod artis adminiſtri peccavere, quis eſt, qui ipſi arti tribuendum cenſeat?

(*b*) *De rachitide*, c. 2.

§. III.

Seculum nunc, & quod excurrit, eſt, ex quo hic morbus infantibus potiſſimum, omnis generis calamitatem importans, in occidentalibus & auſtralibus Britanniæ oris cœpiſſe, communiter dicitur. *Franciſcus* enim *Gliſſonius* (*c*), qui, quidquid de hoc morbo habemus, primus nobiſcum communicavit, & ſuum de novo hoc affectu libellum, anno Seculi XVI quinquageſimo, Londini in lucem prodire paſſus eſt, quantum quidem ex aliorum relatione, diligenti facto examine, colligere potuit, triginta circiter retro abhinc annis primum innotuiſſe hunc morbum clare docet. Sed, qui ipſum nomine ſuo longe antiquiorem eſſe ſtatuant, non pauci inveniuntur. Sic ita, ut *Johannes Grauntius* (*d*) obſervat, in catalogis mortuorum, quotannis Londini typis publicis exſcribi ſolitis, the Rickets, rachitidem, ante annum ſeculi ſuperioris trigeſimum quartum, non occurrere; exinde tamen conficiendum ſtatim non putant, non inveniri aliud morbi genus in iſtis catalogis, ſub quo vel potuerit illa tum latere, vel debeat intelligi. Multa ſcilicet cum probabilitate *Heiſterus* (*e*) docet, hunc morbum tam novum non eſſe, ut vulgo creditur, oſtenditque, infantes, olim pro a diabolo ſuppoſitis habitos, re vera nihil aliud, quam infantes rhachiticos, fuiſſe. Et *Alex. Camerarius* (*f*) collectis undique & conſideratis phænomenis, cardiaca Germanorum & rhachitis Anglorum in quo non conveniant, quid commune ipſis non ſit, ſe omnino non invenire, neque differentiam aliquam eſſentialem vel deprehendere vel agnoſcere, aperte profitetur. Immo vero, eodem jure utuntur, qui *Galeno* & *Hippocrati* ipſum hunc morbum ſpinalem jam cognitum fuiſſe, ne quid optimum ſenem artiſque conditorem latuiſſe forte videatur, adſtruunt (*g*), quamvis nec apud hunc, nec apud illum, nomen rhachitis inveniatur.

§. IV.

(*c*) *Tractatus de rhachitide, ſeu morbo puerili*, **Rickets dicto**, *Londini*, ap. *Sadlerum*, 16. o. 8.

(*d*) *Graunts Annotations upon the bills of mortality.*

(*e*) *Progr. de rhacbitide, Helmſtad.* 1725. conf. *medicin. practic. compend.* p. 190.

(*f*) *Diſſert. de rhachitide, Tubing.* 1735.

(*g*) *Sultzberger diſſ. de rhachitide, Lipſ.* 1668. cap. 1. §. 5. *Quod rhachitidem concernit, jam antiquitus Hippocrates, ex ſpinali medulla graviſſime & difficillime homines ægrotare, haud obſcure innuit.* libr. de loc. in hom. *ex fluxione ſcilicet in medullam ſpinalem, tabem ſuboriri, occultam itemque ſyncopem, ſi illa in vertebras, & carnes, defluxerit, quæ omnia* lib. 2. de morb. *confirmat.* lib. 2. Prorrhetic. *expreſſe innuit, etiam, ſi ſua ſponte medulla ſpinæ ægrotaverit, hominem cruribus impotentem fieri;* Sect. porro, I. Aph. 25. *vertebrarum in occipitio introrſum luxationes morbis puerorum annumerat.* conf. *Jac. Sponius* Aph. Nov. Sect. 3. §. 71.

§. IV.

Parum noſtra intereſſet, novus ne, tranſmarinus hic hoſpes, haberi morbus deberet, an *Hippocrates* jam intus & in cute illum noverit; utrum Anglia, an Græcia (*h*), venenatam hanc prolem, hanc hydram vere lernæam, excluſerit; Tros Rutuluſve fuat; modo neſciret tranſmare latus hoſpitari! modo tenelli cunarum hoſpites tuti forent ab hoc hoſpite! Sed jam dudum eſt, quod experti didiſcimus, ad omnes illum populos, ad Gallos (*i*), ad Batavos (*k*), ad Germanos (*l*), frequentius divertere, utque indigenam plane decet, apud illos diverſari. Æquo pulſat pede pauperum tabernas, regumque turres (*m*). Toto notiſſimus orbe notas & ſcelerum ſuorum veſtigia ubique reliquit.

§. V.

Veſtigia, quibus rhachitis præſentiam ſuam manifeſtat, & luculenta ſatis ſunt, & numero non pauca. Inde eſt, cur hunc morbum ſyndromen plurimorum atque graviſſimorum ſymptomatum, quibus tenelli primis

(*h*) Neque claſſicus ille auctor, *Gliſſonius*, novit, unde Anglicum nomen, *the Rickets*, originem habeat, & a quo, quamque ob cauſſam, huic morbo impoſitum ſit. Collegium medicorum Regiorum, nomine, latina civitate donato, rachitidis, hunc affectum appellavit; non, quod illud deductum ſit ab Anglico *the Rickets*, cum quo caſu ſaltim coincidat, ſed, quia affecta in primis ſedes, ſpina dorſi, ſit, quæ Græcis ῥάχις audit. Notari, credo, meretur, eodem modo Germanorum vocabulum, *der Rucken*, quod dorſum eſt, a Græcorum ῥάχις pariter atque Anglorum *the Rickets*, non admodum diſſonare, rhachitidemque ſic commode ſatis, *die Rucken-Sucht*, dici poſſe.

(*i*) Gallia neutiquam excipitur; facile enim & impune transfretare potuit. *Lutetiæ Pariſiorum rhachitidem ſæpius ſibi viſam Arnold. Bootius* teſtatur. *Obſervat. medic. de affectib. omiſſ. cap.* 12. *Londini* 1649.

(*k*) Etiam Belgio valde gravis eſt. *v. Boerhaavius de cogn. & cur. morb. aphoriſm.* §. 1480. *ſqq.*

(*l*) Doctam profecto ſuam putarent ignorantiam, ſi, quid ſibi velit *die Engliſche Kranckheit*, neſcirent. Sed tam pulcre nobiſcum non agitur.

(*m*) *Horat. carm.* I. 4. 13. *Primeroſius* quidem notandum eſſe ait, vix umquam cerni rhachitidem in ruſticorum puerulis, ſed nobilium, maxime atque ditiorum civium cunis illam infenſam deprehendi, propterea, quod horum infantes mollius atque delicatius tractentur, *v. Camerar. cit. diſſ.* Aliam, non minus gravem, cauſſam *Platnerus* excitat, *Diſſert. de thoracibus* § 4. Lipſ. 1735. hab. *Hoc certe a veritate alienum haud videtur, dictum illum, & hac ætate adeo frequentem puerorum morbum, rhachitidem, cujus plures cauſſæ, fonteſque, ſunt, non raro ab hac gravidi ventris coarctatione oriri, ad minimum hanc, ſi materni corporis habitudo aliæque occaſiones præſto ſunt, non parum conferre.* Nihilo tamen ſecius, ruſticula noſtra, mollius, certe, atque delicatius, non tractata, communem hunc generis humani hoſtem & caſulas humi jacentes intrare, experta loquitur.

mis plerumque tribus annis obruantur, a pleriſque definiri videas. Sed, uti hæc ſymptomata, quoad gravitatem, ſibi non ubique æqualia ſunt; ita neque numero eodem apud omnes obſervantur. Eorum, enim, alia ad eſſentiam morbi pertinent; alia, vero, vel abeſſe & adeſſe, vel ad diverſum plane affectum, nunc cognitum ſatis, nunc plane latentem, ſpectare, poſſunt atque ſolent. Ut igitur, quæ in caſu noſtro obveniunt, rite diſtinguere, ſimulque, quæ eſſentialia rhachitidis ſymptomata, ſecundum *Gliſſonium*, ſint, quidve, in obſervatione noſtra, pro ſingulari, & non ubivis obvia, apparitione habendum, continuo quaſi oculorum obtutu & ſine temporis impendio, cognoſcere atque judicare poſſimus, en illa, quæ perpetuo adeſſe *Gliſſonius* (*n*) obſervavit, præmiſſa hic, &, *minori literarum forma*, exſcripta, adjectis noſtris, & breviter repetitis, annotationibus.

§. VI.

Quæ exterius, & denudato defuncto, ſtatim occurrunt, hæc fere ſunt:

(1) *Irregularis ſeu irrationalis partium proportio; caput nempe juſto majus, facieſque habitior, reſpectu reliquarum partium: atque hoc quidem in omnibus hoc morbo extinctis, quos hactenus vidimus, apparuit, unico tantum excepto, qui ſimul cum hoc affectu ſuppuratos habuit pulmones, phthiſique confectus eſt.* A. e. Sed facies noſtræ habitior non erat; tabes enim univerſalis nullum ullius pinguedinis veſtigium, neque in omento quidem, reliquerat; vermibus, ſcilicet, quidquid laudabile, depaſcentibus. (2) *Membra externa, muſculique totius corporis graciles & emaciati, quaſi atrophia vel tabe abſumti, cernuntur, atque hoc, quantum quidem ſcimus, perpetuo obſervatur in iis, qui ab hoc affectu intereunt.* A. a. & b. (3) *Cutis univerſa, tum vera, tum membrana carnoſa & adipoſa, flaccida & quaſi pendula, laxæque inſtar chirothecæ, apparet, ita, ut multo plus carnium eas continere poſſe putes.* A. c. (4) *Circa articulos, præſertim in carpis & talis, protuberantiæ quædam exſtant.* A. i. (5) *Articuli, artus, habituſque omnium externarum partium, minus firmi ac rigidi.* A. c. (6) *Pectus exterius macrum, & valde anguſtum, præſertim ſub alis, & a lateribus quaſi compreſſum, conſpicitur; ſternum vero nonnihil acuminatum, inſtar carinæ navis, aut pectoris gallinæ.* A. e. Sternum, hoc loco, non ita erat acuminatum; in genere vero pectus propterea anguſtum compreſſumque apparet, quia nullis carnibus inveſtitur. (7) *Coſtarum extrema, quibus cum cartilaginibus ſterni committuntur, nodoſa ſunt, quem ad modum de articulis carpi & tali diximus.* Hujus coſtarum excreſcentiæ & nodoſitatis nihil deprehendimus. (8) *Abdomen exterius quidem,*

(*n*) Cit. *Tr. de rhach.* cap. 2. p. 10. ſqq.

quidem, *reſpectu nempe partium continentium*, *macrum eſt*, *interius vero*, *reſpectu contentarum*, *non nihil prominens*, *tumidiuſculum ſentitur*. A. f. Integumenta communia, cum muſculis, valde erant extenuata; facile propterea, inteſtinis tumidis & hepati prægrandi, omnia abdominis viſcera urgente, cedere debebant. *Atque hæc obſervavimus nondum reſeratis ventribus.*

§. VII.

Nos, vero, ex obſervatione noſtra addimus, A. g. claviculam mirifice deformem, A. r. ſpinam dorſi extreme vitiatam; præcipue vero, A. h. oſſa brachii & femoris, non arcuatim, ſed in medio ad angulum fere, incurvata; notamuſque: (1) hanc oſſium brachii, ſive humeri, & femoris, curvationem rarius omnino occurrere, cum, contra, radius & ulna, cum tibia fibulaque, frequentius a linea recta aberrare ſoleant. Sic enim ingenioſæ illæ hypotheſi, quam *Jo. Mayow* (o) probabilem efficere, ſummo opere anniſus eſt, aperte vis infertur. Ita vero ille: *Liceat hypotheſin hanc noſtram exemplo illuſtrare*: *ſi arbori teneræ & creſcenti chorda ſuperius & inferius alligetur*, *ita tamen*, *ut eadem a chorda non tendatur*, *nullus dubito*, *quin arbor dicta*, *creſcendo*, (intra utramque ligaturam) *incurvabitur*. Nunc pergit: *radius & ulna*, *cum tibia*, *fibulaque*, *ſola in rhachiticis incurvantur*. *Oſſa*, *in hoc affectu*, *inter partes affectas*, *nutritionis reſpectu*, *numeranda non ſunt*; *non minus igitur*, *quam in ſanis*, *aluntur atque creſcunt*. *Partes*, *contra*, *nervoſæ & muſculoſæ*, *propter ſucci nervoſi defectum*, *non excreſcunt*; *& tibiæ in primis*, *ſuram conſtituentes muſculi*, *poſterius affixi ſunt*; *vices ergo ligaturæ illius in arbore ſuſtinent*, *idque efficiunt*, *ut*, *dum oſſa intra utramque muſculi inſertionem continuo creſcant*, *& elongari non poſſint*, *neceſſario*, *tamquam arcus a chorda*, *incurventur*. Ad experientiam tandem, cui vero noſtra obſervatio ex diametro contraria eſt, confidenter provocat, ſententiæ ſuæ majus adhuc pondus additurus: *In crure & humero*, *ubi oſſa a muſculis*, *ab omni latere affixis*, *æqualiter reſtringuntur*, *ea*, *in æquilibrio poſita*, *a nulla parte*, *niſi rarius*, *inflectuntur*; *cum tamen ea in longitudinem extendi nequeant*, *neceſſe eſt*, *ut in magnitudinem*, *uti fit*, *& aliquando etiam in nodos*, *excreſcant*. (2) Deinde vero neque hoc, quod hæc oſſa non arcuatim, ſed ad angulum quaſi, (ſicuti non numquam oſſa fracta, minus recte tractata, coaleſcunt) incurvata fuerint, ex ſua *Mayowius* hypotheſi commode ſatis explicare poterit. Ejus, enim, ut largiſſimus ſim, exemplo utar: ſi linea quævis, intra eoſdem terminos elongatur, neceſſe eſt, ut ea, a recta, in obliquam, non, vero, in duas, angulum obtuſum conſtituentes, mutetur; id quod tamen oſſibus brachii & femoris, ſecundum obſervationem noſtram, fere contigit.

§. VIII.

(o) *Opera omnia medico-phyſica*, *Tr. V. de rhachitide*, *Hag.e-Comit.* 1681.

§. VIII.

Aperto abdomine hæc porro notavimus : (1) *Hepar*, *in omnibus a nobis diſſectis*, *juſto majus*, *alias autem non male coloratum*, *neque valde induratum*, *aliove aliquo vitio notabili contaminatum*. B. f. (2) *Lienem non contemnendum*, *ſive magnitudinem*, *ſive colorem*, *&* *ſubſtantiam ejus ſpectes*. B. g. (3) *Aquam ſeroſam*, *in cavitatem abdominis elapſam*, *aliquoties vidimus*, *ſed neque frequenter*, *neque eam valde copioſam*; B. d. Supra quidem, copioſe collectam, diximus, quod nemo tamen, ad menſuras, libraſve, interpretabitur; omnem humorem ſpongia paullatim ebibit. (4) *Ventriculum & inteſtina*, *non nihil ultra morem ſanorum*, *flatibus repleta*, *quæ*, *ex parte*, *cauſſa eſſe poteſt tenſionis hypochondriorum*, *ſupra memoratæ*. B. a. (5) *Meſenterium aliquando inculpatum*, *aliquando glandibus juſto majoribus*, *ſi non ſtrumis*, *affectum*. B. e. (6) *Renes*, *ureteres*, *veſicam*, *niſi alius adfuerit morbus*, *ſatis ſanos*. B. g. Omenti *Gliſſonius* mentionem non facit; illud tamen, B. h. parvum, tenue, & omni pinguedine deſtitutum, deprehendimus; id quod, ſine dubio, tabi illi univerſali adſcribendum, quæ puellam noſtram paullatim conſumſerat; vel humori in abdomine collecto. Forſan & lumbrici illi teretes, quos ileum inteſtinum continebat, B. b. partem de tunica, ut ita dicam, ſibi ſumſere. His tenellorum tortoribus rhachiticos haud raro excruciari, *Camerarius* (*p*) etiam expertus eſt: *Neque vermium*, inquit, *hic oblivifcar*, *qui comitari malum*, *quin adgravare*, *admodum frequenter ſolent*. Alios conſulere nunc non vacat. Multum probabilitatis tamen hæc res mihi habere videtur; in primis quidem, ſi cauſſam illam meditor atque perpendo, unde lumbricorum in infantibus originem, ſubtilitate prorſus veriſimili, *Ettmullerus* (*q*) deducit, quæ, quod frequentem cerealium uſum, ventriculique debilitatem, attinet, meam, ad minimum, pauperculam puellam, verminare fecit.

§. IX.

Detracto ſterno, *in thorace*, *hæc ſeſe oſtentarunt* : (1) *Adnaſcentia quædam pulmonum cum pleura*, *quæ in omnibus*, *quos hactenus diſſecuimus*, *plus minuſve adfuit*. *Arbitramur tamen contingere poſſe hunc affectum ſine hujuſmodi coaleſcentia*, *licet ea in progreſſu morbi plerumque ante obitum ſuperveniat*. Et recte quidem arbitratus eſt; nos enim pulmones pleuræ adnatos non deprehendimus, C. a. quod polypo forte, conſuetum, per pulmones, ſanguinis circuitum turbanti, tribuendum. (2) *Pulmonum infarctus*, *non minus frequentes*, *præſertim in ipſis partibus adnaſcentibus*. Horum

(*p*) *Diſſert. cit. de rhach.*
(*q*) *Valetudinar. infantil.* cap. 2. §. 24. *Opp. omn.* Lugduni 1685.

Horum nihil vidimus; pulmones enim ſani erant. C. r. (3) *In cavitate thoracis vidimus aliquando aquas ſeroſas, collectas, & frequentius quidem, quam in cavitate abdominis, non tamen in omnibus.* In thoracis cavitate nihil humoris extravaſati hærebat; ſed pericardium illo tantiſper diſtentum offendebatur; quem venæ cordis coronariæ, ſanguine ad rupturam tumidæ, ploraſſe facile poſſunt; C. b. C. d. forſan & auricula cordis dextra, polypo nimium extenſa, ſymbolam ſuam conferente. (4) *Thymus in puerili ætate ſemper magnus ſolet deprehendi; & forte adhuc major in iis, qui ex hoc morbo intereunt.* Concedo, ſed nihil confirmo. Nam, ut ingenue fatear, attentionem meam huc non direxi. Putarem tamen ſi præter naturam major, prægrandiſque, fuerit, oculos illum meos ita plane non effugiſſe. Hos vero omnes alliciebat, & ad ſe quaſi trahebat, auricula illa cordis dextra, C. c. quam duplo, ac naturaliter eſſe debebat, majorem, cumque ſinu venæ cavæ in unum ſacculum coalitam, mirari utique, cum præſentibus aliquot commilitonibus meis, debebam. Sed de hac apparitione, hoc loco, non ſatis opportuno, nunc non plura.

§. X.

Cranio, tandem, orbiculatim ſerra circumſciſſo, ejuſque operculo ſublato, hæc obſervavimus: (1) Duram matrem firmius, atque in pluribus locis, quam ſolet in adultis, cranio adhæſiſſe; forte idem obſervari poteſt in aliis pueris, hoc morbo non affectis, licet, ut opinamur, non tantopere; ſiquidem certum eſt, in recens natis multas eſſe arctas connexiones pericranii cum dura matre, quæ poſtea abrumpuntur, vixque notari poſſunt. Quæ ſupra, retuli, totidem verbis repetam: capite ſerra diſſecto, calvaria cum dura matre arctiſſime conjuncta cernebatur, adeo, ut hæc ſimul incidi, & cum cranio auferri, deberet; tum vero penitus cum ipſo coalita, tamquam verum pericranium internum, ſine dilaceratione plenaria, ab oſſe ſeparari non poterat (*r*). (2) *Inter duram & piam matrem, atque in ipſis ventriculis cerebri, ſeroſas aquas in nonnullis a nobis diſſectis reperimus, unde patet, affectum hunc cum hydrocephalo complicari poſſe.* Itidem

(*r*) Tam ſpecioſis nuper argumentis ſyſtema illud ſuum de motu cerebri & duræ matris *Baglivus*, & cum ipſo *Pacchionus*, exornatum corroboratumque propoſuerunt, ut eorum, qui artem noſtram plane tenere, &, geometrarum rigore veritates ſuas demonſtrare poſſe, putabantur, haud ſane paucos in partes ſuas mox, acciperent, & nemo plane eſſet, qui has ſubtilitates, hypotheſin ex cerebro natam. & caduca principia, habere atque declarare auderet. Sed *Fantonus* tandem feliciſſime id auſus eſt, atque hanc ſententiam adeo evertiſſe, ut ſpes ſit, illam in ora hominum non facile redituram eſſe, nunc cenſetur. Hoc in primis argumento, cum amicis ſuis, uſus eſt: *Duram matrem ſuturis omnibus, margini oſſis petroſi, eminentiis cranii,* quæ

Itidem nos in anterioribus cerebri ventriculis ſeri extravaſati aliquid invenimus, quod unum alterumve digitale vix impleverit. D. d. 3) *Cerebrum in aliis a nobis diſſectis ſatis firmum, & inculpabile, neque illuvie ſeroſa inundatum deprehendimus.* Molem cerebri majorem, molliorem, turgidiuſculam, obſervavimus; D. d. Sed unius effectus plures poſſunt eſſe cauſſæ. 4) *Et ultimo obſervavimus jam aliquoties in corporibus noviſſime a nobis apertis, carotides juſta proportione ampliores fuiſſe; ſimiliter quoque venas jugulares; arterias vero venasque, ad exteriores partes delatas, multo exiliores debito exſtitiſſe.* Et nos quoque ultimo vidimus vaſa ſanguifera piæ matris turgidiſſima, D. c. & venas jugulares in utroque latere pleniſſimas.

§. XI.

Poſſemus nunc, his jam rite præmiſſis, ad declarandam ipſius hujus morbi eſſentiam, properare. Hoc vero a fine, quem propoſitum nobis hac vice habemus, nimium longe nos abduceret. Partim, enim, quæ alii rachiticorum fata obſervarunt, confirmare, partim, quæ ſingularia nobis viſa ſint, indicare, atque ex his tandem atque illis, quæ naturalis & præternaturalis hominum ſtatus cognitioni velificare videantur, deducere, animum maxime induximus. In amœnam tamen camporum viciniam non mihi exſpatiari, credimus, licebit. *Cum enim rachitidem, affectum, ex inæquali ſucci nutritii & ſpirituum diſtributione obortum, ob cujus defectum vel ſuperabundantiam partes aliæ nutrimento privatæ marceſcant, ac emacientur, aliæ, vero, plus ſatis nutritæ ad molem juſto majorem augeantur*, a plerisque omnibus pathologiæ doctoribus definiri videam, ab omni, placido tamen, commentariolo, me prorſus abſtinere non poſſum.

§. XII.

Eſt utique rachitis, id quod facilis concedo, inæqualis nutritionis quædam ſpecies. Carnes, enim, paulatim conſumi, oſſa, vero, & eorum in primis extremitates, excreſcere, nimiumque augeri, in ipſos oculos,

quæ falciformes & tranſverſos ſinus ſuſtinent, firmiſſime, deinde omni omnino ambitui oſſium frontis, multiformis, ſincipitis, occipitis, temporum, in junioribus tenaciſſime, valide etiam in adultis, vel utraque, uti plerumque, lamina, vel una, ubi altera recedit ab oſſe, ita adhærere, ut in homine ſano non videamus, qua potentia poſſit dura mater aut ab oſſe recedere, aut ad os accedere propius. vid. *Hallerus ad Prælect. Academic Boerh.* Vol. II. p. 364. ſqq. Sed omnem ſine dubio argumentationem quam longiſſime exſuperaverit, illa ad oculos demonſtranda, puellæ noſtræ, cum calvaria, in omnibus ubique punctulis firmiſſime connata coalitaque, dura mater. Quæ quidem nunc, difficillima hac quæſtione ſoluta, & omni lite jam confecta, hunc utilitatis hac in cauſſa fructum habitura eſt, ut crambem hanc, ſi venia verbo, nemo niſi argumenti hujus virtutem plane non deguſtatus, denuo nobis apponere audeat.

los, qui præſtantiſſimus ſine dubio ſenſus eſt, incurrit. Atque ſic quidem, ea, quæ video, generaliori, a ſingularibus deducta, abſtractione, accurate ſatis eloquor. Nec ullum, fateor, dubium eſt, quin hæc definitio, quod ad genus attinet, in ſemeiotica, in illa doctrina, quæ de iis, quæ ſenſibus patent, exponit, additis ſcilicet reliquis ſympomatibus, hunc morbum ab alio, non ita diſſimili, omnino diſtinctum efficere poſſit.

§. XIII.

Sed medici, morbos definientis, primarius extra controverſiam finis eſt, ut fomitem mali, ut adæquatam, & proximam adeo, morbi cauſſam, modumque, quo agat, & ipſe cognoſcat, & alios ſimul edoceat. Medicus, enim, eſt, atque dicitur, non, ut morbos diſtinguere ſatis ipſi ſit, ſed, ut promte ipſis medeatur. Optime vero, cognita cauſſa, effectus demum tollitur. Cauſſam, igitur, modumque, quo agat, in definitione, hactenus recepta, non ſuppeditari, probare debemus. Atque hæc res multam difficultatem non habet. A priori, hoc eſt, ex ipſa nutritionis notione, probationem noſtram deducamus.

§. XIV.

Hæc duo, nihil præterea, ad nutritionem requiruntur: 1) ut ſuccus laudabilis, quo quid nutriri poteſt, ſufficienti quantitate adſit; 2) ut ſuccus ille nutritius, ad partem nutriendam rite pertingere, atque ſic ipſi adplicari, poſſit. Virtute igitur oppoſitorum conſequitur, duplicem omnis atrophiæ, ſive conſumptionis, cauſſam, nullam præterea, eſſe poſſe: 1) ut ipſe ſuccus laudabilis non ſit, ſed ratione qualitatis ſuæ peccet; 2) ut ille, ſatis quidem laudabilis, ad nutriendam partem, ſufficienti quantitate, pertingere non poſſit. Sed inæqualis nutritio ſtatus quidam mixtus eſt; nutritionis, igitur, & atrophiæ, cauſſæ, ad hunc producendum, ſymbolam ſuam conferunt. Scilicet, 1) ſi ſuccus laudabilis omnino eſt, impedimentum adſit, oportet, quo minus, non ad omnes æqualiter partes, pertingere poſſit; 2) ſi ſuccus non plane laudabilis eſt, itidem cauſſa quædam adeſſe debet, quæ partem laudabilem, non promiſcue modo huc modo illuc, ſed ad certum quemdam locum perpetuo, derivari patiatur.

§. XV.

Hæc, ſine mora, ad receptam rachitidis definitionem accomodemus. Concedimus, illam eſſe inæqualis nutritionis ſpeciem; concedimus, hanc inæqualem nutritionem, ab inæquali ſucci nutritii diſtributione, recte derivari. Sed in hac cauſſa acquieſcere nondum poſſumus. Nimis illa remota

remota eſt. Amplius adhuc quærendum, amplius reſpondendum eſt. Quæ, ſcilicet illa eſt ratio, propter quam ſuccus nutritius inæqualiter diſtribuitur? Propter quam aliæ partes in vigore ſuo conſervantur? Aliæ vero, neglectæ pro ſus, macie paullatim pereunt? Ipſa interim remota hæc cauſſa facile efficit, ut proximam invenire poſſimus. Sic enim pergimus: utrum forte culpa in ipſo ſucco nutritio, quoad partem tantum laudabili, hæret? An impedimentum aliquod adeſt, quo minus, ad omnes æqualiter partes, ille, ſatis laudabilis, derivari poſſit? Probabilis ſatis ad hæc reſponſio id efficiet, ut amplius quærere non poſſis. Tum demum vero intelliges, cauſſam tuam remotam in proximam decenter eſſe immutatam.

§. XVI.

Ad propoſitas has quæſtiones varii varie, & ſumma non nulli cum probabilitate, reſponderunt; ut adeo, ſi modo voluerint perfectiorem rachitidis definitionem dare, utique potuiſſent. Noſtra vero, cur noluerint, ſcire, nihil refert; dummodo conceptus præſto nobis ſint, quibus eam ipſi emendare poſſimus. Sed ego quidem ſequentem in modum illam emendarem: *rachitis eſt morbus infantilis, a ſucco nutritio, viſciditatem reliquorum humorum, & teneriorum vaſorum obſtructiones cauſſante, oriundus, carnium in primis atrophia & nimia oſſium nutritione, cum articulorum nodis & ſpinæ dorſi inflexione, ſeſe manifeſtans*; atque, ſi per inſtitutum liceret, omnium ſymtomatum, quæ hunc affectum utplurimum comitari ſolent, originem atque rationes, me ſine difficultate reddere atque deducere ex illa poſſe, confiderem.

§. XVII.

Sed de rachitide jam ſatis. Nunc de polypo, qui puellam noſtram ſubita morte peremit, pauca adhuc nobis diſſerenda ſunt. Cujus quidem accuratiori conſiderationi eo lubentius nos accingimus, quo omnino plura ſunt, quæ illam a nobis poſtulare videntur: ſive eorum exiſtentiam in genere ſpectes; ſive apparitiones illas, quas in præſenti caſu offendimus; ſive tandem, quod cum rachitide, rariſſimo prorſus exemplo, complicatus ille fuerit. Ignoſcent vero mihi, quod confidentiſſimus ſpero, *Th. Kerckringius* & *Andr. Paſta*, *Bergomas*, ſtrenui illi polyporum, in vivis exiſtentium, oppugnatores, quod clariſſima nunc edoctus experientia, illorum opinionibus, contraria opinione, adverſari audeam. Ac illius quidem pii manes moleſtiarum nihil abs me perpeſſuri ſunt. Optimi enim viri rationibus, (*s*) quibus, polypum ante mortem exiſtere perne-

(*s*) *Spicileg. Anatomic. Obſerv.* LXXIII. *Pſeudopolyp.*

pernegarat, &, poſt obitum demum concreſcere, defenderat, a *Malpighio* (*t*) *Mangeto*, (*u*) *Peyero*, (*x*) aliis, jam dudum ſatis reſponſum eſt, meritoque omnis hæc controverſia deinde conticuit. Neque vero etiam *clariſſimo viro, Andr. Paſtæ*, (*y*) cui, hoc bellum revocare, nuper placuit, ipſe bellum nunc facturus ſum. Quamvis enim, multa adhuc ſupereſſe ſciam, quæ doctiſſimo cauſæ *Kerckringianæ* defenſori reponi poſſint; rem tamen omnem in pauca conferre, & argumento, ab experientia noſtra deducto, polyporum in vivis exiſtentiam propugnare, ſatius videtur.

§. XVIII.

Vidimus nempe, nec, quod videre forte voluimus, nec ſoli quidem, ſed aliquot commilitonibus comitati, auriculam cordis dextram, ſiniſtram, ex altera parte, quoad magnitudinem, exſuperantem, cum ſinu venæ cavæ ita prorſus coalitam, ut, a ſe invicem non diſtinguenda, pro uno ſacculo, turgidiuſculo, habuerimus; incidimus deinde illam, atque polypum craſſiuſculum, membranaceum, multo cruore induratoque ſanguine, arcte veſtitum, auriculam, contorto ſuo corpore, replentem, ſpithama longiorem, adeoque venam cavam ſuperiorem, ſive aſcendentem, altera ſua extremitate obſtruentem, invenimus, protraximus, & omnibus noſtris oculis attenti conſideravimus. C. e.

§. XIX.

Unicam hanc obſervationem, omnibus illis opponimus argumentis, quibus, polypos in vivis animalibus generari poſſe, imo, plures dies, menſes, annos, ante obitum, generatos fuiſſe, vel pertinaciſſimi hactenus impugnari poſſe putaverunt. Dicant, ſi placet, ſi quam ingenio comminiſci cauſſam poſſunt, quid alteram hanc auriculam alteri tam diſſimilem effecerit? Cogitent, ventriculum cordis dextrum fuiſſe omnino conſtrictum, & omni ſanguine vacuum; cogitent, ſanguinem per pulmones, exiguos quidem, ſed naturaliter conſtitutos, libere potuiſſe circulari: ut adeo, ab hac parte, nulla reſiſtentia fingi quidem poſſit, quæ ſanguinem venoſum in auricula, & venæ ſinu, retinere, & illam paullatim, ad tantam diametrum, diſtendere potuerit; cogitent, luſum quempiam, aut aberrationem, naturæ, gratis aſſumi, & in ſubjecto, in

(*t*) *Opp. Tom.* II. *Tr. de Polypo Cordis.*
(*u*) *Biblioth. Anatom.* Tom. II.
(*x*) *Parerg. Anatomic.*
(*y*) *Andreæ Paſtæ, Bergomatis, Epiſtolæ ad Alethophilum duæ, altera, de motu ſanguinis poſt mortem, altera, de cordis Polypo in dubium revocato.* Bergomi, 1739. vid. *Act. Erudit.* Nov. A. 1739. *M. Febr.* p. 79. *ſqq.*

in quo, quoad conformationem partium, nihil præter naturam exſtitit, ſecundum leges probabilium, expectari non poſſe.

§. XX.

Sed ad illa quoque phænomena, quæ polypi, ſive corporis alicujus peregrini, vaſa obſtruentis, præſentiam, probabilem efficere ſolent, quæque in ſubjecto noſtro comparuere, paulisper nobiſcum attendant. Et ita quidem attendant, ac ſi ipſum puellæ corpuſculum, diſſectum, manibusque explicatum, oculis eorum, manibusque, objectum ſit. Adeſt, primo loco, ventriculus cordis dexter, in ſyſtole ſua conſtitutus, omni ſanguine inanis; C. e. adſunt pulmones, exigui, collapſi, ſanique, & nullo, neque arterioſo, neque venoſo, ſanguine, turgentes; (z) C. a. conſpiciendus adeſt ſinus venæ pulmonalis, auricula ſiniſtra, ventriculus ejusdem lateris, omnes, ſanguine non diſtenti. (*a*) C. c. Quam vero venæ cordis coronariæ, diſtinguendæ, & ita ſanguine turgentes, adſunt, quaſi jam diu depleri non potuerint? C. d. Adeſt in pericardio ſeroſitatis collectæ (b) quædam portio, per auriculæ dextræ & venularum poros probabiliter percolatæ; C. b. conſpicimus venas jugulares, vaſa ſanguifera piæ matris, ſanguine pleniſſima, ob impeditum in venam cavam, ſinum, auriculamque, deſcenſum; C. f. D. c. ipſa in cerebro effracta vaſa, molliorem cerebri habitum, humorem in ventriculis exravaſatum; (*c*) D. b. D, d. & duram tandem matrem, calvariæ arctis-

(z) Vide, quam obſervationi noſtræ ſimilis illa ſit, quæ a *Scheuchzero*, apud *Breslavienſes*, A. 1723. M. Dec. conſignata legitur: *in ipſo corde, vitæ aliis fonte, heic mortis cauſſa. Fuit auricula dextra, triplo major, ſiniſtra, excreta prorſus concretione polypoſa. Et planum eſt, ex ſectione conjicere, interruptum ſanguinis circulum, mortis cauſſam, cœpiſſe in dextra cordis auricula, & ejusdem lateris ventriculo, & inde nihil prorſus tranſire potuiſſe ad pulmones.*

(*a*) Nulla enim cauſſa erat, quæ has partes diſtenderet; talem vero *Guilielm. Cowper* obſervavit: *cor vere flaccidum erat, & amplum; ventriculus dexter & vena cava polypos haud exiguos continebant; vena pulmonalis, prope cordis baſin, nimium dilatabatur, ventriculus cordis ſiniſter parvum polypum, multumque ſanguinem grumoſum, recondebat.* vid. Tranſact. Philoſ. Angl. A. 1712. n. 335. & Act. Erudit. A. 1713. p. 449.

(*b*) In hominis, polypo cordis demortui, pericardio ſerum, loturæ carnis, ſimile, ad aliquot uncias, repertum eſt. *Breslavienſes*, A. 1723. M. *Septembr.* p. 326. *Pericardium, aqua refertum*, vid. infr. §. 24. allegatam ex *Boneto* obſervationem. In eodem magnam ſanguinis copiam invenit *Ramazzini*, *Conſtitut. Epidemic.* A. 1691. §. 21. *Opp. Omn. Genev.* 1717. p. 171. *Nuper apud nos vir ſexagenarius, præpinguis habitus, ſubita morte opetiit; diſſecto cadavere, ad explorandam mortis cauſſam, ex pericardio fere duæ libræ concreti ſanguinis extractæ ſunt, ac in trunco arteriæ magnæ aſcendentis inventus polypus, lacertulæ longitudinem & magnitudinem referens.*

(*c*) *Vaſa cerebri ſanguine turgida. Breslavienſ.* A. 1722. p. 389. *Summa cerebri humiditas & humorum frigidorum ad nervos defluxio, imbecillitatis crurum cauſſa eſt*, *Bo-*

net

arctiſſime adhærentem, adglutinatamque (*d*) D. a. Hæc, ut decet, ſimul ſumta, nunc ſpeculemur. Potuit ne polypus, in ipſo mortis articulo generatus, auriculam ſinumque adeo diſtendere, ut, extracto ipſo, nullum, ullius inter utrumque diſtinctionis, veſtigium deprehendi potuerit? Quæ illa allegari cauſſa poteſt, quam ob rem calvariæ dura mater tam perfracte adhæſerit, ut ſine dilaceratione ſeparari non potuerit, ſi a polypo venas jugulares, vaſa utriusque Menyngis, ſanguine penitus oppleta eſſe, ſi per hæc vaſcula ſubtile ſerum tranſſudaſſe, &, concretione ſua, oſſium parietem cum menynge conjunxiſſe, perfractius longe, negamus.

§. XXI.

Hæc polyporum exempla, quibus hactenus, quæ præcipua nobis viſa fuere, illuſtravimus, ſimul quoque confirmant, illos multo hodie frequentius, quam majorum noſtrorum ætate, ſolicita magis anatomicorum opera, inveniri. Perpauca, enim, ex morbis chronicis demortuorum cadavera, diſſectorum cultro ſubjiciuntur; ex quorum venis majoribus, ſinubus cerebri, cordis auriculis atque ventriculis, ejusmodi polypoſas concretiones, magno numero extrahi non videamus. Sed, ſicuti tenella ætas huic morborum generi expoſita eſſe nequit; ita quoque polypi rariſſime in infantibus occurrunt. Vel hoc igitur, nomine, puellæ noſtræ, tres annos natæ, polypus, dignus videri debuit, cujus memoriam, commentatione noſtra, conſervaremus.

§. XXII.

Aliam, non minus opportunam, ſufficientemque, rationem *Teichmeyerus* (*e*) quidem allegat: *Naſcuntur*, ſcribens, *plerumque polypi ab effectibus vehementiſſimis, terrore, nempe, metu & ira. Quoniam vero in junioribus infantibus affectus animi fortiores tales locum non inveniunt, nec regnant ita, uti in adultis, ideo rariſſime polypi in corporibus infantum inveniuntur.* Sed, cauſſa hæc, & varias admittit exceptiones, cum infan-

net. Sepulchret. Lib. II. Sect. VII. Obſ. 66. Hæc vero, in puella rachitica, obſervata fuiſſe, partim exinde intelligitur, quod auctor, *Fabrit. Hildanus*, Centur. 17. Obſ. 74. adjicit: *tot morbos in hac puella complicatos fuiſſe, ut ne quidem Æſculapius ipſam a morbo liberare potens fuiſſet*; partim ex eo, quod alibi addidit: *puella, a morbis complicatis extincta eſt: ſpina dorſi, a continua defluxione humorum ex capite, adeo erat emollita, adeoque vertebræ relaxatæ, ut figuram hic adjunctam . . . referrent. Prima incurvatio ſiniſtram partem pectoris occupabat; altera, e regione hepatis, cet.* v. laud. *Bonet. Sepulchret. Lib.* II. *Sect.* XII. *Obſ.* 3.

(*d*) Idem modo laudatus *Cowper* obſervavit: *In capite mater dura cum ſuperiori calvariæ parte arctius cohærebat, quam ut potuerit ſeparari; ex ſuprema cerebri vena, quæ ſinus falciformis ſuperior audit, eximebatur polypus.*

(*e*) *Inſtitut. Medic. Patholog.* P. II. Sect. VII. c. 1.

fantes, ut hoc utar, iracundia magis ſæpe exardeſcant, quam adulti; & plures quoque ſocias habet, quibus polypi origines & natales ſuos debere ſolent. Ipſe propterea pergit excitatus auctor: *Interea duos polypos in infante quindecim menſium obſervavi; & Bonetus in ſepulchreto anatomico quoque communicavit obſervationem de polypo in infante obſervato.* *Boneti* (*f*) vero obſervatio hæc eſt: *Filiolus N. per 4. aut 5. dies tuſſi, febricula, laboravit; & intra biduum extinctus eſt: pulmones mortui, ſanguine ſtagnante infarcti, reperti ſunt: dum vero lethi adeo ſubiti cauſas adhuc rimamur, corde diſſecto, in ſinubus polypi ingentes animadverſi.* His duobus exemplis tertium adhuc lubentiſſime addo, partim propter aliquam, quæ ipſi cum caſu noſtro intercedit, ſimilitudinem; partim vero, & maxime quidem, quia *optimum* quondam, *ſanctiſſimæ* nunc *memoriæ*, *præceptorem*, *Schacherum*, illum, inter cimelia ſua anatomica adſervatum, attente conſiderandum, mihi exhibuiſſe, ſumma cum voluptate, recordor. En ipſa *ejus* (*g*) verba: *Sane egomet ipſe plures ejusmodi polypos aſſervo, qui adeo compactam conſiſtentiam ſunt adepti, ut haud difficulter in plures laminas reſolvi poſſent. Eos inter memoratu eſt dignus, qui in infantis quatuor annorum (ex catarrho ſuffocativo, vehementiſſimis cordis palpitationibus ſtipato, demortui) corde generatus eſt; is namque ex una ventriculi dextri parte ſeu cono aſſurgens, & paullatim lateſcens, valvulisque tricuſpidibus inſtratus, non modo auriculam (dextram) quoad maximam partem replet, ſed & ramum inſignem in arteriam pulmonalem ſpargit.*

§. XXIII.

Secundo, nunc, loco neque illud ſilentio plane præterire, ſed diligenter potius notare, debemus, quod hic infantis noſtri polypus non ſolum in auricula dextra (*h*) delituit, ſed etiam, & in primis, quod ſinum auriculamque (*i*) tam mirifice diſtendit, ut nullam adeſſe auriculam, ſed ſacculum venæ cavæ ampliſſimum in ejus locum ſucceſſiſſe, putaveris. Hæc, enim, apparitio firmiſſimum nobis argumentum ſuppedi-

(*f*) *Sepulchreti, ſive, Anatomiæ Practicæ*, Lib. II. Sect. XI. Obſerv. *6.*

(*g*) *Programm. Academic. de polypis. Lipſ.* 1721.

(*h*) In infante, V. annorum, & ſiniſtra quidem cordis auricula, polypum jam a *Riverio*: *Cent. I. Obſ.* 82. inventum, *Ramazzini*, *Opp.* p. 170. lepide deſcribit: *refert quoque Riverius, puerum V. annos natum, ex catarrho decumbentem, poſtmodum lipothymia correptum, ſubito inetruſſe: aperto vero cadavere. in ſiniſtra cordis auricula materiam craſſam, & compactam, repertam ſuiſſe, quæ, ut ipſe ait, laridum coctum referret, cui polypi nomen non indidit hic auctor, cum nondum in microcoſmico erythræo polypos expiſcata eſſet anatomicorum ſolertia.*

(*i*) Magis adhuc mirabilem, ſtupendamque, auriculæ expanſionem *Eduardus Tyſon* obſervavit: *cor admodum amplum erat; dextra auricula & ventriculus unam efficiebant cavitatem largam & indiviſam, cui latus inerat polypus* vid. *Tranſact. Anglic.* A. 1687. M. Aug. n. 188. & *Act. Erudit.* A. 1688. p. 282.

peditat, hunc polypum, & in vivo infante generatum fuiſſe, & non nudius demum tertius, ſed multo ſatis ante tempore, cœpiſſe, atque ad hanc maturitatem paullatim perveniſſe. Deinde, etiam, puellam, vario morborum genere, ſatisque diu, vexatam, ex polypo tandem diem ſuum, ſubitiſſima morte, obiiſſe, propter turbatum & ſufflaminatum, auricula penitus oppleta, ſanguinis circuitum, ſic ſine difficultate judicari potuit.

§. XXIV.

Tertio, tandem, eoque ultimo, loco, memorandum reponimus, polypum in infante rachitico, rariſſimo exemplo, repertum. Unicum, enim, quod huic ad latus ponam, a *Boneto* conſignatum invenio; neque vero etiam ſub rachitidis & polypi, ſed ſub *tabis*, *a multiplici vitio partium imi ventris & thoracicarum*, titulo. Ob ſummam, quam cum obſervatione noſtra habet, conſenſionem, utramque hoc loco conjungendam putavi: *puella* annorum circiter ſex fuit: cum *toto vitæ curriculo morbis obnoxia* fuiſſet, præſertim vero *tumoribus œdematoſis circa articulos manuum:* quibus apertis oſſa corrupta inveni, nulla tamen fere materia aderat; dein palpitatione cordis & aſthmate divexata, tandem *atrophia* periit. Abdomine aperto, *omenti pinguedo abſumta erat; meſenterii glandulæ ſcirrhoſæ; hepar a naturali magnitudine, utpote plus juſto magnum, recedebat;* ventriculus chylo vacuus, flatibus diſtentus; *pericardium diſtentum, aqua refertum; cordis auricula dextra prætumida, cui inerat materia quædam alba, membranoſa, craſſa, oblonga;* in ipſo autem dextro cordis ventriculo, materia, pinguedini ſimilis.

§. XXV.

Hæc horum exemplorum raritas facile perſuadet, fortuitam tantum haberi debere utriusque hujus affectus, in eodem ſubjecto, ſocietatem; id quod vel ex eo quoque confirmatur, quod multi ex rachitide convaleſcant, veri autem & adulti polypi diſcuſſio difficillima longe ſit, immo vero, ex ſignis maxime ambiguis, (*k*) de illius præſentia, conjecturari debeat. Nihil, interea, prohibet, quo minus periculum faciamus, quo uſque, in detegenda aliqua cauſſarum connexione, aſcendere nobis, per conjiciendi facultatem, liceat. Haud multum abeſt, quin cum *Propertio* (*l*) dicamus:

Ingenium nobis noſtra puella facit. §. XVI.

(*k*) *Non neſcio, quam difficile atque abſtruſum ſit polypum cognoſcere, quod tamen aliquando non ſine artis honore factum fuiſſe legimus in* M. N. C. D. III. A. I. *App.* p. 5. *Nuper vero ſignum polypi diagnoſticum, & illud quidem certiſſimum ac univerſale, in lectionibus publicis therapeuticis, tradidit Cel Rivinus noſter, titillationis, nempe, inſpirationis & exſpirationis tempore, circa cor contingentis, ſenſum.* Sic *Behrens ap. Breslav. A.* 1722. M. *Apr.* p. 393.

(*l*) Lib. II. Eleg. I. v. 4.

§. XXVI.

Ut cauſſas illas omnes, quæ polypos producere poſſunt atque ſolent, perſpectas rite, & quaſi præſentes, habeamus, ante omnia neceſſum eſt. Illam igitur de nutritionis negotio doctrinam, quam ſupra exorſi ſumus, jam nunc perreximus. Scilicet, ut partes omnes nutriri, & in debito vigore ſuo conſervari, poſſint, primo loco, ſuccum nutritium laudabilem requiri, diximus. Hæc illius, ut ita dicam, laudabilitas, duplici in primis modo præſtatur: præparatione, antequam cum ſanguine commiſcetur; ulteriori, poſtquam vaſa, ſanguinem vehentia, penetravit, elaboratione. Sic, ſua natura, clarum eſt, & ſponte ſua conſequitur: eodem modo peccari debere, ut ille illaudabilis efficiatur. Jam vero, cum rachitis & polypus origines ſuas, ſucco, haud rite, præparato, debeant; & eadem oppoſitorum virtus ſit; brevitatis cauſſa, quibus modis, & præparatio, & ulterior elaboratio, vitiari poſſe videatur, videamus.

§. XXVII.

Si nulla præſto eſt materia, ex qua ſuccus nutritius præparari debet; hoc eſt, ſi omni cibo potuque ſtrenue nobis carendum eſt; tunc ſane nec bonus nec pravus ſuccus conficitur: ſed de coacta hac abſtinentia, vel cogitare, quidni philoſophari, moleſtum. Igitur tres potiſſimum modi, quibus præparationem utplurimum peccare facimus, relicti nobis ſunt: 1) ſi, quæ ingerimus, eſculenta atque potulenta, ipſa qualitate ſua, corpori noſtro minus conveniunt. Qualis enim cibus atque potus, talis chylus, talis deinde omnis ſuccus nutritius. Res erit in exemplo magis clara: puella noſtra rachitica, primum, ſanguine matris cachecticæ crevit; deinde lacte ejusdem nocentiſſimo nutrita eſt; poſtea cerealibus, leguminoſis, ſemicoctis, famem explevit; vario tandem potu, calido frigidoque, ut occaſio tulit, ſitim ſedavit. 2) Si cibum potumque, alias ſatis laudabilem, nimia quantitate more helluonum, haurimus; unde ventriculus, & omnes ſimul humores, præparationem chyli juvantes, omni ingeſtæ materiæ non ſufficiunt: id quod, ut hoc utar, laudabilis illa & matrum & nutricum conſuetudo eſt, quæ, vel ex nimio amore, vel ut eo longius abeſſe a puerulo poſſint, & lacte & pultibus eo usque tenellorum ventriculos haud raro explent, ut, id quod nimium, natura vel vomitu rejicere cogatur. 3) Si, tempore minus opportuno, & ſæpius quam par eſt, gulæ indulgemus, titillationi potius litantes, quam ſtimulo naturæ admoniti. Sic enim natura, in opere ſuo turbatur, præparationem quidem incipit, ſed non perficit, & ſuccum nutritium, minus laudabilem, crudum, viſcidumque, ulteriori elaborationi relinquit: hoc, e. g. ſuo damno tenelli infantes quoque quotidie experiuntur, quibus,

vel pro tenero illo affectu, quo pullos ſuos quisque deperire ſolent, omnia promiſcue, neglecto omni delectu, permittunutur porriguntur que, vel, quaſi *Quinctilianum* noverint: *date puero panem*, *ne ploret;* dies noctesque, vicies, tricies, mammæ præbentur, pulticulaque delicatiſſima offertur.

§. XXVIII.

Moneam hoc loco neceſſe eſt: mihi, de iis, qui perfecte adhuc ſani ſunt, quorum neque ſolida, neque fluida, ullo modo peccant, unice hic ſermonem eſſe. Atque tales quidem, jure meo, mihi ſumere poſſum. Plane, enim, perſuaſus ſum, ſi parentes omnem, ultimamque, ſolicitudinem adhibere, atque, ut recte ſemper valeant, curare, voluerint, rarius utique, ac nunc fieri dolemus, morbidam miſeramque illos ſobolem eſſe procreaturos. Addo, ut tales mihi dari velim, caſum meum quoque poſtulare. Nam experientia, puto, ſatis conſtat, infantes rariſſime rachiticos naſci; &, primis ſex menſibus utplurimum elapſis, tales demum fieri. Sic, ſcilicet, ſi quid judico, longe facilius intelligere, & manibus cauſſam palpare, poſſumus, quam ob rem, hac noſtra ætate, multo frequentius, ac majorum tempore, infantes, ex rachitide deformes, conſpiciantur. Peſſimi, enim, mali fomitem, in prima ſtatim ſucci nutritii depravata præparatione, & in cauſſa ejus occaſionali, perverſa illa perditiſſimaque tenerrimæ prolis tractatione, ſi non omnino, maximam tamen partem, radicari, quis tam cæcus nunc, & omnibus captus luminibus, eſt, quin clare ſe videre fateatur? Immo vero, ut ingenue fatear, vellem utique, atque optarem, ut dubitare quis paullſper pergeret. Tum, enim, hunc pyrrhonicum meum in anatomiæ practicæ, in deliciarum medicarum, ſocietatem, haud invidus, deducerem, ipſique, ut ipſe judicare poſſit. Ventriculum rachitici, & omnes ejus primas vias, quovis cruditatum genere ſcatentes, meſenterii glandulas, conſpicuas ſatis, & chyli viſciditate, oppilatas, carnium, ob vias obſtructas, ſummam maciem, & quæ non alia, ad oculos demonſtrarem, & ſuis demum ſenſibus illum abundare, lubentiſſime permitterem.

§. XXIX.

Ulteriorem ſucci nutritii, in vaſa, ſanguinem vehentia, nunc effuſi, elaborationem, pluribus modis peccare poſſe, facile intelligitur. Hanc, enim, & ipſe cordis motus, & perpetuus ille ſanguinis circuitus, perficit fere atque abſolvit. Deinde etiam multum omnino intereſt, ut attendamus: utrum ſuccus, rite præparatus, in ſanguinis officinam adportatus ſit? An ille adhuc pluribus peregrinis moleculis ſcateat, atque, ulteriorem ſive ſubactionem, ſive commodam excretionem, experiri atque expecta-

expectare, debeat. Huc fere præcipua hujus negotii capita, redibunt, quorum præcipua, & ad ſcopum noſtrum facientia, attigiſſe ſufficiet.

§. XXX.

Primarius circulationis ſanguinis, quæ perpetuo illi cordis mobili, tantum non unice, adſcribenda eſt, finis in eo conſiſtit: ut omnes corporis partes ſolidæ, ſuccum ſuum nutritium, pro diverſitate ſua, ſibi convenientem, ex ſanguine accipere, ſpiritus animales ſufficienti quantitate elaborari, adeoque univerſa machina in ſuo vigore, in perpetuo ſuo motu, conſervari, poſſint. Sed princeps hæc ſanguificationis officina, cor, in actione, in motu ſuo, varie turbatur. Aliam turbationis cauſſam noſmet ipſi ſufficimus; dum affectibus noſtris, gaudio, timori, iræ, triſtitiæ, aliis, nimium indulgemus; dum corpus vehementiſſimis exercitiis, motu longiori, curſus velocitate, defatigamus; dum voluptatibus, Baccho, Venerique, litamus. Sic, enim, motus cordis inæqualis redditur; nunc intercipitur, tardus, languidus, tremulus, efficitur; modo celer, fortis, plenusque præſtatur. Sic circulatio quoque æquabilis non eſt, & diverſas iſtas partes, quæ ſanguinem conſtituunt, in perpetuo motu conſervare non poteſt. Sic aliæ aliis uniuntur, comprimuntur, conquaſſantur; aliæ, ab aliis, ſeparantur, adhærent, ſui ſimilibus conjunguntur; cetera. Conſulamus illos, qui polypi origines docent; videbimusque, nosmet ipſos, multo, ac opinamur, ac aliis credimus, frequentius, infelices eſſe polyporum architectos. Audiamus *Lowerum*, omnes, qui dolori, timori, curis, anxietatibus, triſtitiæ, lacrimis & fletui, indulgent, unico exemplo, ſed præſentiſſimi periculi denuntiatione, terentem: *inſigne hujus exemplum in viro forti admodum & robuſto, ſed tandem graves ob cauſas afflicto, nuper obſervavimus, utpote qui, ex magno animi & corporis vigore, eo usque intra paucos menſes triſtitia dejectus eſt, ut, pulſu valde debili & intermittente, cum frequentibus ſuſpiriis, cordis gravamine, &, paullo ante obitum, totius corporis refrigeratione magna, laboraverit, neque, fortioribus cardiacis intus exhibitis, aut, pannis calefactis extra applicatis, media licet æſtate, ullo modo refocillari potuerit; in cujus corde, poſt mortem aperto, magnum polypum, ſive carneam molem, ventriculos ejus, & præterea vaſa majora ſanguifera in pulmone, fere penitus opplentem invenimus, cui omnia hæc ſymptomata merito imputari debuerant.* (m)

§. XXXI.

Aliam cor turbationem, non minus periculoſam, ab aliis hoſtibus, &

Ss 2

(m) *Tractatus de corde*, *Cap. II.* p. m. 146.

& ſanitatis noſtræ inimicis, experitur. Scilicet, ſi chylus minus recte præparatus, ſed particulis, quas vocamus, heterogeneis, nulla ejus virtute ſubigendis, ſcatens, ſanguini affunditur; ſi diverſos ex hoc ſanguine humores, quibus diverſæ illæ corporis partes conſervandæ in ſuo vigore ſunt, exinde elaborare nequit; ſi hi ſucci, optime quamvis elaborati, ſecerni deinde, & ad partes ſuas, debita quantitate, partium obſtructarum vitio, ablegari non poſſunt; ſi peccantes & illaudabiles humores diutius in maſſa ſanguinea hoſpitantur, & ab illa ſeparari, perque convenientes vias eliminari atque excerni nequeunt. Subſiſtimus hic. Reliquas, easque numero non paucas, turbandæ circulationis cauſſas, pagina noſtra non capit. Hæ, niſi nos convincant, aliæ multo minus effecturæ ſunt, ut cognoſcamus, mirari prorſus non decere: quam ob rem, ſicuti infantes noſtri ex rachitide, ſic nos, parentes illorum, aliique adulti homines, ex polypis, & morbis id genus aliis, graviſſime divexemur, & perpetuo quodam præſentiſſimæ mortis genere, longæ vitæ cupidiſſimi, tam graviter, tamque crudeliter, perterreamur.

§. XXXII.

Simul quoque ex his, hactenus expoſitis, polyporum originibus, prægnantes ſatis rationes deducere poſſumus, qui fiat, ut infantes in genere omnes tuti fere ab his hoſtibus vivant; rarius, ad minimum, ex illis male habeant, diemque ſuum, ante diem, obire cogantur. Deinde vero etiam, qui finis præcipue nobis propoſitus hac vice & opportunitate fuit, multa ſine difficultate colligere omnes, qui hæc noſtra hactenus legerunt, poterunt, quis, ut ita dicam, affinitatis atque conſanguinitatis gradus ille ſit, qui morbos noſtros, rachitidem polypumque, intercedit, & qua copula binæ hæ cognationes conjungantur. Alter, enim, rachitis, a prima ſtatim ſucci nutritii depravatione; alter, vero, polypus, ab impedita ejus ulteriori elaboratione, multa cum probabilitate deducendus eſſe conſpicitur. Suum, ſcilicet, vel ſub morborum tyrannide, cuique tribuitur. Cuilibet ætati, cuilibet ſexui, alius quidem atque alius proprius quaſi morbus eſt, & ſuo ipſi jure competit; omnes tamen ægritudines, tamquam ſub morbonæ vexillis ſtipendia merentes amica quadam cognatione, commilitonum more, continentur.

CCIV.

CHRIST. GOTLIEB LUDWIG

PROGRAMMA.

QUO OBSERVATA

IN SECTIONE CADAVERIS FEMINÆ

CUJUS OSSA EMOLLITA ERANT

PROPONIT.

Lipſiæ 22 April 1757.

Morbus graviſſimus, quo femina Pariſina, *Anna Eliſabeth Supiot*, nata *Queriot* (*), laboravit, cujus nimirum oſſa in ceream mollitiem mutata, & adeo flexibilia reddita fuerunt, ut corpus ſuſtinere non poſſent, non ſolum medicos & chirurgos Pariſienſes, ſed alios quoque naturæ animalium indagatores excitavit, ut in naturam & cauſſam inſoliti hujus morbi diligentius inquirerent, & inde ſimiles morborum hiſtorias, ab aliis jam annotatas, conferrent. Et nos quidem ea, quæ in ſcriptis publicis de hac ipſa re tradita fuerunt, non obiter tantum perlegimus, ſed ad varia phænomena, quæ nutritionem oſſium ſanam æque ac læſam declarant, attente reſpeximus, in primis cum aliqua nobis ſubnaſceretur occaſio, examen anatomicum cadaveris feminæ ſuſcipiendi, quod ſub initium anni præcedentis in theatrum noſtrum anatomicum transferebatur, & in quo ſummam oſſium fragilitatem deprehendebamus. Hac itaque, jam data dicendi opportunitate, ea, quæ in diſſectione hujus cadaveris obſervavimus, accurate proponere, nihilque addere, quam quæ tunc temporis commilitonibus humaniſſimis demonſtravimus, meditationes autem noſtras de læſa oſſium nutritione, cum aliorum obſervationibus collatas, in alio ſpecimine academico proferre, nobiſcum conſtitutum habemus. Paucis itaque de vitæ conditione hujus feminæ præmiſſis, nonnulla de viſceribus, præcipua tamen de oſſibus, expoſituri ſumus.

Erat vero *Eliſabetha Winckleria*, ex inferioris ſortis hominibus hic Lipſiæ nata, ſemper macilento, & imbecilli corporis habitu prædicta, victu pareo & crudo nutrita, quem partim laboribus, cum vita ſedentaria conjunctis, acquiſiverat, partim ex eleemoſynis publicis, a ſenatu urbis conceſſis, obtinuerat. Illa vero nullam maculam vitæ minus honeſtæ ſibi inuſſerat, nullaque venereæ labis, vel contagii ſimilis, indicia, nec in illa, nec in parentibus, quantum ex ejus amicis cognoſcere potui, umquam deprehenſa fuerant. Ad morbum prægreſſum quod attinet, Noſtra doloribus arthriticis & rheumaticis non tantum artuum, ſed totius corporis dudum jam conquaſſata, ex medicamentis, ei exhibitis, vitæ ratione non mutata, parum ſolatii ſenſit. Cum tandem de impoſſibili curatione medici, hac de re ſolliciti, eos, qui pauperum curam ſuſcipiunt, certiores redderent, in noſodochium publicum delata, ſimilibus fere incommodis uſ-

(*) Vid. Obſerv. *Ambroſii Hoſty* in Tranſact Philoſ. Vol. XLVIII. Part. I. no. 4. p. 26. & ex relatione *Morandi*, Journal des Sçavans 1752. Decembr. art III. repetita *im Hamburgiſchen Magazin* XIII. *Band*, 2 *Stuck*. no. 6. p 319. porro Obſervations ſur l'hiſtoire naturelle, ſur la phyſique, & ſur la peinture par Mr. *Gautier*. à Paris 1752. 4. Tom. II. Part. V. art. X. p. 115. & Obſervations theoriques & pratiques ſur l'amolliſſement des os en général, & ſur celui qui a été obſervé dans la femme Supiot, dont l'hiſtoire a été communiquée à la Faculté de Medecine de Paris, l'ann. 1752. p. Mr. *Navier*. à Paris 1755. 12.

uſque ad finem vitæ afflicta, macie, febreque lenta tandem confecta, quadrageſimo tertio ætatis anno diem obiit ſupremum.

Cadaver ipſum maxime emaciatum erat. Abdomen contractum, thorax incurvatus, gibboſus, & caput mole ſua verſus pectus inclinatum conſpiciebatur, pro eo nimirum ſitu, quo lectulo affixa, ægra ultimis vitæ temporibus diſpoſita fuerat. Externa corporis ſuperficies cuticulam quidem ſiccam & aſperam, qualem & alias in tabe conſumtis obſervavimus, nullum tamen evidens ſcabiei, vel alius morbi cutanei, ſignum referebat. Non vero is tantum, qui in macilentis obſervari ſolet, pinguedinis defectus annotabatur, ſed hujus loco etiam ſanies quædam non nihil rubicunda in cellulis hærebat, quæ reſoluto quaſi & extra vaſa protruſo ſanguini ſimilis erat, & diſquiſitionem anatomicam partium maxime moleſtam reddebat. Ex quibus hactenus recenſitis luculenta jam cachexiæ ſigna colligi poterant.

In aperto abdomine pauca mutata inveniebantur, quæ partim a gibboſitate corporis, abdomen per thoracem comprimente partim ab aliis cauſis morboſis, in corpore præſentibus inducta fuerant. Coli zona media flatibus maxime diſtenta, contractum magis ventriculum abſcondebat, illa quoque a dextris ſiniſtrorſum procedens, ante quam ad lienem accederet, flexu ſingulari deorſum ferebatur, paullo poſt autem ad veram viam reducebatur. Idem inteſtinum continuatum circa flexus, ſuper os ilium ſiniſtrum collocatos, anguſtum & calloſum erat, ligamentis ipſius longitudinalibus his in locis maxime denſis factis.

Ventriculi ſitum quoque non nihil mutatum deprehendebamus, cum non tantum extremitas ejus magna inſigniter aſcenderet, & curvatura magna ſiniſtrorſum nimis verſus lienem dirigeretur, extremitas quoque parva uſque ad pylorum adeo anguſta & calloſa eſſet, ut cavitas digitum vix admitteret, & inteſtini tenuis partem mentiretur. Hæc etiam ventriculi pars, magis tranſverſim excurrens, duodeni principium ita ex ſitu ſuo deduxerat, ut proxime ad tranſverſam zonam coli accederet, & ventriculus ipſe, qui in naturali ſua expanſione colo proximus eſt, multum retractus cum meſocolo ſubjacens cohæreret. Duodenum poſt pylorum maxime ampliatum, & tandem ad veſiculæ felleæ latus accedens anguſtius inveniebatur.

Hepatis lobus ſiniſter ſive minor, dextro longe major apparebat: incipiebat enim a ſede veſiculæ felleæ, & ligamentum magnum cum implicata vena umbilicali in ligamentum, vulgo ſuſpenſorium dictum, mutata, a latere externo veſiculæ hujus, mira ſatis varietate ſitus inducta, excurrebat, cum alias hoc ligamentum in inciſura magna hepatis, ſcilicet ad internam partem veſiculæ felleæ & loco non nihil diſtante collocetur: hinc in noſtro caſu aut hæc inciſura prorſus deficiebat, aut fellea veſicula, in inciſura magna hærens, adſumenda erat. Primo tamen intuitu tantum lobus hepatis dexter ſive magnus videbatur eſſe minor altero; cum enim in hanc rem accuratius inquireremus, dictus lobus

bus in noſtra gibboſa ſub coſtis ſpuriis ita aſſurgebat, ut convexa ſua parte diaphragma cum inſigni elevatione in thoracem protruderet, ideoque uti vere eſſe ſolet, reſpectu ſiniſtri major deprehenderetur. Hic etiam lobus inferiori ſuo margine renem dextrum ex ſitu ſuo quodam modo dimovebat; id, quod eo magis in incurvato hujus cadaveris ſtatu fieri potuerat, cum & os ileum ab hac dextra parte elevatum renem quoque aliquantum protruſiſſet, & ex conſueta ſede antrorſum & introrſum verſus ſpinam dorſi & majora vaſa in abdomine excurrentia produxiſſet. Hepatis lobus ſiniſter per filamenta longa cum diaphragmate cohærebat, dexter autem cum eodem firmiter coaluerat.

Aperto thorace ſitus partium vix mutatus occurrebat, præter aliquam, quam gibboſitas induxerat, obliquitatem, ob quam mediaſtinum a dextra magis ſiniſtrorſum vergebat. Lobus pulmonum dexter paſſim filamentis a pleura deductis adhærebat, & in anguſto quoque ſpatio collocatus erat, partim quod lobus dexter hepatis, ut paullo ante monuimus, verſus thoracem protrudebatur, partim quod coſtæ hoc in loco depreſſæ anguſtam hanc cavitatem efficiebant. In hoc lobo quoque nonnulla tubercula ſcirrhoſa obſervabamus. Lobus ſiniſter pulmonum paullo liberior præcedente, paucioribus filamentis cum pleura concretus & conſuetis inciſuris diſtinctus conſpiciebatur. Situs cordis naturalis erat, apice nimirum antrorſum, deorſum & ſiniſtrorſum vergente, aorta vero ex ſitu naturali deflexa. Hæc enim in ſanis corporibus poſt arcum formatum ad ductum ſpinæ dorſi ſiniſtrorſum deſcendit; in gibboſis etiam, quando ſpina dorſi a dextra ſiniſtrorſum deflectitur, maximum hunc ſanguinis canalem incurvari & a ſiniſtro latere deſcendere vidimus: in hoc autem cadavere, in quo ſpina dorſi ſiniſtrorſum magis flexa erat, aortæ truncus recta magis via & in media thoracis parte, ideoque quodam modo ad latus dextrum ſpinæ dorſi collocatus erat. Eandem viam ſequebatur œſophagus, quippe qui aortæ incumbebat & cum ea flexu quodam verſus cavitatem thoracis dextram deferebatur. Spina dorſi autem ad ultimas dorſi & primas lumborum vertebras antrorſum quidem, ut in ſanis fieri ſolet, dirigebatur, hic autem flexus major apparebat, aorta tamen & œſophagus ad hunc ſpinæ tractum poſtea accedentes, ſiniſtrorſum & in conſuetam viam directi, in abdomen progrediebantur. Licet etiam diaphragmatis ſitus ex variis nunc indicatis cauſſis obliquus inveniretur, & quoque crura ejus aliquo modo diſlocata eſſent: aorta tamen & œſophagus conſueto modo & hic maximam partem inter carneas ejus fibras deſcendebat.

Equidem in partibus mollibus declarandis jam longius detentus fui, ideoque nonnullas differentias curioſas in nervis, arteriis & venis obſervatas, cum ad præſens inſtitutum parum faciant, nunc lubenter omitto, cum alibi & commodiori quidem loco explicari queant. Circa tertiam cavitatem, ſeu potius in ea contentum cerebrum monemus tantum, ejus ſubſtantiam, attente a nobis perluſtratam, nulla prorſus indicia morbo-

ſi ſtatus dediſſe, plexum tamen choroideum non nihil varicoſum inventum fuiſſe. Progrediamur itaque ad eam tractationem, quæ inſtituto noſtro magis accommodata eſt, ſcilicet ad ſceleti conſiderationem, & ante quam oſſium mutationes ſigillatim perquiramus, de partibus mollioribus ad oſſa pertinentibus pauca præmittamus. Neque vero in ligamentis & cartilaginibus, neque in glandulis & ipſa articulorum fabrica aliquid perſpeximus, quod a ſtatu naturali multum recederet, in perioſteo tamen & medulla nonnullas attentione noſtra dignas obſervavimus mutationes.

Perioſteum eſt membrana oſſium ſuperficiem inveſtiens, eique in ſtatu ſano firmiter adhærens; hæc vero adhæſio in oſſibus nunc a nobis conſiderandis non adeo arcta erat. Licet enim ipſa oſſium attenuatio & inde pendens mollities ab interna ipſorum parte magis proveniret, nos vero de perioſteo interno non niſi in medullæ conſideratione agere queamus: tamen & externa oſſium ſuperficies ſcabra, quodam modo aſpera, lamellis non adeo arcte cohærentibus conſpicua, noſtram excitabat attentionem. Cum enim caſu cadaver ab adſtantibus verteretur, femur ex inſtanti frangebatur, noſque ad oſſium fabricam inquirendam attentiores reddebat. Inveniebamus itaque, muſculis caute remotis, in medio femoris cylindro, ubi fractum erat, perioſteum totum ſolutum eſſe; non ſine ratione itaque ſuſpicabamur, humorem aliquem morboſum inter perioſteum & oſſis ſubſtantiam intercurrere, cujus vi perioſteum diſtenderetur, ſed re accuratius diquiſita, ſuſpicio tollebatur: in medio enim reliquorum oſſium cylindricorum perioſteum fibris ſuis & vaſis adhærere quidem videbamus, ſed leviori opera & facilius, quam in ſanis, ſcilicet manubrio ſcalpelli, illud ſeparari poterat. Ipſa perioſtei fabrica vix læſa, ſed ſatis denſa reperiebatur, cum acres humores laminas oſſeas magis, quam perioſteum læſerint; & hoc quidem evidentius illis locis apparebat, ubi perioſteum cum ligamentis & tendinibus ad partes has firmandas arctius cohæret. Quamvis enim & hic oſſea ſubſtantia aſpera magis inveniretur & in ſeparatione fibroſarum harum radicum oſſeæ particulæ minime ſecederent: tamen in poroſa hac oſſium parte fibræ ipſæ altiores radices egerant.

Ad medullæ conſiderationem accedentes, primo illud femur, quod caſu fortuito in cadavere fractum erat, diſſecuimus, medullam in illo vix congelatam, ſed maxime mollem & fere fluidam deprehendentes, ita tamen ut intra telam celluloſam contineretur, & ita maſſam quandam cohærentem ſiſteret. Eadem in inferiore femoris parte, quæ tibiam ſpectabat, alba & pura, nullo ſanguine inquinata, & ea tantum, quæ cellulas oſſeas extremitatis replebat, grate rubicunda, in parte ſuperiore autem, prope oſſa innominata, multis grumis ſanguineis referta conſpiciebatur. Neque hæc mutatio fracturæ & in ea forſan factæ vaſorum dilacerationi adſcribenda erat; cum ea poſt mortem tantum in cadavere obvenerit. Quo vero de indole medullæ in hoc cadavere reperiundæ certiores redderemur, reliqua quoque oſſa variæ figuræ diſſecanda erant: In

hu-

humero itaque medulla non tantum magis rubra erat, ſed & in medio grumos aliquot ſanguineos oſtendebat: tibiæ cavitatem internam, ob oſſeæ ſubſtantiæ decrementum ſatis amplam, totam quidem medulla alba, ſed fluida & quaſi aquoſa, nullis grumis coagulati ſanguinis interſperſis, replebat. Fibula, nec non radius & ulna, ſimilem medullæ conſtitutionem & colorem, in accurato examine exhibebant. Accidit tunc temporis, ut aliud cadaver feminæ ſexaginta quinque annorum, macie confectum, cultro anatomico ſubjiceretur; cujus itaque os humeri ad diſquirendam medullæ indolem ſerra diffindentes, eandem albam in medio cylindro, non nihil rubicundam, verſus extrema autem magis rubram deprehendebamus, talem certe, qualem *Clopton Havers* (*) deſcribit, & nos in ſanis alias quoque cognovimus; medullam tamen quodam modo laxius in cavo oſſis hæſiſſe, nec illud totum repleviſſe, in hac vetula macilenta obſervabamus. Sed regrediamur ad ulteriorem medullæ in noſtro cadavere diſquiſitionem: eam in diploe oſſium calvæ, in oſſibus manus & pedis, in phalangis nimirum digitorum, carpo & metacarpo, nec non tarſo & metatarſo, rubellam inveniebamus. Oſſa quidem nunc indicata reliquis paullo duriora erant, ita, ut in illam ſententiam duceremur, ac ſi inde medullæ integritas penderet, cum autem patella, quæ maxime mollis erat, diſciſſa rubicundum quoque colorem oſtenderet, & reliqua oſſa cellularia hac in re convenirent, nec hanc cauſſam allegandam eſſe perſpiciebamus.

Dum ad oſſium ſubſtantiam conſiderandam nos nunc accingimus, omniaque ſceleti oſſa intuemur, & lata & his analoga primum, poſt ea etiam cylindrica & cum his convenientia, ſummatim tantum deſcribere ſuſcipiebamus: re autem accuratius perpenſa, & oſſibus ſimilis fabricæ non ſemper ratione mollitiei ſimilibus inventis, totum ſceleton percurrere, & quid in uno & altero oſſe ad doctrinam noſtram declarandam faciat, breviter annotare, alia vero, quæ in pluribus oſſibus ſimili ratione apparebant, in ſubſtantia oſſium in genere conſiderata ſubnectere conſtituimus.

Oſſa capitis, in primis plana, quæ calvam componunt, ſatis dura & ſanis fere ſimilia; in illis tamen diſſectis diploe ampla & duplo fere major, quam in alio ſceleto ſimilis magnitudinis, cum quo comparavimus; tabulæ tamen oſſeæ reſpectu diploes multum attenuatæ inveniebantur. Licet autem in his oſſibus, ſuperiorem & lateralem calvæ partem conſtituentibus, nullæ areæ ob diploen deficientem tranſparentes conſpicerentur, in inferiore tamen parte oſſis frontis productio ad orbitas extenſa, partes laterales foſſam temporalem ſpectantes, ſquamoſa oſſis temporum pars, & os occipitis in baſi calvæ conſpicuum prorſus & magis quidem, quam ut plurimum fieri ſolet, oſſeis laminis tenuiſſimis viſis,

 pel-

(*) Oſteologia nova. or ſome new Obſervations of the bones. London. 1729. 8. p. 124.

pellucebant. Oſſis temporum pars petroſa dura quidem erat, ad duritiem tamen conſuetam nondum accedebat. Maxillam ſuperiorem conſtituentia oſſa nihil peculiare obſervandum exhibebant, & maxilla inferior ſatis denſa erat, ut digitis vix comprimi poſſet. Dentes quoque reſpectu duritiei nullam mutationem paſſi erant; caries enim in non nullis viſa, ex morbo oſſium univerſali non derivanda erat; color denique luteus, qui in noſtris obſervabatur, in cacochymicis corporibus vix non ſemper talis deprehenditur. In oſſe hyoideo & in cartilaginibus laryngem conformantibus nihil, quod noſtram moveret attentionem, inveniebamus. Quo levior vero oſſium capitis mutatio erat, eo inſignior in oſſibus trunci & extremitatum a nobis nunc commemoranda erit.

In oſſibus itaque truncum conſtituentibus, primo columnam ſpinae dorſi conſpiciebamus, cujus vertebrae omnes eodem modo, ut os ſacrum, evidentem referebant mollitiem; colli tamen vertebrae paullo duriores erant. Corpora earum magis mollia digito prementi cedebant: proceſſus autem varii, ut ſemper ſolidiores eſſe ſolent, ſic & in noſtro cadavere paullo magis reſiſtebant. Non quidem rarum eſt, gibboſitatem a certa quadam diſpoſitione, in prima juventute inductam, & vigeſimo circiter aetatis anno confirmatam conſpicere: in noſtra vero femina iſta obvia ex mollitie corporum vertebrarum in adultiore aetate per morborum inducta videbatur, qua nimirum ſpina dorſi parum tantum verſus latus ſiniſtrum inflectebatur. Omnes vertebrae colli & tres priores dorſi a perpendiculari ſitu parum ad latus ſiniſtrum, magis vero antrorſum inclinatae inveniebantur, in reliquis vero dorſi vertebris uſque ad ſeptimam & octavam, curvatura magis conſpicua erat: hinc apophyſes ſpinoſae retrorſum & ſurſum directae cernebantur, compreſſio tamen lateralis corporum vertebrarum, quae alias in gibboſis attendenda eſt, in noſtro ſceleto vix notatu digna videbatur; ab octava tandem dorſi vertebra ſeries reliquarum aequalis & conſueto modo antrorſum flexa reperiebatur. Morboſus hic ſpinae dorſi flexus coſtarum quoque ſitum mutabat, earum tamen obliquitas minus inſignis erat, quam deſcenſus, ab incurvatione pectoris verſus anteriora dependens, ita, ut coſtae ferme ad oſſis ilei criſtam deflecterentur. Haec incurvatio a pondere capitis verſus pectus declinati orta, ſterni quoque evidentem depreſſionem effecerat: prima enim & ampliſſima ſterni pars inter primae & ſecundae coſtae inſertionem multum inflexa erat, & ab hoc flexu retrorſum potiſſimum, ſed & quodam modo ſiniſtrorſum facto, coſtae dextri lateris a ſecunda ad octavam uſque, in media & paullo anteriore ſui parte introrſum depreſſae & flexae dextram thoracis cavitatem maxime arctam reddebant. Inflexio haec praeternaturalis eo facilius fieri potuerat, quoniam coſtae omnes adeo molles & flexiles deprehendebantur, ut inſtar chartae multiplicis & conglutinatae (*Pappe*)

ſa-

facile & ſine fracturæ metu introrſum & extrorſum flecti poſſent: lamina enim oſſea externa coſtarum adeo extenuata erat, ut cellulas tranſparentes facile, & in his magis, quam in aliis oſſibus, diſtinguere poſſemus. Similis ferme fabricæ mutatio in oſſibus innominatis detegebatur, quippe quæ mollia quoque erant & leviori digiti impreſſioni ita cedebant, ut foveas impreſſas ad tempus retinerent. Pelvis oſſa ſatis proportionata erant, excepto oſſe ileum, quod in dextro latere paullulum eminere videbatur, & inde id efficiebat, ut pelvis aliquo modo dextrorſum cederet, & ita ſynchondroſis oſſium pubis ex oppoſito partis mediæ oſſis ſacri non conſpiceretur.

Inter oſſa extremitatum ſuperiorum ſcapulæ & claviculæ potiſſimum ob gibboſitatem paullo ante deſcriptam miram quandam figuræ mutationem paſſæ erant; ſic, ut claviculæ, quæ quidem ſolito molliores, attamen longe duriores, quam coſtæ inveniebantur, ad partem, qua ſterno articulantur, ob thoracis flexum non tantum maxime incurvatæ, ſed & antrorſum quaſi productæ eſſent, productis his partibus ita a reliqua clavicula diſtinctis, ut in dextra clavicula pollicis, in ſiniſtra autem pollicis unius & ſemis longitudinem ſiſterent, & primo intuitu ita apparerent, ac ſi claviculæ a ſterno receſſiſſent, & cartilaginem interpoſitam oſſeam factam ad dimenſionem nunc deſcriptam produxiſſent. Claviculárum vero extremitates anteriores, re accuratius perluſtrata, in indicata a ſterno diſtantia quaſi fractæ & articulo novo præditæ erant, ita, ut ea articuli pars, quæ claviculam cum ſterno jungit, immobilior deprehenderetur, quam nova illa per præternaturalem diſpoſitionem inducta. Scapulæ, dorſo impoſitæ, molles, flexiles, incurvatæ & in locis tranſparentibus chartæ tenuiſſimæ ſimiles inveniebantur. Dextra quidem tantum ad apicem ſive angulum inferiorem parum incurvata erat, ſiniſtra vero, quæ ſiniſtræ coſtarum curvaturæ retrorſum factæ incumbebat, adeo flexa vel potius contorta deprehendebatur, ut non tantum in coſta ſua inferiore fere inſtar ſemicirculi convolveretur, ſed & pars plana uſque ad ſpinam ſic dictam curvaturam hanc continuaret. Humerus, ulna & radius ex tenui tantum lamina conſtare videbantur, facileque in media & alias denſiſſima parte comprimi poterant. Manus extremæ oſſa mollia quoque erant facileque comprimenda, attamen in parte media cylindrica oſſium metacarpi & phalangarum digitorum, reſpectu majorum oſſium craſſiores vel ad minimum æqualis craſſitiei parietes oſtendebant, quæ tamen in ſanis corporibus longe minor eſſe ſolet. Comparavimus nimirum craſſitiem cylindri medii humeri diſſecti cum humero diſſecto alius cadaveris feminæ debilis & macilentæ, corporis magnitudine cum noſtra conveniente, & in femina hac ſana craſſitiem unius lateris cylindri humeri triplo majorem, quam in noſtro hactenus deſcripto ſceleto invenimus.

Vix opus eſſe videtur, ut fuſiori ſermone de extremitatum inferiorum

oſſibus agam, cum in iis ſimiles fere, quam in ſuperioribus, oſſeæ ſubſtantiæ attenuatio appareret, ita, ut mirum videatur, quo modo noſtra ægra ſine fractura vel notabili inflexione horum oſſium, primo quidem motus ad inceſſum requiſitos, poſtea vero, cum lectulo ſemper affixa eſſet, inverſionem corporis neceſſariam præſtare potuerit. Notandum autem omnino eſt, oſſium nunc deſcriptorum figuram & dimenſionem externam nullo modo mutatam fuiſſe, & ſupra deſcriptos flexus ſingulares & incurvationes non niſi in oſſibus ad truncum ſpectantibus, quorſum & ſcapulas & claviculas referre liceat, locum habuiſſe. Hæc extremitatum oſſa etiam in cadavere fracturæ reſiſtebant; femur enim ab inverſione cadaveris in theatro anatomico tertio poſt mortem die, rudius forte ſuſcepta, fractum diviſumque fuerat.

De ipſa oſſium ſubſtantia pauca adhuc in genere commemoranda reſtant. Licet enim ſingulorum fere oſſium deſcriptionem dederimus, & mutationem in mollitie & flexilitate deſcripſerimus; laminarum tamen coagmentatio, quatenus os conſtituit, attentionem aliquam mereri videtur. Externa nimirum & denſa ſatis oſſium ſuperficies in illis locis, quibus perioſteum fortius adhæret, ubi ſcilicet ligamenta & tendines inſeruntur, paullo aſperior erat, lamellis oſſeis ſucco conglutinante deſtitutis. Vix vero attendenda foret hæc mutatio, niſi alia & longe evidentior in interioribus obſervata fuiſſet. In illis nimirum oſſibus, ubi cellularis fabrica inter denſas laminas continetur, laminæ illæ ſive parietes oſſis magis a ſe invicem remotæ & diſtentæ erant, ac ſi copioſiorem medullam continerent. In omnibus his locis tranſparens cellularis tela obveniebat: non enim tabulæ oſſeæ denſæ, ſed tenuiſſima tantum & quaſi membranacea lamina cellulas obtegens oſſis figuram circumſcribebat. Media pars oſſium cylindricorum, quæ in validis oſſibus ex ſtratis lamellarum oſſearum, arcte inter ſe invicem conjunctarum, componitur, laminis his maximam partem deſtituebatur, ut vix magis attenuare poſſis oſſa, ſi interius ex cylindro varia ſtrata denſarum laminarum cultro abraderes. Hoc inſuper in tibiæ oſſe diſſecto curioſum nobis viſum fuit, quod arteria, quæ a parte poſteriore in illud penetrat, & oblique in proprio quaſi canali defertur, hic tantum ad duas lineas in tranſparente oſſis lamina contineretur, de reliquo autem tenui membrana cincta uſque ad mediam tibiam progrederetur. Non tantum vero attenuatio in diaphyſibus oſſium admiranda erat, ſed poroſa quoque & fere friabilis ſubſtantia labem his oſſibus a læſa nutritione inductam fuiſſe, ſatis declarabat. Illud tandem in oſſibus exſiccatis obſervavimus, quod ſoli expoſita calcaream quandam materiam efflorescentem oſtenderent, id, quod in ſanis, vel prorſus non, vel vix adeo evidenter, fieri ſolet.

C C V.

POLYCARP. GOTTL. SCHACHER,

OBSERVATIONES III.

CIRCA MATERIAM OSSIFICATIONIS PRÆTER NATURAM FACTÆ.

Lipſiæ 1726.

QUantumvis definita ſaltem embryonis ſtamina virtute ſucci nutritii explicata, inque dimenſionem omnem diducta mox poſt conceptionem ſolideſcant, paulatimque dureſcant, ac tandem oſſeam induant naturam, haud raro tamen accidere ſolet, ut partes, quarum textura ad vitæ uſque exitum mollis debet eſſe, ac flexilis, præter conſuetum naturæ ordinem indurentur, oſſeamque adipiſcantur indolem. Animus jam non fert, nec præſentis inſtituti ratio permittit, aliorum obſervationes conquirere, iiſdemque rei hujus ſtabilire veritatem, utpote quo labore eo lubentius ſuperſedeo, quo præclarius eodem Cl. *Salzmann* jamjam eſt perfunctus, quippe qui in diſſertatione de oſſificatione præternaturali quaſlibet fere partes ſigillatim ad examinis incudem revocavit, earundemque præternaturalem oſſificationem propriis non minus, quam aliorum obſervationibus illuſtravit. Ut nihil etiam de oſſiculis in humoribus æque, ac variis tumoribus repertis dicam, quorum identidem largam meſſem in laudata diſſertatione invenire licet. Enimvero hoc ingratum nemini fore, aut a præſenti ſcriptione alienum viſum iri, confido, ſi, quæ praxis memet ipſum edocuit, leviter duntaxat adumbrem, atque tres potiſſimum obſervationes memoratu haud indignas conciſe recenſeam. Sane cartilagines ad oſſis naturam cum propius paulo accedant, atque non niſi oſſa mollia, flexibiliaque eſſe videantur, fortaſſis ob analogiam, quæ ipſis cum oſſibus intercedit, nonnihil frequentius id vitii contrahunt. Ejuſmodi cartilaginum indurationem tum in aliis, tum inprimis in quinquagenario quondam obſervavi. Etenim is ſpiritus vini abuſu, vitaque ſedentaria, paulatim in cachexiam, tandemque in lethiferam alvi ſtypticitatem, aliquot dies non ſine horrendis imi ventris torminibus, aliiſque gravioribus ſymptomatibus perſeverantem, omnemque remediorum efficaciam eludentem, inciderat. Quare inſolitæ ſtypticitatis cauſæ indagandæ gratia cadaver diſſecabatur, fœceſque alvinæ lapideam fere conſiſtentiam adeptæ, & in variis coli locis magna quantitate ita coacervatæ inveniebantur, ut inteſtinum quatuor minimum tumores, notabili ſpatio a ſe invicem diſtantes, ac pugni magnitudinem excedentes, formaret. Præterea notatu erat dignum, quod cujuslibet capſulæ, fœces complectentis, pars ima & ſuperna, aliquot digitos tranſverſos longa, funiculi pene in modum contracta, & pollicis circiter craſſitiem æquans comparuerit, ſimulque genuinam lethiferæ obſtructionis cauſam ſatis ſuperque patefecerit. Eodem tempore cupido animum noſtrum ſubiit, thoracis viſcera paululum indagandi. At enimvero pectus vix ac ne vix quidem, & non niſi ſcalpro, malleoque aperiri poterat: adeoque cartilagines, coſtas cum ſterno copulantes, & albedine ſaltem, non æque mollitie a coſtis diſcrepantes, erant induratæ. Inprimis vero cartilago xiphoides inſueti aliquid exhibebat, utpote quæ bifida, juſto longior, craſſiorque, & oſ-

 ſea,

ſea, deprehendebatur. Siquidem binæ illæ appendices tres pollices erant longæ, ſexieſque minimum craſſiores, quam ſolent eſſe naturaliter conſtitutæ, & tam duræ inſuper indolis, ut duritie facile coſtas ipſas antecellerent; quin & acuminatas utrarumque extremitates filum cartilagineum tranſverſim exporrectum laxe invicem conjungebat: quemadmodum vel in ipſo ſterno curioſitatis ergo adhuc dum adſervato animadvertendum eſt. Atque inſolita ea xiphoidis conformatio cardialgiæ non ſane levem præbuit fomitem, de qua eo cumprimis tempore conqueſtus eſt defunctus, quando inclinato corpore imaginibus æri incidendis operam navaret. Vix enim aliter fieri poterat, quam ut duræ illæ, longæque appendices, curvo corporis ſitu introrſum inclinatæ, diaphragma & ventriculum graviter adficerent, ſculptoremque anxietatibus ita redderent plenum, ut aliquando invitus ab opere ſuo deſiſtere cogeretur. Rariſſimæ porro oſſificationis teſtimonium nobis ſuppeditat non exilis pleuræ portio offefacta, quam nos pariter inter curioſa etiamnum adſervamus. Etenim tametſi jamdudum plurium partium membranæ in os induratæ a profectoribus fuerint obſervatæ, me tamen omnino latet, an aliquid ejus ſimile in pleura ſit adnotatum. Id enimvero accidit olim, ut vir quinquagenario major in latere thoracis dextro moleſtum & obtuſum, ac gravativum ſenſum, cum nonnulla ſpirandi difficultate conjunctum, perdiu perciperet, tandemque ex febre acuta interiret. Proinde ad explorandam dyſpnœæ inveteratæ cauſam thorax circumſpecte inciſus aperiebatur, inque eo viſcera quidem ſalva obſervabantur, at in latere dextro inveſtiganti digito ſubſtantia lata, duraque, & ab ultima coſta ad ſeptimam protenta, pleuraque obtecta, occurrebat. Ut igitur qualitas ejus ſenſibus clarius paulo pateret, ea provide ſeparabatur, ſeparata eximebatur, exemta denique, ac pelliculis denudata, os latum, longumque, ac quadratum præ ſe ferebat, quod medium locum coſtas inter, pleuramque occupaverat. Longitudo illius duodecim, latitudo quoad imam partem tres, quoad mediam quinque, & quoad ſuperiorem quatuor efficiebat uncias. Ceterum coſtis erat flexibilius, hiſque craſſitie vix quidquam cedebat. Et quantumvis pleura, naturaliter conſtituta, ſit membrana tenuis, tenſa, ac lævis, eam tamen ex binis lamellis admodum vaſculoſis contexi, autopſia locuples eſt teſtis. Itaque externam ejus laminam, præter naturæ conſuetudinem, auctam, craſſiorem redditam, induratamque, paulatim oſſeam induiſſe formam, veritati maxime videtur conſentaneum. Neque vero minus cum ratione congruit, os illud prægrande, coſtis arctius juſto adhærens, adſcenſum, deſcenſumque coſtarum impediviſſe, infimamque ejuſdem portionem, diaphragma contingentem, hujus motui plus vel minus laboris atque moleſtiæ attuliſſe, atque hac ratione non modo dyſpnœæ ſuppeditaſſe occaſionem, verum pondere etiam ſuo gravativum ſenſum ægro conciliaſſe. Vaſa inſuper ſanguifera, inprimiſque arterias ſubinde in os durum commutari, ex naturæ ſcrutatorum monumentis liquidiſſime conſpici-

picitur. Atque ſimilem naturæ luſum quondam in aortæ trunco animadverti. Quando quidem ex viro ſexagenario, ceteroqui vegeto & robuſto, at diu multumque anxia cordis palpitatione, inæquali arteriarum pulſu, & aſthmate vexato, ac tandem apoplexia extincto, cor cum univerſo aortæ trunco, præcipuiſque ejuſdem ramis, ac renibus, eum in finem protraximus, ut paulo accuratius in palpitationis cauſam inquireremus, hincque cordis, vaſorumque ſanguiferorum conſtitutionem paulo plenius, exquiſitiuſve perveſtigaremus. Erat vero cor grande admodum, ac craſſum, & naturalem fere magnitudinem excedens, in cujus ventriculo dextro non mediocris polypus abſconditus deliteſcebat, idemque ex pelliculis denſis, craſſiſque compactus, & e cono aſſurgens, atque ad arteriam pulmonalem protenſus, non minimum thalami occupabat ſpatium. Præterea diverſis in aortæ locis variæ magnitudinis, figuræ, variæque craſſitiei lamellæ oſſeæ in oculos incurrebant. Siquidem ima arcus aortæ parte, e cujus regione oppoſita binæ ſubclaviæ cum intermedia carotide progerminant, ad tractum longitudinalem inciſa, atque interna membrana, e fibris longitudinalibus conſtructa, blanditer remota, laminæ oſſeæ unguis digiti latitudinem æquantes, craſſitiem vero ſuperantes, atque hinc inde diſperſæ oculis diſtincte cernebantur. Similes laminæ oſſeæ, interna membrana inveſtitæ, in elatiore aortæ deſcendentis parte, ut & non procul a diaphragmate, nec non in fine, ubi in iliacas dividitur, clare conſpiciebantur, nullo alio in iis diſcrimine obſervato, quam quod in fine aortæ conſpicuæ ceteris fuerint tenuiores, faciliuſque flecti poſſent. Denique quadruplicem arteriam renalem non ſine animi voluptate luſtravimus; etenim e latere aortæ ſiniſtro quatuor diſtinctæ arteriæ, ſeparatim ad renem ejuſdem excurrentes, prodibant, altero rene unica ſaltem arteria inſtructo: uti hæc omnia hodieque in præparato ſervato plane pleneque conſpici queunt. Interim non facile adſeruerim, aortam oſſeis lamellis variis in locis veluti conſperſam vitalem ſanguinis motum, propter internæ ſuperficiei qualemcunque aſperitudinem, turbaſſe, ac palpitationi cordis, ceteriſque malis anſam præbuiſſe: præcipue cum, non obſtantibus iis laminis, aorta & dilatari, & ſyſtalticum ſuum motum exercere potuerit. Potius exiſtimaverim ego, polypum quævis omnino peperiſſe mala. Præterquam enim, quod amplitudinem ventriculi juſto reddidit anguſtiorem, atque e vena cava adfluenti ſanguini remoram injecit, ſane is ipſe ſanguine cordis contractione protruſo exagitatus dum oſtium arteriæ pulmonariæ plus vel minus obſtruxit, facile etiam palpitationem, & inæqualem arteriarum pulſum, aliaque hinc oriunda mala excitare potuit. Profecto harum, ſimiliumve partium oſſificatio, quam poſt ægrorum fata oculis uſurpamus, manibuſque palpamus, plerumque nobis haud exiguam parit admirationem, fortaſſis & eam ob cauſam, quod eam in vivis vix hariolari, nedum ſecure definire queamus. Licet enim* hiſtoriæ, oſſificationis præternaturalis incommoda delineantes,

 id

id utilitatis earum gnaris adferant, ut pro varia circumſtantiarum indole in obſtinato præſertim morbo oſſefactam quampiam partem pro mali cauſa venditare ſoleant, tamen, cum unius morbi cauſæ poſſint eſſe bene multæ, contumaces, abſtruſæ, ſimilemque ſuſpicionem moventes, oſſificationem ab iis vix ac ne vix quidem diſcerni, tutoque cognoſci poſſe, ſponte ſua innoteſcit: præſertim cum nonniſi rariſſime morbi ab iſtiuſmodi partium induratione natales ſuos deducant. Id quod *Wepferus*, ſagaciſſimus quondam medicus, proprio ſuo exemplo confirmavit. Quandoquidem venerabilis ille ſenex in aſthma gravioribus ſymptomatibus ſtipatum delapſus, plus ſimplici quidem vice malorum fontem aortæ oſſificationi, mox tamen, animo veluti fluctuante, hydropi pericardii adſcripſit. *De oſſificatione aortæ monſtroſa*, inquit Cl. *Brunnerus*, ſoceri ſui vitam deſcribens, *nemo ex ullis indiciis certus eſſe potuiſſet, etſi hujus mentionem ſæpius fecerit pie defunctus, & ſenii morbum adpellavit, quo Deus ter O. M. ipſum quieti addiceret, quam æquo & grato animo, ante inſtabilis, quieſcere neſcius, contra omnium ſpem & expectationem pertulit.* Et alibi ſcribit: *Suſpicio aquæ ſeu hydropis pericardii, diaſtolem cordis impedientis, altius animo ægrotantis inſedit; omnino autem voluit atque mandavit, ut poſt obitum in cauſam tam abſconditi mali inquireretur cultro: indignum reputans medico, hominum commodo invidiſſe, quod vermibus denegari non poſſet.* Quamvis vero in denati corpore hydrops pericardii animadverſus ſit nullus, tamen, variorum viſcerum obſtructionem, ſerique effuſiones ut jam prætermittam, aortam omnino, ut beatus eſt hariolatus, oſſeam acquiſiviſſe texturam, ocularis docuit inſpectio. Etenim univerſus truncus a principio ad finem uſque, cumprimis quoad ſuperficiem internam, propter multiplices portiones oſſeas, incertæ figuræ & magnitudinis horridus, ſalebroſuſque, ac ſcaber comparuit: quemadmodum in memoria Wepferiana, huicque inſerta aortæ icone, E. N. C. D. 3. A. 3. appendicis loco adnexa, luculentius videri poteſt. Neque vero commodum adeo eſt inſigne, quod ex pleniore hujus morbi cognitione in ægrum vel medicum redundat. Siquidem, præternaturali oſſificatione præſente, & principem partem occupante, æger infauſta prognoſi ſoli eheu! fato eſt committendus, atque medicus imbecilles medicinæ vires fateri neceſſe habet, cum contra hujus vim morbi nullum ſit medicamen in hortis. Nihilo tamen ſecius ſupra laudatus *Wepferus*, id utilitatis inde cepiſſe perhibetur, ut ea omnia attente conſiderans, a medicamentis pene abſtinuerit, ſolaque quiete & diæta contentus, aliquamdiu vitam protraxerit. Ceterum in determinanda oſſificationis præternaturalis cauſa tantum abeſt, ut eruditi concordes ſint, atque unanimes, ut potius quilibet ad hypotheſeos, cui addictus eſt, ductum, abſtruſi hujus phænomeni rationem explicare conetur. Sunt enim nonnulli qui ad principium univerſale agens, ſeu ad ſpiritum mundi confugiunt, in eo duntaxat diſcrepantes, quod alii eum, cogitantem, alii in-

intellectu carentem, alii ſpeciatim acidulum, omnis duritiei ac firmitatis auctorem, ſibi fingant. Alii, rejecto ſpiritu univerſali, principium agens particulare allegant, quatenus corpori humano modo mentem, modo ſpiritus animales, aut, ad veterum ſtilum, animam ſenſitivam & vegetativam, tanquam formam informantem præficiunt, e quibus alii utrumque principium in ſtatu naturali ſcite prudenterque, in præternaturali ſæpe cum errore agere opinantur: alii ſaltem idea quadam, & in præſenti phænomeno exponendo oſſifica ſunt contenti. Alii denique definitam & mechanicam partium corporis tum ſolidarum, tum fluidarum diſpoſitionem crepant, exque ea oſſificationis naturalis pariter, ac præternaturalis rationem derivare laborant. De qua poſtrema hypotheſi Cl. *Connor de ſtupendo oſſium coalitu* candidam fert ſententiam: *Occulti*, inquiens, *hujus & inſoliti phænomeni rationem a principiis mechanicis deducere difficillimum eſt. Nihilominus tamen, cum res indubitata ſit, & certiſſima, certum quoque eſt, a phyſica cauſa dependere debet.* Interim a ratione haud plane eſt alienum, ſenum, quibus potiſſimum præternaturalis oſſificatio accidit, ſanguinem particulis ſalino terreſtribus, viſcoſiſque haud parum eſſe onuſtum, partiſque in os mutandæ porulos immutari, & fortaſſis ultra diametrum naturalem dilatari, hoſque prædictas moleculas majori in copia ſubire, ſegregatas vero ſanguinis preſſione arctius uniri, humidiſque moleculis calore abactis, in arctiores complexus ruere, & inſuper ſpirituum, aut, ſi mavis, particularum aereo ætherearum agilitate tornari & premi, donec eædem facieculis ſuis undiquaque ſe contingentes, arctiſſimo nexu invicem copulentur, oſſeamque duritiem nanciſcantur.

CCVI.

ABRAHAMI VATER *PROGRAMMA* DE OSSIFICATIONE.

Vitemb. 1726.

Q. D. B. V.

Admiratione certe digniſſimum eſt, omnes ac ſingulas corporis noſtri partes primum in fœtu tenello, ex filamentis tenuiſſimis atque molliſſimis ortum trahere, quæ ſucceſſu temporis magis magiſque explicatæ, tot organa diverſiſſima, tot diſtinctis uſibus deſtinata, componunt. Omnes iſtæ partes, utut ex eodem fonte, purpura nimirum vitali, nutrimentum capiant, aliæ tamen præ aliis per omnem vitam mollitiem atque flexilitatem ſuam ſervant, aliæ vero in ſolidiorem cartilagineam, atque aliæ tandem in rigidiſſimam oſſeamque ſubſtantiam, progreſſu ætatis, mutantur. Contingit tamen etiam, ut partes quædam, quæ ob uſum, quem in corpore habent, ſpecialem, molliores flexilioreſque eſſe & permanere debebant, in quibuſdam ſubjectis, cartilagineam, oſſeam, vel plane lapideam, duritiem induant, Præbent hujus rei exemplum valvulæ cordis tenuiſſimæ ac membranoſæ, quæ in cervis, imo & bobus annoſis, in oſſeam ſubſtantiam abeunt, atque oſſa de corde cervi, a ſuperſtitioſa antiquitate pro ſpecifico cordiali habita, appellantur. Iſta valvularum cordis oſſificatio non in brutis tantum annoſis, ſed ipſis quoque hominibus, ſenectute decrepitis, uſu venire ſolet. Imo in ſenibus non tantum, ſed & junioribus, in virili ætate conſtitutis, hoc fieri, docet caſus, a Cowpero obſervatus, ubi in viro XXX. annorum, ulcere primum pedis cum oſſis carie afflicto, tandemque phtiſi mortuo, qui in vivis frequenti pulſus intermiſſione laboraverat, principium aortæ in variis locis, ac valvulæ inprimis ſemilunares oſſeæ deprehenſæ fuerunt, adeo, ut nunquam orificium claudere potuerint, uti teſtantur *Tranſact. Phil. Soc. Reg. Britann. n.* 299. Memorabile oſſificationis arteriarum exemplum videre contigit in anicula, ſeptuagenarium tranſgreſſa, quam ſuperiori anno in Theatro Anatomico cultro ſubjeci. In hac primum cor in tota ſua peripheria cum pericardio concretum erat, ac intus polypos inſignes, pulmonalem & aortam occupantes, continebat. Arteria vero aorta in ipſo egreſſu valde extenſa, non tantum in princi-

pio

pio oſſeam ſubſtantiam præ ſe ferebat, ſed & in progreſſu atque diſtributione per corpus in variis locis, maxime ſuperius in axillaribus ac carotidibus, inferius juxta emulgentes, uſque ad divaricationem in iliacas, areolas oſſeas copioſas monſtrabat. Sed admirationem inprimis excitabat in omnium animis, ubi aperto cranio cerebrum perluſtravimus, cujus arteriæ tum quoad truncos carotidum & vertebralium in baſi cerebri, qui ob duritiem hiant, calamorumque ſcriptoriorum tubulos referunt, tum quoad pleraſque ramificationes, etiam ad meditullium cerebri penetrantes, partim oſſeæ, partim cartilagineæ inventæ fuerunt, uti in præparato a me conſervato monſtrare poſſum. Oſſea iſta metamorphoſis non ſolum arteriarum tunicas, ſed alias etiam corporis membranas afficit. Clariſſ. *Gohl in actis Berolinenſ. Vol. IX. p.* 56. annotat, in ſectione militis, lethargo extincti, juxta ſinum falciformem, intra duram matrem duo fimbriata oſſicula reperta fuiſſe, quæ, utut a quibuſdam fragmenta, a cranio ſeparata, reputata fuerint, *ipſe* tamen, portiones duræ matris, in oſſeam duritiem degeneratas eſſe, recte pronunciat. Ejuſmodi oſſiculum, falci duræ matris cohærens, in viro cephalalgia vehementi defuncto, invenit Cheſeldenius, uti in *Tranſact. Philoſ. n.* 381, videre eſt. Nos etiam tale aliquando, in fœmina ſtupiditate affecta, & de capitis gravitate ſæpius conquerente, a falce abſtulimus, in quo, per microſcopium conſiderato, ſtrias albicantes, quales in ebore obſervantur, & puncta quædam coloris obſcuri, quo loco haud dubie cum fibris & vaſculis duræ matris cohæſit, perſpicere licet. An vero oſſicula iſta prædictorum morborum, lethargi, cephalalgiæ, ſtupiditatiſque cauſa unica extiterint, affirmare non audeo, neque id probabile eſt, quia ſine dubio iſta diutius ibi hæſerunt, quam dolor capitis ac lethargus, mortem prægreſſi, durarunt. Judicat proinde etiam laudatus *Dn. Gohl*, eadem in milite iſto, quia horizontaliter ſita fuerunt, vix aliquam moleſtiam creare potuiſſe.

CCVII.

RUTTGER GOTTL. HOERNIGK,

DE

INDURATIONE PARTIUM PRÆTER NATURAM.

Lipſiæ 1750.

NOtatu digna videntur, *& publici feciſſe Juris, ſpes eſt non pœnitebit:* Quæ ante annum, & quod excurrit, in virili corpore, quod vix quadrageſimum annum jam tum confecerat, circa inſolitam mollium indurationem obſervare licuit, Excellentiſſimo *D. Günzio* duce, ejuſdemque permiſſu, incidendi idem, atque in muſculorum præſertim fabricam inquirendi exoptatam opportunitatem, quæ data mihi fuit, apprehendi. Quo vero alia taceam in hoc reperta ſingularia notatu digna, duo peregrina quaſi & peculiaris indolis ſive texturæ corpora, alterum in diaphragmatis dextro latere, alterum inter inferiores aut ultimas duas coſtas veras ejuſdem lateris enatum, omnem attentionem meruerunt. Ad alterum quod attinet, illud ſatis notabile ſepto tranſverſo inhærebat, ita quidem, ut dimidia ſui parte tendineum, reliqua carneum ejus locum ex parte occuparet, & poſterior illius pars eſſet minor, major vero anterior ſternum reſpiciens. Erat autem ſic poſitum in diaphragmatis latere dextro, ut pollicem circiter diſtaret ab eo foramine, quod venam cavam tranſmittit, ipſique & anterius & a latere eſſet. Decurrens ambitu inæquali, atque adſcendens quaſi e medio diaphragmatis verſus anteriora, longum erat tres pollices, cum quarta unius parte, tranſverſa vero linea dimenſum, duos pollices cum dimidio latum, tectum velatumque ſuperius pleura, inferius peritonæo inhæreſcens, ita quidem, ut ligamento vulgo ſic dicto coronario hepatis ſuperpoſitum eſſet, aliquot lineas craſſum exſcindebatur. Elaſticum hoc omne repertum fuit recens, multo magis, ubi exſiccatum erat, durumque. In ſuperficie læve dum integrum adhuc eſſet, ſecus arefactum. Poſtquam enim aliquandiu detentum atque deſiccatum fuit, utraque ſuperficies leniter corrugata fuit, ob fibras craſſas membranaceas quaſi hinc inde decurrentes, atque rubelli coloris. Alterum quod in infimo thorace erat, illud non minus animadverſione dignum eſt. Occupabat enim non minimam partem ejus muſculi, qui infimas duas coſtas veras in dextro latere intercedit, ita quidem, ut prima ejus veſtigia tres circiter tranſverſos digitos a cor-

corporibus vertebrarum dorſi abeſſe cernerentur, ipſumque in curvatura coſtarum interna, aut concava thoracis parte poſitum eſſet. Figura ejus erat fere ovalis, & poſitus talis, ut a poſteriori parte anguſtum, oblique ſurſum latius ſenſim factum, aſcenderet, interim tamen horizontali ductu, ſextam ſeptimamque coſtam, ut muſculus ſemper ſolet, intercederet. Non plane hoc diſſimile erat jam ante deſcripto, quoad omnem induratam ſubſtantiam, aſt habebat præterea varia, quæ tabula ænea denotanda curavi, loca tophacea interſperſa, quæ in ipſo iterum orta, elevata, magis albidiora, & duriora obſervabantur. Inæqualis paſſim erat hujus ſuperficiès, atque reliquam muſculi partem ſimilia varia loca ejuſmodi obſidebant, minus tamen conſpicua, & elevata, ob pleuram omnia cingentem.

EXPLICATIO FIGURARUM.

Fig. I.

Corpus peregrinum, aut locus induratus in diaphragmate.

a. b. *Longitudo ejus* $3\frac{1}{4}$ *pollicum.*

c. d. *Latitudo* $2\frac{1}{2}$ *pollicum.*

Fig. I I.

Diaphragma exhibet, a parte abdominis.

a. *Induratum in ſuo ſitu.*

b. *Foramen pro vena cava.*

Fig. I I I.

A. A. *Pars muſculi intercoſtalis.*

B. B. *Locus ejus induratus.*

a a a a. *Loca tophacea interſperſa.*

Fig. I V.

A. B. *Coſta ſexta & ſeptima dextri lateris.*

C. *Indurata pars muſculi intercoſtalis in ſuo ſitu.*

CCVII.

CAR. FRID. HUNDERTMARK

ET

FRID. JACOB. TITTMANN,

OSTEO-STEATOMATIS CASUS RARIOR.

Lipſiæ 22 April. 1757.

HISTORIA.

QUum fama percrebruiſſet, hujus adoleſcentis faciem immani eſſe corruptam tumore, qui os & pleraſque vultus partes ita obtegeret, ut monſtri fere referret ſpeciem: Sacra Majeſtas, Regina Poloniarum, Domina noſtra longe Clementiſſima, quam ſolatio, & ſummo beneficio, mortalibus divinitus conceſſam, nobiſque in primis indulgentiſſimam patriæ matrem obtigiſſe, merito gloriamur, quæ a ſe deſiderari nihil umquam patitur, quo etiam ex plebe infimorum adjuvari poſſit & levari miſeria, optimo patri meo imperavit, ut miſerrimi, vereque depoſiti hujus hominis morbi naturam diligentius inquireret. Acceſſimus ad ægrotum, morbo ſuo jam penitus confectum, omnique de ſpe depulſum, quem etiam ſuo ceſſiſſe fato, altero die percepimus. Quum vero hoc etiam in mandatis haberet pater meus, ut mortui cadaver curioſius perſcrutaretur, tumorem diſſecaret, depingendumque curaret, vel hoc in ſe collato munere pie functus, ſequentia invenit. Corpus macie apparebat conſumtum, caput in ceteris partibus ad menſuræ leges recte ordinatum erat, tumor quidam oculum dextrum obtegebat (aa), *ejuſque palpebram inferiorem ita urgebat verſus ſuperiorem, ut oculus exinde occluderetur, ipſa tamen acie & viſus vigore, ſi quando vivus diducebatur, integris. Ipſe tumor, ex elevato oſſe maxillari ſuperiori dextri lateris natus, cute & perioſteo denudatus, candidiſſimus erat, atque duriſſimus, ita, ut pars ejus convexa ſerrula eſſet diſſecanda, cujus diametrum ultra binorum cum dimidio digitorum latitudinem ampliatum, maxime diſtentum, pinguique lardo, cui fibræ oſſeæ erant intertextæ refertum, cognovimus, quo propius vero ille ita extentus accedebat ad alveolos dentium ſuperiorum, hoc erat mollior, & cartilagineus, uſque eo, ut ſtilum, ſibi facillimo negotio impreſſum, continuo reciperet, eidemque liberrimum ad fauces concederet aditum, & tandem ad ſteatoma ipſum ex ore, faucibuſque profectum, perveniens cum eodem in unum confluebat. Ex tumore magno minor aliquis* (bb) *eminebat, dimidiæ partis ovi gallinacei ſimilis, eo in loco, cui chirurgus quidam, tumore nondum adeo elevato, quem non oſſeum tunc ſuſpicabatur, inciſo, præter ſpem & opinionem oſſeo invento, modiolum impreſſerat, aliquam materiam, quam huic ſubeſſe putabat, educturus, quem hiatum callo tenuiore, & teneriore quoque cute rurſus obductum, vidimus. Narium* (cc), *omnino depreſſarum, pinnæ, utrinque maxime diductæ, conſueta ſua forma amiſſa, cum tumore in unum coiiſſe, animadvertebantur. Labium ſuperius* (dd) *ad lineæ craſſitudinem extenuatum, totumque obliteratum, abſorbuerat tumor alius, ex faucium parte, poſteriori & ſuperiori profectus, & ex ore propendens, cujus ambitus* (ee) *palatum cum maxillæ ſuperioris alveolis, dentibus & gingivis omnino implicuerat, quemque labii*

ſuperioris tenuior & rubens tunica, mirum, quantum extenta, ſe obvolutum, comprehendebat. Totus hic polita cute erat obductus, quam eamdem, qua labia, & os internum conveſtiuntur, & nexus cum interni oris locis, & color, & glanduloſa fabrica, ex acinis, cannabini ſeminis ſimilibus, altius paulo eminentibus, contexta, eſſe oſtendebant. Dentes ſuperioris maxillæ (ff) *quatuor adhuc ſuperſtites, cartilagineo tumoris involucro ſub cute rubra erant infixi, bini maxime vacillantes & foras protruſi, reliqui paulo profundiores, levius tamen alveolis inhærentes. Prodiens ex ore tumor majora capiens incrementa, omnes reliquos dentes ſuperiores, ab initio firmius cum alveolis junctos, ſenſim paullatimque partim extruſit, partim maxime reddidit vacillantes, quos vel ſponte elapſos, vel nullo negotio exemtos, collectos, omnis tamen labis carioſæ expertes, nobis attulit pater vita defuncti. Inferioris maxillæ dentes, quorum ne unus quidem deſiderabatur, clavorum ad inſtar in tumorem intruſi, ſe abſcondcrant. A ſiniſtra faciei parte, & cutis integra, & os maxillæ ſuperioris nihil mutatum, ſed candidum, ſolidum, ac integrum eſſe, obſervabatur. Tumor alimentis aditum omnem ad os præcluſerat, uſque eo propendens, ut non tantum manibus eſſet ſublevandus, ſi quando fluida ſola, aut ſorbilem victum, & parciorem pultis portionem, cochlearibus oblongis, vel cannula, hiatui, inter aurem dextram & labiorum commiſſuram, ſpeciatim propius ab hac patulo, inſerendam curarent, quæ tamen, ita accepta, deglutitionis organa illæſa ſatis libere ad ventriculum deducebant, ſed etiam pondere moleſtiſſimo ne deprimeret fere ægrotum, vel ſaltem nimis fatigaret, brachiis ſuppoſitis ſuſtentandus eſſet, atque ſuſfulciendus. Parciſſime ita nutritus ægrotus, elanguit, & febre exedente, non tam ex tumoris utriuſque indole depravata, quam non invenire potuimus, ſed potius ex boni ſufficientiſque nutrimenti defectu, enata, ita emaciatus, ut ſceleti referret imaginem, diem obiit ſupremum. Tumor ex ore protentus nobis molem, cute labii ſuperioris obtentam, & ſub hac cartilagine obvolutam, lardo pingui tenaciori intus repletam, omnium vaſorum diſtinctorum omnino expertem offerebat, ad tumoris fundum vero vaſa apparebant varicoſa, minimi digiti craſſitudinem æquantia, omniſque hic tumor ad ſuperiores & poſteriores faucium partes, unde primam ſuam traxerat originem, undique obliterata, textura ligamentorum ſimili, animadvertebatur adfixus, ſex circiter pendens libras. Ablata calvaria, cerebro detecto, ad partes iſtas nobiliores malum ſe haud penetraſſe, neque viſcera reliquarum cavitatum, ſi a ſumma eorumdem, & totius corporis tenuitate receſſeris, quid contraxiſſe vitii, cognovimus. Pater ægroti de reliquo enarravit, hunc tumorem illi annum 14 agenti, ex tuberculo, ſub dextro oculo os maxillare ſuperius, occupante, primum eſſe enatum, in oculum ipſum tunc temporis acriori materia deſtillante, qui quam plurimorum infimorum hominum, capite cenſorum, & artem vel minime, vel peſſime, doctorum, non curæ, ſed effrenæ oſcitantiæ, relictus, & maxime ineptis acrioribus medicamentis, ne dicam venenis, incitatus & irritatus, indies in pejorem abiens partem, & majora capiens incrementa; ab 24 hebdomadum ſpatio in iſtam molem horrendam excrevit.*

§. I.

§. I.

Nominis reddita ratio.

QUum in præſentia de morbo mixto, &, quoad ex binis potiſſimum aliis componitur, ſimplices qui frequentius veniunt uſu, omnino rariſſimo, dicere adgrediar, in id præcipue mihi animus erit advertendus, ut eumdem ejuſmodi nomine deſignem, quod continuo per propriam ſui vim atque ſignificationem cuivis lecturo veram ipſius mali indolem atque naturam reddat cognitam. Arduum vero id hoc magis, equidem, eſſe, arbitror in illo vere commodo inveniendo, quod ſimul duplicis tumoris ſit habenda ratio, unius ſub orbita oculi dextri ex oſſe maxillari ſuperiori enati, ſteatomatis nempe, exoſtoſi incluſi, alterius, ex faucium parte poſteriori & ſuperiori prodeuntis ſteatomatis, tunica labii ſuperioris, maxime extenta, obvoluti, & in prodigioſam illam molem, adſpectu ſatis horridam, expanſi; re vero diligentius conſiderata, omnium maxime adpoſitum eſſe, mihi perſuaſi, ſi totum illud malum, generatim conſideratum, *oſteo-ſteatoma* adpellarem. A potiori, id quod fieri conſuevit, hæc effecta eſt denominatio, quod quidem eadem potiſſimum conveniat tumori oſſeo, ex oſſe maxillari ſuperiori, quod lardo repletum, & fibris oſſeis intertextum, conſpeximus, ſimul vero etiam illum tumorem, mere ſteatomaticum, ex faucibus protruſum, deſcribat. Eſt itaque *oſteo-ſteatoma* durarum & mollium, pinguium præcipue, corporis partium, per vaſorum inter ſe junctorum, communionem præter naturam effacta mutatio, qua, cujus modi hoc ſpeciatim in exemplo animadvertimus, in molem, naturali longe majorem, extenduntur, ipſis vaſis, ſenſim paullatimque relaxatis, & ampliatis, vel novis humorum receptaculis, ſine ordine & lege naturæ conſueta efformatis, in dies fere nova capientes incrementa, & uſque eo adauctæ, ut ita male adfectæ vires vitæ, in ſtatu naturali ſibi proprias, amittant, & inertes atque emortuæ quaſi aliquod tempus perſtent, vel ex ſe ipſis circuitu humorum vitali abolito, putrefactæ deſtruantur, & pereant, immo partes alias vicinas, & juxta ſe poſitas comprimant, & interdum in propriæ labis, ſi qua ſubeſt, trahant conſenſum, & omni cum corpore communicata acrimonia, atque putredine, hominem trahant, & lenta conficiant morte. Hæc brevis, quæ noſtra quidem eſt qualiſcumque ſententia, & vere adcommodata, eſſe videtur oſteo-ſteatomatis, generatim conſiderati, definitio.

§. II.

§. II.

De ſpeciali oſteo-ſteatomatis definitione.

Quodſi autem ad iſtum, quem nunc expoſituri ſumus, tumorem propius reſpicio, ea occurrit notio, qua argumentum voluminis oſſium una cum pinguedine vitiata, illis incluſa, ex pravis humoribus illuc affatim congeſtis, & ex læſa vaſorum nutrientium naturali ſerie, ſiſtitur. Duo enim morbi in hoc depravato ſolidorum mollium & durorum, id eſt pinguedinis, & oſſium ſtatu concurrunt, quorum alter fundamentum corporis, & fulcra motus, alter olei animalis receptacula vitiat, & omnia hæc ſuis muneribus præſtandis reddit inepta. Namque ſub iſto materiæ alicujus vitioſæ, in laxioribus vaſis collectæ, aut in ſpatia, quæ vaſis intercedunt, congeſtæ, in iiſdem auctæ, tandemque corruptæ, confluxu non ſolum oſſa hominum, in primis juniorum, in tumorem attolluntur, ſed poſt, quam illorum fibræ oſſeæ, interfuſo peregrino liquido, diſtentæ, atque una perioſtei membranæ, vel abolitæ, vel ex aliqua parte mutatæ, fuerunt, id quoque evenit, ut contextus celluloſus, qui perioſteo intereſt, hinc communis tela adipoſa vitiato oſſi adjacens, ob vaſorum communionem, humores ibidem corruptos, qui in oſſe ſunt conſtituti, in ſeſe recipiant, atque cum illis una intumeſcant. Poſt enim quam os, quod huc uſque æquale erat, & formæ ſuæ, ſibi a natura datæ, limites ſervaverat, a forma ſua recedit naturali, tunc quidem non poteſt non illud partes, ſupra ſe ſitas, molliores ſimiliter elevare, attollere atque expandere; ſub ipſis adeoque morbi hujus natalibus adeſt oſſis veluti *ſcirrhus* (*a*), ita ſi loqui licet, & aliquis nodus durus, quem *exoſtoſin* (*b*), & quum auctior redditus, partes oſſium, in primis ſpongioſas, humores ſimul varie vitiatos quæ continent, male habuerit, *hyperoſtoſin* (*c*) appellant, partibus tamen mollibus, quæ vitioſo oſſi

(*a*) *Johan. Zacharias Platner*, vir, qui hanc univerſitatem doctrina, & ſcriptis illuſtravit *in inſtit. chirurgiæ rationalis* Lipſ. 1745. edit. *de oſſium morbis* §. 1041. *Exoſtoſis benigna*, inquit, *eſt veluti ſcirrhus benignus*, *cum in eo retenta materia ſine metuenda noxa hæreat.*

(*c*) Exoſtoſis cariem non ſemper habet adjunctam. *Exoſtoſis*, inquit, *Cel. Laur. Heiſter. vocabulum magis pro certis eminentiis*, *ſine excreſcentiis acuminatis*, *præter naturam in oſſibus*, *poſt fracturam*, *colliſionem aliamve cauſam ortis proprie habetur*, *ubi etiam caries haud raro deeſt.* in *inſtit. chir. Amſtelod.* 1739. *edit. Part. I. libr*, 5. *c*. 9. §. 1. *p*. 388. Nec veteres quando exoſtoſin nominant, ubique ad cariem advertunt animum. Adde quæ de hac re curioſius habet obſervata *Jean Louis Petit* in *Traité des maladies des os à Paris* 1723 *edit. Tom. II. chap.* 16. *p*. 339. *ſeqq.*

(*c*) *Oſſa ad extremos fines*, *ubi ſpongioſa ſunt & minus denſata*, *tacita accretione ſeu* hyperoſtoſi *ſenſim dilatantur*, *ac intumeſcunt tota quidem mole* vide Jo. *Aſtruc. de morbis venereis Lutetiæ Pariſ.* 1740. ed. T. I. libr. 4. c. 1. p. 401. & c. 3. p. 416.

oſſi inſident, etiamſi extra nativæ ſuæ directionis lineam non potuerunt non collocari, nondum ita mutatis; ut vitium circuli humorum, & nutritionis debitæ, inde pendentis; defectio naſcatur, ſiquidem os eo uſque mutatum nondum eſt, ut, deſtructo perioſteo ſuo, molles partes, ſupra ſe ſitas in conſenſum mali trahere poſſit. Confectum enim & demonſtratum eſt, uſque eo, donec membrana os morboſum cingens, aliquo veluti contagio correptum eſt, intactas manere partes molles, quæ oſſi ſuperinſternuntur. Ideoque non ſtatim vitioſa pinguedo naſcitur, aut exoſtoſi ſteatoma accedit, ſed oſſeæ fibræ primo loco diſtenduntur ab interfuſo liquido, deinde perioſteum etiam & vicina pinguedo eadem de cauſſa, quæ oſſis morbum effecerat, replentur, quæ pinguedo aliquando ſola & vitioſa ad ſevi accedit indolem, & *ſteatoma* dicitur (*d*), ita quoque oſſeo tumori quandoque jungitur, qua in re aliqua naturæ providentia poſita eſt, quando illa, inducto involucro molli & craſſiori, quale indurata pinguedo eſt, perioſteum, cui ſua pernicies proxime imminebat, obfirmare & increſcenti oſſi impedimenta, ac aliquos veluti limites, ponere adnititur, eoque major illa vitæ vis in coercendo oſſis vitioſi incremento fuiſſe mihi viſa eſt, quo plus illa in hoc exemplo maxillæ ſuperioris expanſionem coercere anniſa fuit pinguedine, quum antea illa in lardi ſpeciem indurata eſſet, inſuper in aliquibus locis in cartilaginem converſa, atque fulcris trabibuſque oſſeis interſepta, ut tumori illi ad vitam utcunque ſuſtinendam, aliqua adeſſet firmitas atque ſtabilitas. Eo autem major iſtius vitioſæ pinguedinis copia eſſe hic potuit, quo major illius ut plurimum quantitas adeſſe ſolet circa illum locum (*e*), verſus quem aliquando febrilis materia reſidua fertur per metaſtaſin, & ulterius cocta & præparata inde evocatur (*f*).

§. III.

(*d*) Steatoma eſt *adauctio pinguedinis præter naturam Galenus* in *definitionibus*. Sevi quid ſimile eſt in ipſo ſteatomate, atque ut plurimum tunica quædam membranoſa omnia hæc continet. *Galenus de tumoribus præter naturam.*

(*e*) Naturalis aliqua pinguedo muſculis; qui faciem regunt, intercedit ea præcipue parte, qua ductus Stenonianus ex glandula, quæ pone aurem eſt, exit, & deſcendit copioſior hujus; & decens luxuries ac tumor formoſitatem faciei conciliat, Hæc quum nimis adfluit, deformitatem parit. Hinc *buccones* dicti; qui amplas buccas habent, & pinguedine fartas, quos phyſiognomi fatuitatis arguere ſolent.

(*f*) Febre maceratis ad articulos, & circa maxillas maxime abſceſſus fiunt *Hippocr.* in *Aphor. Sect. IV.* 31. Addit *Jacobus* de *Forlivio* ad hunc aphoriſmum; carnes quædam ſpongioſæ, juxta mandibulas exeuntes, ad recipiendas ſuperfluitates deputatæ ſunt. Maxillæ igitur dicuntur hæc recipere, quia carnes circa ipſam exiſtentes recipiunt.

§. III.

An tumor oſteoſarcoſis dici poſſit.

Variam hujus tumoris ſpeciem, ejuſque in exteriore & inferiore ſui parte potiſſimum obſervandam rubedinem carnis ſimilem (*g*) attentius mihi contemplanti, eam *oſteoſarcoſin* appellari poſſe, incidit. Nihil enim obſtare videbatur, quo minus tumor aliquis, licet, ſi quoad ſuam ſubſtantiam lardi ſimilis, modo non ſit oſſeus, carneus dicatur, quum nimirum veteribus placuerit, carnis nomine non tantum id, quod muſculus eſt, ſed quamcumque aliam ſubſtantiam excepto oſſe (*h*). Eſt enim *hyperſarcoſis*, latiori ſenſu, non ſolum id, quod carnis ſpeciem refert, ſed omne, quidquid in molli variarum partium compage luxuriat & excreſcit (*i*). Dubium quoque videri cuidam poſſet, tumorne, de quo jam ſermo eſt, *oſteo-ſcirrhus* majori jure dicendus ſit, ſiquidem oſſi duro, dura quoque tunica glanduloſa, ſteatoma conveſtiens, inducta fuit. Scirrhus enim potiſſimum glandularum, & tunicarum, glandulis ſebaceis, ſeu folliculis muciparis, conſtitarum, ut & pinguedinis ipſius, indicat tumorem durum, non dolentem (*k*), facile in cancrum occul-

(*g*) Ruborem ſolum, ut tumor aliquis *hyperſarcoſis* dicatur, ſufficere, auctor eſt *Hermannus Boerhaave* in *Prælect. Acad. in proprias inſtitutiones rei medicæ*, quas edidit *Albertus v. Haller* T. VI. Göttingæ 1744. 8. p. 44. *Veteres*, ait *σάρκα dixerunt omnem corporis humani partem rubram mollemque*, *recentiores anguſtius hac voce utuntur*, *&* *carnem dicunt*, *quæ muſculos efficit*, *reliquam vaſculoſam corporis ſubſtantiam*, *quæ fibris deſtituitur*, *aliis nominibus deſignant.* Sed ex veterum uſu *hyperſarcoſis* vel *ſarcoma* ſumitur pro omni magnitudine præter naturam aucta in parte rubra corporis cum læſa functione. Hujus modi tumores vidi, qui vere in pinguedine ſedem habuerunt, rubræ carni interpoſita, vaſis ita adauctis, ut ex non ſanguiferis rubra fierent. In vera carne fibroſa rarum eſt, hujuſmodi mala videre, & ego quidem nunquam vidi, neque facile crediderim, viſa eſſe. Adipoſa vero ſubſtantia omni fere parti corporis humani circumponitur, & vaſa plurima habet, quæ aucta, paullatim adeo ampla fiunt, ut rubrum ſanguinem recipiant, &, qui adeps erat, nunc rubram carnem mentiatur. Hujus modi tumores in immanem magnitudinem excreſcunt, & quando, ante inciſa, deteguntur, tumor continetur tenui pellicula, totuſque deglubi poteſt. *Ruyſchius* octo librarum pondere talem vidit, cujus ſubſtantia nihil fuit niſi oleum.

(*h*) Sic carunculæ dyſentericæ *Hippocrates* aph. ſect. 4. aph. 26. non caro ſed membranarum ramenta ſunt.

(*i*) *Hyperſarcoſis*, carnis excreſcentia, eſt inutile incrementum in quacunque corporis parte; neque enim in ulceribus ſolum, verum etiam in oculis, auribus, gingivis, naſo, teſticulis & aliis pleriſque partibus ſupercreſcit. *Jo. Gorræus* defin. med. Francof. ad Moen. 1751. f. ſub hac voce.

(*k*) Scirrhus eſt tumor non dolens, ſcaber, durus, in locis glanduloſis. *Boerhaave* l. c. p. 279.

occultum abiturum. Variæ tamen exiſtunt cauſſæ, quæ morbi hujus vel a carne, vel a ſcirrho, deſumtam denominationem minus commodam futuram, nobis perſuadent. Nomina enim ex eruditorum arbitrio ſuam vim atque ſignificationem acceperunt. Veteres in univerſum illos tantum tumores carneos nominarunt, quos ulcera ſequuntur. Ipſe *Aſtruc* alium morbum ab hoc, de quo nunc agimus, plane diſcrepantem, illum ſcilicet, quum oſſa molleſcunt (*l*), & carnis veluti induunt naturam, recte & ordine oſteoſarcoſin dixit. Sed ſcirrhi definitio præſenti morbo minus videtur convenire. Licet enim, æque ac omnes ſcirrhi, dolore, ob nervos, ſua ſentiendi facultate privatos, deſtitueretur, nulla tamen, ſi a tumore oſſeo receſſeris, durities obſervabatur, & mollior ille penduluſque tumor in ſuperficie ſua ſcirrhi æmulans naturam, ob iſtam ſuam molliorem indolem, ſcirrhi titulum minus mereri videtur, ſiquidem tumor ille non tantum e ſua ſuperficie, cui fortaſſe aliquid ſcirrhoſitatis, propter cutem illam ex ore procedentem rubram acinis glanduloſis, cannabis ſeminis ſimilibus obſitam, ineſſe potuit, æſtimandus eſt; ſed univerſus tumor, & quoad interiorem ſuam ſubſtantiam etiam eſt conſiderandus, ut clara & diſtincta legentibus evadat idea.

§. IV.

De hyperoſtoſi & ſarcomate ſingulatim.

Antea autem, quam mixti hujus morbi, indoles indagari queat, nonnulla de ſingulo hoc pathemate, quod ſub hac ægritudine unitum deprehendimus, præmittenda ſunt. Conveniunt tam oſſium, quam pinguedinis, tumores in eo, quod utrinque orta ſit contextus celluloſi, inter fibras tam rigidas, quam flexiles, medii vitiata, id eſt præternaturalis capacitas, in qua cacochymici, putres, acres rodenteſque, aliquando tamen & innoxii, atque mole tantum ſua graves, ſucci, veluti in hoc exemplo, colligantur, & tumor abhinc ſenſim augeatur. Quamvis vero materiam iſtam luxuriantem, vel in oſſa, vel partes molles congeſtam, in circulum cum reliquis humoribus agi, omnino negari nequeat, & illa per aliquam, licet debilem, ſuam vitam ſuſtentata in celerem haud abiret putredinem, ſed in dies augeretur, licet, nutritam ean-

(*l*) *Oſteoſarcoſis eſt lenta & tacita oſſium emollitio, qua cartilagineam, imo etiam carneam naturam adipiſci videntur Jo. Aſtruc de morbis venereis libr.* 4. *c.* 3. *p.* 418.
Conſtat quoque obſervatione, oſſa ſeminio venereo, quo alte imbuuntur, aliquando ita molleſcere in oſteoſarcoſi, ut ceræ inſtar inflecti, comprimi & in anguſtius ſpatium redigi poſſint. Idem ibid. libr. 4. c. 1. p. 402. ſeq. qua de re & *Illuſtris Procancellarius, Patronus & Præceptor* meus, ſumme colendus in Programmate ſubjuncto egit.

eamdem fuiſſe, recte affirmari omnino haud poſſe videatur; ſanguis etiam, quum tumori empiricus aliquando modiolum adplicuiſſet, effuſus, vaſa ſanguifera ipſi ineſſe, oſtenderit, atque ex illis omnibus liqueat, naturam id præcipue curare, ut ne ſcilicet pejus malum inde oriatur, atque carcinoma, ſuo tempore exinde naſciturum, in longum differatur: utraque tamen iſta & oſſis, & carnis, luxuriantis ſpecies nihil aliud quam cadaver eſt, quod ſuccis ſine lege & ordine maſſam pervadentibus utcunque conſervabatur, & ad certum tempus ab interitu ac putredine vindicabatur. Morbus igitur uterque in uno hoc ſchemate mixtus, & cauſſa, & forma, externa conveniebat. Quodſi vero ſpecialis, & oſſis male affecti, & partium illi adjacentium, labes, ex diverſa utriuſque partis compage, duriori in oſſibus, molliori in carnibus dijudicanda eſt, maxima inde tamen prodit diverſitas, qua & curatio in morbi ſaltem principiis ſperanda, & ad eam perficiendam adhibenda medendi methodus, mirum, quantum variatur. Ne igitur id, quod ad pathematis, nunc diſquirendi expoſitionem, ex oſſis affecti indole cognita, aliquid efficere poteſt, deſit, tenendum eſt, quatenus in oſſibus, ſalvis etiam proximis mollibus partibus, morboſa aliqua cellularum, per oleum animale corruptum turgida repletio, earumque abinde præternaturalis expanſio, unde tumor oritur, vario modo provenire poſſint. Non enim laudabiles tantum humores aliquando raras corporis infantilis epiphyſes implent atque expandunt, ut, ob laxitatem, iſti ætati propriam, oriatur capitum, quæ in ſummo oſſis tubiformis loco præfiguntur tuberoſitas, id quod exoſtoſis benigna, & tumor oſſis, a ſuccorum bonæ notæ redundantia, appellatur; ſed & depravati cujuſcunque generis humores, in iſtas oſſium rarioris texturæ cavernulas, ſive errore, ſive metaſtaſi & deſtinatione per naturam, in viſcerum conſervationem, translata materia peccante ad oſſa congeruntur, & tendendo atque rodendo efficiunt, ut, deſtructis vaſis reſorbentibus, accumulatus humor minus laudabilis, ex cellulis oſſeis per determinata colatoria reduci nequeat, ſed maneat, eoque ipſo oſſis diploen, tanquam præcipuam iſtius mali ſedem, deſtruat atque corrumpat, totiuſque oſſis tumorem, & *hyperoſtoſin* producat (*m*). Nec raro ipſe interfuſus perioſteo & oſſium ſuperficiei humor oſſa nutriens ſenſim indureſcit

(*m*) Sæpe fit, ut lamellæ oſſis a mutuis contactibus recedant, & mirificus inde tumor naſcatur. Vidi oſſa cranii triplo & quadruplo craſſiora quam in ſtatu naturali fungoſa tota, ut pumicem referrent, *Boerhaave* l. c. Quando ſolum perioſteum obſtruitur, deinde intumeſcit, fit tumor mollis in paſtæ modum, referens cornu recens in animali natum. Quando hic tumor magis & magis in acumen adſurgit, & tactui tamen cedit, tunc tophus eſt, quando magis indureſcit, ἐγκεϱατώσεις & ἐξοστώσεις naſcuntur quando jam oſſea duritie ſunt: vid. *Boerhaave* l. c.

cit (*n*), ita ut induratum tale concrementum initio molle *gummi*, mox denſius redditum *tophus* dicatur, quo ipſo oſſa omni ſua nutritione privantur, atque illa cariei ſpecies oboritur, quæ ſub perioſteo nata, deinde ad interioris oſſis ſedes verti dicitur; alio vero tempore ab interioribus procedit malum, quod oſſa vario modo corrumpit, ut in alia parte molliora, in alia duriora evadant, unde varias exoſtoſium ſpecies *Aſtrucius* definivit (*o*).

§. V.

De ſteatomate ſpeciatim.

Quemadmodum autem nemo facile dubitabit, & optimos ſuccos, maximeque laudabiles humores, nimium abundantes corpori moleſtos, & tandem nocivos evadere poſſe, ita multo minor movenda erit dubitatio de pinguedinis, in aliqua corporis parte, ex vitio ejuſdem nata, accumulatione, ita ut non tam pinguedo, luxuriantes optimos ſuccos in ſe comprehendens, quam potius ſpiſſiſſimus quaſi viſcus, in concretum duriuſculum compactus, appellari mereatur. De qua licet re generatim multa dici poſſent, ſufficit tamen, ea, quæ ad præſentem ſcopum pertinent, breviter attingere. Quodſi enim nunc de pinguedine ſpuria, in os ægrotum congeſta, atque ex ipſius oſſis vitio naſcente, agendum eſt, ratio ſimul erit reddenda, quare lardum naſci debuerit, quum os eſſet tumore infectum. Veniunt igitur mihi in mentem ea, quæ *Celſus* habet, quum *id quod in oſſe vitiatum eſt, primo fere pingue, deinde vel nigrum, vel carioſum fieri* (*p*), ſcribit, quo aphoriſmo facile quis induci poterit, ut arbitretur, ex oleo maxillæ ſuperioris, per tranſverſos *Haverſii* poros tranſudante (*q*), ſub perioſteo illius oſſis collecto, maſſam iſthanc iner-

(*n*) Oſſa in media & denſiſſima parte in ἐξοςώσεις extument majores minoreſve, modo ſubmolles & quaſi ſemipulpoſas, modo renitentes & vere oſſeas, quæ nunc atrociter, nunc levius, nunc tolerabilius dolent, imo vero quandoque indolentes ſunt *Jo. Aſtruc* de morbis venereis Tom. I. libro 4. c. 1. p. 401. Omnino velut in noſtro caſu.

(*o*) Legitimæ dividuntur in duo genera, alterum quidem, in quo os tumens in fornicem cavum arcuatur, ſubter quem numeroſæ latent cavernulæ, lamellis oſſeis diſtinctæ, & ſubſtantia carnea dura, firma, cartilaginea plenæ; alterum vero, in quo os tumens intus plane ſolidum eſt, ceteroque oſſe candidius inſtar eboris, neque ullis cellulis, quæ conſpicuæ ſint, ſuffoſſum, ſed contra ſolito durius compactiuſque *Idem* libr. 4. c. 3. p. 415. ſeq. Omnino uti in noſtro caſu.

(*p*) *Aurel Corn. Celſus de medicina libr.* 8. 2.

(*q*) Præter poros, vaſis ſanguineis tranſitum concedentes per oſſium laminas, interque illas adhuc alii ſunt, iidemque duplicis generis. Quidam per ipſas laminas penetrant, & a cavitate ad externam oſſium ſuperficiem tranſverſim ſpectant. Alii inter laminas locantur, ſuntque longitudinales & recti, *Clopton Havers de oſſibus Amſtel.*

inertem concreviſſe. Quamquam enim huic ſententiæ ipſa externa contradicat oſſis ſpecies, quum in ſua ſuperficie integrum, albiſſimum; atque ſolidiſſimum apparuerit, id quod ſine perioſtei, proxime oſſi adjuncti, præſentia neutiquam accidere potuiſſet, quum quævis oſſa, perioſteo privata, cariem atque nigritiem contrahant, eamque ob cauſſam inter perioſteum & oſſis ſuperficiem locus haud adfuiſſe videatur, in quem tranſſudans ex oſſe materies colligi potuiſſet. Attamen ipſa illa oſſis albedo præternaturalis fuiſſe videtur, quum oſſa ſana in colorem vergant ex albo cæruleum (*r*), ob vaſa venoſa, ſuo adhuc ſanguine turgentia, quorum ſcilicet, inter oſſium recentium lamellas decurrentium maxima frequentia & in mortuis deprehenditur; ideoque iſta oſſis albedo tantum abeſt, ut ſeparati perioſtei, & loci propter ea, in quem materies effundi poterat, præſentis ſuſpicionem faciat, ut potius exinde oſſis, ſua membrana coercente orbati, & mutationis calcareæ (*s*) in oſſe illo abinde factæ, argumentum ſubminiſtret. Quodſi vero faciamus; & perioſteum ſuo oſſi penitus adhæſiſſe, alius tamen neutiquam deficit locus, qui malæ materiæ, ex vaſis per ſuperficiem oſſis decurrentibus, in perioſtei telam cellularem (*t*) transfuſæ colligendæ, inque concretum album pingue, ſciſſile cogendæ, haud minus aptus exiſtit; interſtitium ſcilicet illud perioſtei ipſum, in quo vaſa omnis generis ad oſſa ſubſtrata deſcendunt, & ab illis revertuntur. Potuit denique & illa ipſa pinguedo, quæ ſuper maxillam, & prope eamdem, in ſtatu naturali adeſſe plenioribus ſolet, ex mala corporis diatheſi intumeſcere, cui id quoque accedit, quod tunica glandulosa palati, labiique ſuperioris, ſpiſſiori ſalivæ ſecernendæ deſtinata, in ipſius tumoris illius cryptas ſuum deponere potuerit mucum, prima æque, ac in naribus polypoſæ concretioni, ſtamina ſubminiſtrantem. Quidquid enim in iſto prægrandi tumore rubrum inveniebatur, id omne a glanduloſa oris tunica, mirum, quantum extenſa, & extra os prominente continebatur.

§. VI.

Amſtel. 1731. edit. p. 47. Per illos autem oleum animale ad oſſium externam laminam ferri, proponit *ibidem p.* 53. *pag.* autem 52. gelatinoſam materiam inter partem oſſis ſolidiorem & perioſteum reperit.

(*r*) Oſſis integri color eſt ex albo cæruleus, qualem tunica habet exterior oculi, qui color in oſſibus infantum paulo magis ſanguinolentus eſt. *Jo. Zach. Platner* l. c. §. 1048.

(*s*) Si perioſteum corruptum eſt, oſſa fiunt arida, & calci ſimillima, facile friantur. *Id. l. c.* §. 1033.

(*t*) Inter os & membranam contextus eſſe videtur celluloſus, valde tener. *Id. l. c.* §. 1029.

§. VI.

De mixta morbi ſpecie, & quis ex alterutro prior.

Dubium autem cuidam ſubnaſci poſſet, fueritne ſteatoma prius exoſtoſi, an hæc ex illo fuerit nata; quamvis autem hæc res ambigua ſit, miſerum tamen juvenem primum oſſe maxillæ ſuperioris laboraſſe, propterea putandum eſt, quod tumor mollis ſupervenerit ſerius, præceſſerit durior, teſte morbi hiſtoria. Prægreſſum eſt igitur tuberculum, in oſſe abſconditum, a collecto intus humore magis magiſque expanſum, quod denique ſuam vicinis integumentis labem impertiebat, quoniam ichor ex oſſis ſubjacentis cavernulis in pinguem, perioſteo interjacentem telam, effundebatur. Id quod non, niſi e corrupta antea perioſtei parte, fieri potuiſſe, nemo negabit. Omnia enim oſſa, ſuo interno vitio male adfecta, partes molles proximas ſimul vario modo in conſenſum trahunt, ut perioſteum ab humore maligno neceſſario depravetur. Felicius ægroti res cedere videntur, ſi forte abſceſſus in ſuperficie corporis, quæ oſſi morboſo reſpondet, naſcatur, quod non malum, ſi ita evenerit, ſed naturæ beneficium eſſe cenſebitur, quod ſi via nunc ſeſe ſponte aperuerit, qua corruptæ oſſium partis exfoliatio, & nova perioſtei reſtitutio, fieri poſſit. Haud raro vero ille triſtis caſus accidit, ubi ſub altis carnibus caries oſſis ſedet, ſubdola & occulta excitari ulcera, non niſi anguſtis, & ſinuoſis fiſtulis inter ſtrata muſculorum lento gradu ſerpentia. Sæpius quoque a latente carie ita vitiari partes molles, experimur, ut illæ ſenſim emoriantur, & ſuæ mortis indicium per venas varicoſas, ac lividam cutem, edant, quæ phænomena, uti cariem ſubſtratis ineſſe teſtantur oſſibus, ita chirurgis locum, ubi mediante efficaciore medicina via latentibus corruptis humoribus ſit pandenda, indicant. Quam ob rem excuſandus quodam modo in hoc noſtro caſu fuiſſet chirurgus, dummodo naturam oſſis, affecti cavernoſi, haud ignoraſſet, quod, quum cariem ſubeſſe huic tumori ſuſpicaretur, inciſa cute, & admoto modiolo corruptis liquidis, qui effluere illa poſſent, viam aperire voluerit, in eo tantum male doctus, quod, quum, corruptum os eſſe, per conſueta ſigna non intellexiſſet, abſceſſum in oſſe ſuppoſuit, de cujus præſentia mutationes cutis conſuetæ, ſenſuſque facile potuiſſent teſtari (*u*). Nulla enim cariei adfuiſſe phænomena, exinde patet, quod morbus ille oſſa, præcipue immediate cuti ſubſtrata, occupans adeo manifeſtis ſignis ſe prodat, ut, ne mediocriter quidem doctus, de eo ambi-

(*u*) Si locus, qui ante vehementem & continuum dolorem habuerat, jam ſine dolore eſt (at juvenis noſter de nullo unquam dolore conqueſtus fuerat) ſi cutis tumida eſt ac plumbea & mollior, & ſi ſub ea humor preſſu circumfluit, & ſi gravitas materiæ, febricula & punctiones ſentiuntur. *Platner l. c.* §. 1046.

ambigere poſſit. Multo minus de carie oſſis vera quidquam conſtitit, quum os maxillæ in ſectione cadaveris, propius inſpiceretur. Quam ob rem, quid ille morbus, & mollium partium, & oſſis reſpectu, vere fuerit, attentius nunc conſiderandum venit. Licet vero mollior tumoris pars ſeorſim inſpecta, ſteatomatica tantum materia repleta obſervaretur, uti ex morbi hiſtoria patet, alias tamen adhuc ſibi incluſas tenebat partes, materiam nimirum oſſeam, fulcrorum, trabium ac columnarum ritu ordinatam, ut propter ea ad fungorum indolem quodam modo acceſſiſſe videatur.

§. VII.

De morbo præſente ad fungos referendo.

Quemadmodum autem in ſcholis phyſicis nomina ſæpius variant, ipſis neutiquam mutatis rebus: ita quoque in præſentis morbi conſideratione dubium videtur, an fungi nomen illi tribui poſſit. Licet vero fungi plerumque ad articulorum ligamenta naſcantur (*x*), & hoc reſpectu nomen fungi huic, de quo ſermo eſt, tumori haud ita ſuo jure competere videatur, poteſt tamen alio nomine fungis quoque adnumerari, quum fungi alibi quoque in membranis, & perioſteo tam externo (*y*), quam interno, oriantur. Fungi enim nomen tumorem ſignificat ex partibus membranaceis, carneis, vel oſſeis ab ingredientibus eaſdem depravatis humoribus, eoque ipſo, ſerie fibrarum, partem quam occupat, conſtituentium diſſoluta, elevatum, majora ſemper, ſine lege & ordine, incrementa capientem, ſenſimque in ichorem acrem diffluentem, contagio ſuo humores reliquos, ſi qui boni in corpore ſuperſunt, inficientem. Obſervantur in ejuſmodi fungis, uti etiam in noſtro caſu quoad ſuperficiem externam, vaſa ſanguifera ſatis copioſa & magna, licet naturæ legibus minus convenienter diſtributa, ex partibus vicinis in tumorem tranſmiſſa, & per eumdem continuata. Fungorum itaque ex intimis organorum corruptorum mollis æque, ac ſolidioris oſſeæ texturæ, receſſibus ſic explicandus proventus magno utique eſt argumento, quo evinci queat, præſenti morbo fungi nomen competere, eumque illis adnumerandum eſſe fungis, qui oſſa varie vitiata occupant, & quibus vaſa illa ſpuria arterioſa, per tales protuberantias diſperſa, aliquam nutri-

(*x*) De fungis, veluti ſint tumor ad articulos, maxime genu, natus, agit *Laur. Heiſter. inſtit. chir. P. libr.* 4. *c.* 19. eoſque, quod ſint tumores, abſque omni fere calore & dolore pallentes, prorſus ad noſtrum inſtitutum deſcribit.

(*y*) Si ulcus in cerebro eſt per calvariæ foramen, ſuperque hanc rarus ipſam tumor excreſcit, mollis, putris carnis inſtar, qui quum celerius in majorem molem augetur, fungus cerebri dicitur, *Platner* l. c. §. 571.

nutritionis vegetabilis ſpeciem exhibent. Majori vero jure fungis tumores faciei ſunt adnumerandi, in quibus fibræ oſſeæ variæ, veluti totidem tumoris ſuſtentacula, ex fibris membranaceis interſperſis indurata, per totum ſteatomaticæ illius molis ædificium diſtributæ obſervantur. Quum enim ad putredinem arcendam, hinc ad miſeram hominis vitam ſervandam, natura etiam in ipſo hoc ſuo errore aliquo ordine uſa fuerit, oportebat ſane tuberi iſti ad immanem maſſam & grave pondus, ſenſim magis magisque excreſcenti, comparari fulcra rigida, quæ illud ſuſtinerent, & determinatam aliquam conſiſtentiam illi largirentur, veluti in monſtrorum quoque conformatione ordinem vaſorum, & organorum, ad ſchema illud accommodatum eſſe, obſervationes teſtantur. Ipſa quoque, quæ fungis eſſe ſolet, naſcendi conditio, cum hoc noſtro tumore convenit, namque illos ex oſſis perioſteo, integris licet oſſibus, quod nuper hic Lipſiæ in oſſe ileo viri conſpectum fuit, naſci conſtat. Quod ſi vero os a malis humoribus intra ſe receptis, extenſum intumuit, ichorque malignus, vel e communi ſanguinis corrupti fonte, vel ex humorum, ipſum os replentium, contagio proveniens perioſteum arrodit, eoque ipſo tonum hujus membranæ, oſſa coërcentis, quo minus luxuriare queat, infringit, tunc non oſſea tantum materies, huc usque virtute perioſtei coërcita, in illos tumores, quos hyperoſtoſes appellant (z), congeritur, ſed accedit etiam illud, membranæ coercentis fibræ ut e vaſorum ultimis ſtaminibus explicatis natæ, a corruptis liquidis, in volumina, noſtri ſimilia, expandantur. Nec obſtat, quo minus hunc noſtrum morbum fungum appellare poſſimus, quod ille nec carcinomatis ſpeciem retulerit, nec manifeſta putredinis ſigna exhibuerit. Parum enim abfuit, quin ille tumor ſubito in voraciſſimum ichorem ſolveretur, adeoque gratiæ quaſi habendæ eſſe videantur circumforaneis & agyrtis, quod illi experimentis ſuis hominem conficere voluerint prius, quam ejus facie a cancro exeſa, ſummos inter perferret cruciatus, ſiquidem hoc unicum eſt, quod a viliſſimis iſtis ſcurris cum laude effectum dici forte poſſit, dum neutiquam dubitandum, tractu temporis natum in tumore tabum putridum, primo tumorem ipſum, deinde partes ſanas, fuiſſe devoraturum. Licet alias fungi ſæpius ſuam diu ſervent integritatem, nec ſtatim corrumpantur.

§. VIII.

De oſſibus inflatis & ſpina ventoſa.

Poſſet etiam tumor ille faciei ad *ſpinam ventoſam* referri, præcipue ſi

(z) *Ex eadem cauſa, & vitiatis humoribus nonnunquam oſſa non ex parte, ſed tota intumeſcunt, quod morbi genus a recentioribus appellatur hyperoſtoſis Jo. Zach. Platner* l. c. *de morbis oſſium.* § 1032.

ſi iſtius morbi ſigna ad minimum in oſſe mandibulæ ſuperioris inflato deprehenderentur. Eſt enim *ventoſitas ſpinæ* vi vocis ipſius inflatio oſſium non ſemper dolens (*aa*) cum tumore eorundem abinde nato, conjuncta, dum totum aliquod os, maxime ſi cavernoſum fuerit, veluti in noſtro caſu, ex parte (*bb*) molleſcit atque ita intumeſcit, ut interiores ejus receſſus & cellulæ, laxiores magis, & quaſi aëre tumentes, quam in ſtatu naturali, appareant. Quamvis enim, in ejusmodi oſſibus, morboſam a putredine laxitatem habentibus, aërem vere gigni, non conſtet, ſpecifica tamen eorum levitas, quam in ſiccatis obſervamus, ad pondus ſuum naturale æſtimata, nominis ſine dubio primaria fuit cauſſa, ſiquidem talia oſſa expeditius natant, quam ſana, ex ſano cadavere deſumta. *Eſt ergo ſpinæ ventoſitas totius alicujus oſſis tumor ita auctus, ut & parietes, & cellulæ ejus, quibus medulla continetur, tanquam a cancere occulto interius expandantur & devorentur.* Quem ad modum enim unusquisque morbus oſſium ſæpius ſui ſimilem inter morbos partium mollium invenit, ut v. c. fractura oſſis *vulnus*, exoſtoſis, integro adhuc perioſteo, *ſcirrhus* oſſis dici poſſit; ita quoque, niſi exquiſitæ definitionis, certe illuſtrationis gratia, caries oſſium *ulcus*, tumor oſſis clauſus malignus (*cc*), *cancer occultus*, apertus autem tumor, *cancer oſſis fluens* apellari poſſunt. Vtrumque igitur & in hoc noſtro caſu forſitan accidit. Videtur enim & tumor oſſis maxillæ ſuperioris, & cancer ejus, licet adhuc maxime occultus, adfuisſe. Namque & os maxillare ſuperius cum quadam, haud adeo levi, oſſium naſi parte, licet nares utrasque, teſtante hiſtoria morbi, tumor occupaverit, in illum prægrandem implicabatur, & tumore oſſeo diſſecto propter anfractus iſtorum oſſium, ſua natura jam ſatis patentes, majorem in modum expanſos, diſtincte in conſpectum veniebat. Nec tumor mollis omnino impedit, quo minus hoc nomine morbus præſens inſigniri poſſit,

(*aa*) Spinam ventoſam primus apellavit *Avicenna libr. 4. Fen. 4. c. 9.* ratione tamen non adjecta, ſcur ita dicatur. Dolorem tamen morbo junctum eſſe debere, affirmat. Aliunde autem apparet omnem tumorem Arabibus medicis inflationem, ventoſitatem dici. *Rhaſes* addit, ideo ſpinam dici, quod perforet oſſa.

Spinam ventoſam ab initio omnis doloris expertem eſſe, teſtatur *D. Paulus Ammannus* in *Diſp. inaug. Theod. Olitſchii Lipſ. 1627. de ſpina ventoſa.*

(*bb*) *Exoſtoſium aliæ ſpuriæ ſunt, quæ ſubmolles prementi digito cedunt aliquantulum, acriterque dolent, immo etiam interdum lancinant Aſtruc.* libr. 4. c. 3. p. 414.

(*cc*) *Nicolaus Tulpius Obſerv. med. IV. c. 12.* quando *Celſi* locum *VIII*, 10. ubi de oſſium cancere legitur, interpretatus eſt: *ſi quis*, ait *conjecturæ locus eſt, videtur hæc vox adumbrare calloſum illud tumoris genus, vel immedicabilem illam eorum mollitiem, quam imprimit oſſi acida pituita, ſolidam ipſius ſubſtantiam plane corrumpens.* Ex ſua autem hypotheſi *Mercklinus in Pandolphinum.* l. c. c. 7. p. 259. *cancerem in cauſa externa in oſſibus ſemper eſſe, ſpinam autem ventoſam in cauſis internis procedere, aſſerit, ut cancer omnino dici nequeat.*

poſſit, quum carnes raræ & laxæ circum oſſa inflata ſæpius ſoleant adeſſe (*).

§. IX.

An morbus hic ad pædarthrocacen referendus.

Nec id male quæritur, an ex indole oſſium in hoc homine, pueritiæ limites non multum transgreſſo, obſervata, morbus fluxerit. Hujus enim tumoris origo in illum incidit ætatis annum, quo pubertas definitur, quo ſcilicet tempore minimus morbus tuberculum ſub orbita natum oſtendebat, prava deinde medicatione in atrox ejus modi malum evectum. Docet autem oſteographia, ſub iſta ætate oſſa corporis, etiamſi ſatis obfirmata, tamen reſpectu completæ ætatis, mollia adhuc raraque eſſe, ſiquidem oſſibus tubiformibus tunc ſuæ adhuc ſuperſunt epiphyſes, quas ſcilicet natura tunc demum delet, quando tota hominis materies in eam ſtaturam, quam unicuique attingere poſſe datum eſt, creſcendo exhauſta fuit. In iſta igitur ætate, uti cetera corporis adoleſcentis oſſa adhuc rara erant & laxa, ita quoque oſſa calvariæ, & faciei debitam firmitatem & conſiſtentiam ſuam nondum fuerant adepta. Propter iſtam igitur puerorum, aut hominum, qui non admodum diu pueri eſſe deſiverunt, ſingularem conditionem, qua eorumdem oſſa omnia, potiſſimum autem cavernoſa, ſuccis pleniora, & amplioribus cellulis donata ſunt, accidit longe frequentius, quam penes adultos fieri ſolet, ut in intimis oſſearum cavernarum receſſibus humor aliquis, licet laudabilis, colligatur, qui mole ſua cellulas oſſium dilatare poteſt (*dd*). Quod ipſum eo citius accidit, ſi humor in cellulis collectis acrimoniam alcalinam, ſolidas fibras oſſeas ſenſim emollientem, receptacula autem medullifera deſtruentem, & medullam ipſam in ſebaceum vertentem liquidum, contraxerit, efficitque ut materies quieſcens (*ee*) in ichorem convertatur, id quod eo citius in puerili oſſe efficitur, quo debiliores ex ratio-

 nibus

(*) *Paul. Barbette oper. chirurg Anat. P. III. c. 3. p. 19. in ſpina ventoſa* dicit, *carnem mollem, & aliquantum tumefactam minime autem, ut in hyperſarcoſi, ulceroſam excreſcere.* & *Avicenna* libr. IV. Fen 4. Tract. 4. c. 10. *quum oſſi*, ait, *corruptio accedit, vides carnem ſuper ipſum molleſcere.*

(*dd*) *Clopton Havers* nodorum, qui in oſſibus rachiticorum occurrunt, rationem redditurus, ita habet: *quædam obtinet præternaturalis laxitas, majorque in particulis ad unionem indiſpoſitio, indeque debilior preſſuræ nutrientis ſucci reſiſtentia, unde extraordinario modo protruſæ ſpatium concedunt majori ſucci nutrientis quantitati capiundæ, quam quidem pro regulari naturalique incremento neceſſario requirebatur, de oſſibus* Cap. IV p. 177. §. 110.

Galenus libr. VI. de uſu partium c. 3. Nulla ſubſtantia, ait, *adeo dura eſt, ut non ſicut alitur, poſſet etiam augeri præter naturam ita, ut in oſſibus quoque uſu venit.*

(*ee*) *Ariſtoteles probl. Sect. 14. 7. 4. & Meteorol. c. 2. Putret*, ait, *omne, quod quieſcit, aut minus quod movetur.*

nibus ætatis fibræ oſſeæ tunc ſunt, & facilius ſe extendi patiuntur. Neutiquam autem ejus in facie proventus obſtat, quo minus hoc oſſium vitium *pædarthrocace* dici poſſit, quum ille puerorum morbus in longis tantum eſſe ſoleat oſſium tubis (*ff*). In quamcunque enim corporis partem omnis humorum peccantium vis converſa eſt, in eam quoque unam, qualiscunque ſit labes, integris fere ceteris omnibus devolvitur, id quod & in aliis præternaturalibus corporis humani affectionibus accidit, ut, nimirum qua parte morbus ſemel eſt, in eam diſperſa per totum hominem malorum humorum ſeminia colligantur, ibidemque figantur, & obfirmentur. Licet vero juniorum ſpinam ventoſam & pædarthrocacem alii unum eumdemque arbitrentur eſſe morbum, his proprium, (*gg*), alii pro diverſo habeant (*hh*), obſervationes tamen medicæ, adultioribus etiam pædarthrocacem accidiſſe, teſtantur (*ii*).

§. X.

De peculiari oſſium faciei cavernoſorum, ad hunc morbum, ſuſcipiendum habilitate.

Quem ad modum unaquæque corporis humani pars ex ſingularibus fabricæ ſuæ rationibus familiaribus quibusdam, ac domeſticis veluti, malis eſt obnoxia; ita quoque faciei oſſa, ſingulariter autem illa maxillæ ſuperioris, & narium, ob ſinuum, quibus gaudent, amplitudinem ad pravorum

(*ff*) Articulos proprie longorum oſſium apprehendit pædarthrocace ut videtur *M. Aurelio Severino de recondita abſceſſum natura* Francof. 1641. Lib V. c. 4.

(*gg*) Spinam ventoſam & pædarthrocacem pro ſynonymis habet *Georg. Abrah. Mercklinus* in ſuis ſuper *Joſephi Pandophini* tractatum *de ſpina ventoſa* annotationibus Norimb. 1674. 8. Sed alii graves viri ſpinam ventoſam præcipue adultis tribuunt, inter quos ſunt *Petrus de Argillata in chirurgia lib. V., tract.* 22. *c.* 2. *Marianus Sanctus Barolitanus in comp. chirurg. l.* 19. *quod agit de emendatione oſſium.* Ad rachitidem oſſa inflata refert *Frider. Jachwitz de rachitide*, qua affectis copioſi humores caput in grandem molem, ut vaſtum hydrocephalum, attollunt, augent & inflant. Tale caput magnum deſcripſit & commentatus eſt *Antonius Heins de Capitonibus* præſide magnif. *Jo. Ern. Hebenſtreit* P. P. Facult. med. decano præceptore meo ſumme colendo Lipſ. 1743.

(*hh*) *Severinus* exempla abſceſſuum in oſſibus adultis paſſim adducit, atque Arabes ſpinam ventoſam adultis quoque largiuntur, veluti pædarthrocacen recentiores pueris tribuunt, ut propter ea opus ſit, utramque notionem, etiamſi morbus in ceteris conveniat, dividere. Diſcrimen ventoſitatis ſpinæ & pædarthrocaces nullum, præterquam ſi ulcus acceſſerit. Qua in re vero auctores non conſentiunt

(*ii*) Etiamſi pædarthrocace *morbum in oſſibus infantum* ſuo nomine indicat, & affectum hunc, teneræ ætati familiarem notat, ut hac de ratione adultioribus ille ineſſe non poſſit, ſiquidem, ut adſit, requiritur ſumma oſſium teneritudo. Animadverſum tamen eſt, malum, cujus primordia penes infantem erant, ſenioribus recurrere. Viceſimo etiam anno majoribus eumdem eveniſſe obſervavit. *Jo. Scultetus* in *armam. chirurg.* p. 2. obſ. 90.

vorum humorum collectionem ſunt adcommodata (*kk*), ut mirum ſit, obſervatam in miſero illo ægrotationem ſæpius haud occurrere. Quo amplior enim aliqua cavitas exiſtit, & quo diuturniorem liquida, in illa contenta, patiuntur remoram, eo quoque difficilior eſſe ſolet collecti ſemel humoris diſperſus, præcipue quando materia cum ſpiſſa & polypoſa, tum ſimul acris eſt, ſolidasque partes arrodendo poteſt deſtruere. In iſto vero oſſis maxillaris ſuperioris loco, quem antrum *Highmorianum* appellant, morbi præſentis primum impetum conſtitiſſe, neutiquam eſt dubitandum, quum ex tuberculo infra oculi dextri orbitam poſito, totus morbus vi catarrhi, quem rubor oculi oſtendebat, natus fuerit, & ſucceſſu temporis, tumore ſenſim paullatimque increſcente, arcus maxillæ alveolaris usque eo fuerit elevatus, ut dentes extruſi de ſuis exciderent alveolis. Numquam vero tantum quis ſibi oſſi maxillari ſuperiori finget ineſſe robur, quo a collectis intus morboſis liquidis ſeſe expandentibus, perveniens impetus coerceri queat; quum nec firmiſſima oſſa ſuccis malignis, propter ſuam acrimoniam lamellas oſſeas emollientibus, devaſtantibus, & tam mole ſua, quam deſtructura ſua facultate, agentibus, reſiſtere poſſint. Multo igitur minus maxilla ſuperior in parte ſua ſub orbita poſita, ubi illa tenuem lamellam muſculis faciei opponit, liquidis diſtendentibus, atque ſimul erodentibus, intus collectis, cogendis, compeſcendis, atque continendis, par fuiſſet futura. Inde quoque factum eſt, quod arcus hujus oſſis alveolaris, in tumoris hujus exorbitantis commmunionem traheretur. Veluti quoque ſpongioſa oſſa ſuperiora & inferiora, inter quæ foramen aliquod communicans cum prædicto hiatu maxillari patet, non potuerunt non in conſenſum mali pervenire, atque intumeſcere.

§. XI.

De cauſſis hujus tumoris.

Cauſſam hujus morbi primam internam & προηγουμένην, veri utique eſt ſimillimum, illum affectum catarrhalem fuiſſe, brevi ad oculum redundantem. Sub ipſo enim tumoris exortu albuginea rubore fuit ſuffuſa, non quidem tanto, ut vera inflammatio dici potuiſſet, ſiquidem ophthalmia non tam cauſſa, quam effectum & ſymptoma hujus mali erat futurum, ſed leviori ac proinde catarrhoſo, quo inepto ſine dubio adſtringentium & repercutientium uſu, humor acris e corpore impuro ad antrum Highmori confluxit. Neutiquam autem obſcura eſt catarrhi hujus, vias lacri-

(*kk*) Sinus cavernarum oſſis frontis, ſuperioris maxillæ, oſſis ethmoidei, oſſiculorum ſpongioſorum membranula, internam cavitatem inveſtiente formati, & cum interno naſi cavo communicantes, liquidum, ex glanduloſa membrana tranſſudans, recipiunt vid. *Jo Chriſtoph. Heyne tentamen chirurgico medicum: de præcipuis oſſium morbis* Amſtel. 1705. p. 6.

lacrimales invadentis, cum prædicta maxillæ cavitate connexio. Declarat enim anatomia, quo modo epidermis, quæ oculi albugineam cingit, & cui conjunctivæ oculorum nomen eſt, a perioſteo, orbitam conveſtiente naſcatur, atque excipiente canali naſali, ſeu lacrimali, ad nares pertingat. Quod ſi igitur conjunctiva oculi cum tunica glanduloſa narium, quam a Schneidero dicunt, atque per hanc cum membrana antrum Highmorianum inveſtiente, committitur, ratio patet, quid conſenſus oculo levius laboranti cum morbo, inde ſequente, intercedat. De quo nexu ſi quis ambigat, poterit de illo per catarrhi effectus alios certior reddi, quibus conſtat, ad omnia loca, ad quæ tunicæ illius pituitariæ proceſſus pertingunt, ad omnes ſcilicet fere caveas, in oſſibus faciei deprehendendas, morboſum liquidum deſtillare. Quæ quum ita ſint, facile patet, ad deſtillationem illam morboſam, in maxillæ ſuperioris cavitatem delatam, tumoris noſtri cauſam materialem referri oportere (*ll*): ſiquidem nec oſſa catarrhi immunitatem habent (*mm*). Accidit enim ſæpenumero, ut narium polypi, &, quod gravius malum eſt, tubercula quoque in pulmonibus, eadem de cauſſa colligantur, ſenſim ſenſimque indurentur, ac denique in ulcera hujus organi, & ortam abinde phthiſin, erumpant, ſi quando fluxionum hujus modi decurſus criticus vel ſiniſtro regimine, vel evacuantium & purgantium uſu inepto, impeditus, vel penitus cohibitus fuerit. Nec poteſt cenſeri, celerius apparuiſſe tuberculum illud, ex quo prægrandis illa moles, ſex libras pendens, ſenſim nata eſt, quam ut iſti cauſſæ, leviori forte viſæ, deſtillationi nimirum catarrhoſæ, tribui queat, ut propterea malum illud, magis ex interfuſo forte aliquo inter perioſteum maxillæ ejusque os, morboſo liquido, quam ex confluxu humorum intra antrum Highmorianum, originem ſuam traxiſſe videatur. Quod ſi enim res hæc ita ſeſe haberet, ut ex humoribus, ſenſim ſub perioſteo collectis, tumor natus eſſet, eumdem mollem omnino, veluti gummata ſolent, eſſe oportuiſſet. Nihil vero ſubeſt, ob quod patri ægrotantis, affirmanti, nodum hunc ſtatim durum ſibi deprehenſum eſſe, fides

(*ll*) *Quum materia eliquata, Herm. Boerhaave Inſtit. med.* §. 834 *quoniam per vias ſero purgando deſtinatas, ferri nequit, illuc fertur, ubi minor eſt reſiſtentia, atque ad glanduloſas potiſſimum rapitur tunicas, hinc ad cava defluit, quorum parietes ejusmodi membranis tectæ ſunt*, catarrhus *eſt*, *latinis* deſtillatio, *qua voce Plinius & Celſus utuntur.* Huic veteres multa tribuunt, conf. *Conr. Vict. Schneider de catarrhis* libror. V. & ult. *de catarrhoſorum diæta*, *ſpeciatim de catarrho membranæ pituitariæ anterioris. Wittemb.* 1662.

(*mm*) Qua ratione omnes pene corporis noſtri partes, adeoque & oſſa catarrhis obnoxia ſint, indeque oriundis quam plurimi affligantur morbis, prolixe docuit *Id. ibid.* Ex defluxu ad cava oſſium ea inflari propoſuit *Avenzoar libr. I. Theiſir. Tract.* 6. *libr* 2. *c.* 2. *Intumeſcunt*, ait, *quandoque oſſa in hac ſuperficie ab humoribus, qui inſinuantur in ipſa oſſa, quæ inde excavantur & inflantur.*

(*nn*) Qui vult varia exempla oſſium tuberoſorum, tota ſua ſubſtantia intumeſcentium, evolvat *Ruyſchii Catal. rarior. Theca A. Repoſ. V. N.* 1. 2.

des ſit deneganda. Proxime igitur a vero abeſt, intra maxillæ ſuperioris cavitatem prima hujus morbi principia orta, & interveniente tunicæ pituitariæ proceſſu, in iſtoc cavo peregrinam materiam qualemcunque effuſam, atque ſuccedentibus ſemper a tergo morboſis liquidis, eo usque adauctam fuiſſe, donec tumor iſtam, ſub quo apparuit, magnitudinem aſſequeretur. Quamvis enim forte nullum exiſtat os, ad quod defluxio aliqua materiæ, cui per conſueta organa tranſitus denegatus eſt, pervenire nequeat (*nn*), oſſa tamen, diploë laxiori inſtructa, ad recipiendos errantes humores magis omnino ſunt idonea, omnique tempore, tumores huic noſtro ſimiles in oſſibus faciei, aut circa illam fuerunt obſervata (*oo*).

§. XII.

De hujus mali probabilibus cauſſis procatarcticis.

Quamvis vero ex vita ægroti ante acta nihil certi de cauſſa, ob quam humores ejus tantam contrahere potuerint immutationem, ut oſſa, partim emollirentur, partim diſtenderentur, colligi potuerit, neque omnes corporis hujus humores impuros exſtitiſſe, adfirmari, nec ex quo fonte hæc cacochymia progreſſa ſit, definiri queat: in univerſum tamen, & ſine reſpectu ad præſentem caſum tragicum, plurimæ exiſtunt cauſſæ procatarcticæ, quæ aliquo veluti contagio corporum juniorum humores contamimento, efficiantque, ut illi verſus oſſa, in quibus ob cavitates majores minor reſiſtentia eſt, valentius convertantur. Quid variolæ, male tractatæ, neglecta præcipue poſt earum decurſum debita evacuatione, ſcabies & tinea capitis retro pulſa, ad morbos oſſium capitis producendos conferre valeant, earum virulentia, ad vicinum os converſa, ibidem hærente, nemo ſane ignorat. Varos faciei per malas artes abigi, eorum venenum ad interiora oſſium propelli, eaque corrumpere ſolere, notiſſima res eſt. Fieri denique ſolet, cujus rei etiam in hoc caſu non levis ſubeſt ſuſpicio, ut mercurii uſus, oſſibus cum omnibus, tum maxi-

(*oo*) Hunc noſtrum morbum animadvertiſſe veteres, quando exoſtoſin malæ *Galenus de tumoribus præternaturam* nominat, a quo exoſtoſes αἱ τοὺς κροτάφους ἐξοχαὶ ὀστεώδεις, eminentiæ ad tempora oſſeæ vocantur ſatyriſmum illud morbi genus apellaſſe *Galenus & Hippocrates* viſi ſunt interpretibus. Etiamſi enim *Galenus* ſub hac voce tantum glandularum tumores intellectos velit, quum Σατυρισμοὶ ait οἱ περὶ τα προμήκεις ὄγκοι τῶν ἀδένων. Satyriſmi ſunt eminentes tumores glandularum pone aurem. *Gorræus* tamen ſub hac voce de exoſtoſi quoque, & tumoribus oſſium faciei, interpretatus eſt Subſcribit *Jo. Conr. Dietericus* in *Iatreo Hippocratico* ſub voce Σατυρισμος. Vidit, ait *Hippocrates*, in pueris extuberantias faciei, adſpectu horridas, qua a deformi ſatyrorum figura σατυριασμοὺς, ſeu pótius σατυρισμοὺς, & σατυρίας vocant Græci, quum materia impetum facit, in aurium radici ſubditas glandulas, inque oculum, & frontem. & maxillas, quando non alia eſt corporis pars, quæ tam promte humoribus imbuitur, & tingitur perinde, atque ipſa eſt facies.

maxime illis, prope ad vias ſalivales poſitis magnam calamitatem afferat. Eſt enim opinioni locus, puerum, in quo agyrtæ non pauci omnes ſuas vires experti ſunt, a mercurialium uſu haud immunem manſiſſe, atque illis, ſi non morbi principium, certe ejus augmentum, eſſe tribuendum (*pp*). Licet enim mercurius poſt, quam quacunque demum via, ſive viis lacteis, ſive per abſorbentes cutis venas, ad ſanguinem progreſſus eſt, æqua ratione per totum corpus diſtribuatur; eſt tamen illi aliqua facultas ſingularis, qua quibusdam liquidis, toti ſanguini immixtis, plus adhæreat, quam reliquis. Et ſaponacea quidem illa materies, quæ glandulis ſalivalibus ſecernitur, præ ceteris facillime poteſt, ad legem omnium pinguium, cum hydrargyro intime jungi, cumque illo per deſtinationis ſuæ locum, vias ſcilicet ſalivales, tranſire. Certe ſi quis putaret, a pondere mercurii ſpecifico illud evenire. (cujus tamen inverſa magis eſſet ratio,) quo ille caput plus quam reliquas partes appetat, dubius tamen ſemper hærebit, quoniam ex maſſæ ſolius rationibus deſtinatio medicamentorum ad ſua loca non ſatis evidenter declaratur. Quidquid autem illius eſt, & quocunque modo metallicum illud fluidum in depravatos humores agit, numquam tamen non oſſibus, maxime autem laxioribus, exitiale eſſe poterit, utpote quod, licet etiam cordis vi optime ſubactum, inque minimas moleculas diſcerptum fuerit, non poterit tamen non in minimis quoque hiſce ſuis globulis, pondus certum ſpecificum ſervare, quod ſanguinis mole gravius eſt, illumque potiſſimum in vaſis oſſium, minus vegeto gaudentibus pulſu, in liquamen vertet juſto majus, quam quod oſſa nutrire queat, præcipue quum mercurius ad lacunas oſſium, a carie jam deſtructas, vel certe, uti in noſtro caſu, emollitas atque diſtractas, delatus fuerit, tunc enim evitari haud poterit, quo minus ille cum corruptis oſſium medullis jungatur, & acris corroſivi venerei indolem induat, ſiquidem notum eſt, illud liquidum metallicum pinguibus, maxime vero ſalivæ, facillime adhæreſcere, eoque ipſo efficere, ut dentes, laxatis perioſteis atque gingivis, a ſuo fundamento recedant, ita, ut nullo modo dubitandum ſit, ægrotum varia empiricorum tentamina, & quoque illa per mercurium inſtituta, fuiſſe expertum.

§. XIII.

De ſubito hujus tumoris augmento.

Intra quatùor annos, & præcipue XXIV. ultimas ſeptimanas, tumorem

(*pp*) *Excellentiſſimus Præſes meus, fautor & præceptor ſumme colendus*, in ſuo *de Mercurii vivi, & cum ſalibus varie mixti, ſumma in corpus humanum vi atque efficacia, libro Lipſ.* 1754, edit. *p.* 82. de mercurii in oſſa noxis ita habet: *ut taceamus, plurium argento vivo ſæpius largiusque illitorum oſſa, quæ lue venerea vehementiori adfectis jam ſatis friabilia, leniorique vi accedente facilius diffringenda, argento illo vivo in ſpongioſa ſua ſubſtantia in primis exterebrata quaſi, adhuc magis mollire, ita ut diſſectis eorum poſt mortem corporibus, digitis illa conteri potuiſſe meminerimus, majori copia vivi mercurii, ibi collecti, prorumpente.*

rem iſtum a tenui ſuo primordio ad illud, ſub quo fine comparuit, volumen excreviſſe, hiſtoria morbi prodit, & ſubit animum mirari, quæ tam celeris incrementi fuerit cauſſa. Notum enim eſt, ſarcomata, & mixtas cum his exoſtoſes, tam velociter haud procedere, ſed lentius evolvi ideo, quod ſuperſtes vaſorum tonus extenſioni omnibus modis reſiſtat, nec ſinat vaſa, adhuc integra, tam facile expandi. Hinc frequentius occurrunt homines, qui ſcirrhos, tuberoſitates, tunicatos tumores, atque etiam exoſtoſes, magnam vitæ ſuæ partem, tolerant, eoque minus cito ab illis enecantur, ſi ſervato regimine, quod iſtos morbos decet, & conſultis honeſtis viris, artem bene doctis, & expertis, non per experimenta, ſed ſecundum leges artem exercentibus, adhibentur, quæ humorum pravorum congeſtiones ad partem laxam refrenant. Variæ autem in hoc caſu ſeſe offerunt cauſæ, quæ pondus excreſcentis hujus tumoris non potuerunt non ſubinde augere. Inter alia obſtacula, quibus tumorum, vel tunicatorum, vel glanduloſorum augmentum velox coercetur, illud vel primo loco nominandum venit, quod tales tumores, a membrana aliqua, ac veluti folliculo quodam continentur, qui & per ſe validus ſatis eſt, & novum humorum corruptorum, & jam tumore contentorum, affluxum aliquantum retinet, eorumque ſeſe expandendi conatum, ſua reſiſtendi potentia aliquo modo temperat. Sed mixti ejusmodi tumores, præſentis ſimiles, quorum maximam partem pinguedo replet, limites fere habent nullos. Certe, præter cutem palati ac labii ſuperioris glanduloſam, quo tumor incluſus fuit, involucrum aliud apparuit nullum, quam ob cauſſam potuerunt peſſima quævis liquida corporis in tumoris iſtius cryptas liberaliter infundi, illudque celerius expandere. Accidit id præcipue quod, adoleſcentum, qui a pueritia propius abſunt, corpora, illam viridi ætati omnino propriam humorum ubertatem adhuc contineant, cujus magna admodum quantitas, deſtructis vaſis, brevi tempore in tunicam celluloſam copioſius adfluere, & tales producere tumores, animadvertitur. Quæ omnia eum in finem dicta ſunto, quo deinde, quid ars maturius adhibita ad referendum ejus modi tuberculi velocius incrementum conferre potuiſſet, plenius intelligatur.

§. XIV.

De naturæ induſtria in tumore iſtoc a putredine vindicando.

Non ſatis mirari poſſum, qui factum ſit, ut tumor iſte immanis a putredine liber eſſe potuerit, quum tamen in putredinem adeo prona adeſſet materies, concretum ſcilicet luxurians & polypoſum, glandulas obſtruens, & pinguedo iners copioſa, abeſſent autem vaſa, ad vitam ſecundam neceſſaria, tumor tamen integer maneret, nec abiret in carcinoma. Nullum igitur ſupereſt dubium, ad leges canceris occulti, vir-

tute vaſorum collateralium, in partibus ſanis vicinis adhuc reſiduorum, ulcus hoc latitans ſervatum, idque fuiſſe effectum, ut ægrotus ſuam calamitatem patienter, ac ſine dolore, ferret, tumorque, imprudenti medicaſtrorum ſectione licet inepte provocatus, viribus tamen vitæ ſuperioribus ſublevatus, quietus maneret. Id quod ut fieri poſſet, ætatis quoque robur excellens, & viſcerum bonitas, uti ex cadaveris ſectione apparuit, effecerunt; quam eamdem ob cauſſam in ipſo oſſe morboſo nova oſteogenia obſervabatur, ſiquidem vulnus, a chirurgo evacuandi ex tubere ichoris cauſſa, modioli ope excitatum, clauſum, & tenui jam callo obductum, conſpiciebatur. Occultum autem oſteo-ſteatomatis hujus cancerem proxime in ulcus rodens erupturum fuiſſe, venæ varicoſæ evidenter demonſtrabant.

§. XV.

De tumoris iſtius effectibus.

Quales vitæ leges, & quæ actiones corporis hoc tumore interceptæ fuerunt, quæque ſymptomata, & mors miſerabilis ægroti tandem fuiſſet inſecuta, ex effectibus patet. Licet enim vires vitæ putredini, ſuo tempore timendæ, adhuc reſiſterent, fieri tamen aliter haud potuit, quam ut prægrandis tumor tam in vicinas ſibi partes, ad œconomiam animalem neceſſarias, quam in univerſum corpus, ſuam exerceret ſævitiam, & ægrotum denique conficeret. Miſſa faciamus illa impedimenta, quæ nutritionis reſpectu, in miſero eo magis ſeſe declarabant, quo tumor ipſe plus magiſque increſceret, & viam alimentorum per os adeo difficilem redderet, immo præcluderet, ut non, niſi ſorbilibus alimentis, a latere ad os advectis, nutriri poſſet, ſiquidem tumor labium utrumque oppreſſerat, quæ res ad maciem, & natam ex ſolidioris nutrimenti defectu atrophiam, atque illam, ſub qua mors conſequuta fuit, corporis tenuitatem, haud parum conferre potuit. Certe & ſine his ſolus tumor, in ſe ſpectatus, tam mole ſua, quam putrida ſua labe, jam præſente, licet adhuc latente, hominem ad extrema deducere potuit. Quod enim ad deformem illam vitioſæ pinguedinis, oſſe depravato ſuffultam, molem ejuſque effectus, ſpectat, fieri non potuit, quin repugnantia cordi exinde oriretur talis, qua febrem, ex ipſa omnis ſcirrhi, ſarcomatis, ſteatomatis & exoſtoſeos, indole, conſequentem, lentam ſcilicet, & exedentem, excitaret. Attentius conſideranti, quatenus tumor ille, ex parte oſſeus, totam hominis faciem occupaverit, & paulo majores arteriarum, a carotide externa huc derivatarum compreſſerit, atque deleverit, ſponte ſua clarius patebit, quanto nunc majorem ſanguinis copiam per carotidem internam ad cerebrum deferri oportuerit, qua in nobili illo ſenſuum internorum ac motus organo ataxia quædam ſecretionis fluidi nervei effecta videtur, quo etiam reſpectu febris lenta, ægro-

tum

tum denique conficiens, neceſſario gigni debebat; omnis enim ſanguis, qui per partes faciei, tumore oppreſſas, progredi non potuit, ſub ſingula cordis ſyſtole ad cerebrum erat mittendus, quo modo deſtructuræ illius febriculæ, quæ corpus ægroti ſceleti ad inſtar emaciavit, cauſa ex rationibus repugnantiæ excitatæ cordi nata intelligitur. Nec parva nervorum pars hoc oſteo ſteatomate fuit ſua vi privata. Per foramina enim ſub orbita, partimque in oſſe maxillari, partim oſſe malæ, invenienda, ramus notabilis *trigemini*, *quinti paris* nervorum prodit. Præcipue de nervo ophthalmico, qui trigemini illius paris primus eſt ramus, progreditur atque in labium ſuperius aliaſque vicinas partes diſpergitur non parvus nervulorum numerus. Accedunt a latere nervuli frequentes, qui *a paris ſeptimi*, *acuſtici dicti*, *portione dura* prope aurem per foramen *ſtilomaſtoideum* proveniunt, & *parotici*, vel *ſympathetici minoris* titulo, adductis ophthalmici ramulis, accedunt, atque cum illis amico conjunguntur conſortio. Deinde intra oſſis maxillaris cellulas & ſinus occurrunt nervi illius rami haud exigui, quem *maxillarem ſuperiorem*, adducti *trigemini alteram ſobolem* dicunt. Tot ſane, tantique nervi, proxime a ſua origine & a cerebro diſtantes, maligno iſtoc futuro oſteo-ſteatomate implicati, non potuerunt non progreſſum fluidi nervei per ſua vaſa mutare, & æqualem ejuſdem circulum tollere, utpote qui non leve ſanitatis momentum conſtituit. Licet vero hæ res forſitan ſubtiliores videri poſſint, quam ut vitæ legibus ſufflaminandis pares exiſtant, ſiquidem æger his adeo parum offendebatur, ut nec de ſtupore, nec de oblivione, nec de deliriis, aliiſve affectibus morboſis, a nervoſo genere dependentibus, quantum conſtat, conqueſtus umquam fuerit; illud tamen primarium mortis lentæ fundamentum fuit, quod ex illo tumore ad totam humorum maſſam lentum ex occulta fortaſſis putredine venenum redundavit. Etiamſi enim manifeſtæ putredinis ſigna deprehenſa non eſſent, ſubdola tamen corruptela neceſſario adfuit, utpote quam interioris oſſium compagis inchoata corruptio, & vaſorum nutrientium, rite ordinatorum, defectus haud obſcure declaravit, & vaſa varicoſa, foris conſpicua, clarius oſtenderunt. Poſt igitur quam humor ſubputridus, ex tumore ad totam maſſam ſanguineam redundans, humores circumductos parte ſua nutriente privaſſet, lente conſumens febris omnino fuit inducta, quæ vitæ finem optatum tandem ægroto afferebat, cui longior vita triſte fuiſſet donum.

§. XVI.

De impoſſibili illius tumoris, quum adoleviſſet, medela.

Morbos, arti valentius obluctantes, ſanatu difficillimos, quales ſunt vitioſæ carnes, & tumores oſſei, cum his juncti, ſi eo uſque adoleverunt, ut ad vitam facientes actiones ex parte ſint abolitæ, κατ᾽ ἐξοχὴν

magnos dixerunt Græci. Tunc enim lenta putredo oritur, quæ ad ceteras ſanas partes tranſit, licet paulo ſerius lethalis. Præſentem igitur tumorem, qualis ſub ultimo vitæ ægroti ſtadio obſervabatur, nulla umquam ars ſalutaris penitus tollere potuiſſet. Obſtitit ejuſdem moles, & profunda, qua oſſium internis receſſibus junctus erat, cohæſio. Licet enim tumores, etiam majores, oſſium ſuperficiei adhærentes, oſſibus ipſis adhuc ſalvis, audacem, prudentem, & recto artis uſu inſtructum chirurgum deterrere non debeant, quo minus ille, peregrinum corpus e medio tolli poſſe, autumet, probe gnarus, perioſteum etiam cum tumore abſciſſo ſimul ablatum, deraſa externa oſſis tabula reſtitui, & ex vaſis diploicis, ad ſuperficiem oſſis excurrentibus, compingi denuo poſſe. Attamen non ita facile reſecantur exoſtoſes, omnium minime illæ, quæ ex oſſe aliquo cavo protuberant, ſiquidem laxitas fibrarum, in integrum os reſtitui eaſdem non ſinunt, quare etiam accidit, ut in locum exciſi per modiolum orbiculi non verum os, ſed tenuem ſaltim callum, naturæ vis ſubſtituerit. Nec ipſa medicina clinica vel victus, vel medicamentorum, uſu, multum, quod tumori nunc adulto, vel levaminis ſaltim nomine, prodeſſet, in medium fuiſſet allatura, nec quidquam aliud, ſub ſummo iſtoc morbi ſtatu, naturæ miniſtro erat relictum, niſi, ut ea, quibus diffluentes ægri vires ſuſtineret, & morbus, qui curari non poterat, aliquantum traheretur, applicaret.

§. XVII.

De indicatione eorum, quæ, quum recens adhuc malum eſſet, fieri oportuiſſet.

Veluti autem in tempore venire, omnium rerum primum eſt, ut propter ea, *temporis ars*, *medicina* (oo) recte dicatur, ita quoque naſcentibus oſſium tuberibus mature proſpiciendum eſt, ne illa, quum in majus nunc provecta fuerunt, feram medicinam penitus excludant. Illo itaque tempore, quando tumor ejuſmodi ſeſe in aliquo oſſe, ſive denſiore, ſive laxiore, oſtendit, opus eſt perſpicere, an ſub perioſteo, vel inter hoc & oſſis ſuperficiem, collectus humor ſit, de quo, ne ſenſim condenſetur & in tophum induretur, metui forte poſſet. Quodſi igitur ex infirmato forte per vim aliquam externam perioſteo, originem traxiſſet malum, oportuiſſet tunc humores diſcuti, vaſis perioſtei effuſos, quum illi adhuc tenues eſſent, efficique, ut potuiſſent reſorberi. Hunc finem adſequuturus eſt medicus, ſi ea admovet pharmaca, quæ laxam fibram adſtringunt, in quorum numero eſt *Alcohol* vel ſimplicius, vel illud, cui camphora, vel aliæ ſimul ſpecies aromaticæ ſunt admixtæ, ubi ſpiritus matricalis nomen adipiſcitur, atque epithema ex herbis amaris

(oo) *Ovidius* Rem. Amor. v. 131.

ris ac vino rubro coctum, quod miniſterio linteaminum, iſta medicina tinctorum, loco afflicto applicandum eſt, nec incommodum erit, tumori iſti inchoato, quo valentius comprimatur, faſcias, quas fracto naſo applicamus, injicere. Enimvero, quandoquidem tuber præſens ex catarrhoſa ad antrum Highmori deſtillatione natum eſt, & tumor ex illo ipſo expanſo conſtitit, nihil, uti equidem arbitror, in externorum remediorum uſu poſitum eſt præſidii, quo humorum iſta collectio, etiam ſi recens eſſet, diſſipari ac diſcuti potuiſſet. Quam ob cauſſam medicamentorum internorum virtute, ſi quid effici poſſet, tentandum fuiſſet, adhibitis ſcilicet laxantibus, paulo efficacioribus, quibus mala materia ad ventrem, tamquam cloacam corporis univerſalem, convocari, quod derivare dicunt, debuiſſet (*pp*). Opportunum tunc fuiſſet, nodulum per epicraſin laxantem adornare, atque herbas amaricantes, abſinthii, cardui benedicti, ſummitates centaurii minoris, radicem gentianæ, cum rhabarbaro & ſale quodam medio, ſub infuſi ſpecie jungere, ut lenta aliqua & ſecura, attamen efficaci, evacuatione tam vitia primarum viarum correcta redderentur, quam quoque motis inteſtinorum liquidis efficeretur, ut poſſent ex loco tumido evocari quieſcentia liquida tunc, quum penitus indurata nondum eſſent. Opportuiſſet quoque medicamentum ejuſmodi in ſanguinem, & dependentes abinde humores ægroti induci, cujus facultas fuiſſet, aucto ſero diluendi id, quod quietem adfectat. Eſt enim tanta illorum medicamentorum ad occulta quoque & recluſa corporis loca pervadendi poteſtas, ut, ſub continuato eorum uſu non omnino dubitandum fuiſſet, fore, quo, humoribus dilutioribus redditis, id quod in antro Highmoriano quieverat, reſorberetur. Etiamſi enim quis objiciat, medicos, quum ſanguinem fluidiorem medicina diluente erant aucturi, affluxum liquidi errantis ad cavum fuiſſe promoturos; probe tamen ſimul perpendat, quod maſſæ inertis augmentum, licet hoc ita factum fuiſſet, haud metuendum, quin potius id exinde commodi conſequutum fuiſſet, ut dilutior in cavo reddita materies eo commodius per vaſa ſorbentia potuiſſet reduci. Adhibenda igitur fuiſſent decocta radicum reſolventium *ſaponariæ*, *chinæ ponderoſæ*, *ſarſæparillæ*, cum *ſaſſafras* ramentis, ſi plenus homo fuiſſet & frigidus, ſi vero tenuis fuiſſet & ſiccus, dictæ radices utique potuiſſent ſufficere. Eo quoque ex mea ſententia fuiſſet reſpiciendum, ut extracta balſamica, amaricantia, cum *gummi*, quibus ferulacei nomen eſt, *gummi ammoniaco*, *ſagapeno*, *galbano*, *aceto ſquillitico* ſolutis, atque cum *ſapone veneto* juncta, interponerentur, potuiſſentque hæc vel ſub pillularum, vel ſub liquida mixturæ ſpecies, mediante *liquore terræ foliatæ tartari* ſoluta, exhiberi. Forte ex variolarum, vel ſcabiei reſiduo vitio illa labes oſſium faciei nata erat, quod tamen fre-

(*pp*) *Avenzoar* libr. 2. Theiſir. *tr.* 6. *c.* 15. refert: *patrem ſuum, os, paulo tamen mollius, quam naturale, hominis cujuſdam dorſo inſtar cornu concretum excuſſiſſe catarcticis, craſſos humores expellentibus, & exterius ſiccantibus, medicamentis*, adfirmat. Si credere fas eſt.

quentius lippitudines chronicæ, tuſſis ſpaſmodica, ferina, aſthma ſiccum, convulſivum, vel omnium frequentiſſime nervorum irritatorum diſtentiones, ſequi conſueverunt; cujus rei ſi qua ſubfuiſſet ſuſpicio, omnem dediſſem operam, ut ſcabiem, vel ſaltim purpuram revocaſſem ſcorbuticam frictione extremitatum, cum pannis laneis perfecta, uſu interno ſucci betulæ, panaceæ mercurialis cum ſulphure antimonii aurato tertiæ præcipitationis, camphora, antimonio diaphoretico martiali, conjunctæ, ex decocto quodam commemorato ſumendæ. Suaſiſſem balnea, quibus aperirentur cutis viæ, & tranſpiratio augeretur, quæ penes imam plebem ob ſordes vehementer impediri ſolet. Si libertas agendi fuiſſet, quam plebeii homines honeſtis viris plerumque denegant, ſetaceum efficiendum curaſſem, novoque ulcere artificiali tumorem, mox inchoatum, derivando imminuere tentaſſem. Sed ea eſt ruſticæ gentis, ac multorum etiam ex optimatibus, temeritas, ut cuilibet artem profeſſo ſeſe ſtatim committant, & in ſe experimenta inſtitui a viliſſimis (*qq*) patiantur, quibus impune licet occidere (*rr*). Sed vere huc, ſi quem ullum alium in locum, & optime quadrat tritiſſimum illud: *In magnis voluiſſe ſat eſt*, & ingenue fateor, me cum omnibus illis, huc uſque recenſitis, quorum alias in materia morbi prævii, non recte ſubacta, neque critice ejecta, ſed potius per metaſtaſin ad alium locum relata, novos morbos, periculi utplurimum pleniores, efficiente, partim revocanda, partim corrigenda & ejicienda, ſatis cognita eſt vis, & uſu confirmata efficacia, nihil omnino acturum fuiſſe in hoc ægroto, quod ſcilicet morbus ſimul, atque ſui præſentiam per oſſis, & partium mollium, pinguiumque expanſionem præternaturalem præ ſe tuliſſet, nullam plane ſui admiſiſſet medelam.

(*qq*) *Quantæ putatis eſſe vos dementiæ*
Qui capita veſtra non dubitatis credere,
Cui calceandos nemo commiſit pedes
Phædrus Fab. Æſop. lib. 1. fab. 14.

(*rr*) *Nulla lex eſt, qua puniat inſcitiam capitalem, nullumque exemplum vindictæ. Diſcunt periculis noſtris, experimenta per mortes agunt, & animas noſtras negotiantur.* Plin. H. N. libr. 29. c. 1.

FINIS.

J. ERNEST

Tab. XXX.



Diſput. Medico-Pract. Tom. VI. HUNDERTMARK HIST. OSTEO-STEATOMATIS. pag. 374.

CCIX.

J. ERNEST HEBENSTREIT

ET AUCTORIS

GOTTL. CAR. SPRINGSFELD,

DISPUTATIO.

DE

PARTIUM COALESCENTIA MORBOSA.

Lipſiæ 11 Jul. 1738.

P R Œ M I U M.

QUod commodum quantamque utilitatem medicorum ferant obſervationes, ex cadaverum ſectionibus deſumptæ, & ii cognoſcunt, qui, primoribus tantum labris, ſalutarem deguſtarunt artem. Magno viventium emolumento ſecantur mortui (1); tunc enim multa ſæpe aliter in praxi experimur, quam in theoria fueramus edocti. Quid proderunt igitur medicorum ſcripta! quid tanti labores! quid theoriæ omni excogitatæ ſtudio! niſi cum experientia conveniant, & cultellus anatomicus doceat, de cauſa morbi recte vel falſo ſenſiſſe medicum. Experientia in genere ſola firmum dici poteſt fundamentum, quo tuto confidere poteſt medicus faciens. Præſtantior eſt theoria medica, quæ obſervationibus naſcitur, docetque experientia rationem, ratio experientiam illuſtrat (2). Quid igitur mirum, ſi, qui experientia duce ſuis aliorumque obſervationibus cum fructu uſus eſt, majora efficit, pluſque in re medica promovet; quam qui ingenioſas magis, quam veras, & haud raro fallaces ſibi effinxit theorias, Argide (3) dignas, ope cujus phænomena ſatis callide explicat. Aſt male facit, dum, ſi omnia accuratius dijudicantur, facili invenitur negotio, principia, quæ anatomicis non ſuffulciuntur obſervationibus, puras eſſe hypotheſes, quas veras eſſe optant magis, quam demonſtrant plerique. Quibus ita ſe habentibus, non adeo arduum eſt, eruere concluſiones ex principiis pre-

(1) Inſpectio viſcerum omni tempore & naſcentis & profectioris medicinæ fulcrum fuit, & ſtabilimentum. Inciſio vivorum animalium in uſus philoſophicos, extiſpicia ſacerdotum, laniena beſtiarum (*Boerhaave* Inſtit. med. prolegom. §. 11. & 12.) artem primum adjuverunt. Hinc crudelius paullo carceribus extractos vivos homines ſecaſſe fertur *Herophilus*. Confer. *Giovan. Valverde* Anatom. del corpo humano, in prologo, fol. 1. ed. Rom. 1560. fol. *Democritus* ad reddendam morborum a bile oriundorum rationem, ut viam quandam bilis ad cerebrum detegeret, multa diſſecuit animalia. Refert ea *Hippocrates* in epiſtolis p. 529 lin. 9. ed. Baſil. 1538. Καὶ ἕτερά δὲ τινὰ, ἐξ ἀμφοῖν τοῖν μεροῖν ἀυτέω παραβέβλητο. σεσόρευντο δὲ ϗ ζῶα συχνὰ, ἀνατετμημένα δι᾽ ὅλων. Reſpondet deinde *Democritus* linea 30. ej. epiſt. Τάτ: γὰρ ζῶα ταῦτα ὁκόσα ὁρῇς, τουτέου μέν τοιγε ἀνατέμνω εἵνεκα, οὐ μισέων θεοῦ ἔργα, χολῆς δὲ διζήμενος φύσιν ϗ θέσιν. Cadaverum, ad cauſas morborum cognoſcendas, uberiorem explicationem dedit *Theophil. Bonetus* in Sepulchreto ſeu Anatomia practica ex cadaveribus morbo denatis Tom. I. II. Genev. 1679. fol.

(2) Experientia prior ratione. Prima arti condendæ fundamenta jecit caſus fortuitus, naturalis inſtinctus, eventus haud prævifus. *Bœrhaave* proleg §. 8. Dogmatica ab *Hippocrate* primum ſtabilita ſecta, empyricam pro fundamento habuit: poſtquam enim ex tabulis ſanitatis, undique per templa *Aeſculapii* & aliunde collectis, formaſſet artem; adjuvante analogia & philoſophia opus perfecit. *Bœrhaave* ibid.

(3) *Horatius* Epiſt. Libr. II. Ep. 2. v. 129.

- - *fuit haud ignobilis Argis*
Qui ſibi fingebat miros audire tragœdos
In vacuo lætus ſeſſor plauſorque theatro.

precario adſumtis, atque pro lubitu poſtulatis. Ingenioſa quidem principiorum medicorum expoſitio, generalis quum ſit doctrina, nodoſos, qui per praxin medicam exiſtunt, continere nequit caſus: ſed, ut hi ex obſervationibus anatomicis & practicis compleantur, neceſſe eſt. Medico itaque felici practico futuro perutile erit, occaſiones nanciſci, quibus morbo non adeo frequenter obvio defunctos ſecare, atque veram indagare cauſſam mortis poſſit. Accidere non raro ſolet, ut tunc demum deprehendatur, morbo medelam haud potuiſſe parari, ſi ſectio anatomica partium corruptelam, pravum ſitum, coalitionem aliaque patefacit. Dolendum, aliquando defunctorum agnatos adeo male ſibi medicoque conſulere, ut a ſectione omni modo abhorreant, medicoſque in ampliori ſcientia impetranda impediant. Quid vero timeant, an ſibi fingant demortui manes turbari; an doloris ſenſum eidem ſupereſſe ſomnient? ſane neſcio. Videas fortis atque conſtantis animi homines, qui, quum vitæ terminum certe prævideant, medicoſque habeant dubios, diverſamque mortis cauſſam accuſantes, ſuis agnatis, adſtantibuſque ipſi imperent, velint medicis ſecandi non denegare copiam. Sæpius ſi id accideret, certiores redderemur in ſemiotica phænomenorum cognitione, multaque curatius dici poſſent in morborum hiſtoria. Ego certe magno meo commodo intellexi, tunc recte de morbo judicari, quando hominis, hoc eodem morbo defuncti, & diſſecti, ante oculos habetur memoria. Quæ quæ acciderit de coaleſcentia (4) *partium in diſſectione cadaverum, aliquoties meditari potuiſſe, hinc, annuente* Excel. Dn. Præſide, *Præceptore meo ad urnam venerando, talem diſſertationis meæ, tanquam ſpecimem academicum conſcribendæ, elegi materiam, quæ maximam quoad partem obſervationibus anatomicis nititur. Præſertim, quum nulla fere ſectio cadaveris, cui diuturnior morbus vires conſumſit, inſtituatur, qua non hoc vel illud viſcus præter naturam cum vicinis partibus concretum obſervetur.*

(4) Coalitus & coaleſcentiæ terminus haud infrequens eſt. Hoc vocabulo uſus eſt *Nicol. Leonicenus* in interpretatione Libr. *Galeni* de cauſſis morborum, Venet. 1541. pag. 9. Cl III. ſub litera C. *Cavitates*, inquit, *quæ partibus corporis inſunt, & earum meatus ob eas, quas ſubjiciemus, cauſas, aboleri contingit: coalitum ſcilicet, anguſtiam, obſtructionem, compreſſionem.* Σύμφυσις penes *Hippocratem*, *Galenum* & *Theophraſtum* legitur. Hinc habet *Theophraſtus:* δεῖ δὲ ὁμοιοπαθῆ εἶναι τὰ μέλλοντα *Ejuſdem indolis decet eſſe, quæ coaleſcere debent.* Conf. Theſaur. Lingu. græc *Henr. Stephani* alioſque: nec impedit, quo minus ſtatum morboſum indicet σύμφυσις; quia oſſa dicuntur naturaliter συμφύεσθαι connaſci *Aretaeus* de morbo ſemper prædicat, σύμφυσιν περὶ αἰτίων καὶ σημείων ὀξέων καὶ χρονικῶν παθῶν. Edit. Wigan. fol. Συμφυέα μόρια, coalitæ partes habeantur apud eundem. Confer Index græc. in Aret. Wigan. Synonyma ſunt, coalitio, concretio, quo termino *Celſus*, latinique utuntur medici.

§. I.

§. I.

DUm humani noſtri corporis machinam attentis perluſtramus oculis, mutuam in primis partium connexionem conſiderando, poſt tot tantaque jucundiſſima, quæ nobis ſeſe offerunt, ſpectacula, animadvertimus, viſcera quædam cum aliis eſſe continua, alia ſaltem contigua, alia ſuſpenſa ſaltem & pendula hærere. Neceſſe autem erat, ut viſcerum ſitus obfirmatus eſſet, ne actiones naturales, animales & vitales dum inconſtantius fluctuarent organa, cum vitæ aliquando diſpendio, in ſuis turbentur circulis. Nexus partium inter ſe neceſſarius eo magis viſus fuit, quo violentis magis quandoque motibus machina noſtra, quando illis in communi vita ſuperſedere minime poſſumus, exercetur. Bajulantibus, equitantibus, ſemper magnum eſſet pertimeſcendum periculum, niſi fortiter adhærerent viſcera. Quid? quod, tam pondus cujuſcunque viſceris proprium, quam actionis in ipſo viſcere vehementia, frequentiaque firmam quoque depoſcunt cohærentiam. Videas naturam in magno ſuo opere, quod naturalem etiam partium coaleſcentiam ſpectat, haud leviter variaſſe (1) Non omnibus eodem modo firmantur, vel ligamentis ſuſtinentur viſcera: quibuſdam a nativitate aliquid, quod haud adeo frequens eſt, accidit, ut contigua cæteroquin in pleriſque organa obſerventur continua, & in ſe mutuo immerſa, exemplo pulmonum, duræ matris, hepatis; id quod recenſere velle inſtituti ratio non fert. Interea negari nequit, morbum, ut ut leviorem, innocentes ejuſmodi coaleſcentias effeciſſe, ut, ſi quæ coëunt viſcera, præter naturam coaleſcere ferantur. Si quis rem terminis diſtinctis declarare vellet, poſſet concretas haud ſolenni modo partes, & citra actionem aliquam læſam cohærentes, non naturaliter (2), termino ex galenicorum ſcholis depromto, coalitas declarare. Diſtinguenda certe non naturalis concretio a morboſa, quæ actionem læſam comitem habet. Et de iſta potiſſimum coaleſcentia, quæ morbus, vel morbi cauſa, vel morbi effectus eſt, præſens inſtituetur meditatio.

§. II.

(1) Modi, quibus viſcera in ſede firmantur, etiam ſanis haud mediocriter variant. Legantur quæ *Morgagnius* contra Bianchium de ligamentis hepatis, laterali dextro, & ſiniſtro, num cum xiphoidea cartilagine committatur, nec ne, fuſius monuit. Certe & huic viſceri & aliis, lieni, colo, mediaſtino, adhærendi indoles non ſemper eadem.

(2) Ex recepto loquendi more non naturale dicitur id, quod a conſueta, quæ inter plurima corpora obvenit, lege abſcedit, nullam actionem turbat, cauſa tamen morbi fieri poteſt Sic adpellantur ſex res non naturales. Confer. *Sennertus* Inſtitut. Lib. II. Part. II Cap XI. qui non naturale adpellat id, quod ad corporis noſtri conſtitutionem non ita pertinet, nec tamen morbus eſt, ſi adfuerit.

§. II.

Hanc autem concretionis ſpeciem, quæ præter naturam in corpore noſtro evenire ſolet, veteres ad morbos ex mala conformatione (1) præſertim connexione partium vitiata oriundos referebant, atque peculiaris coalitionis græcis σύμφυσις dictæ, comprehendebant nomine. Huic opponebant contrarium morbum, ſejunctio ab illis nominatum, cujus exemplum in labio leporino videmus, quo & herniæ aliqua ex parte referendæ. Optime autem definitur coaleſcentia, quod ſit illa conſtitutio præternaturalis, qua partes, quæ contiguæ eſſe debent, & in plurimis eſſe obſervantur, nunc ſunt continuæ. Sicut haud difficile foret de ſejunctione & διάστασι partium præternaturali pariter inſtituere meditationes.

§. III.

Differt omnis autem concretio ſive coaleſcentia triplici ratione: vel pro partium, quibus concreſcunt, diſcrimine: vel pro temporis, quo accidit, varietate: vel pro ultimi finis, quem natura intendit, differentia. Non nunquam enim partes in fœtu, dum utero adhuc tegitur materno, præter naturam concreſcunt, ſive quod hæreditario jure a matre vitium fœtui communicetur; ſive pravus embryonis in utero ſitus, partiumque cavo contentarum compreſſio tale quid inferat. Non nunquam autem in lucem diu jam editis contingit, ut quædam partes, vel viſcera illis coaleſcant, quæ antea non cohærebant, ſed tantum erant contigua. Diverſitas eſt alia inter partium, quæ concreſcunt, ſubſtantias. Nam conglutinantur vel mollia cum duris, uti dura menynx cum cranio & perioſtio externo, pericardium cum ſterno: vel dura cum duris, uti oſſa cum oſſibus vicinis: vel mollia cum mollibus, uti pulmo cum diaphragmate, vel pleura. Hic denuo diverſitas eſt concretionis: ſunt enim mollia vel ejuſdem generis, quando inteſtina cum inteſtinis, vel diverſi, quando hepar cum diaphragmate, colon cum peritonaeo fortius connaſcuntur, prout in ſpeciali coaleſcentium partium declaratione exponetur uberioribus. Diximus etiam finem ultimum, cur fiant concretiones, variare, aberrante quandoque natura (2) quandoque provida & morbum præcavente.

§. IV.

(1) Morbos conformationis triplicis generis notant ſcholaſtici, a figura læſa partium, a cavitatum numero aucto vel imminuto, vel diametro earundem læſo, a ſuperficie inæquali. Confer. *Sennertus* Inſtit. II. Part. I. Cap. VI.

(2) Naturæ termino utimur ex ſignificatu, quem conſenſu plurium obtinuit. Non reginam deamque mortalium adpellamus cum *Jul. Caes. Vanino.* Nec terminus nobis ille vagus eſt dubiique valoris, ſed dicitur nobis χέσις & habitus, ex nexu cauſſarum viventis animalis ſubnatus, quo, ſecundum leges circuli, ſuapte ſponte ſtatus

§. IV.

Modum, quo coaleſcentia abſolvitur, triplici fieri ratione concipio. Primus per inter poſitam quandam intra corpora contigua heterogeneam maſſam, aut viſcidum medium continget. Hoc enim modo, præſertim interjecto viſcido, uti ex phyſicis conſtat, augetur numerus punctorum contactus. Quo vero ſunt plura ejuſmodi puncta, eo fortior atque tenacior, optime demonſtrante Cel. *Hambergero*, Præceptore meo ad mortem uſque venerando, erit cohærentia (1). Particulæ enim, gluten quaſi componentes, ob tenacitatem firmiter inter ſe cohærent. Æquali vero vi adhærent parietibus ſive ſuperficiei corporum, quæ contingunt. Ergo eadem vi, qua inter ſe connectuntur, partes conglutinant. Sic intelligo varios canales a muco atque tenaci ſero impleri, ductus ſtenonianos, ductus glandularum ciliarium, & naſales: quamvis improprie magis coaluiſſe ſic partes cenſendæ ſint, quia oppletæ & infarctæ potius ſint perhibendæ (2).

§. V.

Secundus autem & verus partium coalitus fit per mutuam utriuſque partis aut viſceris quoad vaſa & fibrillas inſertionem, quoties ſoluta unitas (3), uti veteres dicere amabant, utrinque interceſſit; ſive hæc per vulnus illatum, ſive per ſuppuratum (4) abſceſſum facta fuerit. Quando

tus aliquis morboſus, orta criſi, & facta aliqua corporis mutatione, in ſanum verti poteſt. Sic elocuti ſunt omnes antiqui. Confer. *Mundellæ* Theatr. *Galeni* Fol. Baſil. 1568. Ubi naturæ ſignificatus uberioribus explicatur ad mentem *Hippocratis & Galeni.*

(1) *Hamberg.* Elem. Phyſic. §. 147. n. 1. 2.

(2) Coaleſcentiæ ſpeciem præ ſe ferunt morbi ab infarctu orti, quos ita deſcribit ad mentem antiquorum *Sennertus* Inſtitut Lib. II. Part. I. Cap. VI. Ἔμφραξις eſt cum meatus aliquis ob humorum copiam, vel craſſitiem, & tenacitatem occluditur. Στενοχωρία fit ob carnem fungoſam vel tumorem in canali exiſtentem. Θλίψις fit a re aliqua extus accumbente & cavum premente. Coalitus ab inſertione carnium cruentarum: a qua non multum diſcrepat συνίζησις ſeu ſubſidentia vaſorum, & parietum in illis conjunctio. Nihil diſcrepat *Boerhaave*, quando immeabilitatis ſpecies iiſdem recenſet terminis: Inſtitut. § 721.

(3) Confer. *Galenus* de Sympt. Cauſſ. p. 29. F. Venet. 1541. *Sicuti contra quod ſiccum eſt, nel in ſe ingredi ſinit, priuſquam ipſum aliqua ex parte diviſum ſit ac velut exulceratum.*

(4) Idem de Cauſſ. morbor. Claſſ. III p. 9. A. B. & C. *Nam quum nonnunquam*, inquit, *exulceretur cavitatis interior ſuperficies, ac deinceps ſimul coaleſcant exulceratæ particulæ, formatio naturalis neceſſario deſtruitur.*

Quando enim vulnus, aliud vulnus in vicino inflictum, contingit, ejuſque oræ congruunt; tunc partes vulneratæ, uti quotidie obſervamus, facillime concreſcunt, atque connaſcuntur. Ratio hæc eſt: in utraque parte vaſa læſa ſunt atque aperta. Si hæc per lineam proximi contactus ita diſponuntur, ut vaſorum orificia unius partis orificiis alterius reſpondeant; ſolidiores tunc fibræ, ob particulas nutritivas, & gluten, quo gaudent, naturale, quando ſe contingunt, cohærent. Fluidæ vero partes, ob inſequentem, nec interruptum ſanguinis impetum, novas fibras adponunt, commune formant vaſculum, quod ab utroque vaſe læſo nutritur. Et ſic novæ partes generantur, amiſſæ redintegrantur, & oræ, quæ disjunctæ erant, conjunguntur, atque coeunt. Tale exemplum videmus in vulnere duobus digitis ſimul inflicto. Hi enim, quando oræ vulneratæ ſe contingunt, in continuum mutantur, fitque potiſſimum, quando, dum vulnera deligantur, una conſtringuntur faſcia, nec interponitur quoddam intermedium contactum mutuum impediens, vaſa anaſtomoſi (1) morboſa conjunguntur. Idem judicium eſto de labiis cum gingiva, palpebris cum albuginea, ob vulnus prægreſſum, coaleſcentibus. Quæ autem in externis obſervamus partibus, hæc, cæteris paribus, etiam inter viſcera & partes internas evenire poſſunt. Simili modo curtorum chirurgia adminiſtrata fuit a veteribus, qua partes amiſſas reſtituere curtaſque ſarcire tentaverunt (2).

§. VI.

Tertius modus, quo coaleſcentiam contingere arbitror, fit per diuturnum mutuum contactum, quo tandem partes concreſcunt. Convenit hic modus cum antecedente in materia, hoc tamen quoad formam diſcrimine, quod læſio, hinc novorum tubulorum formatio minime illum præcedat, ſicuti in priori caſu neceſſario requiritur. Duas ejuſmodi coalitionis cauſſas adeſſe intelligo: alteram vaſorum oppoſitorum perſpirantium, hinc ſemper madentium, lævitatem; duæ enim ſuperficies ſiccæ non

(1) Anaſtomoſis in ſenſu anatomico dicitur unio vaſorum ejuſdem vel diverſi generis. Aſt aliam ſignificationem in pathologia illi voci tribuit *Sennertus* l. c. dum anaſtomoſin vocat: *quum oſcula vaſorum nimis aperiuntur atque dilatantur.* Conſentit *Boerhaave* §. 707. Inſtit. & modum quo fiat, addit §. 723. *Quod ſi ſoliditas aucta in partibus humorum concipiatur, habeatur vis nimis immutans tam ſolida, quam fluida, & ſimul intelligatur in partibus* ἀναςόμωσις.

(2) Confer. *Caſpar. Taliacotii* Chirurg curtor. L. I Cap II p. 138. edit. Francof. 1598. *Horum reſarciendorum ratio in eo potiſſimum conſiſtit, ut partibus mutilatis materia connectatur - - & deligationibus idoneis conſervetur, quo uſque & cutis & curta coaleſcant.* & *ejus* Lib. I. C. IX.

non conſolidantur: (1) alteram, coincidentiam punctorum contactus, ſeu vicinium diu continuatum, ſic partes & viſcera valde perſpirantia, atque madida inteſtina, aliave coeunt frequenter, humiditate concretionem adjuvante. Nam quemadmodum tubuli arteriarum ultimi, extra ſuperficiem ſpectantes, continuo perſpirant: ita oſcula venarum minimarum, quæ ſeroſo-lymphatica aliis dicuntur, perpetuo reſorbent. Quando igitur oſcula vaſis exſudantis excipiunt abſorbentis poros; (2) quod facillimo negotio fieri poteſt, tam ob numerum indefinitum talium vaſorum, quam ob circulum ſanguinis inſequentem, ſimulque hunc poſitum adjuvantem; quamvis enim non directe adplicentur ſibi ex oppoſito orificia, invenient tamen minima vaſa ſibi ſemper apta: tunc oritur facilis tranſitus, atque circulus ex una parte in alteram. Hac ratione intelligo ſecundum naturam ovulum coaleſcere cum fundo uteri, (3) quod exemplum clare indicat vaſa diverſi generis ſe mutuo ſubire, atque coaleſcere poſſe, ut alia exempla intacta relinquam.

§. VII.

Singularis eſt coaleſcendi modus illis, quibus a nativitate concreſcunt partes, dum ſic formatus in lucem fœtus editur. Nova equidem hæc eſt coalitionis ſpecies ratione temporis, aſt forma fiendique modo haud diſcrepat a præcedente. Putarem enim minime novum hac ratione oriri modum, quo coaleſcentia intelligi poſſet, ſed neceſſario fieri per unum ex jam dictis, vel uno cum altero combinato: niſi quis arbitrari vellet, hunc coalitum, de quo nobis ſermo eſt, quique in utero jam accidiſſe fer-

(1) *Galenus* de ſymptom. cauſſ. p. 29. F. *Siquidem & quod facilius ac celerius dum agglutinantur, tunc coaleſcunt, quæ humidiora ſunt, quæ vero duriora partim vix, partim nunquam, nemo eſt qui ignorat.*

(2) Porus medicis græcis ac latinis eſt hiatus a deſinente vaſe vel in cavo quodam vel in ſuperficie corporis, iſque parvus & ſenſum effugiens. *Ariſtoteles* de Animal. gener. Libr. I. C. III. & *Aretaeus* πόρυς adpellant corporum colatoria, itidemque *Galenus* paſſim. Confer. *Mundel'æ* Theatr. Galeni.

(3) Dari autem ejuſmodi vaſa revehentia a peripheria verſus centrum, uti nonnullis medicis loqui placet, uno verbo abſorbentia, plura probant phænomena. Huc merito referendum eſt, quod interna noſtri corporis viſcera ſemper ſint humida, qui humor, quum ob inſequentem atque pergentem excretionem augetur, ſtagnaret ſane, atque putreſceret, niſi reſorberetur a venarum oſtiolis. Idem confirmant morbi epidemici, & ſalivatio per inunctionem externam excitata. In illo enim caſu cauſſa, ſive materia morbifica; in hoc hydrargyri globuli per apertas venarum anguſtias reſorbentur, & ad maſſam deferuntur ſanguineam. Ut plura taceam de pure abſorpto, abſceſſu reſoluto, atque hydrope ſanato. Tales fiſtulas abſorbentes in canali inteſtinorum ſibi concipit *Boerhaave* Inſtit. §. 106.

fertur; aut in ovulo materno, aut vermiculo ſeminali, (1) jam ita fuiſſe delineatum, hinc non oriri, ſed jam adeſſe: quemadmodum minime adfirmare poſſumus, concretionem naturalem per unum ex adductis abſolvi modum. Alias nulla ratio eſſet, cur partes, quæ ſecundum naturam cohærent, ſemper una eademque coeant ratione, quum in omnibus æqualis cohærendi ſit conatus atque cauſſa. Coaleſcunt autem quædam infantibus ſecundum naturam, & maturiore ætate denuo abſcedunt, vel manu obſtetricis ſeparantur. Hujus exemplum habetur linguæ apex cum oris tunica interna continuus; illius, cilia ſeu palpebrarum tarſi, qui nondum maturo fœtui connivent; quale quid etiam animalibus, quæ cæca naſcuntur, (2) contingit. Ne etiam canalis inteſtinorum embryonibus a contactu parietum villoſæ tunicæ coaleſceret, continuo humorum affluxu cautum eſt. Interea tamen & anum, & fœmellis vaginam a nativitate haud raro connaſci obſervatur.

§. VIII.

Datur concretionis ſpecies, quæ, quum morboſa non ſit, nec omnino naturalis, ſed conſueta inter omnes lege contingens, non naturalis, tranſlato ex galenicorum ſcholis termino, dici debet. Et ſane natura mire atque inſigniter variat in producendis ejuſmodi concretionibus. Connaſcuntur enim interdum partes atque viſcera, illæſa non tantum, ſed obfirmata magis eorum functione; uti experimur, quando hepar pluribus, quam natura alias ſolita fuit, ligamentis adnatum fuiſſe obſervamus. Tale quid & colo & cæco accidit inteſtino, quod indeterminato fere ligamentorum numero, prout infra dicetur, pluribus in utroque hypochondrio vinculis peritonæo concreſcit. Facile intelligitur viſcerum actionem hinc multo validiorem fieri, eo quod ſuſpenſa fortiuſque ligata ſi fuerint, pondere ſuo ſe in proprio officio turbari nequeant. Accidere tamen poteſt, ut partes, quæ ſic non naturaliter erant concretæ, mutatis circumſtantiis, morbum, ſi quis, non tamen ex hac concretione, tanquam effectus ex cauſſa, ortum traxit, pejorem reddere queant; quando ſcilicet partes, quæ concretæ ſunt, magis magiſque obfirmantur, & denique in morboſam cum actionis detrimento mutantur coaleſcentiam. Habuit natura, cur ſic a ſolemni partium firmitudine digreſſa fuerit, rationem, quam adhibito luſus naturæ (1) termino explicare poſſe arbitror. Qua voce non

(1) Confer. vermiculorum patroni: quos inter eminent *Leeuwenhoek* Arcan. Natur detect. p. 19. & *Boerhaave* Inſtitut. med. §. 673. & Method. diſcend. art. medic. p. 265.

(2) De iis, quæ cæcos pariunt catulos confer. *Ariſtoteles* Hiſtor. animal. L. VI. C. XX. p. 539. edit. Scaub. Lugd. 1590.

(3) Confer *Winsl.* Tom. III. §. 333.

(1) Confer. *Winslow* Traité du bas ventre, §. 333.

non temerarium aliquem lubricum & inconſtantem rerum eventum ſignificamus; ſed conditionem corporum, qua ex ſufficientis rationis principio, huic vel illi individuo, ob ſpecialem ejus vitæ conſuetudinem, conceſſa fuit quædam partium diſpoſitio, in accidentalibus ſaltim diſcrepans. Neque enim luſus talis ſolet fieri præter finem, ſed eundem habet certum atque legitimum. Siquidem in ſuo opere nec turbari, nec tanquam ens ſapientiſſimum quidpiam ſuſcipere poſſit, cujus oriundi modum, atque certum, ob quem faciat, non prævideat finem. Interim tales luſus, ſeu diſceſſus a communi regula obſervantur in pluribus. Aliquibus lien diaphragmati adnaſcitur, aliis minus; (1) coli ligamenta paucis interim quibuſdam, nec arteriæ, multo minus venæ, in omnibus æquali modo dividuntur. Videas quibus muſculi luxurient, adſit pſoas parvus vel pyramidalis, in aliis deficiant: adſint oſſa ſeſamoidea his, deſint illis. Vertebra vel coſta una alterave abundet, nunquam deficiat: nam eſſentialibus noluit derogare quidquam creator omnipotens.

§. IX.

His igitur ſic poſitis nunc quoque quarundam partium atque viſcerum præter naturam concretorum referre exempla conabor; prout & brevitatis ratio & thematis conditio poſtulabunt. Dura menynx jure meritoque pro cranii perioſteo habetur interno. Laxe autem adhæret ſecundum naturam calvæ; ſed fortiter circa proceſſus petroſos, os ſphenoideum, præſertim ſuturas, quibus intermediis cum perioſteo externo calvæ conſpirat. Quod factum idcirco fortaſſis eſſe puto, ut ſuſpenſa teneatur illa menynx dura, ne cerebrum, quod valde periculoſum eſſet, prematur, deinde, ut cranium ipſum, præſertim diploe per vaſa ſanguifera, quæ, ſimul illam permeant, accipiant nutritionem. Interim accidere non raro ſolet, ut dura mater ita arcte adnata ſit juxta ſuturas oſſibus etiam bregmatis, ut ab his ſine membranæ ipſius dilaceratione avelli quandoque nequeat. Junioribus ſubjectis dura menynx firmius adhæret cranio, quam ætate provectis. (1) Fieri id ſuevit, quando quidem in ſimili ætate oſſium pori evadunt minores & anguſtiores, quibus ita factis, neceſſarium eſt, quo filamenta & vaſa, quibus adhæſit, ſenſim ſenſimque extenuentur, prorſuſque aboleantur. Aliquando tamen in theatro noſtro anatomico cadaveris adulti ſectioni, quam excelentiſſimus atque celeberrimus Dominus *Platnerus*, Præceptor meus nunquam ſatis laudandus, celebrabat, adſtiti, cujus dura mater toti ſuperficiei concavæ cranii, intervenientibus vaſis ſanguiferis, infinitiſque filis, eadem firmitudine adhærebat, qua perioſteum externum cum oſſibus committi ſolet. Neque poterat in ſeparatione præcaveri, ne membranulæ quædam & partes duræ matris, qua laminam ejus

(1) Idem Traité de la tête § 20.

ejus exteriorem, *Winſlowio* ita dictam, (2) avellerentur, atque remanerent. Similes concretiones a nativitate fieri, duplici ratione adductus adfirmare audeo, quia vaſa ſanguifera ceteræque fibræ connectentes intrant diploen, atque os cranii quaſi perreptant, quod minime factum fuiſſe arbitror, poſtquam cranium jam in os fuit mutatum, ſed eo tempore contigiſſe puto, quum oſſa cranium efformantia adhuc eſſent mucilaginoſa vel membranacea. (3) Præſcire ejuſmodi adhæſionem quum nequeat chirurgus, fieri poteſt, ut a terebræ trepani vel modioli uſu convulſiones & dira fiant ſymptomata: imo vulnera, quibus trepanatio, uti a chirurgis dicitur, adhuc medetur, in talibus ſubjectis fiunt lethalia. Aliquando tamen a carie, (4) vulnere, atque depreſſione calvæ accidit, ut fortiter adeo coaleſcat menynx, qui ſtatus non minus periculoſus; oriuntur enim dolores capitis fixi, nullo cedentes remedio, & fere intolerabiles. Multo tamen rariorem pluſque mirandam obſervationem Excell. Dominus *Præſes* in puero quodam VIII. annos circiter nato, nuper habuit, cui anteriores lobi cerebri inter ſe ita cohæſerunt, ut poſtquam ſinus falciformis eſſet protractus, interventu arachnoideæ membranæ utrinque inter ſe coirent lobi, & quidem ſine noxa, quantum conſtitit, pueri. Dubius hæſito num hic coalitus fuerit a nativitate? num potius infanti jam in lucem edito contigerit? Nil contradicerem illis qui priorem defenderent ſententiam: aſt nec illi ratione carent, qui ab anguſtia cameræ anterioris cranii ita coactos, hinc coalitos fuiſſe lobos aſſerere ſuſtinent.

§. X.

Si ad coaleſcentiam referre quis vellet varia cranii foramina, (1) quæ

(2) Idem l. c. §. 11.

(3) Præter Celeberr. *Albinum* nuper etiam medicus Anglus *Robert. Nesbitt* in libello qui inſcribitur *humain oſteogeny explained in two Lectures, read in the anatomical Theatre of the ſurgeons of London:* Lectur. I. p. 22. London. 1736, 8vo. opinio, oſſa ex cartilagine fieri, oppugnatur.

(4) Quodſi a vitio pericranii externi caries invaſerit oſſa calvæ, tunc in profectiori malo pericranium internum in conſenſum trahitur, & carioſo oſſi fortiter adhæret; hinc graviſſimis ſymptomatibus occaſionem præbet & fata ægri accelerat. Confer. Magnific. *Jo. Zachar. Plattneri* Programma de Curat. τȣ̃ ἀποσκεπαρνισμȣ̃ in calva, edit. 1737 Lipſ. 4to & nova Act. Erudit. 1736. p. 220.

(1) Ad coaleſcentiam non naturalem, pertinent foraminum quorundam, in baſi calvariæ evaneſcentium, atque cum tempore occluſorum, conditio. Eſt in oſſe petroſo aliquid foramen pueris, quod ſuapte ſponte evaneſcit adultis, ut non niſi obſcurum illius aliquando ſuperſit veſtigium, de quo *Kerckringius* in Oſteogenia fœtuum p. 223. mentionem facit. Porro & foramina occipitalia, per quæ venæ cervicales ex ſinu tranſverſali effluunt, deſcribente Illuſtri *Walthero* Exercitat. angiologic. de vaſis vertebralibus, Lipſiæ 1730. 4to p. 9. haud raro obliterantur; ſicut

&

quæ cum ætate obliterantur, amplam habiturus eſſet perorandi materiem. Negandum enim non eſt in vitio id aliquando reponi poſſe, ſi ſenibus foramina, pro tranſitu vaſorum inſervientia, præcludantur. In parte capitis calva concreſcit canalis naſalis, quod ſi tunica ejus interna prævia roſione a materia purulenta committatur, quem morbum ampliſſime deſcribit *Jo. Taylor*, (2) multa inſimul de coalitis punctis lacrymalibus in medium proferens. Oculi etiam male mulctantur haud raro, tum conjunctiva oculi, vel ipſa cartilago utriuſque palpebræ, prævia inflammatione, ſuppuratione, vel vulnere commituntur. (3) Concreſcunt præter naturam gingivæ cum labiis præſertim in ſtomacace & pravo ſalivationis ſucceſſu. Labium ſuperius in male curato labio leporino, niſi laminæ partibus cruentis interpoſitæ fuerint, cum gingivis haud infrequenter coire ſolet.

§. XI.

Spongioſa pulmonis ſubſtantia, quoad ejus partem convexam, quæ immediate coſtas tangit, minime adnaſci, ſed libera in thorace permanere debet, ut eo melius ſe expandere in reſpirando queat. Obſervare tamen nil ſæpius licet, quam quod non ſolum pulmones a parte poſtica cum pleura coaleſcant; ſed etiam quod pars pulmonum anterior, & tenuiſſima pericardio & mediaſtino, quin in utraque camera (1) pectoris interdum ſterno ipſi, inferior vero diaphragmati firmiter adnaſcatur. (2) Ipſe talem videndi coalitum occaſionem in aſthmatica quadam nactus ſum, quo viſo miratus non ſum cur reſpiratio difficillima, & ſuffocationis metus ſemper adeſſent. Sufflaminabatur enim pulmonis uſus, quum ſe non ſufficienter extendere neque contrahere, nedum plenum haurire ſpiritum poſſet. Quantum inde periculi vitali reſpirationis actioni ſit pertimeſ-

& varia foramina, quo arteriæ carotides externæ per media oſſa bregmatis ad interiora menyngis demittuntur. Aliquibus ſinus frontales nulli ſunt, aut perquam exigui, aliis ampli; num coaleſcentiæ vitio id factum fuerit? liquido haud conſtat.

(2) Vid. Mechaniſme ou le nouveau Traité de l'anatomie du globe de l'œil à Paris 1738. 8vo. Ubi diverſos, quo canalis naſalis & puncta lacrymalia coaleſcere poſſint modos expoſuit.

(3) Confer. modo laudatus auctor, qui omnes, qui de oculorum morbis ſcripſerunt accuratione & prolixitate numeroque morborum enarrato, ſuperat.

(1) Siniſtra camera thoracis anguſtior eſt dextra, quia mediaſtinum oblique eſt protenſum, quam ob rem etiam duo ſaltem lobi ſunt pulmonis ſiniſtri, tres autem dextri. Confer. *Winslow*. Traité de la Poitrine §. 96. Hinc facilius in ſiniſtra quam dextra coaleſcentias fieri poſſe arbitror, interea tamen promiſcue id fieri obſervatur.

(2) Confer. *Hoffmannus* in Medic. Syſtem. Ration. T. IV. Sect. II. Cap. VI. p. 439.

meſcendum, pathologia declarat; conſentiunt *Boerhaave*, *Riolanus* (3) aliique. Contradicere tamen, quin contrarium probare conantur *Kerckringius*, (4) & *Nicolaus Maſſa*, cujus verbo ex adducto *Riolano* tranſſcribere ſufficiat. Affirmare autem *Maſſam* ſcribitur: *Iſtam cohærentiam pulmonum cum pleura cordi utilem eſſe, ne pulmonum mole prematur, nec ullam ſpirandi difficultatem adferre.* Quodſi fides hiſce duobus habenda eſſet auctoribus, præſertim *Kerckringio*, neſcirem ſane, qua ratione aliorum doctiſſimorum virorum ſententiæ eſſent conciliandæ, contrarium adfirmantes. (5) In primis quum ſana ratio & quotidiana pro *Boerhaavio* militet experientia. Quis enim mente ſaltim concipere poſſet, utramque pulmonis partem eſſe ulceratam, & cum pleura coaluiſſe, ſine læſo reſpirationis opere, quum accuratiſſimi morborum obſervatores tuſſim & dyſpnœam tanquam ſigna referant pulmonis in motu impediti, ſuppurati, vel alio modo infarcti. Quibus igitur albus adjiciendus eſt calculus? Perplacet *Boerhaavii* & *Lommii* (6) ſententia, quorum opinio anatomicis phyſicisque argumentis nec non experientia ſuſtinetur. Extimeſcit *Maſſa*, ne cordi male ſit a premente pulmone, quapropter eundem natura coſtis coaleſcere juſſerit; aſt nihil mali perſentiſcit cor ab illa preſſione, quam exercere debet pulmo, dum ſe extendit: quoniam plurima pars viventium, licet illis pulmo minime ſit adnatus coſtis, nullum tamen a preſſione ſentit incommodum. Præterea fingamus talem concretionem, nec hæc impedire poterit, quo minus pulmo in parte concava, quæ cor reſpicit ſeſe extendat, atque mole ſua cor premat, quum ab externa tantum parte pulmonis concretio fiat. In omnem enim partem æqualiter ab irruente ſpiritu inflantur veſiculæ pulmonales, hinc pulmo æqualiter diſtentus ſuo pondere minime cordis turbare poteſt motum.

§. XII.

Interim me adfirmare poſſe autumo, concretiones ejuſmodi pulmonis poſt nativitatem tantum ortas fuiſſe: nam pulmo in fœtu eſt collapſus, neque prius ad uſque ſternum ſe extendit, donec inſpiratio procedat, quæ

(3) Confer. *Bœrhaave* de curandis atque cognoſc. morb. aphoriſm. 897. *Frid. Hoffmann* Med. Syſtem. Rat. T. IV. p. 479. & *Riolanus* in Anthropograph. Lib. III. C. XI. Lutet. Pariſ. 1549. p. 229. *Interdum pulmo pleuræ adnaſcitur, non tantum interventu tenuium filamentorum, ſed per adhæſionem firmam. Hæc colligatio ſi ampla & arcta fuerit, ita ut pulmo immediate coſtis adhæreat, moleſtam dyſpnœam etiam ſanis hominibus adfert.*

(4) Plura quam ipſe *Maſſa* defendere contendit in Spicil. anatom. Obſerv. 72. ita ſcribens: *Quatuor annorum puella febre continua extincta pulmones exhibuit, coſtis & ſterno firmiſſime adhærentes; multis locis duros, multis pure fluentes & utraque parte, quod rarius occurrit pure repletos. Interim hæc neque dyſpnœa, neque tuſſicula ulla, neque phthiſeos ſpecie laboraverat.*

(5) Confer. *Bœrhaave* l. c. §. 1188. & *Hoffmannus* l. c p. 439.

(6) Vid. ejuſdem Medic. Francof. & Lipſ. edit. p. 141.

quæ vero in utero materno minime poteſt peragi. (1) Coaleſcit autem pulmo cum partibus vicinis multiplici ex ratione, quando ſcilicet, quacunque ex cauſſa, ſcirrhoſus evaſit, vel vomica rupta male mulctatus, vel empyemate & pleuritide ſuppurata adflictus, vel denique ab injuriis externis corruptus, aut male conformato thorace incarceratus. Hinc enim rumpuntur vaſa, vel pleuræ nimium appropinquant, ea etiam quæ pleuram, vel pericardium, vel diaphragma tangunt, congruunt cum vicinis, formant commune quoddam vas, & ſic coalitus ex vaſorum prava unione oritur. Iſtud annotari meretur, nullum viſcus ſæpius adnaſci, quam pulmonem pleuræ. Pauca videas cadavera morbo diuturno extincta, quibus pulmo non aliqua ex parte, licet non ſemper morboſe, tamen plerumque non naturali modo cum pleura cohæreat.

§. XIII.

Nec hepar a concretione præternaturali exemtum eſt, licet hæc interdum beneficio naturæ ſic contingat. Retulit enim mihi excellentiſſimus Dn. *præſes* caſum ictericæ cujuſdam, cujus hepar, poſtquam obſtructum, ſcirrhoſumque redditum eſſet, non tantum cum membrana peritonæi, ſed & per eandem cum muſculis abdominis, hinc cum fundo ventriculi atque omento coaluit. Non negandum eſt, naturam, quæ ſemper vitam eouſque producere tentat, quouſque poteſt, interdum aliquid moliri, quod in ſalutem vergat machinæ. Hinc fieri quoque potuit, quod eadem, quum ſimilem concretionem ſalutarem fore prævideat, hanc ideo promoverit, ne pondus hepatis, a ſcirrho majus factum, lethalem in corpore effectum nimis augeret. Sicut autem hepar præter naturam cum adjacentibus connaſcitur partibus; ita quoque lien ob ſcirrhum, vulnus, aliamque cauſſam cum peritonæo & diaphragmate concreſcit: (1) imo plerumque ſcirrhoſo hepati ſocium ſe præbet lien quoque ſcirrhoſus, id quod vel generali humorum vitio, vel communioni (2) vaſorum & uſus, qui lieni cum hepate intercedit, debetur.

§. XIV.

(1) Analogiam reſpirationis infantis in utero ſtatuunt *Petrus van der Wiel* de fœtus nutrit. p. 36. *Bohnius* Circul. anatomic. Progymn. III. p. 36. aliique, putantes, cum ſanguine materno introire aërem. Quicquid illius ſit, pulmones certe quieſcunt in nondum natis.

(1) Confer. *Jo. Schenck* Obſerv. L. III. de liene p. 466. & 468. ubi obſervationem de membrana ſingulari, quæ, a hepate ad lienem ſubtenſa, illa viſcera præter naturam conjunxit, addit ſimulque adfirmat, quorundam morborum hanc membranam fuiſſe fomentum.

(2) Varias auctorum de lienis uſu ſententias collegit Celeberr. *Heiſterus* in Not. ad comp. anat. p. 72. 73. additque ſuam: *quo hepatis obſtructio impediatur* Hinc obſtructi hepatis cauſſa, quum ſit aliquando in liene, utrumque viſcus haud raro ſimilia experitur fata.

§. XIV.

Inteſtina in primis tenuia, ſecundum naturam libera quidem, ob motum periſtalticum eſſe debent. Nihilo tamen minus extant obſervationes, quæ nobis inteſtina, tam tenuia, quam craſſa concreta atque adnata ſiſtunt, aliter quam communi modo fieri conſuevit. Duo ſatis notabilia hac de re in noſtro noſocomio Lipſienſi vidi exempla, quorum alterum hernioſus quidam, alterum volvulo extinctus præbebant. Priorem ſectionem adminiſtrabat communis noſter præceptor illuſtris *Waltherus*, Patronus meus præ omnibus colendus. Fuerat autem hernia oſcheoceles ſpecies. Peritonæum, ex loco ubi annulus a limbo muſculi obliqui utriuſque formatur, & quem proceſſus peritonæi tranſire debet, ita erat elongatum, minime autem, quod quibuſdam videri poterat, dilaceratum; ut ſacculum, qui uſque in ſcrotum ſe extenderet, formaret, in quo plurima pars inteſtinorum tenuium occluderetur. Aſt in hujus burſæ fundo videbatur maſſa quædam fuſca, carnem fungoſam ſanguine grumoſo intermixtam referens, ope cujus omnis inteſtinorum compages fundo ſacculi, ſive peritonæo, firmiter adhærebat. (1) Nec ſufficiebat hæc concretio, canalis enim inteſtinorum multo firmius adnatus erat annulo, per quem inteſtina elapſa fuerant. Quod ſane beneficio naturæ factum eſſe nemo facile negabit, qui conſiderat, hac ratione non ſolum impediri quin ulterius prolabantur; ſed imminui quoque preſſionem, ab inteſtinorum pondere ortam, & magis magiſque quotidie auctam. Multo tamen viſu dignior erat altera obſervatio illius hominis, quem paſſio iliaca abſumſerat. Defunctus ſeptimo ante obitum die, quo in laudatum deferebatur noſocomium, ſtatim ab initio de pungente, multumque excruciante in cavo abdominis conquerebatur dolore. Erant præterea illi præcordia dura, totumque abdomen aliqua ex parte magis expanſum, quam in ſtatu naturali eſſe ſolet, ut ſonum quoque, dum manu percuteretur, ederet. Inſuper febre acuta laborabat: accedebat id, quod ingeſta non per viam ordinariam, ſed per os, rejiceret. Omnibus licet adhibitis congruis remediis, atque inſtituta in brachio venæ ſectione minime impediebatur, quin fatis cederet æger. Facta igitur ſectione, apertoque abdominis cavo, alius omnino reperiebatur inteſtinorum, uti dicitur, volvulus, quam obſervari ab auctoribus in paſſione iliaca (2) ſolet. Sed inteſtina omnia, præcipue tamen tenuia, miro modo inter ſe erant connata. Alia quoad ſu-

(1) Legi debet Illuſtr. *Waltheri* Programma de Entero-ſarco-cele Lipſ. 1731 p. 12.

(2) Confer beati *Pol. Gottl. Schackeri* Diſſertat. de Morbis a ſitu inteſtinorum præternaturali, Lipſ. 1721. & *Schenckius* l. c. pag. 406. qui inteſtinorum tenuium mutuum ingreſſum accuſat, tanquam cauſſam paſſionis iliacæ; & *Celſus* L. IV. Cap. XIII.

ſuperficiem externam lateralem, immediate ſe tangebant, firmiterque concreta erant: alia, lacertorum ope carnoſorum, plus minus longorum ita cohærebant, ut remotiſſima eſſent connexa. Præterea inteſtini ilei pars admodum adhærebat peritonæo ſub regione umbilicali, fortius tamen circa regionem iliacam & inguinalem. Et hic quoque mortis cauſa latitabat. Omnia enim inteſtina una cum muſculis adjacentibus ſphacelo videbantur corrupta. Quid? quod, abſceſſus ortus erat in illa inteſtini ilei parte, quæ omnium firmiſſime adhæſerat peritonæo, perforatoque inteſtino, in meſenterio intra membranas, a peritonæo ortas, formaverat ſinum, qui apertus erat orificio ſatis magno in cavum abdominis & per quod pauca chymi copia in ipſum deſcenderat abdomen. Hanc inflammationem induxerat ictus brevi ante tempore in illa regione ſatis vehementer inflictus. Sunt quibus dubitare ſuſtineo rationes; num aliquo ante ictum tempore coalitus iſte extiterit; num, id quod magis arridet, poſt illatam injuriam fuerit ortus, vaſis prævia exulceratione inter ſe commiſſis. Sin vero concretio a die natali (3) vel aliquo ab hinc tempore jam adfuit ea propter memoratus ictus potuit mortis cauſſa extitiſſe: quandoquidem in illo factus eſt loco, cui adnata fuerunt inteſtina, quæ poſt contuſionem a vi externa illatam, inflammationem, gangrænam, & tandem ſphacelum paſſa ſunt. Non diſcedam ab inteſtinis, antequam monuero, aliquando ſalubriter admodum eadem cum muſculis abdominis coaleſcere; in vulneribus ſcilicet abdominis, cum vulnere inteſtinorum conjunctis: ubi methodus imperat adducere inteſtina, eademque prævia ſutura cruentis labiis agglutinare. Quod in milite factum narrando comperi, qui alvum per vulnus, in epicolica ſiniſtra factum, prævio tali coalitu, exonerabat. Hinc & inteſtinum aliquod innocenter admodum coaleſcit, vermiforme ſcilicet, annotante Illuſtr. *Walthero* (4).

§. XV.

Omenti cum aliis partibus concretio non adeo frequens eſt. An cellulæ adipoſæ, quum non ſui ſimiles in vicinia, excepto meſenterio, inveniant; num vero particulæ oleoſæ, quæ nimis ſunt lubricæ, in contactu, hanc impediant? quæritur. Evenire tamen nonnunquam poſſe crederem, quod epiploon in herniis, præſertim omphalocele elabatur, & ob diuturnum contactum, atque nimiam quietem, peritonæo tandem adhæreat & adnaſcatur. Omnino huc referri merentur, quæ habet *D. Mongin*, (1) de epiploo quodam in vetula, peritonæo, circa regionem ingui-

(3) Quale exemplum habet adductus *Schenckius* l. c. p. 425.

(4) Confer Illuſtr. *Waltheri* Diſſertat. de inteſtinorum anguſtia ex obfirmato eorum habitus vitio. Lipſ. 1731. §. 14. p. 28.

(1) Dans la diſſertation ſur la pétrification d'un epiploon, a Paris 1734. 8uo. p. 40 & 41. *Il étoit encore uni, & inſeré par en bas. au corps du péritoine, par une ſuperficie de la largeur d'un petit écu. Le gros paquet ligamenteux inferieur, étoit d'un rouge noir, - - ſur toute la circonference, où il étoit adherant au péritoine,*

guinalem lateris dextri, ope membranarum, ligamentorum inſtar, firmiter adnato.

§. XVI.

De veſica urinaria vel utero præter naturam cum alia parte, concretis, nil ſingulare, neque obſervatur, neque legitur; niſi quod uterus interdum cum peritonæo, alicujus lateris magis concreſcat, quam alterius, Qui coalitus neceſſario obliquitatem (1) uteri infert. Id quod ſi accidat, ob obliquam orificii interni directionem, immedicabilis oriri poteſt ſterilitas, vel quod pejus eſſet difficilis & laborioſus partus, cum matris fœtuſque manifeſto periculo conjunctus. Concreſcit etiam vagina muliebris: tum in nativitate, quod atretis evenit; tum ab ulcere, vel procidentia vaginæ inveterata, aut fluore albo maligno.

§. XVII.

Teſticuli cum membrana muſculoſa, dartos dicta concretio præternaturalis non raro evenit in lue venerea, quando ſcilicet ſcirrhoſus factus aut exulceratus fuit teſticulus; vel in cirſocele, quam haud raro cum ſarcocele, confundere ſolent. Teſticulos vero inter ſe concretos atque in unum coalitos reperit *Kerckringius* (1) in cane quodam: quod, niſi in communionem pertracto ſepto ſcroti, vix fieri poſſe arbitrandum eſt. Admiratione tamen & notatu digna erat illa obſervatio, quam nuper habui in defuncto quodam milite, qui, quoniam abdomen haberet admodum tumidum, pedeſque œdematoſos, aſciticus credebatur: quum tamen poſt obitum in illius cavo abdominis fere nulla aqua, ſed corpus ſatis magnum, quod meſenterio & peritonæo, in regione inguinali dextra, firmiter adhærebat, reperiretur. Referebat autem illud corpus verum ſteatoma, & dum lanci imponeretur, XL. libras æquabat. Fortaſſis exactiorem hujus obſervationis hiſtoriam deſcribendi opportuniorem nanciſcar occaſionem. Ea ſaltim jam adduxiſſe juvabit, quæ hujus ſunt loci. Omnibus rite perveſtigatis, tandem conſiderabantur partes genita-

(1) Obliquitas uteri tanquam difficillimi partus cauſſa, primum, quantum conſtat, a *Deventerio* fuit accuſata, qui, ſicut uteri ligamenta nimis laxa increpat, unde obliquitas uteri fieri poſſit. C. IX. ita idem accidere non negat, quando ligamenta uteri fortius ſtricta ſunt. Sic enim dicit: *Sed poſito, ligamenta ita omnino non, vel parum laxari.* ibid. Non dubium eſt, utriuſque ligamenti adhæſionem, beneficio eſſe, nam ſic recte continebitur uterus. Aſt ponamus unum ligamentum adnatum, alterum laxum: nonne increſcente utero inclinatio fiet verſus illam partem, qua fortius adhæret. & hinc obliquitas? Sic ſcribit *Deventer.* C. XI. *Exulceratio etiam & cicatrix, aut glandula obdurata aut obſtructio vaſculorum in alterutro ligamentorum, vel partibus vicinis, anſam utero præbere poterunt, ut jam inde ab initio expanſionum, obliquetur.*

(1) In Spicileg. anatom. obſerv. 76.

tales: obſervabaturque, illum ſic dictum annulum in latere dextro, ſub limbo muſculi obliqui externi ſitum, minime fuiſſe tectum peritonæo, ſed ita extenſum, ut tres digitos quis facile immitteret. Per hanc vero aperturam teſticulus dexter in cavum abdominis, ope funiculi ſpermatici, ſteatomati accreti atque incumbentis, ſenſim ſenſimque retractus erat, firmiterque corpori illi ſteatomatico, in ſuperficie ejus externa, regionem iliacam ſpectante, adhærebat. Alter autem teſticulus burſa ſua continebatur. Totum præterea ſcrotum, ſero illo, quod præcipue intra ejuſdem tunicas uberrime ſtagnabat, diſtentum, hydrocelen referebat. Itaque quum teſticulus, limites peritonæi egreſſus, cavitatem abdominis intraſſe omnino videretur: num peritonæum mole ſteatomatis increſcente, & laminam peritonæi internam magis magiſque extendente, tandem ruptum fuerit, aliis dijudicandum relinquo. Præſertim, quod recentiores, itidemque doctiſſimi viri, id ſæpius negaſſe videantur. Vidi enim ipſe plus quam ſimplici vice talis herniæ, præſertim oſcheoceles, exempla, in quibus peritonæum dilatatum, per annulum illum una cum inteſtinis uſque ad ſcrotum deſcendit, minime vero diſruptum fuit.

§. XVIII.

Verum enim vero non ſolum viſcera concreſcunt inter ſe, & cum aliis partibus, ſed & oſſium & cartilaginum nonnunquam obſervatur coaleſcentia. Sic accidere ſolet, ut oſſa, quæ ſuper cartilagines mobilia, & tantum contigua eſſe debent, inter ſe, interventu ſcilicet cartilaginis, coëant, atque, rigidus evadat articulus. Quando enim humor in articulis ſecundum naturam hærens, atque lævitatem mobilitatemque ejus conſervans, inſpiſſatur, vel quacunque alia ex cauſſa abſumitur, ſimulque articulus diu immotus manet, tunc, ob quietem & contactum nimis longum, per §. VI. ſuperficies, oſſium articulos conſtituentium, concreſcunt. (1) Quæritur denique an non adhuc alius ſuperſit caſus, quo oſſa, ut inter ſe conglutinentur. fieri queat? hoc accidere mihi poſſe perſuaderem, quando oſſa, quæ juxta ſe poſita in unam extenſa ſunt plagam, uti tibia & fibula, ſive radius & ulna, in tranſverſum ſimul frangantur, neque in cura atque deligatione peculiari conſtringuntur faſcia, ope cujus in illo continentur ſitu, quo ante fracturam fuerunt: ſed inſcitia atque negligentia chirurgi ita comprimuntur, ut connaſci cogantur. Quodſi hoc contingeret, ob prægreſſam læſionem, oſſis vaſa, quum nunc ſint aperta, mutuo inſeri, formari callum, & hoc intermedio, eodem, quem, §. V. adduximus, modo inter ſe coire poſſe, ſane crederem. Quæ res plerumque cum carie oſſium eſt conjuncta; eo quod perioſteum, & ligamentum interoſſeum, violenter compreſſa, inflam-

(1) Adfirmat hoc *Paul. Barbette* Chirurg. Cap. IV. Geneu. 1668. p. 36.

flammationem conceperint, pus formaverint, quod deinde fibras cellulaſque oſſium deſtruit, & medullam utramque, albam & rubram, in ſaniem pervertit.

§. XIX.

Nunc quædam adhuc dicenda ſunt de coalitu præter naturam in fœtu obveniente. Huc pertinent ante omnia atretæ, (1) & illi, quibus anus, (2) dum in lucem eduntur, concretus eſt, vel digiti (3) inter ſe cohærent, vel lingua per frenulum (4) adnata eſt regioni ſublinguali. Dantur tamen adhuc aliæ concretiones in infantibus, licet non adeo, ut priores, ſint obviæ atque frequentes. Quæritur hinc; num embryoni naturaliter concreſcant palpebræ, an vero conglutinentur per lemas naturales, atque mucum, qui ex ductibus illis ciliaribus exſudat? puto tamen magis credendum eſſe, palpebras non ſine naturæ beneficio connivere. Quum enim embryo aquis innatat, fluidum illud impedit pondere atque preſſione ſua, quo minus elevarentur palpebræ, & variis modis oculus embryonis ab illa, in qua fluctuat, aqua læderetur; niſi tectus eſſet palpebris. Quum enim amphibii inſtar vivat embryo, vel ad inſtar piſcium, pulmonibus reſpirantium, quibus itidem prout fœtui canalis arterioſus & foramen ovale (5) conceſſa ſunt: externas partes ad vitam aquatilem embryonis compoſuit natura, dum conniventes palpebras præcluſumque meatum auditorium perfecit. Porro oritur quæſtio, an embryoni prorſus ſit occluſus meatus auditorius; (6) an ſaltim per conniventiam tragi & antitragi operiatur? utrumque contingit, eſt enim peculiaris membrana (7) membranæ tympani prætenſa.

§. XX.

Tandem ea, quæ ad curam atque medelam chirurgicam attinent partium concretarum, non omittenda ſunt. Quilibet autem facile intelligit, ſi de internis ſermo ſit, neque per medicamenta, neque manu chirurgica aliquid effici poſſe. Verum, quod herniotomiam attinet, id efficiendum

(1) Confer. *Celſus* Lib. VII. C. XXVIII. & *Borellus* Hiſtor. & Obſervat. med. cent. I. obſ. 78.

(2) Idem *Borellus* l. c obſ. 85. non ſolum de ano concreto agit, ſed plures in infantibus obvenientes refert coaleſcentias.

(3) l. c.

(4) Confer. *Celſus* L. VII. C. XIII.

(5) In cochlea canalem arterioſum & foramen ovale obſervavit *Mery* allegatus & recenſitus nuper admodum ab erudito Viro *Jacob Trew* Diſſert. epiſtol. de Differentiis quibuſdam inter hominem natum & naſcendum. Norimb. 1736. 4to. p. 65.

(6) Confer. *Celſus* L. V. C. VIII; & *Thom. Bartholinus* Cent. VI. hiſt. 36.

(7) Confer. *Kerckringius* de Oſteogen. fœtuum Cap V. p. 221.

dum eſt, ut inteſtini coaleſcentis cum peritonæo portio, ſi fieri poſſit, ſeparetur, vel intacta potius relinquatur hernia, quæ coalitu conjuncta eſſe judicatur. Præterea diagnoſis & prognoſis talis coaleſcentiæ ad modum ſunt fallaces. Effectus clarus eſt, nempe dolor ſurdus aliquis, & in parte coalita fixus, cum actione difficili, ſubinde cum impedita reſpiratione, vel duris præcordiis & hypochondriis, imo in diuturnis malis, ſi morbus remediis cedere nolit, ſemper plura & immedicabilia ſubſtantiæ vitia ſuſpicamur. Aſt quis affirmaret, a coaleſcentia fieri, quod a ſcirrho, pariter atque ulcere evenire ſolet. Et ex eadem ratione prognoſis ſemper ſiniſtra, & cura ita comparata eſt, ne ſuſcipi quidem, multo minus perfici queat. Semper enim remanet coalitio partium, quamvis morbus & ſymptomata aliquando ex parte ceſſent. Interim non deſerendus eſt æger, ſiquidem & de hoc malo valent, quæ ſingulari occaſione de vitiis inteſtinorum, ex obfirmato eorundem habitu, pronuntiat Illuſtris *Waltherus*: (1) *nec ex toto unquam ſanatur, ſed ſalutaribus conſiliis tantum levatur, & veluti intra limites continetur.*

§. XXI.

Multo aliter res ſe habet atque cura, quæ circa partium externarum concretionem inſtitui debet. In hoc enim caſu minime afficiuntur partes ad vitam ſumme neceſſariæ, & chirurgus medela ſua, atque chirurgia efficaci adhuc aliquid in medium conſulere poteſt. Quorſum refero in infantibus ſectionem frenuli; porro diviſionem illius membranulæ, quæ, modo anum, modo vaginæ muliebris orificium, modo meatum auditorium operit: quibus adjicio ſeparationem palpebrarum, tunicæ conjunctivæ digitorum, tam in recens natis, quam adultis, & denique labiorum a gingivis, quæ facile concreſcunt inter ſe poſt curationem labii leporini, niſi impediantur. Minime tandem omittenda eſt apertio ductus naſalis atque ſalivalis ſtenoniani, quando ſcilicet eorum coaluere parietes. Retulit mihi exercitatus in arte chirurgica experientiſſ. *Harttrampfftius*: cuidam orificium ductus ſtenoniani poſt eroſionem coaluiſſe, tumoremque a ſalivæ fluxu cohibito ortum exterius in buccis apparuiſſe; ſe itaque integumentis caute inciſis ductum, quem ſaliva tumentem nunc conſpiceret, pariter incidiſſe, & ſtylo modeſte, quam fieri potuit, rurſum aperuiſſe, illumque cicatrice externo cutis vulneri inducta apertum ſervaſſe. Ductum autem naſalem, niſi cruenta operatione non perſanari, ſi obſtructus fuerit, poſſe, omnes adfirmant. Quod reliquum eſt, omnes, quæ huc ſpectant, operationes chirurgicas fuſius declarandi opportunitas haud eſt, quin delegandus lector ad auctores, qui ex inſtituto de heroicis ejuſmodi operationibus egerunt. Nobis hæc de coaleſcentia morboſa dixiſſe ſufficiat.

(1) l. c. [illegible] p. 20 & 21.

C C X.

CAR. FRID. KALTSCHMIED,

PROGRAMMA

DE RARO COALITU HEPATIS ET LIENIS IN CADAVERE INVENTO.

Jenæ 15. Novembr. 1752.

Lienis ſtructuram ſive ſubſtantiam eſſe vaſculoſam & fibroſam in homine, quæ quidem in quibusdam brutis, v. g. vitulis celluloſa deprehenditur, a recentioribus anatomicis comprobatum eſt: & a celeberrimo *Reuſchio* evictum & recentioribus anatomicis aſſertum, neque glandulas in liene reperiri, cum nulla in eodem ſecretio deprehendatur. Uſum itaque lieni vindicarunt, quod ſanguinem præparet, ad feliciorem in hepate bilis ſecretionem ſubeundam, ſpiſſiorem ſcilicet ſanguinem, derivata lymphæ portione, per vaſa lymphatica ad ductum thoracicum dimiſſa, dividendo ac reſolvendo, liquidi nervei quantitatem ſimul ſanguini immittendo & ſic aptiorem reddendo, ut ſanguis ex liene hepati immiſſus per venam portæ volutus facilius per hoc viſcus tranſire & ad ſecretionem bilis in eodem ſymbolam ſuam conferre poſſit. Sanguis vero alias per venam ſplenicam venæ portarum immiſſus in cadavere fœminino quadraginta annorum, ante menſem a me diſſecto, aliam ingrediebatur viam.

Hepar in eo cadavere ſiniſtro in latere ad lienem pergebat, & cum eodem unum conſtituebat viſcus, ita, ut per manus latitudinem ſubſtantia hepatis ac lienis cohæreret. Lienis ſitus alias erat naturalis, nec niſi in parte inferiore per rimam ab hepate diſtingui videbatur.

Convexa hepatis pars non ſolum lieni ita erat juncta, ut plane nulla diviſio, neque in utroque margine appareret, ſed, quod curioſum erat, eundem etiam hepar ſervabat colorem ex fuſco rubrum per quartam lienis partem, quem totum hepar oſtendebat, tum vero color lienis alias naturalis incipiebat, eo usque etiam, quo hepatis color pergebat, ſuperficies magis læva ac nitida tendebat, lienis ſuperficie reliqua quodammodo corrugata & inæquali. In inferiori vero parte hepatis concava, ut ſupra memoratum eſt, juſtum rima quædam limitem ponebat, ut & diviſio viſcerum pateret, & color in utroque viſcere diverſus eſſet. Neque tamen rima ultra profunditatem duarum linearum penetrabat & eo usque

etiam

etiam color diverſus & ſubſtantia diverſa hepatis ac lienis pergebat. Innumera in ſuperiori parte vaſa venoſa recto itinere per ſubſtantiam lienis in ſubſtantiam hepatis migrabant, & tandem capſulæ Gliſſonii inſerta & ramulis venæ portæ per anaſtomoſin juncta jucundum exhibebant ſpectaculum, ita, ut omnia de hiſce viſceribus memorata evincerent, non caſu quodam poſt partum coalita eſſe, ſed prima ſtatim formatione eadem coaluiſſe & miram hanc fabricam edidiſſe. Cæterum in veſicula fellea calculus latebat, ovi columbini magnitudinem æquans, duarum drachmarum pondus fere ſuperans, coloris obſcure cinericei, figuræ ovalis ſatis regularis, ſuperficiei tamen aſperæ.

CCXI.

HENRICI BACHERACHT

DE

MORBIS LIGAMENTORUM

DISPUTATIO.

Leyden 20. Febr. 1750.

PRÆLOQUIUM.

Quoniam in hac diſſertatione de ligamentorum morbis, quatenus ſunt objectum chirurgiæ, agere, in eorum cauſas inquirere, & quænam apta inſtrumenta, aliaque artis auxilia ad eos curandos requiſita, perfunctorie indicare mecum conſtitui. Ne diſſertatio in volumen excreſcat, Doct. Lect. relego ad virum celeb. Joſ. Weidebrecht, medicinæ quondam doctorem academiæ ſcientiarum Petropolitanæ membrum & profeſſorem phyſiologiæ optime meritum. Egregius hic vir indefeſſo ſedecim annorum ſtudio & opere hiſtoriam ligamentorum ſatis accurate deſcripſit in libello, cui titulus *ſyndesmologia*, edito Ao. 1742. ubi ſingulorum ligamentorum habitum, figuram, colorem, nexum, terminos, uſum que aſſignavit; omnia ordine, & perſpicua brevitate expoſuit, figuras, natura indice, tabulis æneis ſumma ſolertia inciſas oculis ſubjecit. Plura meditatus, ſed præmatura morte in damnum eruditi orbis ereptus eſt. Fateor plurimos morbos a præſtantiſſimis chirurgis, quorum cauſæ in ligamentis hærent, deſcriptos, verum nonnullos ſub alio nomine & pleroſque indiſtincte conſcriptos. Nec mirum, eo quod opera magni Winslowii & præfati autoris de ligamentorum natura prædeceſſoribus incognita eſſent. Hiſce ducibus & recentiorum monumentis, additis iis, quæ ſtudio privato in diſſectione cadaverum, repetita per aliquot annos opera, obſervare mihi contigit, & iis quæ a clariſſimis profeſſoribus, præceptoribus meis in æternum venerandis in Noſocomiis Petropolitanis & academia Leidenſi verbo & opere hauſi, popoſitum thema aggredior. Si interim quædam minus recte, nec ſatis elaborata erunt poſita C. L. rogo ut illa ſerena fronte legant, corrigant, aut tranſeant.

§. I.

Ligamentorum nomine veniunt illæ partes corporis organicæ, quæ quoad habitum externum, coloris ſunt albicantis, ex fibris flexilibus, elaſticis, plerumque parallele concretis in ſubſtantiam tenacem, fibroſam, ruptioni fortiter reſiſtentem & ſolidam compactæ, eum in finem creatæ, ut duæ pluresve partes, quæ alias divulſæ, per ſe ſubſiſterent, adunentur atque in ſitu reſpectivo determinentur Confer. clar. Weidebrecht §. 5. Sect. I.

§. II.

Quanquam ex ligamentorum numero excludantur eæ partes, quæ præter officium coërcendi alias partes, ut in ſitu & loco retineantur, ali-

quod corpus tertium, alterius uſus conſtituunt. ut ſunt ligamenta lata & rotunda uteri, quæ potiori jure receptacula ovariorum, tubarum fallopianarum, ac vaſorum ſanguiferorum ſunt, quam vera ligamenta, quibus uterus in ſua ſede figatur vid. celeb. Weidebr, §. XV. l. c. Quum tamen iisdem origenctenus nimium laxatis, vagina imo ipſe uterus loco excidat, ſic & vincula, quæ inteſtinum rectum oſſi ſacro adligant, ut & muſculi abdominales, qui annulum funniculum ſpermaticum tranſmittentem conficiunt, aliaque id genus, quibus laxatis in utroque ſexu oriuntur variæ herniarum ſpecies, eas inquam, partes de morbis ligamentorum dicturus ſilentio præterire non poſſum. Nec illas partes albicantes, elaſticæ, cartilagineæ, corpora vertebrarum colligantes omittendæ. Pone eas nimium laxari, adeſt morboſa flexilitas, aut nimium indurari, elatere deſtitui, integra ſpina dorſi inflexilis erit, aut a cauſa violenta externa rumpi, funeſta plerumque præſto erit luxatio. De quibus omnibus infra ſuis locis dicetur.

§. III.

Dum ligamentum ita a ſtatu naturali recedit, ut functio, ab ejus integritate pendens lædatur, morbus in eo hæret.

§. IV.

Signum eſt ipſa functio læſa; in quibusdam natura morbi facile patet, ut exilitio tendinum, ruptis armillis coërcentibus, luxationes a cauſis internis, externisve &c. In plurimis admodum obſcura eſt, notitia anatomica loci, functionis, mutata figura, exploratio tactu inſtituta ad diſtinctam ideam chirurgo omni conanime acquirendam plurimum faciunt.

§. V.

Differentiis deſcribendis non immoror, quatenus ex fibris conſtant, poſſunt peccare exceſſu aut defectu cohæſionis. Si organicam ſtructuram conſideras; poſſunt peccare, figura, ſitu, nexu, coalitu, ſolutione continui, mala conformatione.

§. VI.

Species ſingulares ipſa functio læſa, ut & cauſæ variæ tam prægreſſæ, quam præſentes cognitæ produnt, adeoque in recenſione partium vitio ligamentorum affectarum, quis, qualis, quantusve morbus ſit, ex iis determinandum eſſe duxi,

§. VII.

§. VII.

Cauſæ ſunt externæ vel internæ. Internæ hærent in fluidis, quæ ipſa ligamenta alluunt, lubricant, quæ in juncturis *Gluten Haverſianum* aut *Synovia* medicis vocantur, aut quæ ipſa irrigant, nutriunt, dum copia excedente vel deficiente, aut qualitate quippe acrimonia, aut loco, motuve, peccant.

§. VIII.

Effecta inde producta differunt pro ratione cauſarum iſtarum, & loco ligamentorum ipſorum. Alia in articulis, capſa conjunctis, alia in interioribus. Nimia copia, cœterum blanda, nimis laxat: inde elongata non ſufficiunt officio coërcendi, in ſitu retinendi &c. Acrimonia rodit, diſſolvit, dolores aliaque incommoda efficit, de quibus omnibus infra ſuis locis dicetur. Tantus enim in iis occurrit cauſarum & effectuum complexus, ut idea diſtincta haberi nequeat, niſi ad ſingulares redigantur.

§. IX.

Ad cauſas externas refero, omnem violentiam extrinſecus illatam; ut eſt preſſio, diſtractio, ictus, caſus, &c.

§. X.

A capite ut incipiam & per truncum & artus progrediar, ordo exigit. Varia ligamenta phyſiologus in capite conſiderat, ut ſunt ligamenta duræ matris, palpebrarum cutaneum, auris externæ, internæ, labiorum, uvulæ, frenum linguæ, ligamentum pharyngis, oſſis hyoidis, laryngis &c. Quæ & cohæſionis nimiæ, aut deficientis, ut & ſolutionis incommoda, poſitis cauſis, ſubire poſſunt, adeoque functiones, ab eorum integritate pendentes, lædi, pleraque tamen eorum chirurgo inacceſſa, adeoque ſuccurrere nequit, niſi forte laxitatis aut acrimoniæ vitium ſubeſſe, ex notitia cauſæ applicatæ & læſionibus ſuſpicetur, tum illis cauſis mutata ratione victus & remediis generalioribus obviam ire conatur. Eorum autem, quæ ſenſibus magis obvia, ut frenum linguæ & uvula, morbi ſolertiam & operam chirurgi omnino requirunt.

§. XI.

Frenulum linguæ quandoque in recens natis, nimis longo tractu ad apicem linguæ uſque inſeritur, itaque eam arctius quam oportet, interiori gingivæ parti adnectit, ut fere immobilis appareat, confer: Weidebr. No. 6. Sect. 6. quod ſi obtinet, ſuctio impeditur, eoque magis, quo nexus arctior, tum infantes in actu ſuctionis laborioſi, ſummo moli-

mire, aſt inani fere conatu labiis papillam apprehendunt, raro tamen ſuctio inde ex integro impeditur. (Poſſunt quoque aliæ ſubeſſe cauſæ tam in nutrice, quam in tenello, hæ autem huc non pertinent:) proin non temere ad inciſionem procedendum. niſi certo conſtet, frenulum illud eſſe nimis latum, & linguam nimis arcte ſtringens; ſi infantes linguam poſſint movere, & ore exerere, ſibi relinquendum; ſi vero deſcriptum vitium ſubſit, & negligatur, progreſſu ætatis, quo ordinario infantes fari & articulatius loqui incipiunt, balbutient, nec deinceps articulate loqui diſcent, ita ut iſta etiam ætate, imo adultiores facti inciſionem admittere neceſſe habeant. Ipſa autem operatio peritum chirurgum requirit, qui pro re nata exceſſum cohæſionis ſolvit, dum latior plaga requiri videatur, metu hæmorrhagiæ nimiæ pars incidatur, & tum intercedente aliquot dierum intervallo reliqua peragatur; cavendo ne nervi, aut ductus ſalivales aut venæ raninæ ſimul incidantur. Hæmorrhagiam lethalem imprudenti inciſione ortam refert Dionis in ſua chirurgia & Mauriceau in Obſerv. 301.

§. XII.

Inſtrumenta operationi huic apta ſunt furca & forfex, ab Heiſtero delineata in Tab. XXI.

§. XIII.

Dilaceratio unguibus facta periculo non vacat, eo quod in medio, quo requiritur, non fiat ſolutio, ſed qua parte major vis adhibetur, & fibræ ipſæ debiliores, mobilioresque, ut in parte ſuperiori, quæ ſolutio ſine gravi nervorum fibris intermixtorum tenſione non fit. Incommoda inde oritura harum partium gnaro ignota non erunt, vulnuſculum forfice vel ſcalpello acutiſſimo inflictum, ſat cito conſolidatur. Rem feliciter peregi charta pictoria plicata, inciſa, & forfice. Commendant chirurgi detergens ex melle roſar. aut ſyr. violar. digito frequenter applicandum, quæ quidem uſui erunt, verum ſaliva propria infantis & lac nutricis huic ſcopo ſufficiunt.

§. XIV.

Uvula ſuo quoque ligamento in ſitu coërcetur, quod formatur ex membrana tenui, totum palati concavum ad mediam ejus longitudinem laxe ambiens, ſic quadam duplicaturæ ſpecie dictum ligamentum efformat, quo uvula in ſtatu naturali verſus linguam recurva & elaſtica ſervatur, vis hæc elaſtica, ex parte ligamento & ex parte muſculo, quem azygum uvulæ vocant, ineſt, & omnino requiritur, ut in actu deglutitionis

aëris

aëris, cibi, potus retropreſſa in ſedem priſtinam reſiliat confer. Weidebr. N°. 5. Sect. 6ta.

§. XV.

Uti frenulum linguæ nimia ſtrictura; ſic deſcriptum ligamentum uvulæ nimia laxitate imprimis peccat, illud rarius, hoc frequentiſſime, ut vix ſit homo quin noxiam hujus laxitatem aliquoties expertus; maxime in deſtillationibus catarrhoſis, quibus ſæpe adeo laxatur, ut deglutitio & loquela inſigniter lædatur, vox plerumque rauca, difficilis, & ſpecies anginæ præſto eſſe ſolet. Hiſce incommodis varia commendantur remedia. Vulgus faſciculum capillorum in vertice trahit; donec ſonus quidam crepitans audiatur; an hoc conferre poſſit, nulla ratione aſſequor. Alii pipere & ſale, ſpatulæ impoſito, uvulam ſurſum premunt, aliquando cum ſucceſſu. Hic agendi modus ratione quadam innititur, acria ſenſili huic parti applicata, ſpaſmum excitant, quo liquida ſtagnantia exprimuntur, quibus expreſſis vis elaſtica reſtituitur; ſemper tamen tutum non eſt, ob metuendam inde inflammationem. Tutius eſt hydragogum purgans exhibere, gargariſmate ex infuſo flor. Chamem. addito nitro reciprocatis vicibus fauces eluere, id aliquoties repetere, quo ingens muci tenacis copia ſolet prolici & effluere. Membrana oris mucoſa hac colluvie liberata & leni vi ſtimulata, priſtino officio apta redditur, hoc & efficaciſſimum & tutiſſimum remedium eſſe, expertus aſſero. Ipſam anginam inflammatoriam in faucibus apparentem hac medendi methodo ſublatam obſervavi.

§. XVI.

Si autem nimis laxata & usque ad aſperam arteriam propendeat, nec dictis remediis ſibi reſtitui poſſit, arte amputanda eſt; vel ligatura vel cultello ab Heiſtero delineato Tab. XXI. pag. 665.

§. XVII.

Præter laxitatem aliud vitium eundem effectum producens in membrana oris fauces obducente nonnunquam oritur, dum in lue venerea inveterata corruptione fluidorum per univerſum corpus diffuſa exeditur, cui, niſi tempeſtive aptis remediis in & externe obviam eatur, ipſa uvulæ ſubſtantia, palatum molle ſummopere periclitantur.

§. XVIII.

Scorbutus ſepticus partibus oris infeſtiſſimus, gingivas, partium mollium duriſſimas, fœdo ulcere afficit, partes erodit, nec maxillis parcit, alveolis ſe inſinuat, radices dentium abſumit, ut iis elapſis ipſius

maxillæ fragmenta aliquando excidant. Quales caſus in Noſocomiis Petropolitanis, plures videre mihi contigit, maxime in claſſiariis, qui longiori temporis intervallo in mari ſeptentrionali degerant. Quidam toto corpore quaſi rigebant, omnibus totius corporis ligamentis contractis, eroſis, dolores rheumaticos, arthriticos, tum fixos, tum vagos lancinantes, punctorios &c. patiebantur, quibus profuit mutatio aëris, victus, uſus largus decoctorum ex raſura lign. guajaci &c.

§. XIX.

Quum ſcorbutus ſit morbus ſui indagine digniſſimus, imo & cauſa plurium aliorum morborum inter ſe effectu diverſiſſimorum, cauſa efficaciſſima in accolis Septentrionalibus, Daniæ, Norwegiæ, Ruſſiæ Borealis, ut & in claſſiariis iter ad utramque Indiam facientibus, aut militiæ maritimæ cauſa in Oceano circulantibus, de eo quædam ſcopo noſtro non incongrua dicere viſum eſt, quantum obſervatis præſtantiſſimorum practicorum, celeberrimorum præceptorum lectionibus & propria experientia ediſcere potui.

§. XX.

Omiſſo ſcorbuto dictis telluris plagis endemico, de marino mihi ſermo erit, ſiquidem per univerſum oceanum non eſt diffuſus, tractus Septentrionales modo infeſtat. De cauſæ primitivæ origine nondum ſatis conſtat. an ex tellure in aërem maritimum, an vice verſa ex mari in accolas ope venti derivetur; ſi conjecturæ locus, dixero: in aquis generari & exhalationibus aërem incubum vitiari, ope venti in loca finitima diffundi. Mare, qua mare, ſolum incuſandum non videtur, ſed & lacus, paludes in quacumque regione occurrant, data occaſione ſcorbuti cauſam eructant; Lithuania, Ukrania multis milliaribus a mari ſeptentrionali remota maxime Ukrania (vulgo *Coſaques*) ſcorbuto obnoxia, quod lacubus & paludibus aqua viva non ſufficienter renovatis, nec crebro vento agitatis tribuimus, ut ſunt tres inſigniores juxta Kudac verſus paludem meotidem.

§. XXI.

Sed quæ cauſa in mari Septentrionali, quod tot ingentia abſorbet flumina, tam crebris ventis agitatur, imo ſale antiſeptico armatum? an in victu navali latet? Victus quidem cauſæ jam natæ vires addere videtur, aqua, quam claſſiarii bibunt, ſincera profecto non eſt, neque alimenta ſatis ſalubria; aſt ſi hæc ſola incuſanda, cur illi, qui vina & cereviſiam bibunt, ſcorbuto immunes non permanent? cur ab Indiis reverten-

tes

tes non æque ac a littoribus borealibus diſcedentes afficiuntur? Alia igitur ſubeſt cauſæ ſcorbutiparæ origo.

§. XXII.

Suſpicari licet exhalationibus putridis aërem incumbentem inficientibus cauſam illam primitus naſci: omne piſcium genus, ut animalia terreſtria, licet minus large, perſpirent, olfactu duce prædis inhiant. Notum eſt majores belluas degi in Oceano ſeptentrionali, quæ effluviis atmoſphæram propriam ſibi faciunt, excrementa eorum huc pertinent. Continet quidem mare ſalem communem ſolutum, putredini reſiſtentem, verum, quo magis ad Polum vergit, eo minor ſalis copia in data aquæ menſura continetur, minus quidem obſtante frigore exhalat, tardiusque effluvia putreſcunt, ac in mari a Polo remotiori, imo venti frequentiores, ſed æqua non videtur compenſatio cauſarum recenſitarum. Forte cœlum & fundus quid contribuit. Quidquid ſit, experientia teſte, cognitum eſt ſcorbutum marinum ſepticum eſſe, ſeu indolis putridæ, acris, mutatione aëris & uſu acidorum, aceſcentiumve cicurari ſaltem, ſi ex integro vitari nequeat. Prophylactica optima videntur ſpiritus ſalis, nitri dulcis, ſuccus limonum & ejusmodi; plura de eo dicere anguſti limites, quos in tam vaſto themate mihi proponere neceſſe habui, non permittunt. Curatio non differt ab ea, quam (§. XVIII.) compendio recenſui, (confer. Boerhaave de ſcorbuto). Redeo igitur in viam unde digreſſus.

§. XXIII.

Maxillam inferiorem margini cavitatis glenoïdeæ ſub radice proceſſus zygomatici oſſis temporum inſculptæ, alligat capſa membranacea, partim ex margine tuberculi jugi exteriore, partim ex ipſa cavitatis profunditate & meatus auditorii pariete poſt inſertionem membranæ operculi ſuperioris, quæ cum illo concreſcens, preſſu indureſcit & cartilaginem meniſcoidem mobilem conſtituit, cujus peripheria capſæ adnectitur, confer. Weidebr. N°. 1. 2. 3. Sect. 3. in ſuo ſinu folliculos mucoſos continet, quæ ad lubricam mobilitatem, quæ hic, ut in frequentiſſimo actu quippe manducatione, loquela, eſt, ita maxime neceſſariam contribuunt. Dum hi fontes exſiccati, oritur in motu moleſtia. Sic & ſi noctu gluten illud tenacius redditur, raro interim acrimonia peccare deprehenditur, licet aliquando ſcorbuto inveterato, aut lue venerea laborantes dolorem in hac junctura perſentiſcant. Quodſi obtinet, cauſæ cognitæ ſeu morbi primarii tollendi ſunt.

§. XXIV.

§. XXIV.

Quod ſi a cauſa externa uni vel utrique capſæ vis infertur, ictu, caſu, oſcitatione, ita ut condylus in uno aut altero latere, aut utroque excidat, ſine mora illud cognoſcendum & curandum eſt, niſi ſponte in ſitum naturalem reducatur, cujus exempla in receſſu alterutrius condyli quidem ſunt, verum rariſſima. Ob tenſionem nervorum, tendinum graviſſimæ inflammationes, convulſiones inſequuntur. Imo mors ipſa, notante jam olim Hippocrate.

§. XXV.

Dignoſcitur facile oris hiatu, tumore externo, ſinu in parte inferiore (antrorſum enim tantum prolabi poteſt) obliquitate menti in oppoſitam partem diſtorti &, ſi alteruter condylus tantum elapſus eſt. Si uterque, mentum in priora protractum, quod tamen ob hiatum oris non ita advertitur.

§. XXVI.

Repoſitionem cujusvis caſus indicat notitia articulationis, muſculorum maxillam moventium, quorum reſiſtentia, quæ in maſſetere imprimis & temporali ingens, juſta directione & ſufficienti vi ſuperanda (vid. Heiſter pag. 219. Cap. VI.)

§. XXVII.

De cauſis violentis externis ligamenta elongando, ex parte lacerando, aut ex integro dirumpendo, variarum partium luxationes producentibus, quum præclare in præſtantiſſimorum chirurgorum noſtri ſeculi omnia illuc pertinentia deſcripta ſint; nil mihi dicendum ratus, ad morbos a cauſis internis tantum ortos tranſeo, primo ad eos qui in vertebrarum ligamentis occurrunt.

§. XXVIII.

Notum eſt ex anatomicis, univerſi corporis ſuperiorem molem columnæ vertebrarum ſuper ſe invicem plus minus mobilium inniti, in omnem partem flecti, medullam ſpinalem per canalem mirabili earum concatenatione proceſſuum, figura, & ope ligamentorum factum deſcendere, per hiatus laterales ramos transmittere, eosque in quavis flexione ſecundum naturam tuto ſervari, canalem ipſum tum extus tum intus perioſteo a dura matre ex parte continuato obductum, ipſas autem vertebras, figura, proportione, proceſſibus concinne adaptari, coſtis fulcrum præbere,

bere, in collo arteriis vertebralibus tranſitum ad caput parare, quorum omnium accuratam deſcriptionem dedit celeberr. Albinus in ſuo egregio libello de oſſibus §. 115. Ligamentorum conditiones variis uſibus deſtinatas abſolvit clar. Weidebrecht ſect. IV. Muſculorum columnam iſtam moventium, quoad ortum, decurſum, inſertionem, actionem, in hiſtoria muſculorum & tabulis ſuis majoribus ad vivum expreſſit idem clar. Albinus. Hæc tamen omnia chirurgo vix ſufficient; eo quod partium circumpoſitarum, ut ſubſtantiæ celluloſæ, vaſorum decurſus, naturæ & motus circulatorii fluidorum &c. diſtinctam ideam inde non conſequatur, quæ partes neque ad oſſa, neque ad ligamenta, nec ad muſculos pertinent, ſed earum deſcriptio ad phyſiologos ex ipſa partium natura, ratiocinia formantes, igitur inde petenda. Nervorum ſyſtema delineavit clar. Euſtacius tab. XVIII. aliisque, & cel. Vieuſſenius in ſua neurologia, deſcripſit clar. Winslow. Quanquam hæc ita habeantur, optimum interim, imo chirurgo neceſſarium eſt hæc omnia, quæ firmas partes concernunt, ex ipſis cadaveribus non modo autopſia, verum actuali analyſi aliquoties inſtituta ediſcenda. Hæc unica, commodiſſima & certiſſima ad diſtinctas harum partium ideas acquirendas via & ratio in morbis agendorum.

§. XXIX.

Nimia copia humorum pituitoſorum in ſpina decubitus gibboſin aut rachitidem producit. Quibus autem in locis ille decubitus fiat, an in ipſo ſpecu circum circa medullam, an in vaſis illam ambientibus perioſteo intertextis, an in ipſa ligamentorum corpora vertebralia colligantium ſubſtantia, an quodlibet ſimul obtineat, quod forte tractu temporis fieri poterit, non determino. Videtur hic idem contingere poſſe, quod in hydrocephalo, ubi inertium humorum collectio poterit eſſe in vaſis perioſtei externi, ſubſtantia celluloſa, diploe cranii, quatenus vaſis irrigatur, dura matre & echymoſi tractu temporis facta, collectio inter ſuperficies tam externas dictarum partium quam internas. Vaſa in pia matre encephalon proxime ambienti humore pituitoſo turgidas exhibuere cadavera hydrocephalo extinctorum; uti cranium involucrum defendens encephalon, ita ſpecus vertebrarum medullam ſpinalem (quæ quaſi cerebrum mediante medulla oblongata continuatum eſt, & nervos, ut illud, utrimque emittens,) continet, dirigit, defendit.

§. XXX.

Hydrops igitur ſpinæ eodem fere modo ac capitis, origine, incremento, ſtatu, eventu, medendi methodo, ſeſe habet, licet ſignis externis non ita ſenſibus obviis, ex cauſſis prægreſſis, functionibus ſenſim læſis cognoſcendus, videtur primo oriri leucophlegmatia, dum vaſis ſen-

ſim debilitatis, laxatis, ſolutis, humores congeſti, mora, calore, attenuati effluunt, interſtitia opplent, uti in ſubſtantia cellulosa reliqui corporis, ſtatu hoc poſito, partes ipſæ vertebris interpoſitæ, reliqua ligamenta, tendines tot muſculorum vertebris inſertorum laxantur, reſiſtentiæ cauſis motricibus fiunt inſuperabiles, & quum in partibus verſus concavum abdominis & thoracis calor ſit major, magis enim diſtant ab atmoſphæra refrigerante, minor in illis fit debilitatio; hinc verſus priora fit inflexio, curvatura, verſus poſteriora protuberantia, convexitas; ut verbo dicam, gibboſis a cauſis internis; quatenus proximæ ſunt; & in fluidis conſiſtunt. Cauſæ antecedentes ſunt omnia, quæ vi laxandi pollent, ut alimenta aquoſa; inertia, diutius ingeſta; quies; calor in ſellis perforatis, more belgico, fotus quidem hic infantibus amiciſſimus; ſed mora nimia fotum ipſum noxium reddere videtur. Calor inferiora laxat, affluxum a ſuperioribus auget. Loca humidiora; ut ſtrata lapidea inprimis marmorea; ſtoreis quidem frigus & humiditates arcere conantur, tantum interim abeſt, ut ad temperaturam tabulati lignei accedant; hinc in fœminis menſium nimius fluxus; prolapſus uteri, paſſio hyſterica a ſpaſmis inde productis &c. de quibus inferius; teneIli ætati hæc omnia infeſtiſſima. Gibboſin a cauſis internis *Hippocrati*, *Avicennæ*, *Rhazi*, jam olim cognitam, eorum monumenta oſtendunt.

§. XXXI.

Marcus Aurelius Severinus ad Hippocratem de gibbis differentem (in tractatu de abſceſſuum recondita natura pag. 410.) ſequentia habet: *fit ſpontanea gibboſis ab humorum defluxu, qui ſi diu conſiſtat in vertebris, ſic ut inde non recedat, facit ſua permanſione atque adhæſu firmo, ut gibber abſolvatur & conſummetur, quodſi natura procurante de vertebris, ad quas appulſus fuerat humor, alio abſcedit, vertebras liberat a tuberculo, quod gibboſin pariturum erat, oportet; jam vero duplex hic humoris abſceſſus eſt, tum per decubitum tum per affluxum, & per decubitum quidem alter modus eſt, extra venas: ſic in inguine per ſympathiam conflatam ex materia tuberculum & abſceſſum facit, ut ſolvatur gibbus. Alterum genus eſt intra venas per metaſtaſin ſic excipientibus humorem vaſculis ample diſtentis (varices dicunt) nec non hæmorrhoidis abſolvuntur etiam a gibbere.*

§. XXXII.

Dum humores congeſti, cogia increſcentes nodos, tumores efficiunt, qui ſenſim ligamenta laxando, ſpinam bifidam, ipſam luxationem in tenerioribus producere poſſunt, dum ipſa corpora vertebrarum nimium macerata, aut eroſa materiam oſſificam effundunt, naſcitur gummi, exoſtoſis, ligamentorum officio obſtans, elongans, quæ itidem calamitoſe

luxa-

luxationis cauſa, quacunque directione contingat, licet alii lateralem minus periculoſam ſentiant. Perioſteum interim tantam extenſionem ſine diris convulſionibus non fert, nec ipſa medulla ſine vitæ periculo in angulum flectitur; vita quidem protrahitur, ſi lente oriatur, tandem tamen ſuccumbit.

§. XXXIII.

Prognoſin quod attinet, quo recentior eſt ille humorum decubitus, eo facilius curatur & contra. Exoſtoſin ſolvere in artis poteſtate non eſt.

§. XXXIV.

Prophylaxis ex propoſitis cauſis eruenda.

§. XXXV.

Imminens aut jam coepta gibboſis, quum ejus origo chronica ſit, victu, cauſis contrario, aptiſque remediis avertenda.

§. XXXVI.

Curationem præſentis dictat cauſarum notitio, ſi medelæ adhuc locus. Hæc abſolvitur humores inertes ad inferiora derivando, evacuando; extrinſecus fricando, aëre ſicco, cavendo, ne frigus accedat, alimentis eupeptis, roborantibus, potu generoſo, meraco, ætati, copia & qualitate convenienti, ut paucis dicam, eadem hic conveniunt, quæ clar. Boerhaave commendat in rachitide infantum aph. 1489. niſi forte vomitoria exceperis ob metum luxationis. Rachitis enim ab iis cauſis oritur quæ jam dictæ, nempe vitio ligamentorum quibuscunque cauſis internis orta ſit, differt modo quod plures partes affectæ.

§. XXXVII.

Si vero luxatio jam facta, repoſitio tentanda, de qua vid. Heiſter, Petit &c.

§. XXXVIII.

Oppoſitum vitium ligamentorum eſt eorum nimia contractio, extenuatio, rigiditas, tabes; cujus cauſa privativa, defectus quippe humorum irrigantium, nutrientium, quod obtinet in ætate confectis, fatum ſenile vocant, ubi coalitis minimis canalibus, increſcente fluidorum ſubtiliorum defectu, increſcit, atrophia, rigiditas, curvatio in priora, donec terminetur in mortem naturalem. Cur autem ſpina in ſenibus in priora incurvetur

vetur, non adſcribendum muſculis flectentibus, ſcil. abdominalibus; pſoæ utrique; verum curvaturæ eorum hominum voluntariæ, dum in priora curvati ſedere & cubare conſueverint; ſpontanea illa corporis curvatura; majorem vim acquirunt dicti muſculi, quod vel in digitis fabrorum apparet (vid. Boerhaav. de morbis fibræ rigidæ Aphor. 31. & ſeqq. add. Com. van. Swieten ad dict. aphor.) Morbus hic ſenibus inevitabilis ipſius vitæ actione citius aut ſerius plus minus exercitatæ ortus, ſenectus ipſa eſt morbus; quem nullus medicorum unquam curavit; nec ſpes eſt remediis unquam curatum iri. Ad mortem paulisper deferendam convenit diæta lactea; juſcula (vid. Inſt. Boerhaav. de Cardiacis No. 1. & aphor. 35.) & ea quæ alvum leviter laxant; ne collectis & ſiccatis in colo fæcibus lethalis oriatur gangræna.

§. XXXIX.

Tertium ligamentorum recenſitorum vitium eſt corroſio, ab acrimonia fluidorum in iis ſtagnantium, aut aliunde delatorum, de quibus ſuperius (§. 18.) qua præſente, dolores; convulſiones, tetanus, non ſecus ac in aliis partibus ſpaſmi concitantur, ubi os; aut perioſteum, aut tendo muſculi juxta emerſionem ex oſſe; cauſa irritante, afficitur. Nullibi plures tendines quam in columna vertebrarum; nullibi plura ligamenta; nullibi perioſteum vaſis, nerviſque ditius; nullibi multiplicior fibrarum; non modo ex dura matre productarum; ſed ex infinitis tum oſſium, maxime in corporibus vertebrarum; tum ligamentorum enaſcentium, recta decurrentium; ſeſe infinitis modis interſecantium, inde intervallo quodam emerſo oſſi; ligamentisve inſertorum ſeries, quæ fibræ ubique perioſteum conficiunt. Has optime conſpicies, ſi columnam vertebrarum una cum pelvi groſſo modo carne liberatam in certo gradu caloris per plures dies maceras, & vario tempore perluſtras; miraberis conſpiciendo non modo in ſpina, ſed & pelvi ſtupendas ligamentorum, quæ partes perioſtei ſunt, ſpecies, partim videntur oriri ex margine vertebræ ſuperioris, & inſeri margini inferioris, ſed plurimæ plura corpora ſuperſcandunt, antequam iis inſerantur, quædam ad extrema proceſſuum ſpinoſorum, aliorumque procedunt; quædam uno extremo fluctuant; denſiſſima harum fibrarum congeries, in faſciculos planos quaſi diſpoſita, cujus apparentiæ cauſa forte eſt jactura teneriorum maceratione facta, aut forte ordo naturalis; quovis enim tempore ita apparent. Tenſæ ſunt, ſplendent, coloris vividiſſimi ex albo coeruleſcentis inſtar argenti recent politi, ita ut ratione originis de perioſteo dicendum, illud ex dura matre & ex oſſium ſubjectorum ſubſtantia oriri, & non ex illa ſola, uti nec arteriæ membranas vaſorum percurrentes omnes oriuntur ex coronariis, ſed ex vicinis ubique rami intra membranas demerguntur, quod vel impletione in brachio a corpore ſeparato apparet, ubi injectio in truncum

facta,

ſecta, ramos in membranis penetrat, quod fieri non poſſet, ſi a coronariis forent continuati. Ruit igitur utriusque originis ſententia, quoad partem. Plura de his infra ubi de morbis perioſtei ceu ligamenti ſermo erit.

§. XL.

Neque intra dictos terminos perſiſtere ſolet acrimoniæ effectus; ſed ipſam vertebrarum ſubſtantiam adoritur, quæ poroſa, minus reſiſtens, ſuperficie tenus ſolvitur: inde a materie exſudante exoſtoſis, qua duæ vel plures vetebræ in continuum ſolidum abeunt, fit anchyloſis tuberoſa, quæ differt ab ea, quæ oritur ab oſſeſcentia partium cartilaginearum, quibus corpora vertebrarum connectuntur. Ejusmodi anchyloſin tuberoſam in collo ſceleti, ſcorbuto defuncti, admirabundus vidi; ubi tota columna colli erat unum continuum oſſeum, tuberoſum corpus, proceſſibus, ligamentis omnibus confuſis; quod, uti in reliquis corporis juncturis, ſic & in columna vertebrarum fieri poteſt. Ingraveſcente ſenio inferiora ſolent oſſeſcentibus ligamentis cartilagineis concreſcere, infima cum oſſe ſacro; ipſum os ſacrum cum oſſibus ilei; coxa cum oſſe femoris. Anchyloſis tuberoſa quavis ætate, quovis loco ſpinæ, prout materies acris rodens in parte inferiori, intermedia, aut ſuperiori collecta tragœdiam ludit. Imminentem medicus avertere quidem poteſt, præſentem curare neutiquam.

§. XLI.

Inter notabiles ligamentorum morbos occurrit ſpina ventoſa, licet ejus ſubjectum primarium omni ratione non ſint. Nomine autem ſpinæ ventoſæ omnes medici eundem morbum non intelligunt. Alii in ſubjecto variant, alii in prædicato, tum nomen *ſpina*, quam *ventoſa* diverſam ſui præbet ideam. Alii cariem oſſium eſſe dicunt, alii rachitidem, alii tumorem perioſtei ſecedentis, materia elaſtica oſſi & perioſteo interpoſita excitatum, alii ipſius perioſtei & quidem interni inflammationem ſtatuunt. Ita ut varios authores conſulendo neſcias, cui aſſenſum præbeas. *Petrus de Marchettis obſerv. medic. chirurg. rarior. ſylloge pag.* 118. ſequenti theoria, ejus geneſin, naturam, ſenſu complexo concepit: *modus generationis hic eſt: ſi pituita nutritioni articulorum dicata putreſcat, aut quodammodo fit acrior, primo oſſa corrumpit, & quidem dolore nullo, quibus poſtea corruptis, perioſteum labefactatur, cujus ſignum dolor acutus lancinans, ita ut patiens referat, ſe quaſi ſpina pungi, unde ſpinæ nomen ei inductum. Dum vero hujusmodi dolore æger divexatur atque perioſteum eroditur, nullus adhuc apparet tumor, corruptis vero & quidem primario oſſe, ſecundario perioſteo, materia pituitoſa libere permeans loca carnoſa attollit, articulum affectum in tumorem primo mollem & laxum ac doloris*

 exper-

expertem, *cuti concolorem*, *qui putrefactus durior evadit*, *confluente eo humorum copia*, *quorum tenuior pars exhalat*, *ſuperſtite craſſiori*, *ex quo inſuper manat ſeroſa atque ſpecillo os corruptum prodit &c.* Conceptus hic, licet quædam minus recte pro demonſtratis habeat, geneſin, meo judicio, ſatis exprimit, plerique in eo conveniunt, quod ſpina ventoſa cariem adjunctam habeat, quæ ejus effectus, quæ interne oſſa rodendo perforet; alii teredinem eſſe dicunt, belgis *Beenvreeter*, *Marc. Aurel. Severinus* nomine *pædarthrocacem.* Eam deſcripſit in tractatu de recond. abſceſſ. natur. pag. 337. cui diſplicuit vocabulum ſpina ventoſa a *Rhaze* illi impoſitum, at, quod ſubſtituit, magis ambiguum videtur, nam ex definitione ipſius Severini rachitidi applicari poſſet. Sequenti tenore eam definit; *pædarthrocace abſceſſus eſt corruptorius, ſeu ſphaceliſmus oſſis, circa articulum in pueris*, &c. ibid. pag. 356. De ſpina ventoſa quoque ſcripſit *Joſephus Pandolphinus* a monte martiano, qui de hoc affectu tanquam regioni ſuæ familiari ſæpius a ſe viſo, ac curato librum integrum edidit. Qui duplici modo eum conſideravit nempe in fieri & in facto eſſe, uti quoque *Petr. de Marchettis.*

§. XLII.

Omnibus iis ſententiis ſuum ineſt pondus, differunt modo pro vario morbi tempore, conditione, dum alii in initio, quo adhuc ſimplicior eum conſiderant; alii, dum modo eſt complicatus; alii quovis tempore & conditione. Si vocabulorum ſignificationem examinas, ratio dubitandi evaneſcit, non ſunt conſideranda in ſenſu compoſito, uti præfati authores fecerunt, ſed in ſenſu diviſo. Si ſpina a dolore punctorio nomen adepta, in parte molli exquiſitiſſimi ſenſus, uti eſt perioſteum, hæret, oſſa enim ſenſu expertia; dolor hic a ſimplici inflammatione oritur, quæ poteſt eſſe ſine carie & tumore ſenſibili, licet a carie ut cauſa oriri poſſit. Si tumor a ſeceſſu partium ab oſſibus materiam flatulentam continens *ventoſus* appellatur, vocabulum *ventoſa* addendum quando talis tumor præſens.

§. XLIII.

Quatenus *ſpina* appellatur, ſubjectum proprium eſt perioſteum, ſive internum ſive externum. De externo mihi ſermo eſt, quod eſt non tantum univerſale integumentum ſceleti naturalis, ſed & ligamentum continuum, uti cutis univerſi corporis, tam oſſa quam ligamenta ſubjecta, arcte inveſtiens, exceptis tendinum inſertionibus, ubi ad juncturas pertingit, ſuperſcandit capſas, iiſque arcte, imo arctius quam oſſibus adhæret, vaſis omnis generis ditiſſimum, quæ itidem ab oſſe ad os medianti perioſteo procedunt, demonſtrante *Ruiſchio Adverſ. Decas tertia No. IX.*

ipſo

ipſe artificiali impletione vidi in cadavere infantis, ubi capſorum ſuperficies tinctura infinitorum vaſculorum rubebant.

§. XLIV.

Quum perioſteum deſcriptum vices ligamenti gerat (ut patet in multis oſſibus, quæ, eo ſeparato ſponte ſolvuntur) & a pluribus cauſis vitiatur maxime inflammatione, ſubjectis ligamentis infeſtiſſima, ejus morbos huc referendos eſſe exiſtimavi, paries nam proximus ardet: vaſa uti ex perioſteo in oſſis ſubſtantiam, ita in eam ligamentorum nutritionis & renovationis cauſa derivantur; igitur quæ hoc loco de eo dixero, de reliquarum juncturarum affectibus intelligenda ſunto. Si ab acri fit eroſio, ſive a materia purulenta, carie aut alia, non modo acerrimi dolores, inflammatio, ſed & muſculos dorſales in conſenſum trahendo horrendas convulſiones concitat. confer. §. 39.

§. XLV.

In curatione inveſtigandum, an corruptio oſſis ſubſit, an metaſtaſi materia noxia huc delata, an in ſpina tumor appareat, quod vel in extremo proceſſus ſpinoſi contingere poteſt. Si tantum ſigna inflammationis adſint, curatio inſtituenda methodo omnibus inflammationibus communi, ſi ſuſpicio eſt, cariem ſubeſſe decoct. lign. guajac. addito melle aut pulpa tamarindorum, nitro, palmarium remedium eſt, penetrat, deterget, putredini reſiſtit, ſi chirurgo innoxius datur acceſſus partem incidendo concurrit, quod rariſſime in ſpina dorſi, frequenter in artubus obtinet.

§. XLVI.

Articulatio capitis oſſis femoris cum acetabulo binis ligamentis firmata, *capſa* ſcilicet ſolida, ex oſſibus ilei, iſchii & pubis, lata origine producta ab acetabuli margine, quem magnam partem conſtituit, caput oſſis femoris ſuperſcandenti ejusque collo inſerta, altera cui *teres* nomen, ex cavo acetabuli nato juxta verticem capitis excepti inſerto. Hæc ſunt præcipua, de cœteris confer. Widebr. Sect. V. Duo hæc ligamenta in homine adulto unita opera, juncturam hanc adeo firmant, ut citius cauſa violenta applicata, collum tam craſſi & robuſti oſſis diſrumpatur, quam excidat, niſi forte ipſa capſa prius vitium debilitatis aut ſolutionis contraxerit. A cauſa vero interna caput ex acetabulo protruſum exemplis conſtat, ſi conjecturæ locus. Qualem caſum in noſocomio marino Petropoli, in claſſiario, cui caput oſſis femoris a cauſa interna protruſum judicabatur, novi. Talis in repoſitione deprehendebatur reſiſtentia, ut nulla vi repoſitum retinere potuerimus, quin mox ſono

quo

quodam edito extruderetur. Æger, irrito omni conatu, ſibi relictus poſt annum rurſus fulcro innixus potuit quodammodo incedere, & pedi ex parte inſiſtere, ſed in latus inclinando. Probabili indicio, novum acetabulum in ileo paratum. An vero non fuerit ſimul pars acetabuli in parte ſuperiori aut exteriori ſimul ablata, non determino. Sed pone tantum fuiſſe cauſam internam: unde illa vis protrudens par tantam reſiſtentiam vincendo, quæ in homine adulto vegeto ultra mille libras ſuſtinet, ſolius capſæ & teretis ligamenti ope. Accedit in contrarium nixus validiſſimorum muſculorum moventium. Ingens igitur vis requiritur ad capitis ex acetabulo detruſionem. Cavum acetabuli oſſeum eſt, figuram non mutans, niſi poſt elapſum, nil contribuens, niſi cauſæ protrudenti reſiſtentiam. Humores in eo congeſti certo cauſæ ſunt. Sed unde iſti humores vim acquirunt? Glandula in ſinu acetabuli mollis, pulpoſa, iners. Verum ratio phyſica dubitantes pro parte expedit & obſervatio mutationis acetabuli in ſceletis eorum, quibus exciderat.

§. XLVII.

Notum ex phyſiologicis, non modo glandulam muciparam in ſinu cavi acetabuli adeo profunde hærere, ut a motu capitis quaquaverſum rotati ipſi nulla vis inferatur, niſi forte obſtructa intumuerit, ſed quoque innumera orificia arteriarum exhalantium, ductuum excretoriorum, humorem mucoſum inſtar albuminis ovi in hoc cavum excernentium; præterea ipſa ſuperficies capitis femoris nullo perichondrio tecta, videtur tenue oleum exſudare. conf. com. van Swieten ad aph. 362. Si nunc ponas aliquam vim circulatoriam in ſingulis vaſculis excretoriis, quorum multa millia ſunt, ingens inde vis compoſita emergit. Accedit quod ſenſim ligamenta humido laxantiſſimo, alluente, laxentur, debilitentur, tandem, ſuperata reſiſtentia, caput excidere poſſe, non difficulter concipies, cavum acetabuli cum oſculo excretorio conferando, ſunt enim vires in ratione inverſa. Notandum interim vix cavum in acetabulo vacuum, nam ſuperficies convexa capitis oſſis femoris concavæ acetabuli contigua muco tantum lubricante intermedio; ubi vero ſpatium formari cœpit, proportionaliter increſcunt vires excernentes, iſta autem cauſa interna rariſſime, imo forte nunquam ſola eſſe videtur. Si ſalva celeberr. virorum authoritate judicare mihi integrum, dixerim eam, quam obſervatio adminiſtrat, primas tenere, ſemper enim acetabula eorum, aut unum aut utrumque, prout in uno aut altero latere ſine cauſa violenta externa claudi fuerant mutata, contracta obſervantur, quod cariei, aut alii acrimoniæ, ut materiæ podagricæ retropulſæ, aut rheumaticæ erranti, huc depoſitæ, quo ligamentum capſulare, teres, margines acetabuli exeduntur, *malum ſeu dolorem Iſchiaticum* vocant, adſcribendum. Frequentior ſubeſt recenſita cauſa dolorem iſchiaticum producens, quam capitis oſſis ex acetabulo excuſſio.

excuſſio, inprimis in iis, qui vitam ſedentariam quietam agunt, ſtudiis profundis inhærent; & quidem in provectiori ætate, in quibus ſæpe contrarius affectus accidit; nempe concretio acetabuli cum capite oſſis femoris, ut unum continuum os referant, ſine ullo diſcretionis veſtigio, conf. §. XL. perfectam talem anchyloſin videre mihi contigit.

§. XLVIII.

Quamquam iſta articulatio in provectæ ætatis hominibus tam firma ſit, in junioribus, terminum incrementi nondum adeptis, adeo firma non eſt, quin a cauſis internis luxatio contingere poſſit; quo homo origini propinquior, eo minus reſiſtunt ligamenta cauſis violentis; imo luxationem fœtui in utero contingere aſſerit *Hippocrates*, ubi agit de luxatione femoris, dicit, incrementum oſſe luxato impediri, *Potiſſimum autem læduntur, quibuscunque, dum in utero ſunt, hic articulus elabitur; deinde quibus id accidit, dum in ætate ſunt admodum tenera, minime quum jam robuſti ſunt.* confer. van Swieten comment. ad aphor. 364. pag. 608. de ratione marcoris. Si perioſteum oſſi nutrimentum præbet, cur, eo in luxatione illæſo, incrementum intercipiatur, ratio ſilet, a nervis & arteriis partem irrigantibus marcorem inſequi obſervatis conſtat.

§. XLIX.

De curatione horum affectuum nil dicam, quum pro varietate tum cauſarum, tum effectuum quæ ſint agenda, dictat morbi idea, ejus cauſa, vires; effecta, tum conditio ægri &c.

§. L.

Morbos ligamentorum in reliquis artubus occurrentium diſcutiendos, ordo quidem jubet, propoſitum exigit, verum deſtinatum tempus ex parte mihi præciſum, igitur ipſos ſilentio præterire cogor. Neque multum refert, eos perſequi, quum ex modo dictis facile intelligantur. De prolapſu inteſtini recti & uteri quædam ſubjicere decrevi, quatenus vitio ligamentorum, quod ſemper ſubeſt, duo hi affectus contingunt & reliquis recenſitis frequentiores ſunt, & manum chirurgicam, commodiſſimaque inſtrumenta requirunt, maxime poſterior.

§. LI.

Inteſtinum rectum ſic dictum, ductu tamen incurvo procedens, in pelvi, pinguedine laxiſſime circumfuſa, hæret, ut in molem craſſitie vel quadruplo & ultra naturali majorem ſine moleſtia extendi poſſit,

ultra hunc terminum extenſum perceptio moleſta hominem ad removendam cauſam extendentem cogit, ſive ſint fæces, ſive flatus, (loquor de ſtatu ſecundum naturam, ubi nulla acrimonia urget) in ipſo actu excretionis parum quidem parte inferiori deſcendit, non vero ejus pars extra ſphincterem elabitur, ligamentis retinetur, muſculis rurſus elevatur.

§. LII.

Ligamenta coërcentia ſuppeditat peritonæum, quibus oſſi ſacro, coccygi, veſicæ & in fœminis utero adnectitur, ſphincterem fulcit incurva coccyx modo ejus nexus cum ſacro firmus ſit, molem recti fæcibus gravati ſuſtinet quodammodo curvatura oſſis ſacri, cui incumbit, adeoque, ut ſupra dictum, recta non deſcendit; hæc oſſis ſacri & coccygis figura in fœminis ad uterum in ſitu retinendum facit.

§. LIII.

Retinaculis nimium laxatis, quacunque cauſa id fiat, aut ultra vires tenſis in conatu alvum duram aut fœtum exprimendo illud inteſtinum inverſum protruditur, raro ſponte elabitur, niſi ſphincter & levatores paralytici fuerint, hoc caſu nec fæces retineri poſſunt.

§. LIV.

Illa inteſtini protruſio quavis ætate utriusque ſexus contingere poteſt. Refert *Muraltus* exemplum inteſtini recti fœminæ poſt partum difficilem ad ulnæ, *Saviardus* in puero ad pedis longitudinem elapſi, confer. Heiſter. cap. 164. pag. 960. No. 6. certe portio coli ſimul elapſa, quum rectum tam longum non ſit.

§. LV.

Cauſæ laxitatem inducentes ſunt debilitas univerſi corporis, ſpaſmi atoniam inducentes, aut mala conformatio partium, ut os ſacrum rectius. coccyx laxata, nimis facile cedens; altera fæx dura, nimia ſphincteris reſiſtentia, majus conamen in excernendo requirens, ligamentorum ſolutio, quod in gangræna contigiſſe vidi.

§. LVI.

Inter cauſas antecedentes, partus difficilis, diuturnum alvi profluvium, dyſenteria, nixus in laboribus duris obeundis, ſaltus, itinera, alimenta nimis pinguia, fotus nimium applicati in dolore hæmorrhoidum &c.

§. LVII.

§. LVII.

Quo recentius hoc malum, niſi a paralyſi aut ſphacelo, eo citius curatur; in puerperis retineri ſolet, poſtquam ligamenta vi laxata & coccyx, reſtituta, priſtinum tonum adepta fuerint, modo repoſitum faſciis interea temporis, aliiſque roborantibus interne aſſumtis & externe applicatis retineatur, de quibus infra.

§. LVIII.

Quamquam in quibusdam inteſtinum extruſum, poſt egeſtionem ſponte introtrahatur, ſibi relinquendum non eſt, metuendum enim, ne partes coercentes elongationi aſſuefactæ tandem officio ſuo plane deficiant, quod facile fieri poſſe, patet, frequenti injectione clyſmatum, quæ perpetuam eorum neceſſitatem ponunt; illa ſpontanea reſtitutio tandem ceſſat, & chirurgi opera requiritur. Præterea, licet aliquoties ſponte retrahatur, temperies aeris favens non ſemper eadem, dum glaciale frigus, aut gelu acrius ſentientiſſimæ huic ſuperficiei applicatus præſentiſſimam inflammationem & convulſionem inducit. Hinc, qui hoc incommodo affecti ſunt, a frigoris applicatione ſibi caveant.

§. LVIII.

Methodus curandi ex dictis patet, inteſtinum protruſum aut elapſum quantocius reponendum, niſi ſit indicans ante repoſitionem aliud quid agendum eſſe, ut ſi ob inflammationem, tumorem, dolorem reponi commode nequeat. Si hæc adſunt, miſſione ſanguinis ex brachio, fotus blandus, anodynus applicandus, ut vapor lactis recentis, in quo flores aut ſemina papaveris contuſa, macerantur, aut lac anodynum ope lintei molliſſimi inteſtino applicetur. Symptomatibus mitigatis chirurgus digitis oleo blando inunctis, unguibus præciſis, blande contractando ſenſim illud reponere adlaborat, ægro in ſitum pronum collocato, poſterioribus, quantum fieri poteſt, elevatis, abdomen ſit ab omni preſſione liberum; monendus æger, ne ſub operatione profundius inſpiret, neque glottide conſtricta nixum (quod urgente dolore facere ſolent) edat. Operatio fiat in loco temperato, calidiuſculo, frigus omnino cavendum, ſi forte ſphincter veſicæ per conſenſum contractus urinæ excernendæ obſtat, ut in inflammatione, cathetere veſica deplenda.

§. LX.

Si nulla ſigna inflammationis obſerventur, & homo cæterum valens, remedium a *Barbetto* propoſitum in uſum vocari poterit, nempe ut nates

ægri palma manus quinquies aut pluries ruditer percutiantur, eo effici ſcribit, ut muſculi levatores officio admoniti, mox inteſtinum attollant. Antequam vero hoc ſimpliciſſimum remedium applicetur, elapſum prius oleo inungendum; ſi vero vitium in laxatis ligamentis hæret, hoc remedium non ſufficit.

§. L X I.

Inteſtinum in ſitum naturalem redactum remediis roborantibus, faſciisque firmandum, donec ſufficienter retineri appareat, vid. clar. Heiſter. c. 164. p. 961. No. 3. Æger abſtineat ab alimentis pinguibus, interpoſito leni remedio purgante, quo congeſtio, exſiccatio, mora fæcum impediatur, illud vero ſit ſimul roborans, ut pulpa tamarind. addito Crem. tart. quod in hoc caſu præſtantiſſimum; ne autem continuato hujus uſu inteſtina aſſueſcant & congerere incipiant, ſubinde aliud ſubſtituendum, ut rheum cum ſale polychr. addito gumm. ammon. & ope balſ. peruviani in formam pillularum redactum. Plura de hoc affectu ſiſtunt Bonet. in ſua polyalte, felix Platerus aliique practici celebriores.

§. L X I I.

Signa integræ reſtitutionis ſunt, ſi poſt continuatum per aliquot hebdomadas recenſitorum remediorum uſum, ſine ullo auxilio adhibito inteſtinum reconditum maneat; nimis cito hoc experiundum non eſt, nam ſi ſemel rurſus prolabatur, ad principium curationis redeundum.

§. L X I I I.

Hernias in utroque ſexu conſiderare conſtitueram; morbus eſt in utroque ſexu obtinens, frequentius in viris, quam in fœminis, omnes herniarum ſpecies accurate apud Heiſterum deſcriptas, tranſeo, de receſſu genitalium in fœminis nonnulla dicturus.

§. L X I V.

Quantum uterus poſſit dilatari, docet geſtatio fætus, quantum vagina elongari poſſit, ejus procidentia oſtendit; hanc extra corpus elabi poſſe exemplis conſtitit, quod ſine notabili ejus elongatione contingere nequit, manente utero intra pelvim. An uterus ipſe ſedem, ſalvis retinaculis, mutare poſſit, ut extra conſpiciatur; niſi plurimis exemplis ab Heiſtero aliisque allegatis conſtaret, ex natura partium nemo affirmare auderet, nam mediante peritonæo, cavo pelvis adcreto uterum, veſicam, & inteſtinum rectum magnam partem involvente, undique firmiter adhæret, ut non niſi ingenti vi & non ſine partium dilaceratione extra-

extrahi poſſit, quæ uteri ligamenta vocantur, potius ſunt vaſorum involucra, ſi enim uterum ligarent, ipſe, increſcente fœtu, ſupra pelvim intra abdomen ad umbilicum uſque aſcendere non poſſet, diſtinctam horum ligamentorum ideam aſſequeris apud Weidebr. p. 230. §. 41. Sect. 17.

§. LXV.

Mira profecto debent contingere in prolapſu uteri; tubæ Fallopianæ, ovaria, ſuis itidem vinculis firmata ſequi debent, & maxime dum utero inverſo concavum ejus evadit convexum, quod in partu laborioſo a rudiori obſtetricis actione contingere poteſt, dum placentam violente extrahunt, aut ipſam orificii interni ſubſtantiam dilacerant, qualem caſum in gravidæ defunctæ utero a Clar. D^no^. Camper mihi oſtenſo, admiratus fui.

§. LXVI.

Quadruplex partium genitalium in muliere loco motarum poteſt contingere caſus; aut vagina tantum prolabitur, diciturque *Prolapſus vaginæ*; aut uterus in vaginam deſcendit, *Deſcenſum uteri* vocant, aut prominet extra corpus, tum vel orificium arctum adhuc ſuſtinet uterum; aut eo dilatato uterus inverſus, qui caſus triſtiſſimus in puerperis obtinens, prolabitur. Hi quatuor caſus chirurgo curaturo adcurate cognoſcendi, quod ſubinde non ita facile. Prolapſus vaginæ quibuſdam aliquando impoſuit, accurate os uteri fingendo, ut quilibet ante cadaveris diſſectionem crediderit verum uteri prolapſum adeſſe, vid. Heiſt. cap. 154. Crasſiſſimus autem error, talem prolapſum pro hermaphrodito habere, qualem duobus adhinc annis in cadavere recens nati vidi, quem quoque inde pro hermaphrodito habebant, examine rite inſtituto, patebat vaginam & uterum elapſum. Talis apparentia medicis & chirurgis Toluſanis impoſuit. Saviardus autem, quid rei eſſet oſtendit, juvenem putatitium in puellam transformando vid. Heiſt. L. C.

§. LXVII.

Quum ſubſtantia uteri & vaginæ admodum differant, ſoliditate, figura, diagnoſis ex ipſis partibus deſumenda, non fidendo ſpecillo, ſed partes molliter attrectando, vertendo, probe examinandæ, qualis conditio in iis obtineat, an inflammatio ſubſit nec ne; cauſæ prægreſſæ quid luminis conferunt v. g. ſi partus laborioſus præceſſit, an fæminæ incurvato corpore in locis humidis diutius pavimenta detergendo occupatæ fuerint. Num vero uterus prolapſus inverſus ſit, nec ne, oculus ipſe decernit, modo utraque ſuperficies tam concava quam convexa cognita ſit. Si inverſus, orificium internum intra vaginam reconditum non conſpicitur.

§. LXVIII.

Cauſæ modo ſunt deſcriptæ, nempe ligamentorum laxatio, laxitas vaginæ, nixus, manus violenta in puerperis &c,

§. LXIX.

Nullus tam uteri tam vaginæ prolapſus ſine periculo; vario tempore, plus minus metuendum: magis aere frigido & calido, quam temperato exiſtente; uterque inflammat, frigidus conſtringendo, obſtruendo, irritando, calidus exſiccando; inverſio uteri in gravidis periculoſiſſima. In genere eo periculoſior, quo diuturnior, cæteris paribus, difficiliorqne curatu, ob laxitatem retinaculorum magis magiſque increſcentem.

§. LXX.

Curatio manum promptam prudentis chirurgi requirit, & in commoda repoſitione & repoſiti firmatione conſiſtit; cito quidem reſtituendus prolapſus; verum in ipſo opere non feſtinandum, cunctanter & circumſpecte agendum. Si tumor & inflammatio appareat, his prius proſpiciendum, ut ſupra de inteſtini recti repoſitione, cætera pro re nata peragenda, quæ late deſcripta habentur apud Heiſter. l. c.

§. LXXI.

Ad uterum repoſitum, in ſitu retinendum, medicamentis tum internis, tum externis roborantibus & machinamentis opus eſt, item quies corporis, adductio crurum omnino requiruntur, Cauſſæ tuſſis & ſternutationis, ſi adſunt tollendæ. Victus convenit, qui in prolapſu inteſtini recti §. 61. deſcriptus, nixus omnis vitandus, quiſcunque ille ſit. Quoad machinamenta, varia excogitata, variæ peſſariorum ſpecies deſcriptæ & delineatæ habentur, miſeris fœminis plus, minus moleſtæ. Commodiſſimum nuper Pariſiis inventum, quo nec corporis inflexio, nec urinæ excretio impeditur, quod nec mole, nec pondere, nec figura moleſtum, nec calore humoreve alluente intumeſcens, nec figuram mutans, quale Celeber. Camper in arte obſtetricia dexterrimus, nuper Pariſiis allatum mihi oſtendit, applicationem, uſumque exponendo. Eſt ex ebore affabre confectum, cujus unum extremum vaginam, uterumve ſuſtinet, alterum extra vaginam faſciis firmatur, ſuper juncturam flexile. Id forte in eo incuſatur, quod applicatum marito acceſſum non concedat, adeoque amorem conceptus irritum reddat, quod non ita in vulgaribus peſſariis; quibus applicatis modo uterus integer ſit, conceptus contingere poteſt,

teſt, præſtantium virorum teſtimonio apud Heiſter. l. c. Conceptu facto fœtus ſenſim mole increſcens, commodiſſimum evadit peſſarium, uteri in vaginam deſcenſum impediens, interea temporis vaginæ reſtituendæ ſuffitibus roborantibus proſpiciendum, & vagina ope machinæ eburneæ fulcienda. Neque minoris momenti eſt faſcia, machina eburnea inſtructa ad inteſtinum rectum repoſitum in ſitu retinendum, qualem idem Clar. vir contemplandam curioſis oculis meis conceſſit. Utriuſque fabricam ut inventor aut poſſeſſor brevi publici juris faciat, ſpero.

§. LXXII.

Inter omnes morborum cauſas internas ligamentis infeſtas, nulla eſt magis formidoloſa, remediis quibuſcunque magis reſiſtens, quam *materia podagrica*, non modo in extremo pede, verum omnium reliquorum artuum juncturis ſub alio & alio nomine firmarum ſubſtantiam adoritur. Monui quidem ſuperius §. 50. me morbos ligamentorum in artubus occurrentium præteriturum, non poſſum tamen quin de iis a materia podagrica oriundis quædam ad calcem diſſertationis ſubjiciam. Nota eſt podagra imperioſa & inexorabilis iſta dolorum domina, (ut Lucianus eam vocat) omni ævo quibuſvis gentibus cognita, contra quam nemo plus molitus eſt, quam ipſe Sydenham 20. annos podagra detentus, qui præ reliquis conſulendus, cujus ſincera confeſſio, quid diaeta, quid medicamenta, quid patientia valeat, quouſque illa imperatrix auſcultet, & quaſnam tandem tragædias, irritis omnibus auxiliis, ludat.

§. LXXIII.

Dum podagra, repetita per plures annos periodo, nodoſa evadit, apparentibus nodis ligamenta afficiuntur, quorum in pede plurima ſunt, ut oſſium tarſi, metatarſi, calcanei, aſtragali, digitorum &c, hæc a materia congeſta, corrupta, calcarea, rodendi vi prædita ſenſim in ſimilem materiam convertuntur, converſione hac facta; oſſa metatarſi ſitum mutant, cartilagine incruſtante itidem abſumpta, in calcem converſa, friabilia evadunt. Tendine- inſerti ſolvuntur, confunduntur, ex parte abſumuntur, motus determinati abolentur, ut verbo dicam, omnium confuſio, malum inſuperabile, tandem putrilagine cauſtica, venis reſorpta, ad vitalia deleta cacochymiam infert lethalem, quod amorum luſor jam olim novit, dicendo, *tollere nodoſam neſcit medicina podagram.* Chirurgus medicinæ internæ non ignarus principiis, quantum in arte eſt, obſtat, incrementum arcere ſtudet, convenientem victus rationem imperando; fotu ſicco externo perſpirationem promovet, id quod ſolutum eſt, ad exteriora allicit. conf. Boerhaav. de podagra aph. 1245. & ſeqq. applicat liquorem balſamicum, penetrantiſſimum, facile reſorbilem, nervis ami-

amiciſſimum, quo incrementum arcetur, ne ad oſſium meditullia perveniat, cavendus ad vitalia refluxus. Certe circumſpectus medicus plurima in ſolamen ægri conferre poteſt, ſi ægrum habeat obſequioſum. Quidam peſſimo conſilio morbo & ægro adulantes in & externis opiatis dolores ſopiunt, eorum perceptionem, nervis ſtuporem inducendo minuunt, cauſam vero iis augent, utut opiata perſpirationem augeant, hic tamen noxia ſunt, quia non movetur, quod movendum erat, materia illa congeſta nondum mobilis reddita, nec reſorberi, adeoque nec perſpirare poteſt. Mirabile, quod ſyſtema nerveum quatenus ſentiendi facultate pollet, opiatorum uſu iners reddi, quatenus vero motus vitales exerit, magis ab iis ſtimulari, inde motus circulatorius augetur, corruptionem inchoatam auget, hinc podagricis caute & niſi urgente neceſſitate exhibenda additis aut interpoſitis temperantibus, corruptioni reſiſtentibus, ut nitr. &c.

§. LXXIV.

Quæri poſſet, an nodos podagricorum, ſi ſalvis tendinibus & ligamentis fieri poſſit, incidere aut ferro inurere oporteat, ut materiæ noxiæ via paretur, hac ratione enim pars cauſæ deſtructricis continuo auferetur, ejuſque accumulatio, mora præcavetur; medicamentis detergentibus, balſamicis applicatis ad interiora acceſſus conceditur. Aſt podagrico doloribus exercitato non facile perſuadebis, ut pedem ſecandum aut inurendum præbeat. Cauſtico potentiali quidem falli poſſet, ſed quam primum calore & humore perſpirabili in actum deductum, dolores inſignes excitat; eos mora auget, podagricus eorum impatiens & applicatum cauſticum & medicum removebit. Hippocrates inuſtionem in luxatione femoris commendat, ſcribit ope inuſtionis claudicationem antevertí, circa podagram autem de eo ſilet aph. 60. ſect. 16. ita habet, *quibus a diuturno coxendicis morbo vexatis, coxa excidit, his crus tabeſcit, & claudicant, niſi uſti fuerint.* Quomodo autem ferrum urens ad cavum acetabuli ſalvis ligamentis & muſculis pervenire poſſit, ut claudicatio avertatur, aut præſens curetur, non concipio. Hinc ſuperius de iis nil dixi, pars affecta in pede longe minus profunda, adeoque longe tutior poſſet videri inuſtio, tenui cylindro, in uno aut pluribus locis peragenda.

TANTUM.

J. ALB.

CCXII.

J. ALB. HENR. REIMARI

DE

TUMORE LIGAMENTORUM

CIRCA ARTICULOS,

FUNGO ARTICULORUM DICTO.

Leydæ 1757.

PRÆFATIO.

§. I.

CUm in Britannia verſans elapſo biennio, quæ ad amplam victu medicamentis manuve medendi artem pertinent circumſpicerem; occurrit morbus hic, quem tum ob frequentiam inſignem, tum ob inopinatum quod affert ſæpius periculum, animadverſione dignum omnino judicarem (*a*). Idque eo magis, cum de vitio hoc haud levi minus abſolute pleroſque quos inſpicerem auctores agere viderem. Quod etiam notat cel. Heiſterus, qui diſtinctius meliuſque quam alii ſcriptores chirurgici de illo egit (*b*). Binas tamen poſtea quæ in Germania hoc de malo prodierant diſſertationes benevole mecum communicavit vir eruditiſſ. Paul. Jeniſch M. D. Hamburg. alteram, inſcriptam *de tumoribus artuum fungoſis* cl. *Jo. Hadriani Slevogtii*, ſub eoque a cl. Chriſt. Lud. Wucherer defenſam, Jenæ 1715. 4. alteram *de Fungo articulorum* cl. *Herm. Lud. Beckeri* præſide cl. Dethardingio, Roſt. 1743. 4. Hiſce igitur, quæ legendo libros (*c*), conſulendo viros peritos, percunctando ægros, membra affecta diligenter inſpiciendo atque amputatos articulos ſectione ſcrutando, poſſem adjungere quæſivi. In quo quidem, ne dicam de aliis, parum adhuc mihi ipſe ſatisfeci. Sed cum omiſſa ulteriore peregrinatione, jam ſit in Patriam revertendum, liceat mihi ſaltem primitiis his academicis invitare peritiſſimos in arte viros, ut pro experientia ſua & ingenio meliora me docere velint, quæ tuta maxime & efficacia ad curationem reperta ſint indicando, quæ contra noxia aut periculoſa notando, quibuſve conditionibus. Digna ſane res quæ magna etiamnunc ingenia viroſque cordatos exerceat, quemadmodum recuperari ſalus, ferrum evitando poſſit, cum ferro ſolerter uti a multis jam viris egregie peritis doceamur. Nonne cum voluptate nobis inſigni ante oculos verſari debet æger iſte pedibus ſuis inſiſtens, ambulans, cui ante octiduum præcidere genu fuerat decretum? quique ultra ſpem paucis hebdomadibus balneo aroma-

(*a*) Londini in Noſocomio Georgiano, quod ægros alebat CCLXX, nulla fere per ſuperiorem hiemem effluebat hebdomas, quin unus aut alter ſe offerret articulorum hujuſmodi affectione laborans. Edinburgi, multo pluribus hanc unam ob cauſam quam ob ceteras omnes ſimul ſumtas amputari membra, obſervabat cel. *Monro.*

(*b*) *Chirurg.* P. I. L. IV. c. 19. ubi & cl. *Ulhoornii* animadverſiones edit. Belgicæ adjectæ conferri merentur.

(*c*) Veteres interdum citavi, non quod nihil illorum doctrina melius inventum exiſtimem, ſed quoniam certiora videntur quæ cum experimentis antiquiſſimis conſentiunt. Sed præter *Hippocratem* ac *Celſum* vix alios adhuc inſpicere licuit.

tico calido plane ſanatus fuit (*d*). Equidem, ſi de periculo modo quod levi ſæpe de cauſa ſupervenire poſſit quoſdam ſuſpicantes minus monuerim, haud inutilem me ſuſcepiſſe laborem arbitrabor, cum non peritiæ medendi famam quærere debeam, ſed ſpecimen ſaltem ſtudiorum edere. Elaboratius dare cuperem: plura mihi propoſueram inquirenda; multos annotaveram auctores etiamnunc inſpiciendos, nullum afferendum cenſens locum niſi quem ipſe evolviſſem, unde ſi quando liber haud ad manus eſſet nomen tantum ſcriptoris abſque indicato loco poſui. Sed maturandum jam eſt opuſculum affectum, quod quidem, ſi facultatem aliquando Deus conceſſerit, emendare, ſupplere atque politius edere, doctorum adjutus conſiliis, conabor.

NOMINA.

§. II.

Nomen morbi de quo agimus, *Fungus articuli*, vel fungoſus tumor, a Germanico *Glied-Schwamm* (*e*), ex iſta tantum ejus indole, quod fungi quaſi aut agarici elaſticitatem tactu referat, deſumptum videtur. Notanda vero hic verborum ambiguitas: cum alius generis tumores ſint qui aliam ob ſimilitudinem fungi dicuntur, quales nempe in partibus exulceratis aut eroſis, perverſa novæ carnis progerminatione, a laxitate potiſſimum vaſculorum oriuntur neque huc pertinent. Sed cum labi hic poſſent haud attendentes (*f*), excreſcentiam eſſe putantes, præſtaret forſitan *ſpongioſum* ſaltem vel *elaſticum* tumorem vocare, cum neque una ex radice tanquam fungi ſurgat, ſed potius *inſtar* corticis *ſuberis* undiquaque fere commiſſuram cingat turgentibus elaſticis ligamentorum fibris. Verum, dari quoque qui duri ſint digitis non cedentes, infra videbimus.

§. III.

Sed quis primum hancce verborum confuſionem invexerit, cum omnes quos cuperem nec dum evolvere potuerim auctores, non licet definire. Atque in voce Germanica quoque idem deprehendi. Nam Wurtzius (*g*) nomine *Glied-Schwamm* non id de quo hic agimus malum, ſed

(*d*) V. *Mr. Maloet* Obſ. ſur une Eſpece d'Ankyloſe. *Mem. de l'Ac. des Sc.* A. 1728.

(*e*) *Doleus Encycl.* L. V. c. 13. *Ettmuller Coll. pract.* L. VI. c. 3. m. 11. p. m. 1244. *Slevogt.* l. c. §. 12.

(*f*) Sic *Juncker Conſp. Chir.* T XXXI ubi de fungis articulorum ſe acturum promittit, aliena habet, dum de fungis *in partibus ulceratis propullulantibus, erodendis, reſecandis, deligandis*, loquitur. *Doleus* etiam l. c. *Etmullerus*, aliique varia afferunt quæ huc non quadrant.

(*g*) *Chir.* P. I. c. 6.

ſed carnem fungoſam intelligit e ligamentoſis partibus excreſcentem. Interim haud negaverim, ſubeſſe aliquam affinitatem inter excreſcentias iſtas, ad quas tenaces partes ubi eroſio aliqua adeſt pronas videmus, atque hanc ligamentorum integra cute & abſque eroſione turgeſcentiam.

§. IV.

Aliud Germanicum nomen (*h*) *Katzen-Kopf* forte a rotunda tumidi genu figura quam *cati capiti* ſimilem eſſe finxerunt trahi potuit.

§. V.

Angli hodie *κατ ἐξοχὴν tumorem album* (*the white Swelling*) vocant (*i*). Atque id quidem a quibuſdam latius ſumitur, ut & hydropem articuli comprehendant, ſed rei forſitan haud minus quam nominis confuſione, cum & alii circa articulos morbi haud ſatis plerumque diſtinguantur, de quibus infra. Solebat ſane cel. Monrous in ſuis inſtitutionibus ſecernere hydropem a tumore albo, neque alii deſunt quibus proprie is morbus de quo hic acturi ſumus ſignificari eo nomine videtur.

§. VI.

Vitia hujuſmodi intelligenda eſſe probabile puto, quæ *κέδματα* vocavit Hippocrates, diuturnos in articulos defluxiones, ex ipſo tantum ut videtur laudato auctore, exponit Galenus. Nam Hipp. de locis in hom. c. XIX Fœſ. p. 412. ubi ſuam de fluxionibus, quaſi ex capite derivatis, doctrinam propoſuerat, „ubi, ait, multo humore morboſo carnes „irrigantur, hydrope (ſub cutem) replentur. Sin parum defluxerit, iſ„chias efficitur, & *Kedmata*, ubi fluxio ceſſaverit." Nempe, tanquam relictum aliquod a morbo malum deſcribit, ac in ſeqq. ſedem horum *in articulis tumorum* ſub cute ponere videtur (*k*), ac, licet affines iſchiadi faciat, tamen & ab hoc diſtinguit, & a podagra quoque & arthritide (*l*), longumque dicit, ſed haud mortiferum morbum, niſi quid ſuper-

(*h*) Sec. *Langium.*

(*i*) Nomen hoc vulgare vocat *Turner Art of Surgery* T. I. p. 156. Attamen *Wiſemannus* illud ſignificatione communi de quibuſvis tumoribus abſque inflammatione apparente ponit, veluti L. IV. c. 4. p. 435. ed. in 8. *a white Swelling between the Eye-brows.* Ac vitio de quo agimus modo idem, ut p. 482. 484. modo alia nomina tribuit.

(*k*) Ἐν τῇ σαρκὶ & ἐς τὸ δέρμα φῦμα ποιέειν ſcribens.

(*l*) *De Morb.* L. I. c. III. § 11, 18. *Fœſ.* p. 447.

venerit. Alibi (*m*), de Scythis agens, habitus laxi, in frigidis humidiſque regionibus habitantibus, unde iis articulos humidiores ac infirmos eſſe dixerat; ab equitatione ait illis oriri *Kedmata*. Conf. quæ nos de cauſis dicemus. Ceterum hoc loco, cum de impotentia virorum agat, quam putat a curatione κεδμάτων per ſectas poſt aurem venas (vel arterias temporales) induci: factum videtur, ut quidam, quod ait Heſychius, opinati ſint, *Kedmata* eſſe genitalium vitia, quod ex Hippocr. tamen minime colligendum.

§. VII.

Minus autem definitis variis vocabulis varii auctores utuntur. Sic *ganglii* vocem huc extendit Platerus. Alii communi voce *Ankyloſis* utuntur (*n*). Verum hæc quemadmodum differant infra oſtendemus. *Tendinum tumores* (*Pees - Geſwellen*) vocat J. v. Wyck (*o*) cum tamen non in tendinibus ſed ligamentis hæreant. Wiſemannus (*p*) *Sarcoma* dicit hujuſmodi tumorem fungoſum ad malleolum internum hærentem: & (*q*) *Hyper ſarcoſin* ineſſe hujuſmodi vitiis ait. *Tumorem pituitoſum* (*a pituitous Swelling* vocat idem (*r*). *Tumorem flatulentum* (*Windt - of Lugt - Geſwel*) appellat D. J. Zenguardinus (*s*): de qua opinione infra dicemus (§. 38.)

§. VIII.

Sed cui jam cognitus eſt morbus, is in deſcriptionibus hiſtoriam ſingularum, licet variis nominibus deſignetur (*t*), animadvertere poteſt quæ proſint. Contra ex iis quæ ſub *fungi* nomine congeſſerunt varii auctores, quos diverſa hic vitia confudiſſe apparet, parum ſperare fructus licet.

DESCRIPTIO.

§. IX.

Est illud tractatum nobis vitium: *tumor diuturnus*, *diffuſus*, *in quo ipſa circa articulos ligamenta* (*u*) *turgent*, *ac tela quoque proxima ambiens*

(*m*) Lib. *de aër. loc. & aq.* c. XLVI. §. 11. *Fœſ.* p. 292. & c. L. *Fœſ.* p. 293.
(*n*) Cl. *Freke Art. of heal* c. XVIII. ſect. 1. 12.
(*o*) *Spier - Bandt - en Pees-Geſw. p.* 81. & *Vyſtig Aanmerk.* n. 50.
(*p*) L. IV. c. 4. p. 448. obſ. 8. ſtrumar. cauſtico exſtirp.
(*q*) Ibid. p. 421.
(*r*) Ibid. p. 475. obſ. 2. & p. 481. obſ. 10.
(*s*) *Aanmerk.* n. 47.
(*t*) Conf. init. Diſſ. *Slevogtii.*
(*u*) *Ligamenta* a membranis cartilaginibuſque, certius quam craſſitie, diſtinguenda puto fibris manifeſtis, tenacibus, albis, quales nec in tendinibus adeo cernuntur, per

biens infarcta diſtenditur, ſic ut ſimul in denſam fungoſam quaſi ſubſtantiam mutentur.

§. X.

Hinc *exterius* apparet circa articuli ambitum tumor fixus (*v*), plerumque autem inæqualiter turgens, abſque cutis rubore, quin cum pallore interdum notabili (*x*), abſque calore & micatione, nec fluctuantem intus materiam tactu prodens, intentus, elaſticus, ſic ut plerumque quidem cedat digitis, ſed foveas impreſſas haud ſervet: neque tamen ea cum æquali cutis intentione ac ubi propius ſub hac turget materia (*y*). *Figura* hinc tumidi genu eſt ut in cl. J. G. Widmanni Diſſ. (*z*) Fig. 22. & ſi ſimul incurvatum fuerit ut. Fig. 21. ſeu Scultet. Armam. Chir. T. XXVI. (IV.) Fig. 1.

§. XI.

Obſervari quoque his juncta ſolent ſequentia. *Debilitas* infertur articulo, ut greſſus uſuſve ejus firmus non ſit. Interim, licet fibræ in ligamentorum textura debilitentur, tota tamen eorum compages diſtenta commiſſuram minus mollem efficit, *rigorque* articuli adeſſe ſolet non laxitas. *Motus* quoque ut plurimum brevi impeditur, in primis extenſio (*a*), ita

per longitudinem ſibi adjacentibus. Sed a ligamentis quæ circa articulos reperiuntur, capſa nempe ipſam commiſſuram comprehendere, atque faſcia ſeu aponeuroſi ſuperjecta, fibræ aberrant plurimæ ſimilis tenacis naturæ, telæ celluloſæ ſe immiſcentes: unde fieri debet, ut minus illa his in locis, nec fere ſine gravioribus ſymptomatibus diſtendi queat. De Faſciis tendineis ſub communibus integumentis artus ambientibus vid. Ill. *B. S. Albini Hiſt. muſc.* L. III. c. 229. de illa circa genu præcipue c. 183. p. 518. Poſſumus hujus fibras omnino ſupra patellam perſequi a perioſteo tendineo illi inhærente per interjectam telam diſtinctas. *Adeps* faſciis ſubjectus ſubtiliori tela celluloſa penitius intertextus eſt, ut fere ad corporum illorum adipoſorum, quæ in commiſſuris mucoſæ glandulæ dicuntur indolem accedat, ac ſane glanduloſi quid hic quoque circa muſculos adeſſe uti ſtatuit *Clopt. Havers de Oſſib.* ſi morbos quoſdam conſideres probabile videtur.

(*v*) Ita ut ſub integumentis tanquam *cyſtici tumores* huc illuc moveri haud queat, nec fere preſſione ab altera parte ita deprimi ut altera attollatur; ac neſcio quomodo a *Slevogtio* §. 20. 22. 28. affirmetur, eſſe ſub cute maſſam mobilem. Nam neque ipſe integer tumor, quippe omnem, fatente etiam cl. *Slevogt* §. 28. amplectens commiſſuram, nec colliculi in eo eminentes ſub cute huc illucve trudi poſſunt. Vix etiam integumenta ſuper tumorem queunt moveri, adeo huic arcte cohærere ſolent.

(*x*) Ab impedito ut videtur in vaſa cutanea ac celluloſæ telæ ſanguinis influxu. Hinc a *Phlegmone* aliiſque quibuſdam tumoribus diſtinguitur. Poteſt tamen interdum accidere, ut integumentorum ſuperveniat inflammatio, intus hærente fungoſo tumore.

(*y*) Vid. *Beckeri* Diſſ. cit. §. 3. (*a*).

(*z*) *De genuum ſtructura & morbis*, Præſide cel. *Heiſtero* Helmſtad. 1744. 4. editam & ab Ill. *Hallero Diſp. Chir.* T. IV. n. 119. recuſam.

(*a*) Conf. *Celſ.* V. c. 26. §. 28.

ita ut *recurvata* teneatur junctura, ac ſi extendere coneris magnus inde dolor ægro exſiſtat. Si fungus genu occupet (de quo potiſſimum loquimur) inſiſtere plerumque pedi nequeunt ægri, vix etiam calce humum tangere ob recurvatum articulum. Tum quoque, quod notabile, quod eſſe deberet *cavum in poplite plenum* intentumque turget.

§. XII.

Dolor ſæpe graviſſimus pungit, vel hac vel illa circa commiſſuram parte, interdum & in poplite, alias quaſi in interiore articulo hærens, licet nullam adfuiſſe corroſionem appareat ſuccedente ſanatione. Sed præcipue ubi ligamenta vel pendente membro vel alia ratione tenduntur dolor exiſtit. Soletque is exacerbari noctu, frigore, variante triſtique cœlo, aliis item cauſis corporis habitum perturbantibus, atque in primis ubi movetur articulus. Sic ſane ſæpius affectos in Britannia vidi ægros. Sic quoque Fel. Wurtzium caput illud (*b*) quo de hoc morbo agit, inſcribere videmus „de genubus duris dolentibus": ac miror, alios auctores (*c*) nullum plerumque vel exiguum ſaltem dolorem inferre fungos, aſſerere. Vidi tamen hujuſmodi tumores interdum dolore fere vacuos, etiam qui a vexatione externa originem traxerant, ſimiliaque legi deſcripta exempla (*d*). Quodſi cum dolore ſubito oriantur, *febris* etiam inflammatoria initio morbum comitari ſolet.

§. XIII.

Durities mollitieſve tumoris valde differunt, pro ſede ſcilicet morbi nec non humorum indole quibus turgent ligamenta. Vetuſti etiam fungi duriores evadere ſolent. Sed recentes quoque obſervantur interdum digito prementi minime cedentes, quos tamen haud in oſſibus ſed forſitan in capſa articuli & ligamentoſis proximis partibus fuiſſe ex curatione colligendum (*e*). Sed fungoſi tumoris nomen hic improprium eſt.

§. XIV.

Venæ non modo infra ſed & paullo ſupra tumidum articulum velut *varicoſæ* intumeſcunt, propter membranas ut videtur diſtentione debilitatas, id quod & in aliis tumoribus fieri aſſolet.

§. XV.

(*b*) *Chir.* P. II. c. 18.

(*c*) Ut cel. *Heiſter. Chir.* P. I. L. IV. c. 19. §. 1. cl. *Slevogt.* Diſſ. cit. §. 14. 29 40. cl. *Becker* Diſſ. cit. §. 1. 3. 14.

(*d*) Viro 56. annos nato, plenioris habitus, ſanguineo-phlegmaticæ naturæ, a contuſione genu dolorem atque inflammationem haud ſuperveniſſe, licet hora elapſa jam tumor inſignis adeſſet, iſque pertinax dein perſiſteret, narrat cl. *Fr. Guil. Gunther Obſ. de contuſ. genu* Guelpherbyti 1755. 4.

(*e*) Velut *A. N. C. D.* II. A. 8. Obſ. 155.

§. XV.

Glandulæ etiam *articulorum* intumeſcere ſolent & circumfuſus *adeps*, qualis potiſſimum utrinque ad latera ligamenti patellæ ſub faſcia hæret, copia majori congeri, de quibus ſeparatim infra §. 50.

§. XVI.

Glandulæ lymphaticæ *conglobatæ* in inguine axillave ejus lateris ubi pedis manuſve aliquis articulus laborat, tumidæ ſæpe evadunt (*f*). Quod cum a reſorpta e tumore materia ad iſtas delata glandulas fieri exiſtimarem (*g*); a ſola nervorum affectione oriri poſſe, ac a tendinum quoque punctura ante generationem ichoris obſervatum eſſe, monuit me cel. Camper Prof. Amſtelod. Vidi autem hujuſmodi glandularum inguinalium tumores, eliſo genu vitio, aut amputato articulo, ſponte abeuntes.

§. XVII.

Denique interdum *abſceſſus* quoque *ſuppurantes* quales *Melicerides* vocari ait Hippocrates (*h*), hic illic circa articulum exſiſtunt. Aliquo etiam nonnunquam intervallo affectis partibus ligamentoſis, velut ſub faſcia muſculos tegente, oriuntur, unde & *cuniculoſi* ſunt, ſerpente ſubtus ichore (*i*). Hi antequam adaperti ſint, ſi turgeant, diſtentione harum partium dolores ſæpe vehementes, febrim, aliaque mala excitant. Ubi erumpunt aut a chirurgo aperiuntur, pus neutiquam læve & æquale exit, ſed humor tenuis ſubglutinoſus, ſimul cum indigeſta quadam alba aut ſubflava materia, quæ nunc forma maſſarum lactis coagulatarum, aut fæcum cereviſiæ, in tenuiore ſanie fertur, nunc & copioſa craſſa ulceri inhæret, adeo ut exprimenda ſit aut cochleari eximenda. Nonne hæc igitur eſt quam

(*f*) In *A. N. C.* D. I. A. 9. Obſ. 63. p. 162. narratur, viro cui in pollice pedis dextri fungus ex oſſe reſoluto exſtiterit dolorificus, (forſitan morbus qualis in *Com. Ac. Suec.* A. 1754. de quo infra §. 59. (æ)) inguinis dextri glandulas duras tumidaſque, & ſimile in alio ægro obſervatum phænomenon fuiſſe. Conf. & *Wiſeman* L. IV. c. 4. p. 488

(*g*) Vaſa enim lymphatica abſorbentia eſſe, neque arteriis ut creditum fuerat continuari, pluribus argumentis veriſimillime probatum vidi ab amico ingenioſo cl. *Al. Monro* jun. in tractatu necdum edito quem Edinburgi legere mihi licuit. Idem quoque videri cel. *G. Huntero* M. D. Londini ex ejus inſtitutionibus anatomicis intellexi.

(*h*) *Prædict.* II. c. 47. *Fœſ.* p. 113. de quo loco infra. §. 87.

(*i*) Sic a pedis diſtorſione male tractata præter alios & in medio tibiæ hujuſmodi abſceſſum natum refert *Fabric. Hild. de Ichore* c. 29. Neque tamen probabile eſt quod ille putat, cuniculoſos eſſe quod in ipſis vaſis ſanguineis exiſtant.

quam vocat *meliceram* Celſus (*k*)? & quæ deſcribitur ibi „ ſaniei quædam ſpecies, (quæ eſt ichore) craſſior, glutinoſior, & ſubalbida, „ melliqué albo ſubſimilis. Fertur hæc quoque ex malis ulceribus, ubi „ nervi (quo hoc loco deſignantur ligamenta) circa articulos læſi ſunt, „ & inter hæc loca maxime ex genibus " (*l*). Hic ſane magna copia deprehenditur hæc materia. Ceteroquin & ex aliis ulceribus fertur quæ circa partes ligamentoſas exiſtunt, tam circa articulos quam ſub aponeuroſibus e. g. faſcia lata femoris, aponeuroſi lumborum &c. Quin, licet copia minore, ubicunque tunica craſſior aut coacta tela celluloſa circa ſaniei aliquam collectionem in locis ad ſuppurationem tardis formata eſt, velut in ſuppurationibus glandularum aliiſque (*ll*). Quippe partes tenaces, ſive natura, ſeu morbo exiſtentes, deficiente præſertim humorum in vaſculis impetu, propter cohæſionem fibrarum ſuarum haud ſolvi facile poſſunt, inſtar laxiorum, in pus læve & æquale, ſed particulæ emortuæ ſeparantur majores minoreſve, & cum ſanies circumfuſa, dum ulcus clauſum eſt raro ad putredinem vergat, albidæ manent & abſque fœtore. Fit tamen interdum ut putredo accedat, præſertim divulſo jam ulcere aëri patente, ac ubi magnæ emoriuntur laciniæ nec cito ſeparatæ eji-

(*k*) L. V. c. 26. §. 20.

(*l*) *Meliceram* quidem, ſeu *meliceriam* Celſo illam ſignificare ſaniem vult doctiſſ. Fabric. Hild. Tr. *de Ichore & Meliceria Celſi*, quæ copioſa tenuis e vulneratis præſertim articulis fluere ſolet, quam *Synoviam* Paracelſus, Germani chirurgi *Glied-Waſſer* vocant Quo de malo ceteroquin utilia docet: de hujus vero in corpore origine antiquatam exponit doctrinam, quin confundit hic *hydropem articulorum*, cum hydrops tamen non effluens ſed collectus humor intelligatur. Hunc dein ſecuti auctores plures, plura etiam confundentes, ut cl. *Trion Heelkund. Waarneem.* p. 171 *ſeqq.* ulcera quoque oſſium carioſa, fungum articulorum &c. hic admiſcens. Jam præcedens quidem ap. Celſum *ichoris* deſcriptio de Synovia iſthac interpretari poſſet: quamvis ne de hoc quidem quæ ait omnia huc quadrare videntur. Sed *Meliceram* loco allato aliter deſcribit, craſſiorem, &c. Subjungit quoque paullo poſt „ „ Melicera autem mala eſt multa & *percraſſa*: melior quæ & tenuior & minus copioſa „ eſt. " At Synoviam initio inſtar aquæ limpidiſſimæ eſſe, ac bono demum omine craſſiorem fieri, ipſe ait Fabric. l. c. cap. 1. ſub fin. Et meliceram quoque innuere videtur Celſ. V. c. 26. §. 28. „ Si ſub articulo pus naſcitur, *albumque & craſſum* „ diu fertur, nervum præciſum eſſe, credibile eſt. " Neque adeo ex vulnere reddi ait meliceram, ſed ex ulcere, (ſive per ſe, ſeu ex vulnere nato) & ubi *Meliceriides* habet *Hippoc.* Prædict. II. ibi Celſus *graves aliquas exulcerationes* ponit L. II. c. 7. p. m. 59. Temere igitur Fabric. ib. ſub fin. c. 1. ait Meliceridem cum Meliceria nullam habere affinitatem. Nam, licet Meliceris ceteroquin abſceſſus velamento incluſi ſpecies cenſeatur, dari tamen & hujuſmodi, ex quibus ſimilia in ſanie coagulata ferantur ſupra ſcripſimus. Atque hic etiam ad articulos tunicæ ſpecies formatur a faſcia cingente, unde pro tumore velamento incluſo habuit, Lupiamque (une *Loupe*) vocat Bailleron ap. le Dran T. II. obſ. 100. & crudeli ſectione iſtam tunicam excidere & exſcalpere conatus eſt, nec tamen penitus id ſe efficere potuiſſe fatetur.

(*ll*) Deſcribere quidem hujuſmodi in abſceſſibus materiam, vel appellationibus, varios auctores, ſed minus cognitam habere videmus.

ejiciuntur; tunc illæ fiunt atræ, fœtoremque ejuſmodi ulcera haud alium ſpirant ac ubi oſſa putrefacta ſubeſſent licet ulcus oſſa non tangat. Quippe ratio eadem inhærentium illic ſquamarum hic tenacium laciniarum quæ corruptæ ſunt.

§. XVIII.

Præterea, ubi ulcus vulnuſve ad partes ligamentoſas pertinet, excreſcere ſæpe ſolet caro ſpongioſa luxurians, qui *fungus* alterius nominis vitio de quo agimus ſuperveniens ab eo diſtinguendus (*m*), multum ſæpe in curatione hujuſmodi ulcerum negotii faceſſit. De hoc ex articulorum, uti aliorum partium tenacium ulceribus ſubito interdum excreſcente, modo ex albedine rubeſcente modo liveſcente fungo, agit Fabr. Hild. (*n*).

§. XIX.

Neque deſunt exempla, ubi, licet integumentis integris, materia tamen in hoc tumore circa articulum congeſta acris adeo exiſtit, ut partes firmæ reſolvantur, ſicuti apparebit in diſſectione jam deſcribenda.

DISSECTIO.

§. XX.

INcidendo articulos propter vitium hujuſmodi amputatos hæc fere inveni. Quicquid adeſt ligamentoſæ indolis, & *faſcia* ambiens, nec non ipſa articuli *capſa*, & *celluloſa tela* ligamentis circa articulum adjacens horumque fibris interſperſa (*o*), infarcto & quaſi ſpongia abſorpto humore turgidum erat atque fungoſam naturam referebat. Indeque tumorem externum elaſticum & inæqualiter tumentem oriri apparebat, prout hoc illove loco magis turgerent partes nominatæ, cum non unico cavo, nec patentibus cellulis ut diffundi poſſet contentus humor reperiretur, ſed minima tantum fibrarum compactarum interſtitia referta eſſent. Inde nec cutis adeo intenta ac ubi a materia propius ſubjecta inflatur, cum tumor interius in tenacibus partibus hæreat quibus adſtricta cutis eſt. Nam tela quoque celluloſa non ut in hydrope anaſarca humorem continebat diffuſum; ſed ipſius fibræ, ſeu *lamellæ denſiores* arctioreſque factæ erant, ſic ut ea a turgentibus ligamentoſis partibus ſæpe vix poſſet diſtingui, atque inde a cute continua fere ligamentoſa ſubſtantia comprehendi articulus vide-

 re-

(*m*) Vid. § 2.
(*n*) *De Ichore* c. 23. & alibi.
(*o*) §. 9. not.

retur, quibuſdam partibus ad cartilagineam pæne naturam accedente ſimilive ligamentis illis quibus vertebræ inter ſe conferuntur: adeo omnia ſpiſſa erant reddita. Hinc *hyperſarcoſin* ſubeſſe in hoc vitio haud ineptæ ait Wiſeman [*p*].

§. XXI.

Humor ex his exprimi poteſt glutinoſus (*q*). Neque tamen aliqua copia effuſus ſic mihi humor apparuit in diſſectis articulis: verum ubi redundaret aliquid, id erat tenue inſtar ſeri, odore vacuum. Interdum vix premendo aliquid glutinoſi poteſt elici, ſed variam in variis ægris eſſe craſſitiem credibile eſt. Neque ſemper acrem ac rodentem eſſe conſtat cum ſæpe per aliquot annos nulla in fungo corroſio oriatur, interdum & vix dolor ullus. Quibuſdam vero exemplis, in iiſque ipſis ubi copioſus tenuis aderat humor, naturam ille adeo acrem oſtendebat, ut & *fibræ ligamentorum & muſculorum* variis locis *emollitæ* quin omnino *in gelatinam reſolutæ*, *vaſa* quoque ſanguinea *corroſa* eſſent. Interdum & *oſſa* tangit, texturam ſolvit, exoſtoſes ciet. Loquor autem hic de morbo extra oſſa atque capſam oriente haud in ipſis naſcente, de quo infra. * Inſignia hæc in femina juveni cui genu valde tumidum amputabatur in Edinburgenſi noſoc. Vitium quidem ab octo demum menſibus acceſſerat: [primum autem dolor nulla inſigni cauſa cognita, dein, eo ingraveſcente, tumor ortus fuerat.] Attamen jam præter ejuſmodi totius fere *ventris muſculi gaſtrocnemii in gelatinam reſolutionem*, *oſſa* erant *affecta* extra commiſſuræ capſam, ita ut *feſtucæ* variæ tenues inde enatæ eſſent, velut a patellæ margine deorſum in capſæ texturam extenſæ & præſertim ad oram muſculorum poſteriorem femoris verſus poplitem eminentes, tenui radice oſſi inſidentes, quin particulæ oſſeæ in perioſteo mobiles ſeparatim natæ videbantur, & *oſſiculum liberum*, nucem fere avellanam æquans, in celluloſa poplitem implente tela reperiebatur. Potiſſimum vero ad partem femoris anteriorem exteriorem ſupra condylum, ubi multum oſſis ſuperficies ab humore adroſa erat, *nodus* excreverat inſignis nucis fere juglandis magnitudine, verſus exteriora in cartilagineam dein mucoſam naturam deſinens, cujus quidem ſitus ſuperior oſtendebat haud potuiſſe oriri ab humore acri in capſa generato effluente, *nec fere corruptæ erant partes interiores* in commiſſura, nec lunatæ cartilagines, nec quæ veſtiunt extrema oſſium corroſæ erant, niſi quod locis quibuſdam modo cœperat *textura cartilaginea ſolvi* paullulum in ſubſtantiam mollem ſubmucoſam. *Nihil* hic *puris* generatum erat. *Humor* autem, *inodorus*, *tenuis* in cellulo-

(*p*) L. IV. c. 4. p. 421. Conf. & deſcript. tumor. fung. hic illic jam ſuppurationem moventis a cel. *Monro* allatam *Med. Eſſ.* IV. n. 18.

(*q*) Gelatinoſum quoque craſſum, viſcidum, in tumore fungoſo humorem deſcribunt V. V. cel. *Monrous* l. c. & *Heiſterus* l. c. §. 2.

loſam telam per totum pedem redundaverat. Quicquid gelatinæ ſpeciem habebat, videbatur tantum e reſolutis partibus firmis ortum eſſe. —— In aliis interdum hic illic ſuppuratio aut ſaniei quid generatur [*r*], vel ſparſim parva copia, vel *abſceſſus* efficiens majores in ligamentis circa capſam.

§. XXII.

Inſpiſſationis fibrarum jam meminimus, neque eam ſolum in tela adipoſa quæ ſub cute eſt reperi, ſed & inter muſculos aliaſque partes interius, præſertim vero inter faſciam aponeuroticam & articuli capſam. Sic quod circa patellæ ligamentum celluloſæ adeſt confuſum quaſi in unam eandemque maſſam, pollicis craſſitie a cute ad os pertinentem, adipis tantum flavi compacti particulis nonnullis diſtinctam, vidi. Sed inſignis etiam quibuſdam exemplis erat mutatio illius maſſæ *celluloſæ* quæ faſciæ ſubjecta *poplitis* cavum implet, quamque turgere diximus [§. XI.] Nempe tota in pultem quaſi ſeu uniformem maſſam mollem, nullis diſtinctam cellulis ac cerebri fere naturam referentem verſa erat, veluti & in genu cujus diſſectionem modo deſcripſimus. *Perioſtea* quoque oſſium quæ ad articulum ſic laborantem conferuntur craſſiora reperi & albidiora, nempe minus tranſparentia [*s*]. *Nervorum* adeo magni trunci denſiores firmioreſque videbantur, a tela ut puto fibras illorum connectente ſpiſſiore reddita.

§. XXIII.

Adeps plerumque immutatus erat, coloris citrini obſcurius flavi quam ſolet ac firmior factus, quaſi coactus ab humore circum fuſo & fibrarum inſpiſſatione. Idque vitium cum denſa celluloſa tela nonnunquam ultra articulum per aliquam membri partem excurrebat. De augmento adipis juncturæ adjacentis, itemque de glandularum in articulis tumore jam diximus [§. XV.]

§. XXIV.

Ceteroquin intus in commiſſura ſæpe nihil fere vitiatum eſt: aut ſi qua illic etiam pravi humoris veſtigia exſtant, attamen raro collectio inſignis. Ut appareat haud intus fuiſſe ſedem tumoris ſub oculum extrinſecus cadentis [*t*]: neque exterius etiam collectam inſigni cavitate materiam, ſed minimis firmarum partium interſtitiis tanquam quæ ſpongia imbibitur receptam hærere.

(*r*) *Monro* l. c.
(*s*) Quale vitium in cornea ſæpe oculorum tunica inſidet.
(*t*) Neque tamen diffiteor accidere poſſe, ut hydrops commiſſuræ aliuſve morbus interior junctus ſit externo tumori: ſed per ſe differre conſtat.

§. XXV.

Vix tamen illud ſibi eripi velle videntur plerique de articulorum fungo agentes: eſſe collectum in capſa commiſſuræ eamque diſtendentem humorem. Hinc accuſatur unguinis articulorum [ſynoviæ] copia & acrimonia [*u*]. Etiam cl. Becker [*v*] expreſſe „ materiam in fungoſo tumore accu„ mulatam in juncturarum cavis collectam hærere ", ait, & fuſius quoque [*x*], diſſerit, humorem fungo contentum eſſe per glandulas articulorum ſecretum. Sed congruunt cum noſtris variorum quos de diſſectione accuratius examinando hoc tumore conſului obſervationes [*y*], & quæ deſcribit a ſe notata in cadavere cel. Brendel Prof. Gœttingenſ. Præceptoris nomine mihi colendus [*z*] „ iſtos ad articulos tumores colliqua„ mentum quoddam fuiſſe *in celluloſam non ſaltem ſubcutaneam, ſed etiam* „ *juxta tendines & aponeuroſes*, *quin proxima ligamenta* effuſum, alibi „ liquidius, albuminis ovorum ſimile, alibi ſpiſſius & quaſi ſteatomo„ des, fereque leviſſime flavum ": unde ſuſpicatur hos eſſe abſceſſus qui pro bilioſis habeantur Coac. III. §. 291. Fœſ. p. 492. [*a*] Expertus etiam Wiſemannus [*b*] obſervat „ tumores articulorum eſſe duplicis generis — „ alterum oriri exterius in tendinibus [aponeuroſes ligamentaque intelli„ gere videtur] atque inter illos atque cutim, vel inter illos atque os, — „ ac afficere primum ligamenta atque tendines ": & quæ ſequuntur. Ill. etiam Heiſterus noſter [*c*] in fungo proprie dicto, qui ad œdematum ſimilitudinem proxime accedat, humores noxios extra articulum hærere, & diſtinguendum ab hoc vitio hydropem articulorum, ait. Attamen, cum utriuſque dein vitii miſceat curationem, ſunt quæ in errorem inducere lectores poſſint (*d*). Sed differentiam horum morborum notat & cl. Uihoorn in animadv. ad edit. Belg. Heiſteri [*e*].

R A;

(*u*) V. cl. *Freke Art of Heal.* c. XVIII. Sect. I.
(*v*) Diſſ cit. §. 5.
(*x*) §. 6. ac ſeqq.
(*y*) Veluti cl. *Guil. Butteri* quæ de genu in Edinburgenſi noſocomio, cui ipſe a commentariis eſt, poſtquam inde profectus fuiſſem a ſe inſpecto mecum amice per litteras communicavit.
(*z*) *Diſſ. de Abſceſſibus per materiam & ad nervos.* Goetting. 1755. 4. §. 3. p. 9.
(*a*) Crediderim tamen, verba iſta ἡ χολώδης, & ἡ αἱματώδης potius ad Dyſenteriam quam ad ἀπόςασιν referenda. Conf. *de Affection.* c. 24.
(*b*) *Chir.* L. IV. c 4. p. 421.
(*c*) l. c. §. I.
(*d*) Sicuti cl. *Becker* l. c. §. 5. de fungo intelligit humorem punctura facta exſilientem, uti poſt Wurtzium & Purmannum deſcribit *Heiſt* §. 5. Quæ tamen de hydrope vel collectione ſaltem aliqua humoris a fungoſo tumore diverſa intelligenda ſunt, ut in curatione videbimus.
(*e*) l. c. §. 1.

RATIO SYMPTOMATUM.

§. XXVI.

CUm vero in ligamentorum textura ſedem poſuerimus hujus morbi; utrum in illis ſenſus acutior ſit ac doloris adeo ſæpius hic obſervati ratio reddi queat, diſquirendum videtur. Fateor, me olim Gœttingæ præceptoris illuſtris Halleri doctrina & experimentis captum, ſenſu has partes ubique carere crediſſe. Ac ſapienter ſane Vir Cel. haud aſſumendas tantum tralaticias cenſet ſententias, verum judicio examinandas & experientia. Memorabile &, quod peritus jam Fabric. ab Aquap. [*f*] & Riverius [*g*] ligamenta ſenſus eſſe expertia dicant. Monebat autem cel. Monrous, aliam eſſe conditionem læſorum quam ſit ſanorum, ipſaque adeo oſſa affecta, inflammata, emollita, recens ex ulceribus creſcentia, ſenſum prodere acutiſſimum: idque curioſius ad varia ægrorum exempla attendens, haud potui quin obſervarem, adeoque ſtatuerem, haud ita tutam eſſe a brutis animalibus ad homines concluſionem, modo uſque conſequi in his mala varia trahentes a quibus illa ſint immunia [*h*].

§. XXVII.

Neque noſtrum hic eſt excutere quæ objecerunt cel. Whyt Prof. Edinb. [*i*] cel. Bianchi [*k*] aliive. Ex iis tantum afferam aliqua quæ mihi ſe obtulerunt. * Londini anno elapſo in Georgiano Noſoc. viro ſani habitus XXIII. annos nato ad eximendum e commiſſura genu oſſiculum in illa verſans [de quo infra §. LIV. ſeqq.] *parvam inciſionem* d. 23. Januar. meridie faciebat Chirurgus, ad partem exteriorem ſuperiorem patellæ. *Dolorem haud inſignem* ſe percepiſſe dicebat æger, nec poſtea illo die vulnus doluit. Sanguis e vena mittebatur. Erat autem æger animo perterritus, unde forſitan, & quod pedem ſitu minus commodo compoſitum haberet, factum eſt, quod ſomnum capere noctu non potuerit. *Sequentis diei veſpere dolores* genu pedemque invaſerunt acuti, nec a ſecta rurſus vena ceſſarunt. Febris acceſſit. Somnus nullus. Intumuit genu. Aperto die altero vulnere, emiſſus humor tenuis in commiſſura collectus, unde aliquantum levatus fuit æger. *Fotus & cataplaſmata* adhibebantur, ſub

(*f*) *Op. Chir.* L. II. c. 12.
(*g*) *Prax.* L. XVI. c. 1.
(*h*) Sic v. g. vulnus inteſtini tenuis ſine ullo moleſto ſymptomate in cane coaluiſſe legimus in *Phil. Tranſ.* Idem de homine haud ſperandum.
(*i*) In *Phyſiological Eſſays.*
(*k*) In *Epiſt. ad D. Baſſani* dans le *Recueil period. d'Obſ. de Med.* &c. T. IV Janv. p. 46.

ſub quibus invaluit malum, licet ſanguis iterum ac ſæpius mitteretur ac medicamenta quoque refrigerantia & opiata exhiberentur. Summis ita doloribus per menſem integrum torquebatur miſer: *vix ullos* autem *ad locum vulneris* ſentiebat, ſed maximus *dolor* in parte interiore commiſſuræ *ex adverſo inciſionis* & in poplite hæſit. Demum autem vagari cœperunt dolores & *exhibito cortice Peruviano* ejuſque extracto ſenſim remiſerunt. Supererant tamen vagantes & poſt coalitum vulnus, quod non adeo multum fudit humoris. *Spiſſa ac rigida facta* erant juncturæ *ligamenta* ac tumor aliquis circa ligamentum patellæ modo increſcens modo ſubſidens, in eaque tunc regione dolores hærebant —— ** Eodem tempore alio in noſocomio militi cuidam vidi *inciſionem* factam in capſam articuli genu, ſupra patellam, *parte interiori* ad latus muſculi vaſti interni, ad emittendum humorem hydropicum in illa junctura collectum. *Dolorem* tantum *levem* ſentiebat æger. Is erat *phlegmaticus*, ingenii lenti. Neque ante diem quintum acceſſit febris. *Fotus* item & *Cataplaſmata* adhibita. *Dolores orti graves*, febriſque vehemens. Male illum habuit, quod pedem ponere eo ſitu non poſſet ut humor in capſa collectus efflueret, unde hæc diſtendebatur: hinc & *altera inciſio* parte exteriori facta eſt, qua levatum ſe ſenſit. Attamen acceſſit cancer, diarrhœa ſupervenit & exſtinctus eſt æger —— *** Præterea, cum necdum prior ille e Georg. noſoc. exiiſſet, acceſſit alter genu tumente. Hic 29. annorum, bona utens valetudine, ante 13. hebdomades *vulnus* ſibi ipſe inflixerat ſecuri, ad latus externum genu partemque patellæ ſuperiorem in commiſſuram penetrans. Atque, uti læſio ſimilis erat priori exemplo, ita & ſymptomata congruebant. *Vulnus* primo *leve viſum*: poſtridie humor tenuis emanaverat: per tres vero quatuorve dies doloris perparum ſenſit, nec lecto ſe tenuit. *Quarto die* veſperi *ſubito dolor* magnus genu invaſit, itemque *non in vulnere*, *ſed parte* vulneri *oppoſita*. Acceſſit febris vehemens per 5. hebdomades durans, & poſtquam abiiſſet intervallo 14. dierum, cum ſitum pedis recurvati a latere in rectum mutaret, digitis ſurſum verſis, ut genu magis extenderetur, *dolore excitato febris repetiit* & per octiduum vehementer tenuit, cum tumore ac dolore, quo ſemper latus vulneri oppoſitum vexabatur ac interiora ut ajebat commiſſuræ. Demum circa ligamenti patellæ regionem dolor verſatus erat & cum ad noſocomium accederet æger, etiamnunc nec tangi ferebat nec minimum moveri articulus. Atque hæc ſufficiant exempla [*l*].

§. XXVIII.

Neque igitur ſanis ligamentis ubi vulnus infligitur dolorem ſentiri inſi-

(*l*) Quid? quod ab inciſa tantum in ſuperficie tunica ganglii tendini inhærentis, biduo tamen poſt tumorem, febrem, ſpaſmum ſecutum, binis exemplis affirmat cl. *Eller Mem. de Berlin* 1746. T. II. p. 109. ſeq.

ſignem aſſerimus, neque adeo cuivis illorum vulneri ſupervenire (*m*): ſed *intentioni* demum ligamentorum ab irruentibus humoribus ſupervenire ſolere. Quodſi a nervi ramo aliquo majore per vulnus læſo, quales tamen locis ſupra deſignatis haud reperiuntur, dolor exiſteret, deberet is ad vulnus ſentiri: jam vero tota ligamenti juncturæ textura laborare, hinc prodi in illa nervuli latentes videntur, (ſi quidem in his tantum ſenſum eſſe poſitum concedamus,)quibus, accedente ſpaſmo quodam, inexſpectata excitantur mala (*n*). Quin & interdum ſpaſmi hujuſmodi a levi ligamentorum vulnere abſque tumore excitati totiuſque nonnunquam corporis tetanum induxiſſe obſervati ſunt, licet minimi tantum nervorum ramuli hic læſi eſſe potuerint. Jam, pro natura hominis, aut accedentibus evitatiſve caſibus, vel deficere omnino poſſunt iſta ſymptomata, (ſicuti brutis animantibus periculum haud inferri oſtendunt ill. Halleri experimenta,) vel tardius ſupervenire vel citius. Maturantur enim & exacerbantur animi perturbatione, aëris injuriæ aliive læſioni expoſito membro affecto (*o*), itemque, ubi victu imprudenti veluti vino abundantius poto aliave ex cauſa arceſſitur febris.

§. XXIX.

Mala igitur ſymptomata, quæ læſionibus ligamentorum, membranarum ſimilis naturæ, aponeuroſium, tendinumque ſupervenire antiquiſſima obſervatione compertum fuit, cum hiſce fere omnibus communia ſint; a tenaci harum partium fabrica provenire, conjiciendum videtur. Hinc partes has communi *tenacium* voce comprehendamus.

§. XXX.

Mera autem nervi alicujus inſignis læſio ab illis ni fallor diſtinguitur quod dolor hic ſtatim acutus ſentiatur, inflammatio quoque & quæ ſequuntur citius adſint; cum in partibus tenacibus ubi nervi nullus inſignis ramus adeſt, dolor plerumque levis primo aut nullus percipiatur (*p*); ceteraque ſerius, altero demum aut tertio fere die aut tardius quoque accedere ſoleant.

§. XXXI.

(*m*) Sicut & innuit *Fabr. Hild. de Ichore* c. 1. 2. eſſe vulnera articulorum, quæ ſymptomatibus illis non tententur.

(*n*) Neque obſtat ſane, quod nervi in hujuſmodi partibus albis tenacibus cerni nequeant: nam nec vaſcula cerni poſſunt niſi cera repleta. Nervulos tamen ipſi achillis tendini uti & duræ matri inſertos a viris peritis pluribus viſos narrat cl. *Tho. Laghi* in epiſt. ad cl *Caſ. Pozzi* Bonon. 1756. fol.

(*o*) Conf. hiſt. de inciſa articuli genu capſa, *Med. Eſſ.* IV. n. 20. a cl. *Simſom* allatam, multis ſane rebus cum noſtris convenientem.

(*p*) Quod ſane hodie qui accuratius ad experientiam attendunt ill. Hallero concedent, cum olim plerique partes hasce albas acutiſſimo ſenſu præditas eſſe putarent, *nervoſas* etiam vocarent & cum ipſis nervis confunderent. Interim nec negandum,

§. XXXI.

Nonne igitur eadem fabrica tenax, nervorum ramulos condens, facere videtur, ut ſenſus minor ſit vulneris in ſtatu integro; cum ſimul fere ut premitur intenditurve nervulus etiam ſecetur, rumpatur: quæ conditio dein tumore atque inflammatione accedente dolores reddit intolerabiles, cum intentio tunc ſequatur maxima? Nam, licet abſque dolore ferme vulnerentur illæ partes, attamen, ni fallor, acute dolent ubi ictu colliduntur, premuntur, aut diſtenduntur, & dolorem ſane in ligamentis ſe ſentire fateri videntur miſeri, qui, quod homines hominibus facere dedecet, tormentis in equuleo exagitantur. Tum & ſi emollitæ ſint aliquo vitio; aut ab ulcere renaſcantur, ſenſus in illis acutus obſervatur.

§. XXXII.

Sic igitur vexatæ affici videntur. Cum propter reſiſtentiam a læſione minorem, tum ſtimulo ſeu irritatione, hic ut in aliis corporis partibus, imo plus etiam ut videtur quam in aliis, affluxus impetuſve major humorum ad partem læſam excitari obſervatur, iſque, prouti homo eſt irritabilioris naturæ (*q*) animique mobilioris, intentior erit: in torpidioribus (*r*) minor, ac ſæpe vix manifeſtus. Quo quis præſertim in ſpaſmos aut febrem eſt proclivior, potiſſimum ſi etiam ſanguine plenior ſit, eo majus imminere ſolet periculum. Graviora vero tunc longe ſequuntur ſymptomata ac in partibus laxioribus, licet hæ dolorem prius ſentiant. Tenduntur tenaces partes inſignius. Hinc dolor acutus: major inde irritatio, major humorum affluxus (*ſ*), ita ut tumor atque dolor ſe invicem excitent atque exacerbent. Continuæ quoque partes per tota membra ſimul occupantur, unde ſæpe longe ab affecto primum loco, levi interdum punctura modo læſo, ſub faſciis illis tendinoſis hic illic formantur abſceſſus. Motus tunc ne minimus quidem ferri poteſt, cum eo intendi partes ulterius oporteat. Ex vulnere tenacium partium, poſt inflammationem, a vi humorum huc derivata effluere ſolet *ichor* multus, tenuis, qua-

aliquando ſenſus participes deprehendi etiam ſanas. Sic Londini cl. Douglaſſium Chirurgum & Anatomicum peritum, præſentibus variis diſcipulis, ligamenta tendineſque cani diligenter denudare dein pungere & vellicare vidi, haud abſque animalis clamore. Conf. & cl. Whyt & Bianchi ll. cc. & quæ ſumma cura inſtituta experimenta narrantur a cl. *Laghi* l. c. cum adjectis obſervationibus. Etiam homines alias dolorem hic ſentiunt, ut in hiſt. cl. *Simſoni:* alias minus. ut in exemplis noſtris.

(*q*) Cujus conditiones eleganter, ut ſolet, explicavit cel. *Gaubius Intr. ad Pathol.*). 194. Conf. 173. 174. 176. 179.

(*r*) Vid. l. c. §. 198.

(*ſ*) Dolorem veluti cucurbitulam humores ad partem affectam vocare, lepide dixerunt veteres.

qualem hic in minutis vaſculis ferri conſentaneum eſt, præcipue ex articulis vulneratis copioſior manat, *Synoviæ* nomine a Paracelſo dato celebris (*t*), atque illic non ex vulneratis modo partibus ſed ex toto etiam commiſſuræ cavo profluere videtur. Aucto nempe affluxu perinde ut in aliis quoque partibus laceſſitis v. g. lacrymali glandula, fieri videmus. Profuſione autem ichoris ejus, uti plurium humorum quæ minoribus vaſis feruntur, in diarrhœa, fluore albo, &c. magnopere corpus debilitatur. Interim cum dolore febris magna urget. Sæpe hinc delirium, diſtentiones muſculorum aliaque mala plurima vulneribus laxarum partium raro ſupervenientia. Tandem, infarctis vaſculis exiguis, turgidiſque ultra modum, motus humorum plane ſiſtitur, alienantur partes & cancro occupantur. Quæ triſtia ſane mala læſionibus articulorum ſuperveniſſe plus ſemel ipſe vidi. Quæ vero hic de vulnere expoſui eadem ratione poſſunt & ab alia vexatione accidere (*u*).

§. XXXIII.

Atque hæc profitenda eo magis cenſui, quod induci jam varios viderem Chirurgos, auctoritate adeo celebri nixos, ut læſiones dictarum partium, dolore minus prodito fallentium, ſpernant, haud ſine inſigni ægrorum periculo.

§. XXXIV.

Tantum vero de ligamentorum natura & acutorum a læſis articulis ſymptomatum ratione afferendum videbatur. Solent autem iſthæc ſæpe diuturno fungoſo tumori locum dare (ut §. 27. hiſt. 1. & 3.) Nempe ſi vel remiſſiora ſint vel ſubigantur, debilitatis vi humorum irruentium ligamentis, hic fere relinquitur, qualis & alias nulla læſione excitatus naſcitur, ut in cauſis videbimus. Utrobique & in eo, licet abſque vulnere, ſæpe dolores urgent, quod præſertim ſi ſubito intendantur partes, aut humores acriores inhæreant, accidere poteſt. Aliis torpidiores fibræ aut lentius diſtentæ, nec acri humore vellicatæ, dolore vacant. Poſſunt autem diu ſic perſiſtere hi tumores, cum ſucci harum partium glutinoſi, ubi aer arcetur, haud facile corrumpantur (conf. §. LXVI.) Sed diffcilem eſſe diſcuſſionem apparet tam arcte inſinuatæ materiæ, his in partibus ubi humores lente feruntur nec fibrarum diſtentarum habitus facile in integrum reſtituitur.

(*t*) De quo vir peritiſſ. *Fabricius Hild. Ichoris* & *Meliceriæ* nomine ſcripſit ut §. 17. (*l*) diximus. Verum non hic modo ex articulorum vulneribus ſed ubicunque e vulneratis tenacibus partibus effuſus humor *Glied-Waſſer* vel *Geader-Waſſer* Germanis dictus fuit, uti paſſim ex *Wurtzii* Chirurgia colligimus.

(*u*) Vid. hiſtoriam tali levi diſtorſione vexati maleque tractati ap. Fabr. Hild. de Ichore c. 19. ubi & ulcera in commiſſuram penetrantia &c. ſupervenerunt.

MORBI DIFFERENTES.

§. XXXV.

PRiuſquam procedamus ulterius, varios hic morbos qui circa articulos occurrunt, variis conditionibus diſtinctos nec ubique accurate ſeparatos, exponere commodum videtur, ut melius natura ejus de quo agimus vitii intelligatur.

§. XXXVI.

Et Hippocrates quidem utrum ſedem tumoris qui extra capſam hæret ab eo qui in capſa eſt (de quo mox §. XLVI.) diſtinxerit, dubium eſt, dum muci ſeu unguinis ad articulos lubricandos nati vitio oriri ait tumorem (*v*), ubi, cum a carne vitioſus humor irruerit, *laborare* articulum dicit ac *dolere*, & in primis, cum haud lubricus ſit ille humor, *rigeſcere*, quæ minus quidem in hydrope articulorum quam in deſcripto nobis ligamentorum tumore obſervantur. Et, quamvis in capſa utique exiſtere unguen illud ſeu mucum ſtatuiſſe eum credam, tamen & de diffuſo circumcirca tumore loqui videtur, dum ait, " propter copiam humo„ris qui irruit, non comprehendi poteſt junctura, ſed *effunditur*, tum„que male coit, ac *tumefacit nervos* (*i. e. ligamenta*) quibus oſſium com„miſſura connectitur, iiſque laxatis & reſolutis, claudicationem infert".

§. XXXVII.

1. *Extra capſæ cavitatem* vero occurrit fungoſus *ligamentorum tumor* de quo agimus. Varias autem hujus morbi ſpecies varioſque gradus exſiſtere ex jam allatis colligendum. Nam vel humor modo aliquis iſque variæ craſſitiei in manifeſtis interſtitiis colligi poteſt, molliorem efficiens tumorem; vel ipſæ adeo fibræ lamellæve turgentes, ſpiſſiores factæ, firmæ quaſi compagis accrementum præ ſe ferre adeoque tactui magis reniti, aut & texturam corruptam habere. (conf. §. XXII.) Præterea magis minuſve alte inſidere vitium, & vel inter aberrantes modo a ligamentis in celluloſam ſubcutaneam fibras (*x*) vel in faſcia ſeu aponeuroſi ipſa tumefacta, aut inter hanc & capſam commiſſuræ, aut in ipſius denique capſæ hujus textura hærere poteſt.

§. XXXVIII.

(*v*) *De Loc. in hom.* c. XIV. §. *6. ſeqq.* p. 411. *Fœſ.*

(*x*) Quibus illam circa articulos a reliqua in corpore celluloſa differre diximus §. 9. (*u*) ceteroquin in celluloſa hærens humor ſimplex *Oedema* faceret, quale tamen neſcio utrum circa articulos circumſcriptum inveniatur. Differt autem a fungoſo tumore, quod hic digitorum impreſſa veſtigia non ſervet.

§. XXXVIII.

Diſtinctionem aliquam hic meretur *congeſtio* materiæ *inter faſciam* articulum cingentem & *commiſſuræ capſam*, quæ haud raro obſervatur. Diſtinguitur autem a proprio fungo, eo quod hic latius diffuſus ſit, totum fere articulum, licet inæqualiter, ambiens: hujuſmodi vero tumor colliculum efficit majorem minoremve, ac plerumque circa regionem patellæ inferiorem ejuſve ligamenti oritur (*y*). Humor hic vel glutinoſus eſt, lentus, neque rodens; vel ſuppurationem ſeu melіceridem movens. Exemplum hic ponamus prioris generis. * Virum vidi Londini in Georg. noſoc. XXXVI annos natum, qui *rheumaticis* interdum *doloribus vexatus*, ante duos menſes, cum *febre* laboraſſet, tumorem levem oriri ſenſerat ad partem inferiorem patellæ genu dextri. Primo quidem is exſtitit fere abſque dolore: mox vero dolor acceſſerat, præſertim cum a frigore rurſus in rheumatiſmum incidiſſet, atque hinc & dolor & tumor ille increverat. Chirurgus cl. Guil. Bromfield primo *faſciis* arctis, hiſque ſubjectis ſpleniis albumine ovi cum aceto ac farina ſubacto tinctis, coërcere tumorem tentabat, quod in aliis quidem huic ſimilibus ei ſucceſſerat. Sed cum id per 14 dies efficere haud valeret; *inciſionem* fecit ex utroque latere per longitudinem, levi cum dolore ægri. Trajecto ſtilo apparebat, collectum ſub aponeuroſi humorem fuiſſe, qui prodiit fere limpidus. Impoſitum ad partem patellæ anteriorem ſplenium aceto tinctum *faſciaque adhibita* fuit per 4. dies: qua remota fere *coaluerant* partes ſubjectæ. Mox autem ab inciſione *dolor* acceſſerat, haud ad vulnera, ſed circa commiſſuram oſſium verſans. Profuit Sp. Vini aliquoties affricatus. Atque ſic cum ultra menſem cum aliqua infirmitate articuli duraſſet, dolor genu remiſit, ſenſimque confirmatus fuit articulus: *redibant* vero *per ceteros artus rheumatici dolores* atque exin ultra menſis ſpatium durabant, licet cathartica & medicamenta e Guajaco illi exhiberet Medicus cl. Batt. Demum (cum ſub maxilla tumor durus oriretur, ægro *bolos ex argento vivo* præſcripſit, quibus & ille tumor ceſſit & rheumatici dolores. — *Meliceridis* hujuſmodi exemplum infra dabimus. Alias autem cavo unico contenta hujuſmodi congeſtio videtur. Accedit tunc ad ganglii naturam, de quo §. 65. differt tamen eo quod ganglii tunica formata demum e coacta in membranæ ſpeciem tela celluloſa ſit, hic naturalibus velamentis comprehendatur materia, niſi quod ad latera forſitan parietes formet compreſſa tela celluloſa. Ab aliis vero tumoribus cyſticis ſeu tunicatis differt eo quod moveri ſic ſub integumentis, quippe faſcia deligatus, nequeat, ut hi qui in laxa celluloſa tantum tela hærent. Alias diſperſa variis propinquis cellulis materia eſt. Hinc cum hujus vitii limites accedant ad fungoſi tu-

(*y*) Figuram exhibet ejus quem cel. Heiſterus curavit *Widmann*. Diſſ. cit. Fig. 19. C.

moris naturam, penitius tantum in ipſam ligamentorum texturam ſe inſinuantis, cumque & curatio affinis ſit, ſed facilior; ſparſim de eo ſimul in ſequentibus mentionem faciemus. — De *flatulentis* quidem *tumoribus* nonnulli hic loquuntur auctores, quales tamen, niſi ubi ſphacelo ac putredine partium emphyſema natum ſit, ad articulos exſiſtere vix mihi perſuadere queo. Verum decipi eos potuiſſe puto, quoniam ad tactum interdum fere emphyſematis inſtar ſtrepitum edunt modo deſcriptæ congeſtiones (z) qualem in proprio fungoſo tumore deprehendi haud memini: tum ſi fungum incidentes nihil prodire humoris obſervarunt, de quo infra.

§. XXXIX.

Ex aliis circa juncturas morbis diſtinguendus *Rheumatiſmus*. A quo quidem tumores ſolent fungoſo ſimiles ad articulos excitari: ſed minus tamen alte ligamentis inſidere videntur, & facilius eliduntur, vagantur, pluresque fere partes ſimul aut per vices occupant. Quodſi vero abeant ex ceteris artubus rheumatici tumores doloreſque ac in unam aliquam juncturam pertinax decumbat tumor, tunc metaſtaſi fungus exortus videtur, ut aliquoties fieri obſervavi. — Ceteroquin in Rheumatiſmo, frequentiſſimo hodie in Britannia morbo, licet ad articulos potiſſimum tumores exiſtere ſoleant, latius tamen extenſum, etiam circa muſculos hæret malum. Propriam ejus ſedem & naturam definire non audeo, experimentis deſtitutus. Gelatinoſus ſupra muſculos effuſus humor repertus fuit, qualis & in eo vitio a veſicatoriis elicitur (a). Verum inde non conſtat, utrum hæc morbi cauſa an effectus tantum dicendus ſit, arceſſito circa dolentes partes humore. Neque tamen negaverim ſpiſſitudinem in hoc morbo humorum adeſſe.

§. XL.

Cum Rheumatiſmo confunditur interdum *Arthritis*; qua *Podagram*, *Chiragram* &c. comprehendimus, in quibus tumores etiam ſuperveniunt ſymptomatici. Hic vero peculiaris indolis humor vitioſus verſari videtur qui vel intus vel circa articulos albis ſæpe cruſtis relictis ſe manifeſtat, ſed & per reliquum corpus fertur (æ). Non majores tantopere quam mi-

(z) Vid. *J. v. Wyck Aanmerk.* n. 50. Et hujuſmodi tumores ſunt priora duo exempla *D. J. Zenguardini*, quos flatulentos vocat *Aanmerk.* n. 47. tertium fungum fuiſſe apparet.

(a) Vid *Clopt. Havers de Oſſ.* Serm. IV. c. 4. Quæ vero ibidem affert, de obſervatis in abſceſſu femoris albi coaguli fruſtis cum ſero mixtis, ea huc non pertinent ſed erat melicera, a reſolutis faſciæ latæ fibris, qualem deſcripſimus §. 17.

(æ) In meſenterio, pancreate, hepate & liene, materiam albam calcariam invenit *Ferd. Gruinwardt Med. Obſ.* Sect. VI. c. 1. p. 557. Atque hic, cum venerando Præceptore meo cel. Gaubio licuit mihi inſpicere corpus viri, qui olim podagra laborans hac ceſſante aſthmaticus obiit, intuſque in ejus pulmonibus hic illic deprehendebatur materia alba, quibuſdam partibus ſatis ſpiſſa & gypſeam naturam referens.

minores extremos articulos prehendit: & circuitus habet quibus revertatur hic morbus, quod ſecus in Rheumatiſmo, iſque a cauſa fere exterius illata, uti frigore & humiditate excitari ſolet. —— Atque iſto quoque modo cum haud repetat *Iſchiadicum malum*; naturæ id alius eſſe puto, ulterius inquirendæ, & forſitan variæ.

§. XLI.

Præter hæc occurrit *rigor*, *contractio* ſeu *recurvatio* articulorum, quæ ankyloſis ſpuriæ ſpecies eſt, a rigiditate aut concretione ligamentorum vel tendinum ac muſculorum, horumve ſpaſmo oriens (*b*), atque ab irritatione quadam ſeu dolore circa articulum, item a diuturna quiete, nec non a morbo aliquo relicta (*c*) ſæpe exiſtens: neque ea ſemper cum tumore juncta. Solet autem plerumque fungoſum tumorem comitari.

§. XLII.

De fracturis, luxationibus, ſimilibuſque læſionibus, tumorem vel acutum, vel & diuturnum fungoſum, ſæpe producentibus nihil monere opus eſt, cum cauſæ perinde ac læſiones manifeſtæ ſint. Sed attentione digna eſt quæ interdum occurrit ac plerumque negligitur *Diſtorſio ligamentorum* commiſſuram comprehendentium, a contuſione aliqua genu, præcipue ſi ligamentum quo patella ad tibiam deligatur ictus aliquis percutiat, aut muſculi magno nixu agant, tum & ſi capſæ pars latera patellæ nectens collidatur. Hinc nempe debilitatæ diſtractæque fibræ muſculis extenſoribus cedunt & patella ultra modum ſurſum, aut ubi altera parte magis debilitatum ſit ligamentum, a vaſtorum altero oblique, trahitur. Exemplum inſigne exſtat in Tr. cl. Guntheri (*d*) ubi primum lapſu in genu colliſo, poſtea magis etiam nixu ſupine cadentis ægri diſtracto ligamento, patella ultra duorum digitorum intervallum retracta ſurſum fuit ac poſt mortem exile penitus flaccidumque, *emaciatum* quaſi, *ligamentum* repertum eſt, quod per vitam ægri vix percipi digito poterat, ut etiam ruptum videretur. Tumor quoque ſtatim ſecutus, abſque dolore tamen, quod mirum, & inflammatione. Alias tamen dolor inſignis adeſt (*e*). perinde ut

(*b*) Qualem adfuiſſe cenſet cl. *Maloët* in morbo quem deſcribit loco §. 1 (*d*) allato.

(*c*) *A variolis* in utroque cubito, abſque dolore ac tumore relictam unguentis nervinis fricando, ac leniter movendo, ſanavit *J. v. Wyck Beengeſw.* c. 4. p. 112.

(*d*) Supra §. 12. (*d*) citato. Conf. & infra §. 51.

(*e*) Velut in caſu, quem litteris Edinburgo datis mihi deſcripſit cl. *Guil. Butter*, ubi ad latus externum inclinabat patella, genu per lapſum gravem offenſum ad lapidem fuerat.

ut in diſtorſione ac diſtentione ligamentorum quæ tendines ad carpum talumve coercent interdum occurrit. De curatione hujus mali infra.

§. XLIII.

Extra capſam circa articulum poſſunt & exiſtere *tumores* ab humore congeſto *in burſis* illis, qualis reperitur ſub ligamento patellæ, ac tendinibus ſubjectos deſcripſit cel. B. S. Albinus (*f*). Poſſunt inquam hic exiſtere congeſtiones materiæ, nam ſane & glanduloſum quid hiſce in cavis ut in articulis adeſt, & quæ ſub patella reperitur glandula mucoſa, partim ad juncturæ cavum, partim ad burſam ligamento patellæ ſubjectam ſpectat. Neque tamen ad genua morbum hujuſmodi deprehendiſſe me affirmo. Initio tumores in regione ligamenti patellæ in burſa illic ſita hærere putabam, dein vero diſſectione articulorum glandulæ illic poſitæ tumorem reperi. (de quo §. L.) Sed narravit mihi cel. Albinus, ſe burſam illam inſignem, quæ ad calcaneum ſub tendine Achillis eſt (*g*) humore ſpiſſo diſtentam reperiſſe in cadavere. Neque dubito, quin in eadem natum ſit vitium ſuppurationem movens in viro Londini in Georg. noſoc. * Is ante 5. hebdomades, cum vixdum a *febre* convaluiſſet, veſtigio fallente, *talum diſtorſerat.* Inde ſpatio octidui dolor ac tumor ortus. Applicato cataplaſmate emolliente remiſerat malum. Sed cum ambulaſſet per aliquot dies dolor atque tumor natus ad gaſtrocnemium muſculum, cui cataplaſma adhibuit per octiduum. Tunc in noſocomio cum fluctuantem ſub tendine ad latera ejus materiam ſentiret Chirurgus cl. Bromfield, *inciſionem* primo in altero, dein, per immiſſum ſtilum indicato loco, etiam in oppoſito latere fecit, *ægro de dolore multo querente*, & cum inciſio fieret, & cum ſtilo tentaretur pars oppoſita. Exiit pus fluidum. Fruſtum lintei trajectum ſub tendine. Poſtea ſatis bene ſe habuit, niſi quod per triduum, noctu præſertim, dolorem in pede ſentiret. Cum bene procederet ulceris purgatio, linteum extrahebatur. Dein coaluerunt vulnera. Debilitas vero cum rigiditate quadam pedis reſtitit: tumor quoque etiam tunc dorſum pedis tenebat.

§. XLIV.

Ne dicam de *Scirrho*, qualis in poplite haud raro obſervatur. Vide exemplum a cel. Heiſtero viſi, & ex parte jam diſcuſſi, dein, cum cauſtico reliquum ſibi auferri curaviſſet æger, vini intemperans, rupta arteria mortem inducentis (*h*). Alius tumoris in poplite jam exulcerati feliciter

(*f*) *Hiſt. muſc.* p. 532. 537. 551. 559. ac notabilem in primis ſub cruralis tendine p. 547.
(*g*) De qua l. c. p. 563.
(*h*) In *Widmanni* Diſſ. cit. § 85. ſeq. & fig. 23. D.

ter a ſe exſtirpati hiſtoriam habet Purmannus (*i*). Diſtinguetur facile ſcirrhus a fungoſo tumore, cum ab initio durus ſit, nec ut ille elaſticus, præterea & circumſcriptus &c.

§. XLV.

2. *In cavo* autem *ipſo commiſſuræ* deprehendimus *connexionem extremorum* cartilaginum tela quadam qualis fere ab inflammatione in thorace alibique naſci ſolet: quæ alia *ankyloſis* ſpecies eſt. * Semel hoc vidi in genu pueri Londini in Georg. Noſoc. diſſecante amputatum articulum cl. Jo. Huntero. Vacui intus nihil relictum erat, niſi quod condylus femoris internus haud connexus eſſet cum lunata cartilagine tibiave, atque cruſtæ illic cartilagineæ integræ erant. Humoris in capſa nulla collectio exſtabat, nec extra eam abſceſſus aliquis. *Circa tendines flexores inſpiſſata tela* erat, qua arctius illi cohærebant. Burſa ſub muſculis extenſoribus in femore coaluerat, item in illa quæ ſub ligamento patellæ eſt fibræ quædam latera connectentes ortæ erant. *Cartilagines* in commiſſura quibuſdam partibus *reſolutæ* erant atque *ex condylo* femoris externo *nodulus excreverat*. Ligamenta decuſſata aliquantum turgefacta & molliora. Lapſu offenſum genu fuerat ante 6 annos, unde primo quidem dolor cum tumore aliquo extiterat: deinde tamen illa remiſerant, ſed recurvatum genu fuerat. *Pes ac* in primis *femur* inſigniter præ altero *extenuatum* apparebat. —— Telam ejuſmodi inflammatione natam vera habere vaſa, repletione artificioſa, exemplo pulmonum diaphragmati annexorum, oſtendit in lectionibus ſuis anatomicis cel. G. Hunterus M. D. Neque igitur mirum, ſimiliter a cartilaginibus in commiſſura inflammatis, vel a membranula illas tegente, vaſcula progerminare ſuperficies nectentia. In hujuſmodi ankyloſibus fieri poteſt, ut vi ſubito illata, veluti lapſu extenſo aut flexo articulo rumpatur cohæſio, atque motus inde commiſſuræ reſtituatur, qualia reperiuntur exempla. Veluti ap. Job. a Meek'ren (*k*) ubi, quod fotus, cataplaſmata &c. efficere in cubito haud potuerant, ex improviſo, in rigidum brachium lapſu factum eſt ut motus atque uſus reſtitutus fuerit. Neque igitur cum hoc auctore ſtatuere poſſumus, materia quadam ſpiſſa quæ illic coiverit motum fuiſſe impeditum, eamque ſic ſtatim ſolutam eſſe, nec in externis partibus rigoris cauſam poſitam fuiſſe (de quo §. 41.) quas remediis emolliri potuiſſe probabile eſt, nec tamen vere oſſium ſuperficies concreviſſe videntur, quæ diffractæ lubricitatem motus haud habuiſſent. Tela vero hujuſmodi ſuperficies ceteroquin læves connectere poteſt, neque fortiter cohæret.

§. XLVI.

(*i*) *Obſ. Chir.* LXVI.
(*k*) *Obſ.* c. 64. p. 297.

§. XLVI.

Porro conſiderandus *Hydrops commiſſuræ*, ubi nempe humor in ipſa collectus capſa continetur: quale vitium cum fungoſo tumore plurimum confunditur. Poteſt autem plerumque ab experta manu ad tactum diſtingui, cum alia ſit elaſticitas & intentio fungi; hic autem, haud infarctas eſſe partes exteriores ſentire poſſis, ſed intus fluctuare humorem, præſertim ſi oppoſito latere tumidus articulus leviter percutiatur ut intremiſcat. Premendo etiam (in genu) ab altero patellæ latere efficitur ut ex oppoſito turgeat, ac infra patellam ſi comprimas, plus tumet ſuperius. Illic etiam per ſe magis extenditur quam infra patellam. Superius enim cum ultra patellam ad duorum fere pollicum ſpatium etiam abſque morbo in femore extendatur capſæ ambitus (*l*) cumque ibi laxior ſit, ſtrictior inferius, craſſioribus coercita ligamentis; facile apparet, ulterius etiam a collecto ſenſim humore ſurſum extendi, ſicuti ultra trium ſupra patellam pollicum ſpatium aſcendere tumorem vidi (*m*). Si muſculis ipſe æger adducat patellam, turgere facit ex utroque latere tumorem. Præterea totus in hydrope æqualiter tumet articulus, cum fungus hic illicve magis eminentes colliculos habere aut in uno alterove latere magis turgere ſoleat. — Plura de hoc vitio ad calcem diſſertationis hujus adjicere animus eſt.

§. XLVII.

Præterea *abſceſſus ſuppuratus* ichoriſve interdum in commiſſura congeſtio exiſtit. Hæc autem ubi oritur, diſtinguetur ſuis notis, dolore inflammatorio &c. Externa ad tactum ſigna erunt ut in hydrope. Poteſt vero & a læſione quadam & ab interno vitio exiſtere: maſſæque glanduloſæ quæ in articulo hærent propter vaſculorum copiam in primis illi locum dare videntur (conf. §. 52.) Feminæ cachecticæ a contuſione genu ortum tumorem, quo ultra 7 menſes perſiſtente magnoque cum dolore increſcente, ad latera æque ac anteriore parte turgido, cum nihil valerent admota medicamenta, atque humor in capſa hærere videretur: in noſocomio Berolinenſi inciſionem duos transverſos digitos longam ad latus factam in commiſſuram uſque, quo facto ſaniem craſſam, grumoſam, fere inodoram, prodiiſſe. Ichoris fluxum aqua gryſea (*n*) ſuppreſſum.

(*l*) Quod etiam notat *Widmannus* Diſſ. cit. §. 11. & ex *Bourdoni* tabulis pingit Fig. 6. litt. H. Poteſt autem commode cerni ſi in cadavere per exiguum obliquum foramen ſyringe aquam aut aliud quid ad implendam capſam injicias.

(*m*) In milite de quo infra.

(*n*) Quæ ad ſynoviæ fluxum pertinacem ſiſtendum pro inſigni medicamento commendatur in *Act. med. Berol.* Dec. I. vol. 3. n. 7. continet autem argentum vivum aqua forti ſolutum.

ſum. Interne mercurialibus cum laxantibus ac decoctis lignor. quotidie adhibitis, ſanatam brevi ægram fuiſſe, mihi retulit per litteras amicus cl. Pallas jun. M. D. — Quodſi conſtet, abſceſſu congeſtam in capſa ſaniem hærere: apparet, emitti materiam deberi quamprimum, ſicque ſanationem poſſe ſperari. Ceteroquin, corruptis diuturna mora cartilaginibus atque oſſibus, ſæpe malum ſanationem haud recipere.

§. XLVIII.

Accidit &, ut lentius nocens *humor acris* undecunque excitatus in capſa generetur, adrodens oſſa aut cartilagines, ut infra (§. 58. *ſeqq.*) deſcribetur, idque plerumque cum pungentibus doloribus. Hic *unguinis articulorum acrimonia* in cauſa eſſe poteſt, cui tamen plerique nimium tribuunt. Solet autem ſemper fere recurvatio membri induci ab hujuſmodi rodente in articulo humore. Talis vero materia plerumque copia tantum exigua in articulo hæret, neque ejus diſtentionem efficit. * Vidi tamen & redundantem lente ſic generatam in ægro quodam Londini in Noſc. Georg. qui ex duobus fere annis, ignota cauſa, dolorem in genu ſenſerat, accedente poſt aliquod tempus tumore ſupra patellam, lente primum, ſed extremis 4. aut 5. menſibus velocius increſcente. Dolor modo gravior modo remiſſior inhærebat. Cum fluctuans materia in tumore ſupra patellam abſceſſum referret, inciſio illic facta ex utroque latere, emiſſaque ſanie oſtium in capſam pertinens repertum. Intumuit genu: tertio die minus bene ſe habuit æger, appetitus defecit, nauſea interdum accedente. Femur quoque ac tibia intumuit. *Ichor copioſus* e vulnere fuſus eſt, ſed *ſub extremum ceſſavit*: *lente & clanculum* fere abſque gravibus ſymptomatibus *obrepente cancro*, ac die decimo ſeptimo ægrum exſtinguente. In articulo, a cl. J. Huntero diſſecto vidimus maximam cartilaginum partem reſolutam. Quod ſupererat, uti & ligamenta circa juncturam, coloris ſubnigri reperiebantur. A commiſſura vero ſinus in femur excurrebat. — Ceteroquin eſt ubi malum hujuſmodi intus exſiſtit abſque tumore extrinſecus apparente, ac initio inprimis abeſſe tumor ſolet. Interdum autem, affluentibus dein circa articulum humoribus, excitat & fungoſum externarum partium tumorem ejuſque adeo peſſima cauſa exſiſtit. Alias hunc prius exſiſtentem ſequitur, cum, vergentibus ad commiſſuram humoribus malis, & qui intus ſecerni debent acres afferantur. Neque tamen ſemper morbus in capſa cum externo fungoſo tumore conjunctus eſt. (*conf.* §. 24.)

§. XLIX.

Præterea occurrit *unguinis defectus aut inſpiſſatio*, quæ motus commiſſuræ impeditur, *crepituſque* oritur. Hujus exemplum legimus (*o*) ægræ 20.

 an-

(*o*) In *J. v. Wyck Aanmerk.* n. 43. Idem de hoc articulorum vitio agit *Beengeſwell.* c. 5.

annorum, ceteroquin ſanæ, cui maxillæ commiſſuræ & rigebant ſic ut mane eam aperire manibus teneretur, & crepabant ita ut & adſtantes audirent ſonitum. Quæ ungueuto quodam nervino, & præſertim vapore calidæ admiſſo, ſanata fuit. Minus forte inſolens hoc malum in membrorum articulis eſt Conf. & §. ſeq.

§. L.

Obſervamus & *tumores glandularum commiſſuræ unguinoſarum*, ſeu maſſarum illarum pinguium, vaſculis & folliculis refertarum, præcipue majoris quæ infra patellam ſita eſt. Hujuſmodi tumores aliquoties diſſectione articulorum inveni. * Velut in cadavere feminæ cujus mihi copiam Londini fecit cl. Douglas. Ibi in genu dextro inveni *cartilaginem* & quæ femoris extremum & quæ patellam intus veſtiret, in exteriori latere *detritam. Oſſa ſe invicem atterentia* mirum quam ſibi aptas *variis ſulcis expoliverant ſuperficies.* Ibi vero extitit aliquanto tumidior femoris condylus, atque exterius *marginem* quoque habebat *prominentem.* Contra, per hujus condyli protuberantiam remota, patella ad interiorem partem videbatur minus in contactum femoris perveniſſe. Ibi reſtabant *cartilagines*, ſed *aſperiores redditæ*, patella tumidior erat. Lunatæ cartilagines, ligamenta decuſſata, &c. integra erant. In ſiniſtro quoque genu, tibiæ, patellæ ac femoris cartilagineæ cruſtæ aliquantum ſcabræ erant. Lunatæ cartilagines ac ligamenta pariter integra. Verum haud ita conſpicua vitia ut in altero genu. Humoris in commiſſuris his vix quicquam conſpicuum erat. *Nulla oſſium caries. Glandularum nulla inflammatio aut corroſio* apparebat: ſed inſigniter tumebant, & præcipua quidem ea, quæ ſub ligamento patellæ hæret, in utroque genu. Fieri hic potuit ut illud ab obſtructione quadam in glandulis oriretur, hinc, deficiente unguine, partes in commiſſura attererentur & irritata oſſium extrema hic illic protuberarent. Deinde vero & a preſſionis defectu intumuiſſe glandulæ videbantur. Nam quacunque parte oſſa diſtabant, ibi glandulæ excreverant, ita ut amplæ eſſent quæ in ſtatu ſano vix conſpiciuntur. Tales circa patellæ marginem interiorem turgebant, & ex altera parte ſub margine prominente exoſtoſis condyli femoris magna in eo hærebat glandula, uti & ſuperius, ubi item margo aliquis protuberantia oſſis formatus erat. * 2. In puella 12. annorum cui in Georg. noſoc. a cl. Bromfield genu amputabatur, in junctura, licet *cartilagines* oſſis femoris patellæ tibiæque *humore acri eroſæ* reperirentur, *glandula* tamen illa infra patellam *plane non adroſa*, minus etiam rubra, *coloris pallide flavi* erat: tumebat autem inſigniter ac ex utroque latere ligamenti patellæ turgebat, ſicuti & adeps circumfuſus & in burſa ſub ligamento illo jacente hærens luxuriabat. * 3. In puero quoque §. LV. memorato cui commiſſuræ ſuperficies internæ connexæ erant, glandula eadem mole valde aucta, haud vero corroſa nec rubicunda, ſed flava adi-

adipi plane ſimilis erat. —— Ac probabile eſt, ipſo defectu attritus & motus commiſſuræ quo exprimi deberent hæ glandulæ, eas turgere & *circumfuſum* quoque *adipem* cujus ab iis diſtingui poſſunt (*p*), qualiſque extra capſam ab utroque in primis latere ligamenti patellæ hæret, mole augeri (*q*). Attamen & læſione quadam glandularum excitari nonnunquam tumor videtur. Veluti * 4. in juvene quem vidi in Georg. noſoc. Is ante menſes 15. prolapſus genu aliquantum diſtorſerat & offenderat. Inde dolorem ſenſit, qui ingraveſcens ultimo præſertim menſe urſerat. *Haud intumuerat genu* vexatum, quin vel altero exilius factum videbatur. At in parte anteriore *ſub patella tumor* aliquis aderat, *quem ſi hac parte premeres, turgeſcebat ex altera ligamenti parte: ſi medius premeretur, aut ſi ipſe æger muſculis extenſoribus adduceret patellæ ligamentum, tunc ex utraque ejus parte eminebat. At ſurſum premi aut loco moveri non poterat.* Quæ ſane notæ hujus glandulæ tumori convenire videntur. Dum flecteret genu extenderetve, dolorem ſentiebat æger majorem, ac *ſonitus* quoque aliquis ubi aurem admoveres percipi poterat *velut ubi lubricum quid inter duo corpora interceptum premitur.* —— Atque hoc quidem exemplo per ſe occurrit ille tumor: ceteroquin uti diximus fungoſo tumori aliiſve genu vitiis ſæpe junctus deprehenditur, poteſtque & ibi vel irritationi tribui, vel obſtructioni, vel quieti.

§. *L* I.

Contra, a colliſione genu, qua ligamentum patellæ læſum, dein etiam fallente veſtigio magis diſtractum fuerat, non hoc modo exilius redditum, (conf. §. XLII.) ſed & *glandulam mucoſam ac ambientem adipem extabuiſſe*, reliquis partibus illæſis, affert cl. Gunther, adeo, ut vel cavitas ſub patella, loco ligamenti, ſub cute ſentiretur (*r*).

§. L I I.

Inflammationem quoque atque *ſuppurationem glandularum* propter vaſculorum in illis copiam exſiſtere poſſe, facile apparet. (conf. §. XLVII.) Narrabat in inſtitutionibus ſuis cel. Monro, offenſo lapſu femore ad trochanterem majorem, dolorem in coxæ junctura ingentem ortum, nihilque valentibus remediis, miſere tandem exſtincta ægra, corroſam ſe in commiſſura ſuppuratione glandulam reperiſſe.

 §. LIII.

(*p*) Vid. cl. *Walther* Diſſ. *de articulis* Tab I. lit. O. & p. 7.

(*q*) Sic cenſet cl. *Butter*, in epiſtola, tumoris hujuſmodi, qui deficiente a quacumque cauſa juncturæ motu plerumque obſervatur, mentionem faciens.

(*r*) V. Tract. cit. p. 35. 39.

§. LIII.

Ceterum, quod fere fieri ſolet, ubi quid oſtenditur novi, ut id extendatur ulterius quam par eſt: ita, poſtquam Cloptonus Havers illa articulorum unguen ferentia corpora demonſtraſſet, omnes fere morbi articulorum ex aliquo vitio harum glandularum aut liquoris ab illis redditi explicati fuerunt, cum tamen diverſa omnino genera eſſe haud diffitendum ſit, ac vel ex levi hac noſtra enumeratione, poſſit colligi. De fungoſi tumoris ratione ſigillatim diximus §. XXV.

§. LIV.

Alius occurrit morbus ſingularis in cavo commiſſuræ genu: neque enim exempla mihi alterius articuli nota ſunt. *Oſſiculum in capſa* generatum, cruſta cartilaginea obductum, libere fluens, ita ut circumagi poſſit circa patellam, ac ſub ea quoque deliteſcere (*s*). A cl. Jo. Frid. Henkelio (*t*) ſimile corpuſculum in capſa genu repertum deſcribitur: aliudque exemplum duorum ejuſmodi oſſiculorum in commiſſura genu huc illuc vagantium, aut ſub patella deliteſcentium, inciſionibus ex utroque latere factis exemtorum narrat, ubi quinque hebdomadum intervallo abſque ſuperveniente malo, ſanatus æger fuit (*u*). Vulgo vocari ait (*Mäuſe im Knie*) mures in genu. Bina ex eadem commiſſura, una inciſione ſe exemiſſe & ſuperdato Balſamo Arcæi cum Sp. Vini, aptiſque circumjectis faſciis, abſque moleſtia vulnus conglutinatum fuiſſe, mihi narravit cl. Guil. Bromfield Chir. Lond. Ipſe cum adeſſem Londini in Georg. noſoc. vidi hujuſmodi oſſiculum e genu, inciſione facta, eximi a Chir. cl. Guil. Hewit, ubi quidem febris, dolor tumorque ſuperveniebant, ut ſupra §. XXVII. narratum eſt. Erat & eodem tempore Londini in alio noſocomio æger cui ſimile corpuſculum in genu verſabatur. Ne dicam de aliis exemplis quæ mihi narrata ſunt.

§. LV.

Dolorem ægri aliqui ſentiunt majorem ubi inter patellam atque os femoris intercipitur ejuſmodi corpuſculum, atque inde motus articuli magnopere dolorificus exſiſtit, unde ſæpe ſiſtere gradum coguntur, donec id trudendo digitis in alium locum removerint (*v*). Sic æger quem in Georgi-

(*s*) Vid. hiſt. a cel. *T. Simſon* relatam *Med. Eſſ.* vol. IV. n. 20.

(*t*) *Dritte Samlung medic. u. Chir. Anmerk.* p. 7. *ſeqq.*

(*u*) Exiit primo ultra ſemiunc. humoris ex articulo: amplius dein haud manavit, parumque ſecutum tumoris. Applicata Eſſ. vulner. & Balſ. Arcæi. Ibid. 5*te Saml.* p. 26. ubi & affert *Jo. Nic. Pechlin Obſ. Phyſ. Med.* qui oſſiculum ejuſmodi, ut vocat cartilagineum circa genu fugitivum, exſecuit.

(*v*) Vid. *Henkel.* l. c.

giano noſoc. vidi *ſi patellam ſubiret* corpuſculum, aut extra eam verſanti digitus apprimeretur, aut moveretur articulus, *dolorem ſentiebat*: unde ſenſum in commiſſuris non deeſſe, colligere licet. Sed in cel. Simſoni hiſtoria latens ſub patella moleſtum haud fuiſſe videtur: infra eam elabens movebat dolorem. & cl. Dav. Middleton, primarius exercitus Britannici Chirurg. mihi narravit, ſe ægrum curaſſe, cui, ſi molecula illa mobilis in genu ad latus patellæ elaberetur, dolor extiterit, motuſque commiſſuræ impeditus fuerit: ſin *ſub patellam* repelleretur, *moleſtam haud fuiſſe.* Se igitur emplaſtro adhæſivo circa patellam appoſito ac *faſciis circumjectis* effeciſſe, ne poſſet elabi. Sic abſque incommodo relictam fuiſſe: imo poſt aliquot menſes etiam remota faſcia *haud excidiſſe rurſus.* Simile ſe etiam alterius ægri exemplum noſſe. Verum in illo noſocomii Georg. fruſtra id auxilium tentabatur, & cum vel major inde dolor exiſteret dum infra patellam teneretur, licet olim initio abſque dolore ſub patella latuiſſet, inciſione demendum oſſiculum erat. —— Naſci autem & ex hoc caſu per irritationem poteſt vel fungoſus tumor, vel, quod pluries accidit, hydrops articuli.

§. LVI.

Originem hujus mali definire non audeo. Collata obſervatione a cel. Monroo (*x*) allata, videri poſſet, vi illata oſſium extremis, fruſtulum alicubi diſcerpi. Etiam in illo exemplo a cl. Middleton relato corpuſculum illud adhærere quaſi ligamento cuidam viſum erat, ut per totam commiſſuram vagari non poſſet. * Æger ille in noſoc. Georg. licet in eodem genu dolorem aliquem jam a tribus annis ſenſerat, accedente & a multo motu tumore; hæc tamen gravia non fuiſſe, *nec corpuſculum illud* omnino *ſe percepiſſe* ajebat *antequam genu læſerit.* Accidit autem cum equo ferretur, ut ſiniſtræ tibiæ ſuperius extremum a parte exteriori graviter allideret ad appreſſum bombardæ equeſtris igniarium. Statim inde moleculam ad commiſſuræ oppoſitam ſuperiorem partem perlatam ſenſit, ubi magnum afferebat dolorem, nec motum commiſſuræ permittebat niſi poſtquam deorſum digitis preſſa eſſet. Intumuit genu magnopere doluitque: hæc tamen adhibitis auxiliis & præſertim *per veſicatorium* circa genu applicatum *dolore diſcuſſo* remiſerunt: *molecula* etiam ea *latuit ſub patella citra moleſtiam*, donec aliquando, a levi pedis fallente veſtigio diſtorſione, rurſus prodiret, atque exinde mobilis tota in commiſſura verſata, ita ut digitis circumagi poſſet: hinc ille tribus elapſis menſibus ad noſocom. acceſſit. —— Unde & hanc moleculam ictu decerptam crederes. Attamen exemta cum eſſet, mole circiter phaſeolum æquans, *circumquaque cartilagine æquali veſtita* videbatur: in medio oſſea erat, pariter ut in

cl.

(*x*) *Med. Eſſ.* vol. IV. n. 19.

cl. Simſoni hiſtoria, ubi nec ulla præcedens læſio accuſari poterat. Unde ulteriore plurium exemplorum examinatione opus eſt.

§. LVII.

3. In *oſſium* denique ipſorum quæ articulis inter ſe conferuntur *extremis* vitia exſiſtunt, alia per ſe alia a ſupra dictis producta. Corroduntur enim vel *foris veniente humore acri*, ut a tumore fungoſo maligno & meliceridibus in ligamentis natis (*y*): unde ortas exoſtoſes deſcripſimus in hiſt. §. 21. ac *perioſtea* quoque *affecta* tumeſiunt.

§. LVIII.

Vel intus in capſa generato humore acri: (§. XLVIII.) *cartilagines* in commiſſura *emolliuntur*, *reſolvuntur*, & plerumque primo *intumeſcunt* in mollem verſus extrema fere gelatinoſam pellucentem ſubrubellam ſubſtantiam. Qualem equidem firmæ cartilaginum naturæ mutationem in reſectis articulis aliquoties deprehendi, ita ut oſſibus etiam tunc haud leviter adhærerent. In genu junctura cartilaginem luxuriantem, cujus tumore patella loco ſuo mota fuerit, ſe reperiſſe refert Garmannus (*z*), (obſcura tamen deſcriptio) talemque ſe cartilagineam excreſcentiam ſemper advertiſſe ait in genubus fungoſo tumore affectis. Temere tamen, hanc omnium rationem, atque inde ſpem curationis vanam eſſe, pronunciat.

§. LIX.

Quodſi vero diutius inhæſerit in cavo articuli humor ejuſmodi acris: tandem omnino diſſolvuntur cartilagineæ cruſtæ, *afficiuntur oſſium extrema*, nudaque, ſcabra *in commiſſura* apparent. Interdum etiam hic aliqua oſſium excreſcentia aut nodulus exiſtit. Sæpius tamen accidit, ut ab hoc humore adroſa, nihil intumeſcant nec propullulent, ſed figuram ſuam retinentia, glutine fibris interpoſito ſpoliata, haud emollita quidem, ſed rara, ac nonnunquam fere calcinatorum inſtar levia, fragilia, rariſſima evadant. Interdum & ulcera in oſſium extrema cavantur abſque orarum tumore (*a*). Sic vero affectis cartilaginibus in juncturis atque oſſibus, ægri plerumque magnis vexari doloribus ſolent (*æ*).

§. LX.

(*y*) Quod & notavit atque a malo intus orto diſtinxit *Wiſeman.* L. IV. c. 4. p. 241.

(*z*) *A. N. C.* D. I. A. 9. obſ. 63.

(*a*) Conf. cel. *Monro Med. Eſſ.* vol. V. n. 25. p. 298. §. 4.

(*æ*) Neſcio utrum affinis aliquo modo morbus ſit memoratus a cl. *Acrel*, in *Comm. Ac. Succ.* A. 1754. ubi, cauſa ignota, extremum digiti os ita affectum fuit, ut, quemadmodum deſcribitur, in carnem, pinguedinem, illi quæ in adipoſa tela erat

§. LX.

Hæc uti ab acri humore inducta, ita ab unguinis tantum defectu alia in oſſium extremis effecta videntur: dum nempe, *detrita cartilagine*, politas ſibi invicem ſuperficies moliuntur, abſque carie aut adroſione. Hujuſmodi ſupra [§. 50. hiſt. I.] deſcripta: pluraque e variis commiſſuris ſic polita oſſium capita Londini in lectionibus ſuis extendebat cel. G. Hunter M. D.

§. LXI.

Ceteroquin læſa aliquomodo oſſium extrema poſſunt & concreſcere *veramque* adeo efficere *ankyloſin*, inſanabilem, uti pluribus exemplis ubi articuli aliquo modo affecti diu immoti fuerant, conſtat. In fungoſo tamen tumore, quin & ab humore acri in capſa generato (de quo §. XLVIII. LVIII. LIX.) raro id accidit. In vera autem illa ankyloſi excreſcunt oſſium fibræ extremæ & cum alterius oſſis extremo conjunguntur. Perinde nempe ut in callo fractorum oſſium fieri ſolet, cujus naturam dum Londini adeſſem inveſtigabat amicus ornatiſſ. J. Hunterus in oſſe femoris ante 3. circiter hebdomades fracto; repletis primo arteriis glutine fabrorum colorato. Reperit autem oſſium extrema haud tanquam recenter fracta, marginibus acutis, &c. ſed obtuſiora reddita, propullulantibus fibris inſtar creſcentis oſſis. Similiter & fiſtucæ intumuerant. Mollem autem callum, extremis; ac meditullio in primis firmiter inhærentem, vaſis ſanguiferis diſtinctum, quæ cum ramulis [illegible] cernebantur ab oſſis meditullio procedentia. Aliis quoque exemplis oſſium olim fractorum vaſculis colore diſtinctis in lectionibus ſuis demonſtrabat cel. G. Hunterus M. D. callum, quippe pariter vaſis ornatum, haud eſſe concrementum inorganicum (*b*). Hinc nec ſucco quodam concreſcente ankyloſin naſci cenſemus: ſed læſa oſſium in articulis cruſta exteriore, progerminare vaſcula fibræque, & cum oppoſitis conjungi videntur. Congruit, quod (*c*) nat-

erat ſimilem, (nec tamen igne exploratam utrum arſerit, legitur) aut pituitam reſolveretur, nullo ſigno exteriore edito per plures annos, neque digito incurvato, magno vero cum ægroti dolore. In altero exemplo poſt ſeptem annos intumuit digiti extremum ac lumini oppoſitum fere pellucens viſum, amputatum extremum oſſis totum reſolutum eſſe repertum fuit in gluten craſſum pellucens, excepta lamina tenui ad articulum proxima. Neque igitur hic morbus articulum adeo ſed medium extremumve oſſis prehendiſſe videtur.

(*b*) Conf. & Diſſ. cl. *Dethlef*, *de Callo* Goettingæ ante quadriennium habitam. cum quo tunc in fele, cujus arterias cera repleverat, callum, qui duritiem jam & albedinem cartilaginis acquiſiverat; vaſculis diſtinctum obſervavi.

(*c*) In exemplo ankyloſis e *Cheſelden. Oſteogr.* t. 51. a *Widmanno* l. c. Fig. 16. mutuato.

narratur, partes oſſis femoris cum tibia concretas aliqua vi ſeparatas apparuiſſe ſanguinolentas inſtar oſſis a quo pars carioſa præmature avulſa eſt. — De aliis ankyloſis ſpeciebus diximus §. XLI. & XLV. dum nempe ankyloſis generatim pro rigiditate juncturæ ſumitur: proprie recurvationem ſignificat.

§. LXII.

Alius eſt intus in oſſis plerumque extremo naſcens morbus; *Spina ventoſa* dictus. Suppuratio nempe ſ. ichor circa medullam oriens, unde corroſo oſſis meditullio ſenſim diſtenditur extenuata lamina exterior, donec eroſa ichorem ad exteriora dimittat. Hicce morbus, cum ſtrumis conjunctus, plerumque prehendit juniorem ætatem. * Attamen eodem correptus fuerat vir XXIV. annos natus, cetera ſanus ut videbatur ac robuſtus, cui Londini in Georg. noſoc, genu amputavit cl. Cæſ. Hawkins. Ante biennium *ſubito noctu dolor* vehemens profundus in tibia paullo infra genu ortus fuerat. *Anni intervallo*, poſt varias doloris graves acceſſiones, interpoſitaſque remiſſiones, *intumuerat* oſſis extremum, haud ceſſante dolore. Reſecto articulo, *cavum* fere pugni magnitudinis *in medio tibiæ* capite eroſum: cruſta exterior expanſa integra quidem ſed valde tenuis reperta. Fibula incolumis. — Morbus hicce duritie tumoris, lente orientis, aliiſque ſignis dignoſcendus, cum fungoſo tumore, quod faciunt nonnulli, minime confundendus eſt.

§. LXIII.

Sic & peculiaris eſt *tumor* capitum oſſium *rachiticus*, quo ad articulos quaſi œdematoſa turgent, de quo noſtrum hic non eſt agere. Neque hic tument circumpoſitæ partes molles: quin potius extenuantur, ac celluloſa tela adipe emuncta collabitur. Commiſſuræ tantum abeſt ut rigeſcant, ut potius præter ſolitum flexiles obſerventur. — *Pædarthrocace* vocabulum ambiguum eſt.

§. LXIV.

Tam varii igitur exſiſtunt circa articulos morbi. Neque omnes hic recenſuiſſe videri volumus. Sic & ſcorbutici occurrunt, cum, vel ſine dolore, de quibus auctores de hoc morbo conſulendi: mihi propria illorum natura haud perſpecta eſt. * Vidi autem in Georg. noſoc. feminam 30. circiter annos natam, cui ex biennio jam *tumor durus* tam *genuum* quam *carporum* ortus erat, *abſque* ullo præcedente aut concomitante *dolore* ſed *cum artuum debilitate*, qua & aliæ commiſſuræ laborabant, nec tamen tumentes. Gingivæ malæ diu ſcorbuti labem oſtenderant. Vitium pertinax erat.

§. LXV.

§. LXV.

Ganglium quoque cum tumore fungoſo a quibuſdam confunditur. Verum propria ganglii ſedes non in artuum commiſſuris ſed juxta eas ſupra tendines eſt: fungusque non ſacculo contentus, ſed diffuſus in textura ligamentorum tumor eſt. Ganglion (*d*) circumſcriptum, collectione oritur ſpiſſi humoris, diſtendentis cavernulas telæ celluloſæ tendinibus adjectæ, ex eaque compreſſa velamentum ſibi formantis. Hinc ſphærica eſſe ſolent & quodammodo mobilia, cum anguſtiore baſi tendinibus adhæreant. Cenſet cel. Ellerus (*e*) exiſtere ganglia dum liquor ad lubricandum tendinis motum intra membranam quæ vagina ejus dicitur ſecretus, rupta hac, in telam elabatur celluloſam. Verum hac ratione ad radicem ganglii foramen eſſe deberet in vagina hac reperiundum, cum arctam tamen adhæſionem ad tendinis fibras ipſe deſcribat Ellerus. Videtur igitur accretione hac potius ſecludi a tendine humor qui circa illum deberet effundi. Hinc ſi caſu, vel ictu de induſtria inflicto, rupto velamento liber illi rurſus ad tendinem acceſſus detur, diſcutitur ganglion.

MORBI SIMILES.

§. LXVI.

Tantum de variis differentibus morbis. Similes autem fungo articulorum mihi eſſe videntur *tumores perioſtei*, partis quippe pariter ligamentoſæ ſeu tenacis. Talium vero nonnunquam molis mirandæ hiſtorias reperimus. Veluti quem per ſe ortum deſcribit Chirurgus Pariſinus cl. du Fouart (*f*) ubi ipſum femoris perioſteum enormiter tumefactum fuit: dolores adfuerunt ingentes: oſſiculum quoque liberum in eo inventum fuit, (conf. ſupra §. XXI.) aliaque cum eo quem hic tractamus morbo convenientia. Varia quoque ingenioſe de elicito ex eo tumore ſucco experimenta inſtituit V. cl. cujus maximam quidem partem eſſe gelatinoſam, ceteram lymphaticam reperit, unde & abſque corruptione diu perſiſtere poſſe hujuſmodi tumores concludit. Interim, quas reperit ejus qualitates, non peculiarem aliquem a morbo orientem ſuccum demonſtrare, ſed communes fere eſſe videntur glutini animali, quale quidem in tena-

(*d*) Prouti hodie vox accipitur: veteribus enim aliud quid, nempe durum in capite naſcens tuberculum, ſignificaſſe videmus e *Celſo* L. VII. c. 6.

(*e*) *Hiſt. de l'Ac. de Berl.* 1746. T. II. ganglii diſſectionem deſcribens.

(*f*) Dans les *Mem. de l'Ac. de Chir.* T. I. p. 271.

tenacibus partibus maxima copia reperitur, ſicuti & quodammodo glutinis fabrorum exemplo videmus. Hinc ipſam partis ſubſtantiam tumore adauctam dicere licet, neque adeo abſurdum videtur, quod veteres dixerunt, ſuccum nutricium copia majori accumulatum eſſe, quod quidem vel irritatione quadam, ab externa læſione aut intus generata acrimonia, vel debilitate partis, fieri poteſt: neque vero omnia tumorem conſtituentia acria aut morboſa cenſenda. Sic & pericranii hujuſmodi tumores reperimus, qualis partem in qua capilli gignuntur fere totam occupans, corroſivo remedio circumcirca abſumptus, ſenſimque abſque gravibus ſupervenientibus ſymptomatibus ablatus deſcribitur (*g*). Alios ne memorem. Hi igitur abſque externo ulcere nati tumores ubi *fungi* dicuntur, convenit ſignificatio cum fungis articulorum, a quibus alios diſtinguendos diximus §. II. III. Solet autem iis perioſtei tumoribus os plerumque adroſum ſubeſſe.

MEMBRA AFFECTA.

§. LXVII.

HActenus de natura morbi. Membra quod attinet illo tentata, in omnibus fere brachiorum & pedum articulis accidere poſſe, ait Heiſterus (*h*). Atque a vexatione quidem aliqua cuivis id articulo accidere poſſe mirandum non eſt. Sed & per ſe, aut translatione humoris noxii, variis locis oritur. Sic in *cubito* natum aliquoties vidi. *Coxæ* tumorem puero trienni ceteroquin ſano cum ſubita claudicatione ortum, ac a ſe diſcuſſum memorat Wiſeman (*i*). Tumorem *carpi* cum rigiditate juncturæ poſt rheumatiſmum in humero verſantem ortum ac ſanatum, narrat cl. Trioen (*k*). *Plures* etiam interdum alioſque ex aliis *articulos ſimul* afficit, ut in genubus vidi. A ſcabie pulſa in ægro quodam alteram poſt alteram carpi juncturam acerbo dolore ac duro tumore affectam, dein & genua tentata: eliſum tamen medicamentis malum, narratur (*l*). Quin, virum vidit cel. Cullen Prof. Edinb. cui, cum frigori fuiſſet expoſitus ſub dio cubans, multumque fatigatus, unum primo, dein alterum genu, porroque *omnes membrorum articuli* fungoſo tumore affecti motuque capti eſſent (*ll*). Nullum vero articulum, vel per ſe vel ob læ-

(g) *A. N. C.* D. II. A. 8. obſ. 227.
(*h*) *Chir.* l. c. §. 1.
(*i*) L. IV. c. 4. p. 477.
(*k*) *Waarnem.* p. 183.
(*l*) *A. N. C.* D. II. A. 8. obſ. 155.
(*ll*) Ut Edinburgo amicus ornatiſſ. *Rob. Ramſey* ad me ſcripſit.

læſionem illatam, ſæpius, neque alium majori cum periculo prehendit quam genu, id quod & auctores varii notarunt. Major hic articulus, majori ligamentorum apparatu comprehenditur, ceteris quoque partibus ſtructuram aliis magis compoſitam faciliuſque viriatam habet, ne dicam, quod motu corporis magis quam alii afficitur, & vexationibus magis eſt expoſitus. —— Hinc & *genuum tumor inprimis* hoc tractatu *ſpectandus* nobis videbatur.

TEMPUS.

§. LXVIII.

TEmpus *hibernum* (*m*) atque *autumnale* maxime origini & incremento hujus vitii locum dare obſervamus, atque univerſim triſte ac varians cœlum (*n*), ſub quo ſemper ægri hi pejus ſe habere ſolent. Præterea ab interna cauſa, vel apparente vel obſcura ſubito exiſtentes tumores, *noctu* utplurimum oriri ſolent, uti variis exemplis notavimus, ubi nihildum ſentientes mali cubitum iverant, noctu expergefacti pungente dolore genu, idque mane tumidum repertum erat (*o*).

CAUSÆ.

§. LXIX.

SI cauſam examinamus hujus mali, duplicis eam eſſe generis videmus. Oritur enim vel ab injuria *extrinſecus* articulo illata, quod vulgo notum eſt: vel ab *interno* aliquo vitio, quod minus quidem frequenter obſervatum, attamen haud raro occurrit. —— Ad *externas*, quæ fere ad *irritationem* & *debilitationem* referri queunt, pertinent vulnus (*p*), nec ſolum in articulum, ſed & juxta eum inflictum, uti & propinqui oſſis fractura: ictus, contuſio, lapſus, preſſio, ut in iis qui multum genubus incumbunt: luxatio, aliave circa articulum vexatio. Quin & ſola diſtorſione levi, nixu muſculorum ligamenta diſtendentium, ut veſtigio fal-

(*m*) Confer. loc. *Prænot.* infra §. 83.
(*n*) Hujuſmodi tempus erat in Perintho quod deſcribit *Hipp.* L. VI. *Epid.* Sect. 7. §. 1. cum frequenti ventorum auſtralium ac borealium & nivis permutatione; ubi ex tuſſibus gravibus articulos ſæpe affectos memorat §. 72. Foeſ. §. 11.
(*o*) Idem notat *Wurtb.* Chir. p. II. c. 18.
(*p*) Conf. *Celſ.* V. c. 26. §. 28. *Wurtz.* Chir. p. III. c. 15.

fallente: etiam a motu nimio articuli, ut in fatigatis ambulando, præcipue ſi frigus acceſſerit, excitatos hujuſmodi tumores vidi. Hippocrates (*q*) ubi maxime & frequentiſſime equitent homines, ibi, ait, plurimis *κέδματα* oritura (de quib. vid. §. VI.) & iſchiades ac podagram. & exemplum (*r*) affert.

§. LXX.

Ab interno vero *vitio* 1. interdum *per ſe* circa commiſſuram *accumulantur humores:* rationemque hic ſæpe nec ægri reddere ullam queunt nec medicus inveſtigare (*ſ*). Variam autem ſubeſſe poſſe, colligere licet: nec *humorum* ſolum qualecunque vitium, ſeu *lentor* ſeu irritans *acrimonia* fuerit; ſed *partium* quoque *firmarum*, quo fiat ut hoc loco hoc tempore congerantur humores. Et hic poteſt ſtrictura vaſorum *rigiditate* aut *ſpaſmo* laborantium; poteſt & *laxitate* & *torpore* peccantium vitio congeſtio fieri. Neque hæc conjectura adeo & vana ratiocinatione aſſequi licet, quam prudenti nocentium ac juvantium obſervatione utiliter intelligi.

§. LXXI.

Victus denſior ut malum corporis habitum inducere, ſic in cauſa hujus morbi eſſe poteſt. In Æno qui propter famem aſſiduo leguminibus veſcerentur, crurum impotentes factos, etiam qui orobo uterentur genuum dolore affectos, notat Hip. (*s*). In Scotia pauperes quales frequenter hoc articulorum vitio laborant pulte potiſſimum avenacea vitam ſuſtinent, jam & Solani bulbis eſculentis multum veſcuntur.

§. LXXII.

Præterea, 2. *derivatis* ab alia quadam corporis parte *humoribus* noxiis, morbus in articulum decumbit, quam quidem *μετάςασιν* plerumque dicunt medici, *ἀπόςασιν* Hippocrates (*t*). ſic a *febribus* variis (*u*), a *morbil-*

(*q*) *De Aër. loc. & aq.* c. LII. *Fœſ.* p. 293. l. 52.
(*r*) *Epid.* VII. c. LVIII. 11. *Fœſ.* 112.
(*ſ*) Vulgus, ubi dolore aliquo abſque cauſa manifeſta præcipue circa articulos corripiantur, guttam ſanguinis (*Bluts Tropſen*) eo defluxiſſe, dicere, memorat *Fabr Hild. Epiſt* 3. p. 959.
(*s*) *Epid.* II. Sect. IV, 34. ſeq.
(*t*) Hac voce enim quamlibet materiæ translationem, qua liberata aliqua parte alia prehenditur; nec ſtricto ſenſu abſceſſum cum ſuppuratione ſignificari, facile ex variis Hippoc. locis intelligitur. Quod & monet cl. *Brendel.* in Diſſ. cit. *de Abſceſſibus.* Conf. *Epid.* I p. 944. G. *Fœſ.* de quartana, ubi ap. Linden. Sect. 2. §. 34. in Græco textu verſus omiſſus eſt.
(*u*) Conf. *Mem. de l'Ac. des Sc.* A. 1728. *Obſ. ſur une Ankyloſ.* & Hippocratis loca infra afferenda.

billis, a *variolis* (*v*) natos vidi hujuſmodi tumores, a febre ephemera interdum in feminis puerperis oriuntur (*x*).

§. LXXIII.

A *menſtruorum ſuppreſſione* variis exſtitiſſe obſervavi, idque ſubito aliquando noctu inſequente. A *Dyſenteria* intempeſtive ſuppreſſa ἀπόςασιν interdum in articulis excitari notatur ab Hipp. (*y*) Et Cel. Brendel (*z*) ad hunc ipſum locum addit: aliquoties ſibi obſervatos fuiſſe a dyſenteria tumores ad articulum inprimis utrumque tibiæ ſubnatos: & cum nonnulli, inter tumores hujuſmodi dubie levati; tandem intabuiſſent, quibuſdam convaleſcentibus abſceſſus purulentos & in uno alteroque ſcabiem in ſocietatem vindiciarum veniſſe [*a*].

§. LXXIV.

Item ab *hæmorrhoidum* aut *ſanguinis e naribus fluxus ceſſatione*. * Exemplo ſit puer Londini a me viſus quem curabat Cl. Amb. Dawſon M. D. Is per 7 annos copioſo ſanguinis e naribus fluxu multum debilitatus fuerat, jam vero fluere ſanguis ceſſaverat. Scrophula aut Rheumatiſmo ſe laboraſſe negabat. Articuli facile intumeſcebant. Nam & genu dextri tumor fungoſus indolens ab offenſione aliquoties ac demum a nimia ambulatione ortus erat. Tali quoque articulus in eodem pede, qui præ altero debilis videbatur, ſæpius a levi diſtorſione intumuerat: cumque verſaretur in noſocomio Georg. ſubito aliquando abſque cauſa manifeſta cubiti ſiniſtri fungoſus tumor cum dolore oriebatur, ſed abſque adhibitis medicamentis quatriduo elapſo abibat, rurſus poſtea ingruens. —— Memorabilis hic locus Hippoc. [*æ*] ubi „ circa articulos dolores ac tumores „ qui a podagricis differant [*b*] exiſtere ait illis qui *viſcerum tumore* laborent [*c*], & capitis dolore, ac quibus in pueritia & juventute ſanguis ex naribus fluxerit, dein fluere deſierit ". Ibidem alia ſigna enarrat, vitium hoc ab hypochondrii morbo oriri oſtendentia, ut hæmorrhoides, pruriginem in pectore & dorſo, & ſi quis magnis conflictetur ventris doloribus abſque alvi reſolutione.

§. LXXV.

(*v*) Conf. exemplum in cubito ap. *J. v. Wyck Aanmerk.* n. 22.
(*x*) V. cl. *Simſon Med. Eſſ.* vol. IV. n. 20.
(*y*) *Coac.* III. 290. *Fœſ.* 462. coll. *de Vict. acut.* c. LIV.
(*z*) Diſſ. cit.
(*a*) Conf. §. 25. allata.
(*æ*) *Prædict.* II. c. 47. *Fœſ.* p. 113.
(*b*) „ Sine podagra ſimilibuſque morbis " hæc reddit *Celſ.* II. c. 7. p. m. 59.
(*c*) Sic ægram vidi in Edinburgenſi noſoc. cui a morbillis primo abdomen inflatum fuerat: inde in genu incubuerat vitium. De qua §. 84.

§. LXXV.

Libro de humor. (*d*) ait, „ etiam *a tuſſi* perinde ut a febre ad arti„ culos interdum verti materiam „ : innuens obſervationes epidem. (*e*) ubi ſcribit „ a tuſſibus cum laſſitudine etiam ad alia loca infirma im„ petum fieri, maxime autem ad articulos: &, ſi tuſſes ſiccæ, qua„ les in febre cum laſſitudine exſiſtant, ita inhæreant; hinc, & a fe„ bre, articulos prehendi (ἄρθρα ςηρίζουσι) ". Et (*f*) tuſſis in in„ fantibus, cum alvo fuſa & febre continua, ſignificat, inclinante morbo „ bimeſtri ſpatio, ſeu ut plurimum *viginti diebus*, ad articulos etiam tu„ mores exſtituros. (*g*). Qui quidem ſi inferiores articulos prehende„ rint, liberant a morbo; minus autem ſi ſuperiores, niſi tamen ad „ ſuppurationem veniant" . (Hinc, non omnes hujuſmodi abſceſſus cum ſuppuratione eſſe, patet.)

§. LXXVI.

In *laxis corporibus*, pueris, feminis, phlegmaticis, *cacochymicis*, maxime oriri hunc morbum obſervat Cl. Slevogt. [*h*]. Sane omnis fere generis vitia in corpore hærentia ad articulos vergere poſſunt. Sic ab *ſcabie intus pulſa*, interdum hoc malum oritur [*i*]. Illos qui *ſtrumis* ſeu *ſcrophulis* laborant ſæpius corripit, ætate præſertim nec dum adulta. Hunc tamen corporis habitum pro unica quaſi fungi articulorum cauſa temere habere videntur in Anglia varii [*k*]. Verum equidem ægros examinans, vix ſcrophuloſos magis quam alios eo laborantes deprehendi: variique, nec ſe ipſos nec parentes fratresve ſtrumis laboraſſe, affirmarunt: ac ſtrumæ potius oſſa ad articulos afficere ſolent, ſpinam ventoſam inducentes, de qua §. 62.

§. LXXVII.

Frequentius autem vitium, quo laboraverint ægri qui hoc articulorum tumore

(*d*) C. 3. § 103. *Fæſ.* 35.
(*e*) L. VI. Sect. 7. §. 72. *Fæſ.* 11.
(*f*) *Epid* VI. Sect. 1. §. 34. *Fæſ.* 11.
(*g*) Vid. Exempl. *Epid.* IV. c. 18. §. 13. *Fæſ.* 29. Conf. *Epid. II.* 1. §. 55. *Fæſ.* 56. Exemplum quoque tumoris genu in puella debili tuſſi laborante affert *Wiſeman* L. IV. c. 4. p. 482.
(*h*) Diſſ. cit. §. 16. *Scorbuticus* fuiſſe videtur vir tumore genu laborans cujus ſymptomata cum fungoſo conveniunt ap. *Hippoc. Epid.* VII. c. 26. §. 13. ſeqq. *Fæſ.* §. 55. ac ſpeciem fuiſſe ait quaſi ſubeſſet ſuppuratio, qua fungum quoque varios decepiſſe infra dicemus.
(*i*) *A. N. C.* D. II. A. 8. obſ. 155.
(*k*) Quod abſque controverſia ita ſe habere ait *Turner art of Surg.* T. I. p. 124. 156. 160. *Wiſemanus* ne diſtinguere quidem omnino hunc morbum a ſcrophuloſis ſymptomatibus videtur: nulla tamen ejus indicia memorat in ægris p. 477. obſ. 5. & 6. quos ſani habitus fuiſſe ait.

more afficiebantur, mihi nullum viſum eſt quam *Rheumatiſmus*, qui quidem morbus vehementer ex aliquot annis in Britannia invaluit, eoque ſe antea conflictatos plures narrabant ægri, variis & ſubito inde fungus natus erat, ac decumbente in aliquem articulum pertinaci hujuſmodi tumore, ceteri artus etiam tunc affecti vago morbo liberati erant [*l*].

§. LXXVIII.

Huc quoque referre poſſumus eos quibus a *frigore ſuſcepto* atque *humiditate* corpori admota, mox in articulo aliquo fungoſus tumor natus erat abſque aliis per corpus vagantibus doloribus, quæ haud rara hujus mali cauſa eſt [*ll*]: eaque media quaſi inter externas internasque cenſenda, cum ii præſertim hinc laborent qui Rheumatiſmo antea tentati fuerant, neque aeris injuria juncturam aliquam reliquo corpore magis læſerit.

§. LXXIX.

Univerſim notandum: alterutram harum, vel internam vel externam cauſam, ſæpe προηγουμένην eſſe, alteramque προκαταρκτικὴν accedere [*m*], aut ortum jam ab altera malum altera accedente gravari atque confirmari. Sicuti ortos a vexatione quadam articuli tumores exacerbatos vidi a variolis aliiſve febribus, a ſuppreſſis menſtruis, aliove morbo accedente: contra qui ab interno vitio nati erant verſos in deterius a frigore admiſſo, motu nimio, ne dicam de contuſione aut vexatione aliqua graviore.

§. LXXX.

De manifeſtioribus autem cauſis locuti ſumus. Cruditatem, ſalſum quid, ſimiliave in humoribus vitia memorare, vix melius rem explicat quam caloris nativi defectus ac humidi radicalis imminutio, qualia veteres accuſare ſolebant.

PROGNOSIS.

§. LXXXI.

Cum cauſis *ſigna* conjuncta ſunt. Ea quod attinet, quæ vel ante vel in hoc morbo obſervantur, varia in accuratis reperimus Hippocraticis commentariis, quæ comparatione illuſtrare poterimus, cum ſeorſim ſpectata quædam ſint obſcuriora. Diximus jam de voce ἀπόστασις §. LXXII.

(*l*) Conf. §. 39. & §. 97.

(*ll*) Hujuſmodi exempl. affert & cl. *Becker* Diſſ. cit §. 12.

(*m*) Neque aliter fieri poſſet ut a leviſſima interdum læſione articulus intumeſceret, niſi quia vitioſa jam in corpore lateret materia, quæ facile data occaſione huc incumbit.

Ubi igitur de ſuppuratione nihil additur, de hujuſmodi etiam inveteraſcente tumore, qualem a variis morbis ad articulos interdum oriri modo notavimus, licebit verba Hippocratis explicare. Sane [*n*] diſtinguit abſceſſus ſuppurantes ab aliis, & alibi [*o*] adjicitur expreſſe „ *abſceſſum* do- „ lorificum *ſuppurantem* futurum ad articulos, nempe, quibus in febri- „ bus tremores citra judicationem ceſſent ". Conf. locum [*p*] ubi ait „ „ abſceſſus raro fiunt illis qui rigores habent " loquitur autem ſtatim de abſceſſibus ad articulos.

§. LXXXII.

Libro igitur de Humor. [*q*] notat „ *Quibus laſſitudinis ſenſus ſit in febre*, iis plerumque vel in articulos, vel in maxillas malum decumbere, „ prouti hac illave parte dolor oriatur. Ad ſuperiora quidem ut plurimum „ [*r*], præſertim ſi pedes frigidi ſint [*s*]. Sin lentus ſit morbus & deorſum vergat, ac potiſſimum *ubi pedes calidi ſint*, huc ſe inclinaturum „ vitium, ſignificari. Obſervandum &, utrum ſtatim a morbo aliquo „ *in manibus pedibuſve dolor* exiſtat, aut etiam ante morbum aliqua pars „ doluerit: illuc enim incumbere malum ", Atque huc pertinet quod [*t*] ait „ Debilitates crurum [obſervandæ [*u*]] „ qualem ſentiunt vel qui „ ante morbum, vel qui mox a morbo inambulant, quia forſitan in articulos malum incubuit atque inde exſiſtunt debilitates ", alibique *fatigationem* in cauſa eſſe innuit ut articuli prehendantur [*v*]. Hæc uti experientia conſtant, ita ſi mature obſerventur uſus ad curationem inſignis eſſe poſſunt.

§. LXXXIII.

Porro [*x*] effatur Hippocrates. „ *Si in longum trahatur febris* nec tamen interitus periculum ſit ægro, ubi dolor adeſt neque ob inflammatio-

(*n*) *Epid.* VI. Sect. I. 36. conf. ſupra §. LXXV, Sic & in *Prænot.* (*Fœſ.* p. 43.) c. 18. initio loquitur de abſceſſibus ad membra inferiora *in ſinuata ulcera erumpentibus*, quibus ſalutem afferri ait peripneumonicis: dein vero de tumoribus hujuſmodi lentis & qui retrocedere poſſint haud ſine periculo ægri.

(*o*) *Coac.* I. 198. *Fœſ.* 141.

(*p*) *Epid.* VI. Sect. I. 25. *Fœſ.* 10.

(*q*) C. III. §. 97. ſeqq, *Fœſ.* p. 49. coll. *Celſ.* L. II. c. 7. p. m. 65. Atque hinc ſumti *Aphor.* IV. 31-33.

(*r*) Τὸ σύμπαν, quod male reddiderunt interpretes *in totum*, & hoc & aliis in locis, ſignificat id quod plerumque fit, uti vel ex contextu perſpicere licet. Supplendum: πὸ σύμπαν εἰπεῖν. i. e. *ut ſummatim dicam.* Similiter & alii auctores Græci loquuntur. Vid. Indicem *Dionis Caſſii* Edit. Hamburg.

(*s*) Conf. *de Vict. acut.* XLV. 3. *Fœſ.* p. 399.

(*t*) *Epid.* VI. Sect. I. §. 26. *Fœſ.* 11.

(*u*) Quippe vox σκεπτέαι in his omittitur. Conf. ib. Sect. II. §. 26. *Fœſ* 11.

(*v*) Vid. de viro cui in genu ac poplite (de quo conf. ſupra §. 11.) tumor exſtiterit, *Epid.* VII. c. 26. §. 13. *Fœſ.* §. 55. & exempl. pueri *Epid.* IV. c. 18. §. 13-18. *Fœſ.* 29. ubi κρίσις eſt ἀπόστασις. conf. c. 17. *Fœſ.* 26. Adde de paralyſi c. 28. *Fœſ.* 39.

(*x*) *Prænot.* c. XXIV. §. 9. *Fœſ.* p. 45.

„ tionem aliquam neque ob aliam quandam cauſam manifeſtam, translatio „ materiæ *cum tumore & dolore* in articulum aliquem exſpectanda, ma- „ xime in membris inferioribus. Potius vero fiunt hæc & breviori tempore „ iis *qui necdum triginta annos nati* ſunt: ſenioribus minus [*y*]. Diſpi- „ ciendum autem de translatione ſtatim ubi XX. dies exceſſerit febris, ſi „ continua fuerit. —— Sciendum præterea, has translationes *hieme* potiſſi- „ mum fieri & tardius ceſſare, minuſque intro recurrere" [*z*].

§. LXXXIV.

Alibi [*a*]: „ ſi *temporum venæ* [i. e. arteriæ temporales] haud ſub- „ ſidant, [nimis diſtentas exponit Galen.] nec ſplendidus [aut forte can- „ didus) virideſcens color ſit, ubi ſpiritus intus hæſerit, aut tuſſis ſicca „ haud ferox adſit, in articulos malum incubiturum eſſe [ἐς ἄρθρα ϛ'ηριξιν] „ exſpectandum eſt, [cujus & exemplum notatur appoſitum [*b*]:] id- „ que ut plurimum *eodem latere quo inflatio ventris* adeſt. Plurimi autem „ horum *ruborem facie* præferunt, licet ceteroquin candidioris habitus ſint, „ neque iis ſanguis ex naribus profluit aut non niſi paucus: & ubi fluens „ ceſſaverit, tunc imminet [illa translatio. Conf. loc. §. LXXIV. allat.] „ Similiter ſi ſitis remanet, & oris ſiccitas, ac ſapor ingratus, cibique „ faſtidium. Hæ autem febres haud acutæ ſunt, ſed reverti ſolent". * Sic ægram Edinburgi vidi XVIII. annos natam, quæ *a morbillis* [tuſſi haud vacantibus] *abdominis* primo *tumore* ſe affectam fuiſſe, quo adhibitis remediis mox abeunte, in *genu* decubuiſſe vitium ajebat, qnod jam *per* 12. *annos*, pertinaci, *haud ſuppurato*, olim cedente dein a vexatione rurſus exaſperato, fungoſo tumore laborabat. Erat autem *coloris floridi*, cetero quoque corporis habitu ſana. Et [*c*] Chr. Fr. Garmannus refert, juvenem XVII. annorum in ſiniſtro hypochondrio primum, poſt circa genu illius lateris leves quoſdam ultra menſem ſenſiſſe dolores, quibus neglectis tumorem circa genu ortum quo claudicaverit. Queſtum eſſe ægrum, e ſiniſtro hypochondrio materiam calidam & acrem ad genu ſibi defluere vi-

deri.

(*y*) Sane ex pluribus quibus ortos hujuſmodi tumores vidi, vix unum atque alterum ætate majorem fuiſſe memini.

(*z*) Conf. §. 68. Translata hæc, minus tamen diſtincte, & paullum immutata in *Coac.* I. 202-207. *Fæſ.* 143. quo reſpicit *Celſ.* II. c. 7. p. m. 64. l. 21. qui quidem de ſuppuratione hæc exponit & ib. l. 3. *φυματα abſceſſus* vertit. Congruit & cum hoc loco *Aph.* IV. 44. & VII. 63. (65.) Add. *Coac.* I. 168. *Fæſ.* 118. *de Vict. acut.* c. XLIX. *Fæſ* p. 400. coll. c. XLV. In *Aphoriſm.* autem poſt l. c. ponitur IV. 45. „ Quibus tubercula ad articulos aut dolores oriuntur ex febribus, ii cibis utuntur ni- „ miis" & VII. 66. (64.) „ longa tubercula, aut in articulis dolores." Pertinet etiam huc illud *Epid.* VI. Sect. 4. §. 1. 3. itemque *de Judic.* X. 3. & *de Humor.* ſub fin. de tuberculis circa aurem haud ſuppurantibus ac diſparentibus itemque *Prænot.* c. 18. *Fæſ.* p. 43. de translatione materiæ *a peripneumonia.*

(*a*) *Epid.* VI. Sect. 2. § 27. *Fæſ.* 11.

(*b*) *Epid.* IV. c. 18. §. 13. *Fæſ.* 29. coll. c. 17. *Fæſ.* 26.

(*c*) *A. N. C.* D. I. A. 9. obſ. 63.

dati. Quem dein deſcribit inciſione ſupra genu emiſſum humorem cum portiunculis quas fungoſas vocat, materia meliceridis eſſe videtur quam deſcripſimus §. XVII. Perioſteum in femore conſumtum fuiſſe, atque intus quoque in commiſſura cartilaginem luxuriantem fuiſſe deprehenſam [de qua §. LVIII.] Eam vero cauſam fuiſſe tumoris genu haud magis mihi probat, quam femur quoque inde tumidum fuiſſe; ac obſcurius rem deſcribit.

§. LXXXV.

Pergit Hipp. [*d*] ,, Quæ poſt judicationem [ſeu morbi exitum] relinquuntur, reverſiones faciunt. Hujuſmodi igitur ſunt primum lienis tu-,, mores, niſi illi in articulorum tumores abeant, aut *e naribus ſanguis* ,, *profluat*: tum dextri præcordii inflatio, niſi hæc ſolvatur urinæ excre-,, tione [*e*]. Utrumque enim horum ubi poſt morbum relictum fuerit, ,, febrem reverti probabile eſt ". Ita quidem reddendus mihi, collatis aliis, hic locus videtur [*f*].

§. LXXXVI.

Porro *ab excretionibus* hæc ſigna ponit [*g*] ,, Quibus alvus ab initio fuſa, ,, urinæ autem paucæ ſunt, dein alvus ſupprimitur, *urina* vero *multa* fer-,, tur eaque *tenuis*. his incumbet morbus in articulos [*h*]. Huic contra-,, rium aut mancum videtur, quod [*i*] ſcribitur " urinam craſſam ex qua quod deſidit album eſt, ſignificare circa articulos dolorem ac tumorem ——.

§. LXXXVII.

Sane alibi [*k*] teſtatur ,, *urinam craſſam*, *albam*, qualis in febribus ,, cum laſſitudinis ſenſu quarto die aliquando prodeat, (haud imminentem

(*d*) *Epid.* VI. Sect. 2. §. 32. *Fœſ.* §. 12.

(*e*) Conſ. *Prædict.* II. c. 48. *Fœſ.* p. 113. *Epid.* IV. c. 3. *Fœſ.* §. 3. ubi ſenſus inverſione nullus redditus, (*Editionem* tamen *Vindobonenſem* ad manus mihi haud fuiſſe, fateor:) ſed nulla difficultas eſſe videtur, ſi interpreteris: " Lienes aliis tu-,, midi non erant, quibus vero dextera præcordia inflata fuerunt (forſitan ἐντεταμένοι ,, pro ἐκτετ. leg.) & manu admota murmur aliquod edentia. His ſanguis fluxit, ,, ac urinis ejiciebatur morbus ac ſolvebatur. Multo magis vero habebant deorſum ,, (ſcil. incumbentem materiam, ἀποστάσεις) —— Qui ſic affecti non erant, ſed lie-,, nes habebant tumidos, iis *e ſiniſtra nare ſanguis manabat.* " Quæ omnino congruunt cum loco hic in textu allato.

(*f*) Similia exſtant *Epid.* II. Sect. 3. §. 71. *Fœſ.* p. 1027, Add. exempl. tumoris genu *Epid* IV. c. 14. §. 15. *Fœſ* p. 1129.

(*g*) *Coac.* VI. 61 *Fœſ.* 619.

(*h*) Conf. *Prænot.* c. XI. §. 17. *de Judic.* VII. 6. *Coac.* V. 40.

(*i*) *Prædict.* II. c. 10 §. 7. p. 88. *Fœſ.*

(*k*) *De humor.* ſub fin *Epid.* VI. Sect. 4. §. 3. *Fœſ.* 2. & *de Judic.* X. 5. quorum alter ex altero illuſtrandus & corrigendus locus.

tem ſignificare, ſed) „ *liberare ab abſceſſu (ad articulos)*. Quodſi & præ„ terea e naribus ſanguis haud parce fluat, omnino ſecuros præſtari": ſeu „ plane cito liberari" (*l*). Sic & in loco illo Prædict. (*m*) id ex urina cum aliis enumeratur ſignis, nempe " Quibus circa articulos dolores at„ que tumores oriuntur & deſinunt, ratione haud podagrica; in iis in„ venies viſcera tumida, ac in urina ſubſidere album quid, ac, ſi tem„ pora attollantur (*n*), ea ſæpe dolere dicet æger: dicet & noctu *corpus* „ *inſudare*. Quodſi vero haud ſubſidat ejuſmodi quid in urina, neque ſu„ dores accedant; metus eſt ne claudi fiant articuli [*o*], aut ſubnaſci in „ iis exulcerationem quæ μελικηρὶς vocatur". Item *alvi reſolutione* averti articulorum affectionem innuit, dum iis oriri hoc vitium ait quibus magni exiſtant ventris dolores abſque dejectione [*p*]. Exemplum febris, vomitu, fluxu ſanguinis, urina & ſudore [abſque abſceſſu] ſolutæ, affertur [*q*]. Videtur *febris rheumatica* fuiſſe, ac membrorum dolores deſcribit κοπιώδεα τρόπον. Neſcio igitur an κοπιώδεις πυρετοὶ ſint forte rheumaticæ, cum ſane & ex hoc morbo fungum articulorum ſæpe exiſtere ſupra notatum fuerit §. LXXVIII.

§. LXXXVIII.

Sanguinis fluxum etiam pueris tuſſi laborantibus [conf. §. LXXV.] febrem ſolvere ait ceteroquin tumores articulorum parituram. Fluere autem his minus quam ætate paullo provectioribus [*r*]

§. LXXXIX.

Sed plura excutere non vacat. Atque hæc quidem ſigna in noſocomiis

 adeo

(*l*) Ut ſcribitur *Aph.* IV. 74. *Fœſ.* 73. ubi eadem etiam clarius explicantur. Conf. de ſanguinis fluxu *Prænot.* c. 22. & c. 25. §. 12.

(*m*) II. c. 47. *Fœſ.* p. 113.

(*n*) Intelligit forſitan: ubi arteriæ temporales inflentur. Conf. ſupra § LXXXIV.

(*o*) Sic *Prænot* c. XVIII. §. 17. *Fœſ.* p. 43. ubi *a Peripneumonia* translatio materiæ ad pedes fiat „ *ſi ſputum non bene reddatur*, neque urina ſubſidentiam bonam „ exhibeat, periculum eſſe, ait, ne claudus fiat articulus aut multum exhibeat negotii". Quæ aliaque ibi memorata huc ſpectare videntur.

(*p*) Quæ dein ſequuntur: αὕτη γὰρ ἡ ἀρχὴ &c. non adeo de articulorum tumore agere exiſtimo, ſed de illo corporis vitio, cujus eum eſſe ſignum ſeu ſymptoma poſuerat, nempe de viſcerum (ac potiſſimum lienis) inflatione, quamvis *Celſ.* L. II. c. 7. p. 60. etiam lippitudinem cum articulorum vitiis conjungat. Verum is, laudabilis ceteroquin ſcriptor, quæ de morborum ſignis ex Hippocrate decerpſit parum diſtincte parumque accurate compoſuit. De lienis autem tumore ſimilia ap. *Hippoc.* alibi dicuntur. vid. *Prædict.* II. c. 41. *Prænot.* c. VI. §. 5. 6. 7. *Fœſ.* p. 111. & *de Affection.* c. 21.

(*q*) *Epid.* I. Sect. 3. ægr. 6.

(*r*) Præterea vid. *de Vict. ac.* c. XLIX. *Fœſ.* p. 400.

adeo accurate animadvertere vix licet: meliora tamen obſervaturus fuiſſem ſi Hippocratem antea legere mihi per tempus licuiſſet. Pauca jam ſubjungamus: quædam & in curatione ſparſim notanda ſigna.

§. XC.

Ubi per aliquod tempus perſiſtit articuli vitium, *caro* ejus *membri* manifeſto *emarceſcit*. Quod quidem a vitio aliquo circa articulos plerumque fit, ac ab Hippocr. jam obſervatum: quin, ſi in pueritia aliquid circa articulos noxæ inferatur, dein membrum quod affectum fuerat minus quam alterum creſcere [*s*]. Hic vero notabile, quod non ulterius ſolum extenuetur membrum [*t*], ſed & ſuperius, ut puta, non crus tantummodo ubi genu hoc modo laborat, ſed femur qooque inſigniter [*u*]. Unde colligendum, nervorum affectioni altius truncum debilitanti, partim & motus defectui, quod ſentit Hippocr. potius quam compreſſioni vaſorum nutrientium, tribuendam eſſe maciem iſtam: de cujus curatione infra.

§. XCI.

Tandem vero, naturæ relictum, aut male tractatum, aut ubi curationem nullam recipit, ſic procedere & exire hoc malum ſolet. Conficitur æger dolore, reſorptione materiæ acris, qualis hæc vel diuturna ſtagnatione tandem debet evadere, tabeſcit: aut circa ligamenta ortis meliceridibus, ipſa mox perioſtea atque oſſa rodente ſanie corrumpentibus, ſæpe & accedente aut ſimul exiſtente intus in capſa articuli acris humoris affluxu, cartilagines illic reſolventis, oſſa erodentis [*v*], conſumitur, ac niſi tunc reſecetur articulus *tabe perit*.

§. XCII.

Sanationem vero plerumque *arduam* eſſe fatentur Chirurgi [*x*]. Altius inhærentem tumorem, vetuſtum, atque durum, item, ſi cum exulceratione ſit, curationem habere difficiliorem, facile apparet. Ex diſſectione quoque videmus, quænam diſcuſſionem ægre concedant ac pertinax adeo vitium reddant, ſi nempe ipſa fibrarum textura ſpiſſior ſit reddita aliterve immutata [*y*], nullo fere effuſo apparente humore: cum hiſce

(*s*) Uti poſt ulcera profunda ad humerum, *de Artic.* c. 14. & *Epid.* VI. Sect. I. §. 37. A luxatione, *de Artic.* c. 13. §. 9. c. 57. ſeqq.
(*t*) Quemadmodum ponit cel. *Heiſter. Chir.* l. c. §. 2
(*u*) Cujus & exemplum affert cl. *Becker* Diſſ. cit. §. 16. *J. v. Wick*, *Beengeſwell.* c. 4. p. 114. & conf. *Hippoc. de artic.* c. LIX. 3. & c. XCIII.
(*v*) De quo ſupra §. 48. 58. 59.
(*x*) Cel. *Heiſt.* l. c. §. 3.
(*y*) V. § 22.

ce integris ſi humoris tantum congeſtio adſit in interſtitiis, quod ex tumoris mollitie colligendum, facilius elidatur, niſi tamen acris humor adrodat partes. Attamen dummodo nulla adſit partium intus in commiſſura ſitarum corruptio; concreta diſcuti, rigida ſolvi, aut corrupta jam a ſanis rejici, emaciata quoque habitum recuperare poſſunt, ſi modo adhibeatur attentio ac diligentia Chirurgi. Quodſi vero cartilagines, oſſa cet. intus affecta ſint; ſæpe res omnino deſperata, aut ſi aperto ulcere ſeparari corrupta ac purgari omnia queant, quod ſane, licet in ipſa junctura ſit caries, fieri nonnunquam poſſe videbimus, ankyloſis tamen vix evitanda. Sin extra capſam tantum abſceſſus adſint [de quib. §. 17.] iiſque apertis corruptæ ligamentorum fibræ reſolutæ ſeparentur, ſuppuratio bona fit, atque interdum ita quod malæ materiæ coiverat educitur, tumor ſubſidit, & ſanatur morbus. Alias tamen ligamenta faſciæve longe lateque circum inflammantur, & poſt apertos abſceſſus perſiſtunt mala ſæpeque ex ejuſmodi caſibus teterrima fœtens corrodens omnia ſanies exiſtit & cancri fiunt.

§. XCIII.

Signa autem hæc poſſumus afferre. *Si* vel ab externa cauſa, vel ab interna quoque *tumor fungoſus brevi exſurgat* [hydrops enim ſuis notis §. 46. dinſtinguitur]; tunc extra commiſſuram tantum hærere malum probabile fit, ac ſpes eſt poſſe ſanari. Contra, *ſi* poſt diuturnos alte ſitos dolores *lente oriatur tumor*, iſque *durus*; metus eſt, ad cartilagines oſſaque in junctura aut in ipſo oſſium meditullio hærere malum: quod quidem ubi amputatos dein articulos inſpicerem, ita deprehendi. Attamen nec ſemper malo hoc omine ſpes abjicienda. Vide exempl. ægri in quo hæc ita ſe habebant ſanati [z]. Prius igitur videndum, utrum fruſtra adhibeantur varii generis medicamenta.

§. XCIV.

Ex iis autem qui ſubito oriuntur, plus habent periculi & difficiliores curatu ſunt tumores *qui per ſe*, & potiſſimum ſi *cum liberatione a morbo aliquo*, quam qui ab externa vexatione in corpore ſano oriuntur. Ceteroquin a vitio aliquo in corpore hærente & ad hos accedere mali humoris derivatio poteſt ut prioribus fiant ſimiles.

§. XCV.

Tumor glandulæ ſeu maſſæ illius adipoſæ quæ in articulo ad patellæ ligamentum hæret, huic vitio junctus, [§. 50. extr.] pertinax eſſe ſolet etiam poſt fungoſum articuli tumorem diſcuſſum.

§. XXII.

(z) *A. N. C.* D. II. A. 8. Obſ. 155.

§. XCVI.

Fungoſi tumores ſi *ſoli* adſint, abſque interno in capſa vitio, præſertim benigni, dolore vacantes, *per annos plures* poſſunt *perſiſtere* abſque ſuppuratione & abſque alia ægri noxa [*a*]. Quin, ſi ex aliquo corporis vitio in articulum incubuerit malum, *melius inde quoad cetera ſe habere* ſolet *æger* [*b*]. Sic, ubi a menſtruis ſuppreſſis orti erant, præcordiorum oppreſſio aliaque mala ceſſaverant: ubi ex rheumatiſmo nati, deſiverant in aliis articulis dolores &c. Atque hæc inprimis denunciant *confirmari* in articulo vitium tale de quo agimus.

§. XCVII.

Contra, ſi partes olim laborantes rurſus prehendantur, velut ſi rheumatiſmus qui antea ægrum vexaverit redeat per plures articulos vagans; *liberari* ſolet is qui fungoſo tumore affectus erat.

§. XCVIII.

Verum, *cedente fungoſo tumore*, motiſque ſic diu ſtagnantibus humoribus aut cum liberatione corporis eo depoſitis, ſæpius *ægri* modo bene ſe habentes *variis premuntur malis*. Præſertim in mulieribus præcordia opprimi, difficultatem reſpirandi variaque velut ab obſtructis menſtruis oriri ſympromata vidi: ventriculus ſæpe aliæque partes internæ afficiuntur. Quod ſi fiat, graviter ac pertinaciter laborare, interdum adeo interire ſolent ægri. Qua de re memorabilia videntur hæc exempla. * Ægra quædam 25. circiter annos nata, *habitus floridi*, Londini in Georg. noſoc. medico utens Cl. Dawſono, *tumore genu* laborabat, qui menſe Decembri per ſe ortus erat, & remediis variis haud ceſſerat. Sed Martio menſe *cum febris* illi forte *ſuperveniret*, qua lecto per aliquot dies detinebatur, *ſponte abiit genu tumor*. Inde vero *ventris dolor atque tumor* exortus, quo poſt menſem etiam tunc laborans e noſocomio domum dimittebatur. Tunc acceſſit *urinæ ſuppreſſio*, ſic, ut nullum ad reddendam eam ſtimulum ſentiret, nec ullus in regione veſicæ tumor perciperetur. Uſu cantharidum expreſſa urina inſtar gelatinæ craſſa reddita. Balneum tepidum fruſtra adhibitum: applicatis autem circa lumbos pannis frigida madidis, bis terve lotium elicitum fuit. Veſicatoria regioni utriuſque renis ac ſimul tibiis applicanda ſuadebat Cl. Dawſon, quæ tamen neglexit ægra. Et cum Londino diſcederem, quintum jam menſem ſic laborabat, per

LXX.

(*a*) V. exempl. §. 84. *Maligni* contra i. e. rodentem humorem habentis hiſt. §. 21. allata.

(*b*) Hinc merito tunc inter *metaſtaſes* cenſendi.

LXX. tunc dies nihil urinæ reddiderat, atque œdemate per totum corpus affecta erat —— ** Ad alteram ægram adduxit me Cl. Douglas Chir. Lond. Hæc cum per ſex menſes, a frigore ſuſcepto, *rheumaticis doloribus* affecta fuiſſet, circa lumbos præſertim, femoribus quoque ſimul & *cruribus* adeo *debilitatis*, ut ſtare vix poſſet: demum *febris* acceſſit per tres hebdomades durans. Deinde in *genu* dextrum incubuit omnis morbi vis. Hoc *intumuit* doloribuſque pungebatur: *partes antea affectæ liberatæ* fuerunt. Sic per annum jam perſtiterat vitium, cum, fallente veſtigio, *procideret*, pedibus corpori ſubjectis. Inde laborans genu dolore tumoreque majori correptum fuit, præſertim, cum altero die inſuper *nimis ambulaſſet*. Tumor tunc circa genu fungoſus haud exiguus aderat: glandula quoque ſub ligamento patellæ turgebat. Pannos *aceto calido* tinctos adhibere juſſit Cl. Douglas, quibus levatum fuit malum. Suadebam deinde ut *hirudines* applicaret circa partem tumentem, quæ ſanguinis haud parum ſugentes profuerunt illi, uti & *purgans* medicamentum: ita ut melius ſe habere genu teſtaretur quam per ſex menſes elapſos. Supererat tamen tumor, præſertim ad partem interiorem circa flexorum muſculorum inſertionem, ad tactum valde dolens, item glandulæ tumor. Nec acetum jam, nec alia varia levamentum afferebant. Tunc auctor erat nonnemo, ut Emplaſtr. mercuriale circa genu applicaret: quod equidem, cum & ante a diſcuſſione viſcera affici ſenſerit ægra, & habitu ad phtiſin prono videretur, diſſuadebam, nec Cl. Douglaſſio placebat. Maluiſſem ſudore ex articulo ope Sp. vini accenſi elicito diſpellere malum, aut ulcere in pede excitato tumque trahendo, aliave ratione, materiam derivare & elidere. Illa vero conſilium ignoti ſecuta, *emplaſtrum* iſtud *mercuriale* applicavit, ac ſimul per XIV. fere dies quotidie *aquam calidam in genu infudit*. Mox hinc *ventriculus affici, ut quavis affuſione ſentiret nauſeam*. Simul ſupprimebantur menſtrua, quæ antea haud defecerant. Oppreſſiones præcordii cum tumore ac dolore ingraveſcebant, nec ſubigi poterant uſu aquæ menthæ, amarorum &c. *Sudoribus* quoque *noctu* accedentibus profuſis exhauriebatur. *Tumor* interim *genu ſubſedit*, nec adeo per affuſionem calidæ quam poſtea *cum empl. mercur.* ſolum *adhiberet*. *Glandula* tantum *adhuc* ſub ligamento patellæ *turgere* videbatur, atque extenſo pede ab utraque parte eminebat. *Motus* articuli *liberior* redditus erat, *raros* modo *dolores* in eo ſentiebat, cum *leviore debilitate*. Demum ventriculi tumor quidem aſſumtis medicamentis ceſſit. Sed *tabes* invaluit: pulſus exilis, celer: ſudores profuſiſſimi: tuſſis quoque acceſſit cum reſpirandi difficultate, quibus per 14 dies conflictata *obiit*, cum empl. merc. per ſex hebdomades in genu tuliſſet hujuſque uſus ſatis expeditus redderetur. —— Hippoc. [c] obſervat,

(c) *De Vict. acut.* c. XLIX. 11. *Fœſ.* p. 401.

vat, quodſi articulorum tumores, & hujuſmodi quæ cum liberatione à febre oriantur, retrocedant: ſi manus contrahantur, vel tremulæ fiant; ſpaſmum acceſſurum eſſe & delirium [*d*]. Atque hæc de prædictione ſufficiant.

(*d*) Conf de periculo ab retrocedentibus hujuſmodi in articulis a peripneumonia per materiæ translationem exſiſtentibus tumoribus *Prænot.* c. 18. §. 19. ſeq. *Fæſ.* p. 43. l. 27.

JAm *de curatione* quoque acturus eram, cujus cauſa cetera dicta ſunt: &, obſervationibus atque cautionibus variis notatis, affectum jam caput habebam. Sed cum vel ſic longius quam putaſſem protracta ſit Diſſertatio, alias iſthæc edenda erunt. Atque hæc interim ut æqui bonique conſulant, Viros rogare doctos debeo, & arte peritos de erroribus monentes pluraque benevole ſuppeditantes grato ſemper audiam animo. Nunc enim amplius mihi differre non licet red.tum in liberam & pacatam Patriam, cui ſumma hæc in humanis bona conſtanter benigniſſimum *Numen*, ſoluſque mortalium *Pater*, velit ſervare!

ADDENDA.

Ad §. X. fluctuantem-prodens) (*xx*) Interdum tamen hujuſmodi ſpecie fallens.

Ad §. XXVI.) ligamenta-dicant) (*gg*) Tendines etiam lente ſectos interdum ſine dolore ægrorum ſe obſervaſſe ait *Mee'kren* Obſ. Cap. LXV. vaginam illorum ſenſu majori præditam putat.

QUÆSTIONES.

I.

Oculorum ſenſu tantum ſeducti videntur auctores de internis ſenſibus agentes, cum de notionum omnium imaginibus in cerebro *exſtantibus loquuntur, eaſque non ſolum pingunt, ſed fere tanquam ſculptas fingunt.*

II.

Attamen, ne ab oculis quidem imagines ad cerebrum pervenire conſtat, nedum ab aliis ſenſibus. Quid igitur, niſi motus *quidam* tremulus? *At ille durare conſtanter nequit, & ab alio ſubſequente ſuffocatur, ac donec durat præſens & imago perſiſtit, [velut ubi oculi nimia luce perculſi fuerunt.] Quod ſecus ſe habet in notionibus memoria reconditis.*

III.

III.

Neque igitur in eo quod corporis eſt notionum ſenſibus hauſtarum veſtigia relicta demonſtrari poſſunt, & de receptaculo imaginum in cerebro *inanis opinio videtur. Sed contineri illas oportet vi entis cogitantis, quod corporis quidem ad eam rem organis opus habet: haud vero intueri tantum expreſſas in corpore imagines ex eo colligitur, quoniam & componit & mutat, cum ipſæ ſe in cerebro imagines immutare non poſſent.*

IV.

Poteſt igitur quod in corpore tam ad reminiſcendum quam ad cogitandum requiſitum eſſe obſervatur in ſola aptitudine ac facilitate uſus organorum *poſitum eſſe, &, quod recenter aut ſæpius oblatæ notiones revocentur facilius, vel ideo tantum fieri, quoniam uſu habitus acquiritur, veluti dum aliquis fidibus cantilenam ludere didicit, ubi, quis putet ſuccedentium ſonorum in cerebro imagines diſpoſitas eſſe?*

V.

Ut Archæi *veteres*, Animæ *(a cogitante diverſæ) Stahliani, ſic* Naturæ *vocabulo hodie ludunt multi, Numen fingentes providum & cum deliberatione agens. Quid autem Natura corporis noſtri, niſi* mechaniſmus *a Creatore univerſim tam ſapienter conſtitutus quam potuit maxime?*

VI.

Hinc declaratur, cur ſalutifera illinc plurima fluant: ſingulares effectus incommodi *[quales in Chirurgicis maxime apparent] non potuerint evitari, qui haud inciderent ſi Natura eſſet Numen caute de ſingulis motibus deliberans.*

VII.

Neque de verbis modo diſputatio eſt: ſed errores hinc ſequi debent medentis, dum pro ſalutari molimine *habet qui* neceſſarius *tantum ac noxius ſæpe* effectus *erat.*

VIII.

Sic febris intermittens *interdum quidem vincit cauſam ſuam, & per ſe ſalutem efficit: plerumque vero haud ſalutiferum, ſed neceſſarium tantum & corrigendum eſſe motum, inde colligimus, quia, quo diutius inhæſit eo magis debilitat hominem, eo difficilius ſanatur: tantum abeſt, ut ad valetudinem tendat. Nec illi ſuppreſſæ, ſed male curatæ, & cauſæ relictæ, tribuenda ſunt ſi quæ ſequuntur mala.*

CCXIII.

GEORG. ERNESTI STAHL

ET

JOAN. CONR. TIEFFENBACH,

DE

PODAGRÆ

NOVA PATHOLOGIA

DISPUTATIO.

Halæ 9. Junii 1704.

PROOEMIUM.

Qui vulgo queruntur, quod theoria medica cum praxi nihil cohæreat, de ea theoria loqui videntur, quæ vel hiſtoriam morborum in genere, vel ad minimum hiſtoriam temperamentorum, ætatum, morborum, his utrisque ſymbolice evenientium, & denique genericam convenientiam morborum, plane inſuper habeat. Sane enim, ſi abſtrahamus a generali illo conceptu, qui hiſtoriæ, ſeu experientiæ contrarius eſt, quaſi nempe quilibet homines, cujuslibet temperamenti & ætatis, quolibet tempore, cuilibet morbo expoſiti vivant, quotiescunque ſaltem generales iſtæ cauſæ in aëre, in cibo & potu, in acido & viſcido, & ſaporibus aliis, in mutatione figuræ humorum & pororum &c. eveniant: & potius experientia diſcamus, quod hoc non ita ſe habeat, ſed omnino certis diſpoſitionibus, certa hujusmodi pathemata obtingant: tunc revera nulla inſignis difficultas ſubeſſe videtur, quæ impediat, quominus non modo rationem facile inveniamus, cur tali conſtitutioni talia accidant: ſed etiam methodum practicam tanto facilius concinnemus, quæ his circumſtantiis ſatisfaciat: vel etiam methodos probatæ veritatis, intelligere valeamus, quo nomine & intuitu effectum ſuum edant: vel denique pertinacis durationis, & contumaciæ adverſus curam, rationem, ex aſſuetudine tanto probabilius percipiamus.

Ex hoc certe fundamento non difficulter ab experientia diſcimus, quod & unde, certis temperamentis, junioribus ætatibus, certis vitæ generibus, ſanguinis abundantia eveniat. Cur & quomodo abundantia facile impedimentum motus, & inde vitia craſeos poſt ſeſe trahat: quomodo huic ordinarie occurratur & ſuccurratur motu auctiore ſanguinis, pulſorio intus, tonico extus: & quomodo hic præcipue motus alteruter, ad ætatem ſeſe habeat, pulſorius nempe ad vegetam fervidam, tonicus ad languidiorem & declivem; quomodo ex his duo ſumma genera multorum, multorum inquam morborum naſcantur, nempe (1 hæmorhagiæ, aut harum proxima ſoboles, ſtaſes, tumores, inflammationes, corruptiones, ſuppuraſcentes, ulceraſcentes: 2) ſpaſmi, & horum proxima ſoboles, gravativi, preſſorii, rigidi, frigidi, ſtupidi, aut vellicatorii, palpitatorii, vibrativi, formicatorii &c. dolores.

Actum agerem, ſi hic multis verbis percenſerem affectus iſtos in praxi adeo frequentes, & numeroſos quidem, qui ex hoc fundamento, uni eidemque, aut diverſis hominibus, eodem temperamento inſtructis, evenire ſolent, per diverſas ætates, non genere, imo ſæpe ne ſpecie quidem, ſed loco tantum variantes. In prima juventute lymphaticæ ſubſtantiæ (nondum abundante æque actuali ſanguine, ſed lympha tantum, tanquam communi materia ſolidarum poroſarum partium, & ipſius ſanguinis,) circa caput ſtaſes & ulcerationes, cruſta lactea, achores, aurium madores, coryzæ, per accidens, aut abundanti-

dantiam, in tuſſim ſeſe diffundentes: in pueritia hæmorrhagiæ narium: in juventute hæmoptyſes, vomitus cruenti: verſus conſiſtentis ætatis confinia, internæ hæmorrhoides: circa ſenectutis initia hæmorrhoides externæ: inter hæc utraque mictus cruentus.

Ex ſtaſibus, hæmorrhagiæ non perrumpenti ſuccedentibus, pueritiæ & adoleſcentiæ circa caput, cephalalgiæ acutæ æſtuoſæ, ophthalmiæ, parotides, odontalgiæ, Febres diariæ, ſynochæ, & ſimiles acutæ valde brevis periodi: juvenibus anginæ, aſthmata ſicca ſpaſmodica, pleuritides & peripneumoniæ, phthiſes, vomicæ pulmonum &c. adultioribus & juvenibus, hypochondriacæ paſſiones, colicæ, alvi vitia, icteri, hecticæ, aſcites:

Provectioribus, nephritides & calculi, hæmorrhoides cæcæ dolentes, aut palindromes ad priſtina loca. His aut ſeneſcentibus, varices crurum.

Infantibus & pueris epilepſiæ & convulſiones promptæ; juvenibus aſthmata ſpaſmodica, rheumata circa collum, humeros, ſcapulas, arthritides vagæ, vomitus, colicæ; provectioribus ſpaſticæ tales & rheumaticæ tenſiones & preſſiones circa lumbos, os ſacrum, coxas: declivioribus, aut ab his initiis ulterius progredientibus, gonagra, podagra, paralyſes &c.

Actum, inquam, agerem, ſi hæc prolixius hic recenſerem, cum ab amico noſtro, diſſertatione de fundamentis morborum ætatum affatim tractata ſint: ſufficiat inde in genere adſtruxiſſe, quod theoria medica, hac methodo e praxi ſeu experientia eruta, & ad praxin directa, tantam utique connexionem & cohæſionem cum praxi habeat, ut neque ſine illa ullus rationalis practicus exiſtere poſſit, neque vero, qui hanc aſſecutus eſt, aliter quam ſcite & perfecte prognoſin & praxin ſubire, & accedente exercitio, quod promptitudinem acuet, feliciſſimus medicus practicus fieri.

Alia forte quæſtio fuerit, ubi quis hujus rei avidus manuductionem luculentam ad hanc methodum, ſcriptam reperire poſſit? ſed quia odioſa & invidioſa, diu ipſi immorari imprudentiæ fuerit. Hoc unum certiſſima veritate poni poſſe arbitramur, quod nuſpiam niſi in hiſtoria medica practica, ejusque ſcriptoribus antiquioribus longe locupletius, quam recentioribus, materia hujus cognitionis commodiſſime comprehendatur: forma vero ipſa, collectio, connexio, illuſtratio, induſtria & ingenio peragenda ſit: hanc enim ignorantiam fateri non erubeſcimus, quod apud neminem unum adhuc ſcriptorem hæc connexa, nedum inculcata, fere dixiſſem indigitata, deprehenderimus.

Placuit proinde loco ſpeciminis inauguralis, partem aliquam hujus dogmatis tractandam aſſumere, nempe pathologiam Podagræ; *in quo negotio, ex hac theoria medica, ad mentem D. D. præſidis deducto, quantum accedamus ad veritatem, aut aberremus, judicium ſit practicorum, non magis activorum, quam paſſivorum; quæ duplex praxis cum frequentiſſime in unum ſubjectum, medicum, concurrat, tanto facilius credo examinatu erit, quid nos medico ſenſu veri aut falſi inferamus.*

Faxit Deus T. O. T. M. ut non modo veritatem aſſequamur, ſed & eviden-

evidentiam ejus exſequamur, & *ſcopum noſtrum perpetuum*, *medicinæ fundamentalem comprehenſionem, hic etiam conſequamur.*

CAPUT I.

Hiſtoria podagræ generalis.

BRevibus ſane expediri hanc poſſe, haud paucis videbitur, qui non niſi ipſius *paſſionis* immediate, deſcriptionem reſpexerint; at vero, ſi circumſtantiæ *ſubjecti*, *temporis*, *gradus*, imo ipſius *generis*, denique *ſucceſſus*, *tranſitus*, *exitus*, hujus mali, vere percenſeri debeant, nihil breve aut præceps ſatisfacturum eſſe, ſatis certi ſumus.

Nimirum brevibus deſcribetur podagra, quod ſit *dolor pedem infeſtans*; neque multum creſcet prolixitas, ſi pro illuſtando *genere* addatur, dolor *graviſſimus*, *pertinaciſſimus*, diverſis vicibus *recrudeſcens*; ſed vix exhauſerit *ſpeciem* doloris, omnis hæc paraphraſis.

Eſt vero podagra, minime *unice*, *ſemper*, *exquiſite*, *dolor*. Siquidem quotidianum utique eſt, videre tales pedibus captos, qui nullum inſignem *dolorem*, ſed *tenſionem* tantum, imo *tractionem*, quæ membrum non nihil contrahat, perſentiſcant; qui quidem, ſi tunc temporis in quieto poſitu retineant membrum, nihil quicquam ibi ſentiant; ſed ſolum, quotiescunque illud *concutiunt*, imo leviter *extendunt*. Ubi interim *tenſio* illa, continua utique eſt. Et eſt ipſe effectus ille, quid aliud, quam *podagra*? licet *doloris* ſenſum non niſi ſub frivola *motione* partis, percipiat æger.

Imo vero, qui *graviſſimo* dolore podagrico torquentur, annon ordinarie, quo magis, ſponte vel arte, imminui incipit dolor, eo magis *contractas* & *rigentes* præ ſe ferunt, partes immediate affectas: & quidem ante dicto adhuc modo, ut ſi partes ita *rigentes*, temere *moveant*, qualibet vice penetrantem *doloris* ejusmodi ictum percipiant.

Imo vero ipſe ſenſus *doloris*, exquiſitius a patientibus deſcriptus, ejusmodi *tractorius*, *vellicatorius*, *vibrativus*, *palpitatorius*; quem proinde vix ullo alio termino exprimere ſolent, quam *Reiſſen*. Loquaciores vero, multiplici quaſi genealogia, *indolem* & *genus* doloris hujus, ad *tractiones* referendo, appellant: *Reiſſen*, *Zerren*, *Ziehen*, *Zücken*, *hin und wiederfahren*, *Fechten; es lebe alles drinnen*; *es lauffe wie Ameiſen*, *es arbeite drinnen; es reiſſe ſie noch gantz zu Schanden*, *es ſey*, *als ob alles zerreiſſen und zerſpringen müſte: als ob Nadeln hin und wiederfahren.*

Ex hac prolixitate itaque demum breviter, eſt podagra, *dolor tenſivus*; ſive jam magis *tacite* trahat, & *preſſionis*, aut *rigoris* ſenſum inferat, magis continuum & uniformem; ſive *diſcreto*, *ſubtilium* tractionum *motu*, alternante, recurſante, *vibratilem* tractionis ſenſum inferat, qui in tenerioribus & ſigillaribus *fibrillis*, *puncturæ* ſenſationem exprimat.

Occupat *dolor* hic, *pedem.* Non quidem *ſtrictiſſime* dictum, ab infimis *tibiæ* & *fibulæ* terminis usque ad apices *digitorum*: neque ſolam hujus pedis cum tibia *articulationem*; ſed ipſam etiam tibiam, *fibulam*, *genu*, *femur*: & quidem non magis aut certius *articulationes* harum partium, quam ipſas etiam *intermedias* earum portiones.

Invadit patientem communiſſime cum præcedanea *gravativa* laſſitudine totius corporis; niſi ubi a præcipitibus *animi pathematibus*, cum impetu exardeſcit, & repentino paroxyſmo erumpit.

Concurſat cum hoc languore, ſubinde *horripilatio* notabilis: imo non raro manifeſtus & inſignis *horror*, *febrili* nihil cedens.

Succedit huic, imo concurrit etiam alias, vel perpetua veluti, vel ad minimum frequenter recurſans *æſtuatio*: & illa quidem modo *minor*, *volatica*, & quaſi *curſoria* juxta vernaculam expreſſionem; *es überlauffe ſie eine fliegende Hitze*: modo ſatis *ardens*, ad *ſitim* & *impatientiam* uſque.

Variat vero hujus ſymptomatis conditio, maxime ſecundum *diverſitatem* gradus *temperamentorum*, *diætæ* calidioris & vinoſæ *iracundiæ*, *tempeſtatis*, aut aliarum plus minus ad *febriles* motus paratarum circumſtantiarum.

Incipit abhinc aliis *tenſio* graviſſima, aliis actualis *vibrativa*, & *vellicatoria lancinatio*, & ille κόπος ἑλκώδης *Galeni*, quem *dolorem contuſorium* appellare poſſis, vulgus circumſcribit, *es thue weh*, *wie Blutſchweren*, *daß ſie ſich fürchten*, *es anzurühren*, *oder anzuregen.* Hic dolor involat, modo *articulationem* circa caput oſſis *femoris*, *genu*; *juncturam pedis*, juncturam maximi *digiti* ſeu *pollicis* pedis, cum oſſe *metatarſi*, ipſi reſpondente: modo *vagatur* per longitudinem *tibiæ*, aut *femoris*: aut *medium* circiter hujus ſpatium premit, non aliter, quam ſi arcta ſtrictura, circum *os* ipſum, comprehenſus eſſet locus. Sæpenumero *vibrat*, *ſalit*, *micat*, & ſubtiliſſime *palpitat* pars affecta, ac ſi *acus* multæ intus vibrarentur, aut *pectine* ferreo locus carperetur & carminaretur.

Subſiſtit, & pergit hæc afflictio per complures *dies*; ſine ulla *plena* intermiſſione, ſed cum ſola temperaria *remiſſione*: aut, ſi omnino *intermiſſio* doloris obtingat, perdurat tamen, (aut ſuccedit in ejus locum,) ſive *rigor*, ſive contractior *tenſio* partis, contra quam, ſi aliquis *niſus* voluntarii motus ſuſcipiatur, recrudeſcit mox univerſus *dolor*, imo *ferocit.*

Sub *dolore* illo, *ſomnus* vix eſt ullus; ſi vero ſub *remiſſione* languidus *ſomnus* obrepat, percelluntur frequentibus *pavoribus*: *erſchrecken im Schlafe*, *daß ſie ineninander fahren*: ubi ſæpenumero improvida *alliſione*, pedis, *doloris*, immanitatem revocant.

Sane vero, quamdiu hi *pavores* ſub ſomno, adhuc vigent, nullus eſt paroxyſmi *ſtabilis* finis expectandus, ſed tantum vel leves induciæ, vel ad minimum metus adhuc facile *reviviſcentis* mali, ſi irritetur, neque adhuc *ſtabilem* terminum admiſſuri.

Poſtquam hoc *dolorum* exercitium per *duas*, *tres*, *quatuor* ſeptimanas dura-

duravit; aut ira, *motu* improvido, *diætæ* vitiis, aliquoties exacerbatum excanduit: incipit denique ratione *doloris*, *decreſcere* & miteſcere: tranſit vero vel in *ſtuporem*, vel in *rigorem*, ſeu ſtabilem *tenſionem* circa partem, quæ hactenus plurimo *dolore* afflicta fuerat.

Tumor quidem, erumpit aliquibus etiam interdum circa ipſum *principium;* aliquibus circa *finem*: neque evenit vero, etiam eidem homini, præciſe & neceſſario, ſingulis paroxyſmis: quoties tamen evenit, & diutius ſtat, languidius vero diſſolvitur, toties fere redeunt alacrius ad ſeſe, & manent diutius a *novo* paroxiſmo immunes, vivunt vero etiam interea, nempe usque ad *novum* paroxyſmum, commodius.

Sub *ſtupore*, ut & *rigore* partis, imo ſub ipſo ſæpe *tumore*, apparet manifeſtiſſime *muſculorum* circa partem, ante omnia vero *interoſſeorum*, in manibus, & pedum *metatarſo*, tam evidens *ſpaſmodica* compreſſio atque *ſtrictura*, ut pars affecta inde quaſi ſumme & *emaciata* exarefacta, oculis occurrat: cui tamen ſtricturæ, contractura & immobilitas membrorum, ad quæ *muſculi* hi pertinent, veluti individuo nexu jungitur.

Primis temporibus hujus doloris, nunquam, aut rariſſime, quicquam *ſudant;* niſi quantum præ *anxietate* interdum prodit. Succedente vero tempore, & jam nonnihil *langueſcente* impetu, erumpit ipſis magis magisque, ad minimum *lenis mador:* non raro vero etiam ſatis *copioſus* & verus *ſudor:* idque præcipue ex ipſa *laborante* parte. Quibus autem ſub *dolore* adhuc ferociente, reliquum corpus *ſudat*, illis communiter ſub hoc ipſo actu, *pars dolens* pertinaciſſime *ſicca* manet.

Appetitus ſub vigore mali, aliis omnino *jacet*; imo *nauſeat*, quin *vomiturit*, & *vomit*, ventriculus; aliis ſic ſatis conſtat.

Prioribus his, concurrit fere cum *dolore* ſuo podagrico, ſyndrome *pathematum* in *abdomine;* ſpeciatim *in ſiniſtro hypochondrio;* frequenter etiam *colici* flatulenti dolores & communiſſime *alvi ſiccitas*. *Poſterioribus*, non æque magnopere hæc eveniunt: magis vero dolores *lumbares*, *renales*, ac *nephritici*, & actualis excretio *ſabuli*, aut *calculorum*.

Servat hoc malum *ſtata* fere *tempora;* ita quidem, ut maxime *autumnali*, aut *hyberno humidiore*, minus *gelido*, tempore potiſſimum invadat patientem: juxta vero hoc, *verno humido frigido* aëre præprimis, recrudeſcat.

Invadit ibi ſatis frequenter cum *pectoris anguſtia*, *tuſſim* mentiente, & *aſthma* humidum; concurrente etiam *gravedine* & *coryza*. Quæ quidem maxime circumſtantia veteres permovit, ut mali hujus cauſam in decubitu *pituitoſorum*, *frigidorum*, ſeu *mucidorum* humorum, collocarent, qui e capite ad ignobiliora hæc membra mittantur.

Experiuntur vero *hoc accidens* illi præprimis, qui pathemata illa circa *abdomen* conjuncta perſentiſcunt.

Exacerbatur vero, & *repullulat*, ſeu revocatur paroxyſmus, etiam maximopere *iracundia*, *terrore*, imo *venereis* quoque abuſibus, & *ebrietate*.

tate. Illis, qui *abdominis* pathemata conjuncta habent, inſoleſcit frequenter malum, ab *eduliis*, ventriculum & primas vias gravantibus, & ibi *colicam*, *cardialgiam*, *nauſeam*, vel etiam *obſtructiones*, inducentibus.

Frigus, præcipue *humidum*, non parum contribuit ad recrudeſcentiam mali. *Concuſſorii* etiam *motus* corporis, irritant efficaciter paroxyſmum: omnia tamen hæc tunc maxime, ſi cum reliquis ante dictis cauſis, & præcipue jam magis aſſuefacta affectus *ferocia* & *recidiva*, concurrant.

CAPUT II.

Hiſtoria ſubjectorum.

QUantum lucis ad cauſarum cognitionem in morbis, afferat notitia *diverſitatis ſubjectorum*, morbis talibus obnoxiorum, innoteſcet forte adhuc illuſtrius, quo magis attendi denuo ceperit. Certe *temperamentorum* ſeu habitus corporis, diverſitas; *ætatum* diſparitas: ſexus differentia *evacuationum* aſſuefactarum prærogativa: *hæreditariæ* diſpoſitiones &c. Quantopere reſtringant atque veluti *determinent*, non modo generalem *diſpoſitionem* ad morbos, ſed præcipue ſpecialem *habilitatem*, ad *certas* ſpecies morborum, ut ex triviali pathologia non innoteſcit; ita ex circumſpecta ipſius experientiæ penſitatione, non poteſt non in ſenſus incurrere.

Luculentum ſane hujus rei exemplar præbent *podagrici.* Ili enim minime e quibuslibet *temperamentis*, *ætatibus*, *ſexu*, aut *vitæ generibus*, naſcuntur, ſed admodum e *certis*, quorum proinde *hiſtoriam* attingere ex uſu erit.

E numeroſis *vera podagra* affectis (quæ nempe non ex *febrili apoſtaſi*, quod hodie *rheumatiſmum* vocant, neque ex aliqua *violenta* partis læſione, per *fracturam*, *contuſionem*, longam ſpongioſam *ulcerationem*, inſignem *perfrigerationem*, *venerea* gummata & viſcoſitates, ſed quaſi ſponte, & veluti tacite, ſuboriatur) e *numeroſis*, inquam talibus, vix *pauciſſimi* inveniuntur, qui alterius, quam *laxæ*, *poroſæ*, *ſpongioſæ*, *turgidæ* ſint corporis *ſtructuræ*, cum *venis* tamen mediocriter infarctis & *roſeo rubello* colore. *Temperamenti* nempe, quod vulgo *ſanguineum*, *ſanguineo-cholericum*, *ſanguineo-melancholicum*, *phlegmatico-cholericum*, *phlegmatico-melancholicum* appellamus. Status vero *Plethorici.*

Graciliores hoc malo laborantes, ſi occurrant, vel manifeſtam *turgiditatem* tamen *muſculoſarum* partium præ ſeſe ferunt: vel, quod ſæpe obtingit, & tanto magis notari debet, fuerunt olim, imo vel ante parvum adhuc tempus, modo deſcripta corporis *laxitate* conſpicui.

Rariſſimum vero viſu fuerit, exquiſite gracilem, & valde *capacibus* ſimul *venis* inſtructum, quique hoc habitu corporis jam dudum, imo ſemper

ſemper præditus fuerit, vera & exquiſita *podagra* laborare, niſi *hereditaria diſpoſitione* agitetur.

Secundo nequaquam omnis indifferenter *ætas* malo huic expoſita eſt, ſed fere unice, certe plus quam plurimum, ipſa *conſiſtens virilis*, imo *ſenilis.* Quæ enim obſervationes de *incantibus podagricis* allegantur, inter rariores connumerandæ ſunt; & laborant ſuſpicione *certitudinis:* cum quemlibet *Rheumatiſmum*, aut ſimiles affectus, a *febribus* male ſolutis, a *ſcabioſis* inquinamentis *retropulſis*, a *perfrigerationibus* & particulari *tranſpirationis* defectu, imo interdum a *diſtorſione*, *lapſu* in *coxas*, *ab epilepticis* concuſſionibus &c. ſubnatas, pro *podagra* interpretari, noſtri non ſit propoſiti.

Qui ſinceriori *podagra*, adhuc *juniores* afficiuntur, ab aliquot ſupra *viginti* annis ad *triginta*, illi vel *hæreditaria diſpoſitione* præparati obſervantur: vel *hæmorrhoidibus* ante illud tempus manifeſto tentati fuerunt: ſimulque communiter *animi* vel admodum *iracundi*, vel gravibus *terroribus* perculſi, vel denique *diæta vinoſa* vel *ſpiritu vinoſo* gaudentes, deprehenduntur.

Tertium diſcrimen, facit tantiſper *ſexus.* Revera enim rariores occurrunt *fœminæ vera podagra* laborantes; ſed potius vel gravibus *hypochondriaco-hyſtericis* pathematibus, vel *vaga* ad minimum *arthritide*, aut manifeſtioribus *varicibus* crurum. Quæ vero obnoxiæ huic malo fiunt, omnes fere incipiunt ab *Iſchiade*, & communiſſime manifeſtis, imo in *conſuetudinem* apertam deductis *hæmorrhoidibus*, deinceps emanentibus.

In *fœminis* tamen certe, quantum uſpiam, perfrequenter *rheumatiſmi* potius in conſuetudinem deducti, & alii externi *phlegmonodes* & *eryſipelatodes* male tractati affectus, ſimul perquiri, & in ſuſpicionem trahi, merentur.

Virilis vero ſexus frequentius paſſioni huic obnoxius utique deprehenditur.

Quod communiter notare ſolent, *de capite* ampliore, quod nempe qui caput *amplius* & diffuſius habeant, *podagræ* præcipue obnoxii obſerventur; id partim magis ex antiqua hypotheſi aſſeritur, quaſi *catarrhalis* materia, in capite ſeu *cerebro ampliore* coacervata, deinde ad *articulos* depluat: partim connexum utique eſt, cum generali proportione talium *temperamentorum*, ubi videlicet corpori *laxiori* & *diffuſiori*, non niſi perraro *arctum* & exile caput inſidere ſpectatur, ſed fere his quoque conditionibus corporis moli reſpondet.

Quarto loco memorari debet *conſuetudo evacuationum*; ubi præcipue duæ circumſtantiæ perfrequenter, & vix non ſemper, *veræ podagræ* conjunctæ obſervantur. Nimirum vel ſincera *evacuatio ſanguinis* aſſuefacta, vel copioſæ conſumptoriæ & reſolutoriæ ſanguinis commotiones, per laborioſos motus.

Sanguinis illæ *ſinceræ* evacuationes, modo ante *multum* tempus, in

ipſa prima juventute aut adoleſcentia, per *narium hæmorrhagias* frequentes & copioſas, factæ; *intermedia* ætate, per *agilius* vitæ genus interceptæ: jam denique *ſegniore* denuo vita, *pleniore* tamen ſimul *victu*, antiquam abundantiam coacervantibus, denuo turbas afferunt: modo *proximis* plane annis, per *mictum cruentum*, aut *hæmorrhoides*, coortæ, poſtea vero *omiſſæ*, aut *ſuppreſſæ* huic malo *materiam* ſubminiſtrant: modo etiam *artificiali* aſſuefactione, deinde temere omiſſa, turbis hiſce velificantur, ut *V. S. in pedibus* ſæpe uſurpata, poſtea vero neglecta & *ſcarificationes.*

Poſtremus locus, debetur *conſuetudini*, ſive *connatæ*, ſeu *hereditariæ* diſpoſitioni: ſive *adſcititiæ.*

Hereditaria diſpoſitio, obtingit infantibus, quando a *parentibus* generantur, qui maxime iſto *tempore* quo hos progignunt, ejusmodi affectibus laborant, qui plurimum in *motibus* & *intentionibus* movendi, conſiſtunt. Qui talium *motuum*, *intentionum*, *impreſſionum*, tacita *memoria* imbutus eſt infans, ille variis ſuccedentibus temporibus, varios *podagricorum* motuum prodromos, ſentit: nempe perfrequentes & impetuoſas hæmorrhagias narium, *dolores dentium*, moleſtas ſenſationes in *artubus*, *ſpaſmum*, *epilepſian*, in prima pueritia, *eryſipelata* &c. mature & ſæpe tolerat & experitur.

Tales iidem incidunt mature, & annis adhuc *junioribus*, quam ordinarie, in *arthriticas* paſſiones; quæ tamen deinde admodum tempeſtive in *podagricas*, aut potius, ſit venia verbo, *hemiagricas*, abeunt, tales videlicet, quæ totum alterutrum *latus* corporis occupent, & non modo *pedem*, ſed & *brachium* unius lateris, infeſtent.

Aſcititia conſuetudo, naſcitur ex *rheumaticis* ejusmodi affectibus, qui a *febrili apoſtaſi*, maxime vero *quartanaria*, ortum ſuum ducentes, artum aliquem occuparunt, eumque *ſpaſmodicis* ejusmodi, *tractoriis* & *vibratoriis* palpitationibus exercent: e quo niſi quantocius per *alexipharmaca* diutius continuata, & *temperantia* & leniter *diuretica*, *interne*; *externe* vero, per *camphorata* & *nervina* fugantur, faciunt id, de quo jam loquimur, nempe tranſeunt in *habitum*, *arthritico-podagricum*, ſi vel maxime non pure *ſincerum*, mire tamen pertinacem & *refractarium*, quippe promptiſſime in *vagam arthriticam* paſſionem degeneret.

In quocunque ergo *ſubjecto*, hæ cauſæ, vel omnes, vel ad minimum *pleræque*, concurrunt, ille a *podagra* vix liber & ſecurus manſerit, niſi *mobili* admodum vitæ genere, *animi* vero ſumma moderatione, plurimum ſupra conſuetam negligentiam harum rerum, ſeſe efferat.

Ubi certe inter *fatales* hujusmodi ſubjectorum difficultates, præcipua illa conjuncta eſt, quod tempore induciarum morbi, tanto magis vero ante quam ferociam ejus adhuc unquam experti fuerunt, effreni & plane incuria licentia corpori & cupidini ſuæ indulgere non deſiſtunt; quando vero jam male habere incipiunt, ſumma impatientia, & perpetua indigna-

dignatione turbulenti, etiam ad leviſſima quæque iracundi, ſint: & revera perfrequenter falſis & ſupervacuis quiritationibus, magis ab indignatione ipſorum, quam ſenſus proportione profectis, ſeſe & alios fatigent.

Imo vero, quemadmodum illi, qui hactenus dictas conſtitutiones in ſe ſuſtinent, podagræ expoſiti vivunt; ita e converſo pro monſtro ſit, reperire *ſincere podagricum*, qui non omnes, aut *plerasque* has conditiones, examuſſim referat.

CAPUT III.

Hiſtoria accidentium podagræ, ſpecialis.

PAucis hanc pertexere ex uſu fuerit, ut partim *ſpecialiſſimæ* affectus hujus circumſtantiæ, partim magis *accidentariæ*, penitus in conſpectum prodeant.

Ad *ſpeciales* ejus circumſtantias pertinet, quod *paroxyſmum* ſuum magis ordinarie poſt *medium* noctis inchoet, ut *Sydenham*, in ſe ipſo & aliis facta *conſtanti* obſervatione, deprehendit. Intelligendum tamen hoc ſolum *de ſpontanea* & quaſi *tacita* magis affectus recrudeſcentia; illa enim paroxyſmi concitatio, quæ a repentino *terrore*, aut graviſſima *iracundia*, prorumpit, horas has non expectat: unde novimus caſus, ubi in momento veluti *terroris* & *coincidentis* præcipitis *iracundiæ*, *ſpaſmi* illi *podagrici* ita immaniter invaſerunt patientem, ut motu neceſſario in ipſo veluti veſtigio deſtitutus, non niſi miniſterio familiarium in lectum magis deportari, quam duci, debuerit.

Ejusdem generis eſt etiam circumſtantia illa, quod *podagra autumnali* provectiori, aut *hyberno* plane tempore, cooriri ſoleat: quod nimirum pariter de ſibi quaſi relicta, non vero aliunde inſigniter *proritata*, intelligendum.

Illud vero notare maxime quam dignum eſt, quod tantopere inculcat *Sydenham*, quod unus *decubitus* podagricus, ſeu una veluti *periodus* podagrica, abſolvatur numeroſis parvis *paroxyſmis*: adeo, ut quotidie circa vel poſt *mediam noctem* præcipue, cooriatur *doloris* impetus, & multiplici *torſione* patientem fatiget, usque ad dimidiam circiter *antemeridiani* temporis partem, ubi miteſcens tolerabilius ſe gerat, usque ad *nocturnum* illud tempus, quo denuo exſurgens, ſcenam ſuam proſequatur.

Periodum ipſam abſolvere obſervatur *quatuordecim* diebus, aut *tribus* aut *quatuor* ſeptimanis, quando *ordinatiſſime* & *ſinceriſſime* affligit; quo magis vero vel *turbatur*, vel *mulcetur*; vel *conſopitur*, vel contra *irritatur*, eo *diutius* obſidet patientem. Quod idem etiam facit, quo magis jam *inſoluit*, & longa aſſuetudine in *habitum* magis deducta eſt.

Certe

Certe vero minime omittenda eſt illa circumſtantia, quod, quo magis *exquiſite* torquet & doloribus *ſenſibilioribus* exercet patientem, eo non modo *brevius*, ſed & *perfectius* deinde periodum ſuam terminet, & pro hac vice deſiſtat, ipſumque patientem *alacriorem* & vegetiorem, diutius etiam a novo inſultu immunem, relinquat.

De *ſpecie* doloris, quod *tenſorius*, *tractorius*, *vibrativus* ille ſit, dictum eſt ſuperius. Exercet vero patientes præcipue etiam *palpitabunda* illa, *formicante*, & *reptili*, vibratione, quæ *ſitum quietum* membri non diu ferat aut admittat, unde perpetua mutatione *ſitus*, effugium aliquod quærunt, quod ſane graphice & plus quam pictoria ſimilitudine delineavit *Sydenham*. Ubi nempe notandum, quod hunc quidem ſenſum, qui ipſos ad hanc inquietudinem & variationem *poſitus* partis adigit, verbis deſcribere non æque noverint plerique, niſi quod illud: *es thue ihnen allenthalben wehe*, *ſie haben keine Ruhe drinne*, *es lauffe*, *als ob ſie in einem Ameiſen Hauffen ſäſſen*, *es krimmele und wümmele drinnen &c.* adumbrent.

Sudoris eruptio ſpontanea, ejusque *moderamen*, a laudato *Sydenhamio* egregie notatum, ſub finem ſingulorum, maxime tamen poſteriorum *paroxyſmorum*, præcipue quoque recenſeri debet.

Seceſſio vero illa, quaſi ſubtilis *ſquamoſitatis* . aut *furfuris*, non adeo perpetua, & *omnibus* podagricis familiaris eſt: multis tamen evenit utique, imprimis, qui nonnihil magis *cholerici* habitus exiſtunt.

Tophaceæ vero materiæ, & *nodorum* ejus conſiſtentiæ, proventus, non paulo rarior eſt; ſiquidem vix, niſi in admodum *inveterata* & diuturna paſſione, & habitu magis *pituitoſo*, ſimulque externorum remediorum refrigerantium, *coagulantium*, incongruo uſu, evenire ſolet.

Perquam familiare vero eſt, & revera magis inſeparabile ab hoc noſtro affectu, ut patientes, non ſolum ſub toto fere curſu *doloris*, ſed præcipue circa ejus *exitum*, manifeſtiſſima *compreſſione*, *ſtrictura*, & contractura partium muſculoſarum in parte affecta afficiantur: ita quidem, ut non modo *muſculoſæ* illæ partes, veluti prorſus *aridæ* & *macie* conſumptæ appareant, ſed etiam *motus* partis *voluntarius*, rigida illa *tenſione* penitus interceptus ſit, neque niſi cum ſummo *dolore*, ulla ejus *extenſio* aut *detractio* ſuſcipi valeat.

Hoc ſane phænomenon, ut nobis inter omnia reliqua podagræ accidentia primarium locum poſſidere videtur, ita unum adhuc eſt, quod immediate ab ipſius latere collocandum arbitramur, nimirum illud, quod inter omnes alios, non modo maxime luculenter, ſed ſolus forte, quod nos ſciamus, *Sydenham* annotavit, *turgida* prorſus *inflatio* & infarctus *vaſorum* per crura excurrentium, præcipue ſub *initium* paroxyſmorum, in genere, ſeu periodi recrudeſcentis.

Urina, quo magis bene, & adeo *ſenſibiliter* dolorifice, ſuccedit affectus, eſt *rubicunda*, valde *craſſa*; *rubedine* videlicet, non illa *rutilante* flam-

flammea, ſed paulisper tenebricoſa veluti, quales apparere ſolent *cereviſiæ* paulo magis defæcatæ, non admodum nigræ. Deponit *ſedimentum*, crudiore adhuc malo, *pauciſſimum* & valde *leve*: *provectiore*, *craſſius*, & *ſubmucidæ* conſiſtentiæ propius: illic *pallidum albicans*, hic magis *roſeum*: affigit *lateribus vitri*, & dimittit etiam ex parte ad *fundum*, copioſa *granula*: quæ interdum quidem non ultra valde teneri *ſabuli* magnitudinem aſcendunt: interdum contra, *cryſtallulorum tartari* una ſimplici ebullitione & refrigeratione naſcentium, quantitatem repreſentant, *pelluciditate* iſti parum cedunt, *colore* vero quaſi *carneolio*, i. e. *ſaturatiſſimo*, & cum *rutilatione* inſigni, *aurantio*, conſpicua ſunt.

Quibus admodum jam *inveterata* eſt *chiragrico podagrica* paſſio, iis eveniunt perſæpe valde diuturnæ imo tandem *ſtabiles* membrorum horum *contracturæ* & *rigores*. *Nodi* etiam circa *articulos* digitorum; & non ſane injuria a *Sydenhamio* quoque notatus ille *nodus*, ſeu *purus* tumor in ipſa extremitate oſſis *cubiti* ſeu *olecrano*, qui interdum ad exigui *ovi* gallinacei magnitudinem pertingens, ſatis diu ſubſiſtit, & ſi temere *emollientibus* aut *maturantibus* tractetur, tandem in corruptelam *tophaceo-corroſivam* tranſit: calore vero ſolum, & quiete, fovendo, aut *camphoratis* diſcutiendo, mature, ſatis prompte, & penitus, iterum ſolutio fit.

Si *podagra* ex *artubus*, vel *ambulatione* & exercitio ſolos artus movente, vel *adſtringentibus*, cito repellitur; ſuccedit ordinarie periculoſa turba circa *interiora abdominis*: quæ unius generis e *tribus* deprehenditur, nempe vel *primo*, *inflammatio hepatis*, aut *lienis*, aut *ventriculi*, cum *febre acuta* & *lancinationibus* perpetuis valde dubii eventus *junioribus*, paulo abundantius *plethoricis*, & *cholerico-ſanguineis*, *calidiore* etiam *diæta* utentibus, maxime obtingens.

Vel, *ſecundo*, repentina plenaria *appetitus* dejectio, cum mox ſequente omnium *aſſumtorum*, ſæpe etiam *vacuo*, *vomitu* frequentiſſimo: cui graviora *ſplenica* pathemata, *febris lenta* & *hectica*, maxima *dejectio virium*, *agrypnia*, mox concurrunt: imo *vomitus cruentus* non magis poteſt, quam ſolet obrepere: accidit, mediocriter *annoſioribus*, *mucoſioribus*, neque tam *calida* diæta, ſed *cereviſiario* potu affatim, utentibus.

Tertio, *colica* tormina, & copioſa *flatulentia*, ceterum *inappetentia*, *dejectione virium*, defectu *ſomni*, *febricula* &c. non minus, quam præcedens, ſtipata.

Summe notabilis ſimul eſt, illa magis fere vulgi traditio, quam literatorum obſervatio, quod qui admodum *juniores podagra* infeſtari incipiant, ii non ad inſignem *ætatem* perveniant: qui vero maturis annis, *tarde*, *podagra* tententur, ii communiter ad *ſeram* uſque ſenectutem vivant.

Exitus podagricorum, *juniorum* illorum præcipue, fere eſt vel a *febribus* inflammatoriis acutis, vel ab *hecticis* ſatis æſtuoſis & typo quodam *excandeſcentibus*: vel a *paralyſi* partium, imo *apoplecticis* eventibus. Acci-

dentaliter concurſantibus *vomitu cruento*, *colicorum* dolorum defatigationibus, *ſingultibus*, *lienteriis*, *fluxibus hepaticis &c.*

Seniorum langueſcentium, exitus, magis fere *maraſmodes*, corpore & viribus *extabeſcens* aut *hydropico - hecticus*, aut *paralytico - apoplecticus*. Apud *vegetiores* tamen, & vividiores etiam, non ita raro *febrilis* acutus.

Inter numeroſos *podagricos*, velim mihi *paucos* dari, qui non vel manifeſte *ſabulo* & *calculis*, vel ad minimum *lumbaribus* illis doloribus, cum *urinæ* vitiis, obnoxii deprehendantur.

Quamvis vero non ita *pauci*, certe tamen neque adeo *multi*, ſunt podagrici, & vix ulli crediderim, quo *dimidia* pars podagricorum exiſtat, quin manifeſtis, aut ad minimum ſatis ſenſibiliter enitentibus *fluxibus* aut *motibus hæmorrhoidum* una afficiantur, aut affecti fuerint.

Ex his *præcipuis* circumſtantiis, *pathologiam podagræ* eruere, noſter erit labor. Poſſunt autem *hiſtoricæ* tales deſcriptiones *podagræ*, tum hinc inde apud authores legi, tum etiam apud *Foreſtum*, apud *Panſam* in conſiliis antipodagricis, apud *Solenandrum* in conſiliis, in pluribus epiſtolis *Dœringii*, ex propria in ſe ipſo experientia, ad *Sennertum*, item elegans certe in hoc genere *epiſtolaris* recenſitio *Chriſt. Arciſſewski* ad *Johannem de Laët*, de podagra ſua per *D. Cnœfellium* curata ſeu mitigata; & denique inſtar omnium *Sydenhamii*, ex domeſtica ſimiliter experientia, concinnata, ſatis perfecta delineatio.

CAPUT IV.

Arthritidis & podagræ cognatio.

Breviſſimis hic nos expediemus. *Arthritis* vel ſumitur *generaliter*, ut *podagra* ſit ejus *ſpecies*, idque recte; vel ſumitur diſtincte a *podagra*, ſimiliter *ſpecialiter* κατ᾽ ἐξοχήν, pro *dolore* non *in pedibus*, *genubus*, *coxis*, aut *manibus*: ſed *inter ſcapulas*, *ſub ſcapulis*, in *junctura humeri*, ſeu *axilla*, in *cubitis*, in *capite oſſis* femoris hærente; illis tamen *ſenſationibus*, quibus podagra *pedem*, has partes exercente.

Si tamen cito ab uno tali *loco* in alterum reſiliat, ibi, licet maxime *manus*, *coxas*, *genua*, *pedes*, frequenter una involvet, *arthritis vaga* pellatur.

Qui vero fixius iſta loca obſidet, in manibus *chiragra*, in coxis & oſſe ſacro, *malum iſchiaticum*, in genubus *gonagra*, in cruribus & pedibus *podagra*, appellatur.

Dixi, & repeto, dolorem *arthriticum*, genere, ſeu qualitate *ſenſationis*, convenire cum *podagra*: hanc ſupra diximus eſſe *dolorem tenſorium*, *tractorium*, *vellicatorium*, *palpitatorium*, *formicatorium*, *reptilem*, *compun-*

compunctorium, verbo, ſubtiliſſimarum, moleſtarum *motitationum* ſenſu, patientem exercere. Hic adjicio, præcipue in junioribus, ſenſum *ardoris*, non *æſtuoſi*, ſed *pruriginoſi.* Dicunt: *es hitzt nicht*, *ſondern es brennt*, *feuert*, *daß mans zerkratzen möchte:* diſertiores fere conjungunt expreſſiones: *es krümmele*, *krüble*, *wümble*: omnes vero vix temperant a *ſcalptione* & *frictione*, eoque ipſo ſenſum potius *roſionis*, ſeu *pruriginis ferventis*, teſtantur.

Differentia arthritidis, talis, non *vagæ*, a *podagra* itaque eſt, 1) ratione loci affecti, quem ſupra notavimus; hic ſolum addimus, quod ſatis frequenter etiam *thoracem*, *a claviculis* ad *hypochondria*, invadere ſoleat: & ibi quidem præcipue ſenſu *lancinante*, *notham pleuritidem* exprimere, *arthritis.*

2) Differt *ſubjecto.* Licet enim quoad *temperamentum*, *corporis* & *animi mores*, *plethoram*, *aſſuefactiones* generales *hæmorrhagiarum* ſuppreſſas, *hæreditariam* diſpoſitionem, conveniant: differentia tamen præcipua eſt *ætatis*, cum *arthritis* magis *juniores* occupet, *podagra* annoſiores.

3) Differt *cauſa.* Non quidem *generali*, quam cum *podagra* quoque *communem* habet; nempe *molimen*, *ſanguinis excretioni*, velut eminus *intentum*, quamvis ad ipſam non perveniens; ſed tantum *congeſtionem*, & *ſpaſmos* ad hanc tendentes, exercens. Differt vero *ſpeciali* hoc molimine, nempe ſecundum *locum.* Sed de hoc forte inferius plura.

Poteſt etiam differentia agnoſci, ratione *ordinis*, quatenus *arthritis*, *ordine* prior eſt *podagra:* & tranſit denique per *ætatem*, in *podagram:* ita, ut reliqua quidem *arthritis*, ſæpe ceſſet naſcente *podagra.* Non vero æque contra; ſed, licet *podagræ* ſuccedere, ſeu conjungi videatur, ante adhuc inſolita *arthritis*; minime propterea ceſſat aut remittit ipſa *podagra*, ſed extenditur, ſeu *diffunditur* magis.

Facit vero hoc fere præcipue *arthritis vaga*, quæ ſæpe numero *intempeſtivis* regiminibus *ſudoriferis* e *podagra* ſatis exquiſita, ſeu *fixiore*, quaſi *exſuſcitatur* & in actum deducitur.

Præter has circumſtantias, *coincidit* de reliquo omnino *arthritis* cum ipſa *podagra*, ut ſupra dictum.

CAPUT V.

Præparatio Pathologica, ſeu diſpoſitio circumſtantiarum, ad cauſas eruendas & connectendas, pertinentium.

IN tanta libertate, imo ambitione hodierna ad *novum* quiddam proferendum & arbitrandum, nemo ſpero vitio mihi vertet, ſi illud ipſum, quod hactenus quidem, quantum ſuſpicor, *novum* apparet, quamvis re

ipſa, nempe quatenus cum re convenit, antiquiſſimum eſſe ſentiam, amplectar, nempe D. D. præſidis ſententiam, de *morborum tonico-ſpaſmodicorum origine*, & *fiendi* atque *vigendi ratione.*

Sicut *pulſus* ſanguinem, unico impulſu, *æqualiter* & *jugiter* ad omnes partes pellit, ita, ut ad nullam *ſpecialem* partem, *præ aliis*, per *pulſum*, plus vel minus dirigi, ſive diſpenſari queat, quam quantum ordinarie capacitas, & quidem in ſe immutabilis, *arteriarum*, admittit; ita *tonus* partium poroſarum, quæ ſanguinem *pulſu* appulſum, recipiunt & transmittunt, aliter utique ſeſe hic habet, & huic *admiſſioni* & tranſmiſſioni, ita velut imperat, ut ſi ipſe partes *arctet*, ſeu contrahat, tunc longe minus ſanguinis *pulſu* admoti, in ipſas tranſire queat, ſed vel in intermediis ſpatiis congeſtus atque coarcervatus, ibidem congeratur, partes illas *diſtendat*, mora ipſa *coaguletur*, porro *corrumpatur*; aut aliorſum *reprimatur*, quin *exprimatur.*

Hoc negotium, niſi multis hactenus exemplis peroratum eſt, nos etiam de ulteriori ipſius illluſtratione fere deſperamus. Credimus vero cuilibet, vel mediocriter penſitanti, facile obvium fore, quomodo *ſtrictis* aliquibus partibus muſculoſis ſeu poroſis, ſanguis ab illis quidem tantiſper exprimatur & *excludatur*; eo ipſo vero, manente priſtino gradu *pulſus*, ad alias partes *non* contractas ſeu *coarctatas* tanto præſentius diſtribuatur, & quaſi redundet. Neque difficiliorem conceptum illum quoque fore ſperamus, quomodo *ſtrictis* alicubi muſculis, vaſa *venoſa*, quæ alioquin majoribus ſuis truncis per iſtos muſculos tranſeunt, horum compreſſione ita ſtringantur, ut *refluxus* ſanguinis per ramificationes eorum, non modo *impediatur*, ſed etiam ſucceſſive, facta inſigniori vaſorum ita impeditorum, turgeſcentia atque infarctu, ſenſus *preſſionis* & reniſus, in vicinis partibus eveniat: imo denique, in extremitatibus atque ſuperficiebus aptis, *perruptio* expreſſoria ſubſequatur.

His præmonitis, vix quiſquam dubitaverit, quin in illis corporibus, in quibus *poroſæ* iſtæ partes magis veluti abundant; in corpore inquam, quod magis *poroſas*, plurimis poris inſtructas, habet partes: quod in tali corpore, plus *tonici* motus requiratur, adeoque etiam ordinarie celebretur, & variis alternationibus dirigatur, quam in *contraria* harum partium diſpoſitione.

Cui tanto magis conſentit, *teneritudo vaſorum* in hujusmodi, de quibus loquimur, corporibus, velut ordinarie conſpicua: e qua nempe facillimo negotio concludere licet, quod in tali conſtitutione, longe plus *tonici motus*, in partibus *poroſis*, impulſu peragi poſſit, debeat & ſoleat, quam nuda *pulſus* ſucceſſione.

Hæc generalis neceſſitas, *auctioris* motus *tonici*, in tali conſtitutione, deducitur tanto magis in actum, quando materia, huic motui deſtinata, *quantitate* abundat; tunc enim non modo in genere magis promoveri debet: ſed etiam, facta commotione *intentionis* (quæ hoc *ſuperfluum*, ut corpori

corpori *moleſtum*, & facile ad ſonticas *noxas* inferendas aptum, directe & copioſe *exprimere* ſibi proponat) per tales utique *preſſorios* motus, hinc illinc *reprimi*, atque ad loca *excretionibus* apta reſtringi neceſſe habet, ut ita corpus brevi methodo exoneretur. Unde utique *ſpaſmodicas* exacerbationes, ſive *intenſiones motus Tonici*, cauſam ſubminiſtrat, quia hac ratione maxime prompte, & *immediate*, ventilari atque e corpore elidi poteſt ſuperfluus ſanguis.

Fit vero hoc tanto magis, quando natura, ſi non huic ſpeciei, tamen huic generi excretionis preſſoriæ, *aſſuefacta* eſt. Quæ ſane circumſtantia maximopere gravat conceptum, quod hæmorrhagiæ tales a *paſſiva* obſtructione & ſtaſi, & denique *orgaſtica* turgeſcente eruptione, fiant: cum tot quotidiana exempla manifeſtiſſima ſint, quod *recurrentia* gravia pathemata *ſpaſmi* in muſculis, *turgeſcentia* in vaſis, *perruptiones* interdum horum, non ſolum obtingant in illis partibus, in quibus etiam *artificiales arbitrariæ* emiſſiones, *conſuetudinaliter* inſtitutæ fuerunt: ſed quod palmarium eſt, *ſtatis* & *certis* temporibus revertantur, talibus nempe, quæ priſtinæ *evacuationis* tempori, non modo plurimum, ſed ſæpe exquiſite *ad diem*, reſpondeant, *intermediis* vero temporibus, etiam inter *occaſionales* cauſas ſatis impetuoſas, tamen quieſcant. Si vero obſtructionem illam ita interpretari placeat, quod ab intercepto per *compreſſionem*, *trans* ſive *refluxu* per venas, obſtructio talis inducatur, tunc facile explicationem receperimus.

Quemadmodum vero hæc habitus corporis *poroſi*, cum *exiguis vaſis*, conſtitutio, hoc poſt ſe trahere apparet, ut ſanguinem, ſi *abundet*, mediante *tractione*, *motitatione*, *conſtrictione* harum partium (utpote in quibus plurimum commeat) ad *progreſſum*, aut plane ad *exitum*, diſponat & comprimat: adeo, ut talis præcipue *ſtructuræ* & *habitus* corporis homines, *tonicis* talibus *ſpaſmodicis* muſculoſarum partium motibus expoſiti ſint: ad eum nempe *finem*, ut ſanguis neceſſaria propenſione per ipſas, ſatis *fluxilis* ſervetur, aut *compreſſione* verſus & per certa loca, *exprimatur*, *evacuetur* & imminuatur.

Ita altera circumſtantia, quæ univerſum negotium morborum *chronicorum* certis *ætatibus* propriorum, fere abſolvit, eſt *diverſitas loci excretionis*, per quem ſanguinis imminutoriæ illæ *expreſſiones*, diverſis *ætatibus* perpetrari ſolent.

De qua re cum latius actum ſit diſſertatione *de fundamentis morborum ætatum*; illam hic prolixius tractare nulla neceſſitas requirit. Sed ſuffecerit pauciſſimis adumbrare.

Omnis *ætas*, corpus vero præcipue *ſanum*, & *ἔνσαρκον*, cum animo *libero* & otioſo, patet & expoſitum eſt, ſub *appetitu* ſuperfluo & voraciore, etiam *retentioni* atque aſſimilationi, præcipue in ſanguinem, non modo *abundantiori*, ſed non minus *ſuperfluæ*, atque inde *plethoræ*.

Plethora ſemel facta, longe difficilius toleratur, quam formabatur;

unde expeditiſſima iterum, & tam modo, quam ſucceſſibus *commodiſſima* via, eſt immediata *depletio* & evacuatio per *hæmorrhagias*.

Hæmorrhagiæ hujus generis, inſtituuntur ita ſponte ab intra, per *preſſiones* poroſarum partium, & ex his *repreſſione* in vaſa, imo denique ſincera *expreſſione* etiam ex vaſis, per ipſorum horum majorum truncorum *compreſſionem*, ipſo illo *tonico-ſpaſmodico* motu muſculoſarum partium, inter quas hi trunci procurſant.

Loca vero illa diverſa, ad & per quæ *exitus* ſanguinis hujusmodi, *diverſis ætatibus* diriguntur, ſunt in *pueritia*, caput & *nares*; *adoleſcente & juveneſcente* ætate, *pectus*, *hypochondria* & inde *ventriculus* & *hæmorrhoides internæ*: *conſiſtente* magis ætate, *hæmorrhoides externæ*; aut *mictus cruentus*, denique *varices*.

Omnes *hæ evacuationes* ſinceri ſanguinis, uti *activis preſſionibus* ad iſta loca, ubi *exitum* ſortiri debent, conſtringuntur, atque diriguntur; ita non modo ſenſus ejusmodi *preſſionum*, *tenſionum*, *ſtricturarum* exterius: & ſed *reniſus*, *infarctus*, quaſi repreſſionis, *interius* in partibus affectis, poſt ſeſe trahunt.

Exhibent etiam manifeſtiſſimum adſpectum *turgidum* atque *inflatum*, *vaſorum*, circa illa loca atque partes, quæ *exitum* præbere debent, poſitorum.

Quemadmodum vero admiratu forte non indignum eſt, quamobrem *hæmorrhoidum* hiſtoria adeo parum in ſcholis medicis perpenſa, & aliqua conſequentia digna judicata ſit; ita non valde minore admiratione, aut ad minimum attentione digna fuerit, illa penſitatio, cur *varices*, propemodum nudo ſilentio involuti inveniantur, & variæ ipſorum circumſtantiæ, præcipue tamen *ætatis*, & *concurrentis* doloris, velut abſolute inſuper habeantur atque negligantur,

Ex his profecto quaſi *primoribus* fundamentis, nimirum ab *hæmorrhoidali*, præcipue *externo*, & *varicoſo motu* ſanguinis, & pendentibus inde *preſſionibus* atque *tenſionibus*, nos *fundamentalem podagræ*, ut in aliis partibus *arthritidis*, *pathologiam* petere poſſe, & deducere valere, certo confidimus, quod proinde agemus.

CAPUT VI.

Pathologia podagræ.

SI *pathologiam* non ſolum *antiquiorum*, ſed etiam *recentiorum*, ſine præjudicio penſitamus, nobis ſane perpetuo occurrit illa difficultas, quod cauſis admodum generalibus, & præcipue omni tempore jugiter præſentibus, effectus adſcribantur, qui non modo plane particulares, ut pote ſic ſatis raro evenientes, deprehenduntur; ſed etiam, quibuscunque eve-

niunt,

niunt, certis demum ætatibus, adeoque ſic ſatis tarde, aut non continuo ſucceſſu, obtingunt.

Ne longius evagemur, ut pathologia *podagræ* recepta, hoc ſane, ſi uſpiam, ſatis monſtrare poſſumus. Ne tamen nimii ſimus, *tres* potiſſimum cauſarum hujusmodi aſſignationes ſolemniores, attingemus.

Antiquiores accuſant *mucidiorem* ſanguinis conſtitutionem, ſeu *catarrhales* decubitus; recenſent huc *caput* amplius, collectionem *pituitæ* in cerebro, & delapſum ejus ad *articulos ætate* debiliores. Sed evertit opinionem 1) quod talibus utique tale caput per omnem *ætatem* præſto ſit, cur vero noxios ſuos effectus nunquam edit, niſi demum in *ſenio?*

Deinde, *pituitoſiores* abundantiſſime tales, non laborant *podagra:* & quibus talis *mucid...* & *pituitoſa* ſeroſitas immaniter diſtendit membra, *œdematoſi*, *hydropici*, non laborant dolore *podagrico:* ſed qui laudabilem colorem & *ſanguineum* magis habitum, etiam in iſta *ætate* decreſcente, adhuc præ ſe ferunt, neque *animo* etiam aliter quam *alacri*, aut *acri iracundo*, vigent. De *debilitate* membrorum, non magis vero ſimilis eſt aſſertio; ſiquidem, qui modo membra iſta *exercere* ſuſcipiunt, potius a paroxyſmo ex ipſis membris, levantur (licet interdum inde magis ad *viſcera*, *introrſum*, vergat impetus, notante etiam *Sydenhamio*) cum tamen ex hypotheſi, contrarium fieri deberet ſiquidem membra ex hypotheſi *debilia*, *fatigatione* adhuc magis *debilitarentur*: præterea etiam vera horum membrorum *debilitatio*, in *phlegmaticis* temperamentis, *œdematoſis* tumoribus, imo *paralyticis*, aut aliis gravibus *enervationibus*, perfrequenter evenit, neque tamen tunc *temporis* & *ætatis*, *podagra* adhuc ſuccedit. Imo potius, ſecundum ſolenniorem *veterum* opinionem, *tranſmiſſio* illa ad has partes, non pure paſſive qua *debiles*, ſed magis active, qua ignobiles ſolum, intelligi poſſet; niſi obſtaret eadem objectio, quod ex hoc fundamento *omni ætate* hæc tranſmiſſio ita fieri deberet: imo tanto magis *vegetiore* adhuc ætate, adeoque rerum ſuarum magis efficaciter ſatagente: *quod tamen non fit.*

Secundo, emerſit theoria *rediviva*, aut forte alieno ſpiritu afflata *Hippocratis*, poſt *Fienum*, per *ten Rhyne* ad ſuperas auras revocata, quod *dolores arthritici* & *podagrici*, fiant a materia *flatuoſa*, in partes illas delata. Præterea enim quod neque *inuſtio* illa per *moxam*, *flatum* hunc commode educat: neque *acupunctura* Japonica, *exitum* flatui huic ſatis patefaciat (quandoquidem acum, præterea *tenerrimam*, aliquandiu infixam potius relinquunt, quam pro *emiſſione* flatus illius, ſtatim poſt pertuſſionem educunt: (*fatale* ſane huic etiam *flatulentiæ* eſt, cur præciſe illos demum *annos* expectet, neque *maturioribus* ſeſe pariter exſerat: aut ad minimum, cur *diverſis ætatibus*, *diverſa* præcipue *loca* occupet? Ante omnia vero, cur habitu maxime *laxo* & *flaccido* præditos, *phlegmaticos* puriores, non occupet.

Quæ ſane qui expediverit, hypotheſin ſibi afferat.

Tertio loco, eſt *Sydenhamii* theoria; viri, quem certe ex commendatione

datione D. D. Præſidis, ex ſua experimentali prorſus ſcribendi & ſubſumendi methodo, maximi facio. Interim *amicus Plato*, *amicus Socrates*, *ſed magis amica veritas.*

Non capio certe *Anti-Praxiam* illam, quam vir Meritiſſimus ſupponit, quod *Apepſia*, ſeu peſſima concoctio, & tamen *fervidi ſanguinis* proventus, una ſtare poſſint. Cui nempe fundamento, ſi verum æſtimes, totam ſuam opinionem ſuperſtruit. Quid enim *debilis ventriculus*, *pedibus* officere poſſit, ſi illi, cum toto corpore, *fervido ſanguine* perfuſi ſint, & quomodo hæc ſimul ſtare poſſint, nos certe non perſpicimus. Sed non prolixe refragabimur Viro plurimis nominibus nobis æſtumatiſſimo, neque in *Antitheſi*, ſed potius in *Theſi*, & applicata *Hypotheſi*, ſententiam noſtram proponemus.

Podagra evenit illis *ætatibus*, quibus *hæmorrhoides externæ* & *varices* evenire ſolent. *Arthriticis* iis, quibus *evacuationes* artificiales, *ſcarificatoriæ*, *venæſectoriæ*, aut magis ſpontaneæ, *narium* hæmorrhagiæ, ſuppreſſæ fuerunt: aut *fœminis*, quibus inter *menſium* vitia, aut plenariam *ſuppreſſionem*, ſtatu corporis *plethorico*, *ſudorificum* regimen cum *calidis* acribus medicamentis, intempeſtive adhibitum fuit: *viris* quoque *plethoricis*, valde *hypochondriacis*, ſimili *regimine* tractatis: maxime omnium, quo magis ejuſmodi individua, *habitus* corporis laxioris ſeu *turgidioris*, *ſanguinei* prædominantis exiſtunt, eoque ipſo ad exſudandum minus prompti.

Iſchiatici-arthritici dolores, obortis *hæmorrhoidibus*, aut in tempore adhibitis *hirudinibus*, certiſſime ceſſant: Continuante *hæmorrhoidum* talium, per ſtata tempora fluxu, conſtanter *deſinunt.* Nondum alias percepti, *hæmorrhoidibus*, imo etiam *attricibus* ſive ſerpiginoſis in ano ulcuſculis, diutius geſtatis, aut ſæpius repullulantibus, aliquando vero intentius *conſolidatis*, & ſuppresſis, *iſchiatici* dolores communiſſime, & vix non infallibiliter ſuccedunt.

Apud *Jodocum Lommium*, obſervationum Lib. XI. fin. lego: *Varici magis crura, quam cæteræ partes patent: maximeque in fœminis, quæ utero gerunt: Et in his viris, quibus ſoluta quartana, aut curata* longa Hæmorrhois *eſt.* Non vacavit hanc obſervationem ſive ex *Hippocrate*, ſive *Galeno*, ſive *Avicenna*, aut *Rhaſe*, exſculpere, cum aliquali evolutione nihil comparuerit: *Sennertus* etiam Prax. Lib. V. part. 1. Cap. 44. nihil hac re dignum attulerit, adeo, ut neque *Plinii* errori, aut ſi verax eſt, in calidis tantum regionibus forte ita evenienti rei, quod nempe *mulieribus raro*, *ſed viris tantum*, *varices* in cruribus eveniant, nihil quicquam objecerit: diligentiſſimus etiam *Foreſtus*, in ſuis non tantum Medicis, ſed & Chirurgicis obſerv. nihil niſi pure incedenter de *varicibus* meminerit. Interim convenit profecto cum experientia, dicta hæc deſcriptio; præſertim ſi levis diſcretio *ætatis*, & *habitus* corporis ſeu *temperamenti* in *viris* una adjiciatur: & *differentia* varicum, & *varicoſi motus ſanguinis* ſecundum has circumſtantias addatur. Nempe, quibus valde *exilia* ſunt

vaſa

vaſa, partes vero muſculoſæ crurum *laxiores*, poroſiores, iis non tam *varices* cruris, nempe inſignes ſuperficialium venularum dilatationes ſtabiles, eveniunt; ſed in *profundo*, in ipſis *muſculis*, iſti modo *infarctus*, modo *reniſus*, *preſſiones* & *repreſſiones*, *palpitationes*, *tremulæ* vibrationes, *ardores* quaſi puncticulares, ſeu tenerrime compungentes: interdum, facta ad ſuperficiem eliſione, *eryſipelas* præcipue junioribus, ut ante dicta magis ſenioribus. Qui vero *ampliora* habent *vaſa*, illis citra *externam* violentiam, rarius eveniunt, & ſi maxime eveniant, magis *ſuperficiales*, & directe in *particulis* affectis, quam profundos, aut in diſſitis partibus, *dolores* concitant. Mirum ſane apud *Galenum* de V. S. cap. *6*. & de *Atrabile* cap. 4. inter noxas, quæ a *varicibus* intempeſtive ſublatis, ſuccedant, mentionem nullam fieri *doloris vel podagrici*, vel *arthritici*; quod ſane *climati* adſcribendum eſt: in noſtris enim *frigidioribus*, & *diæta* craſſiore, Natura vero de cetero *vegetiore*, hæc fere prima conſectaria ſunt.

Quemadmodum vero *varicibus*, non ſecus quam *hæmorrhoidibus*, inſaniæ ſupervenientibus, ejus ſolutionem fieri, jam *Hippocrates* annotavit, & omnes poſt ipſum hujus loci *Paraphraſtes*, ab experientia conſentiunt: ita ratione adſtruunt, quod hoc fiat per *metatheſin* materiæ, nempe *motum* ſanguinis verſus has partes inferiores. Non quidem tam e capite, ſed quod *pertinacia* illa infarctus *congeſtorii* ad *ſplenem* & ramum *hæmorrhoidalem internum*, directe quidem per hæmorrhoidum *perruptionem* materialiter expediatur & evacuetur: per *varicum* vero inflationem, ſi non eadem illa *materia*, ille idem *numero* ſanguis, tamen ille *motus*, illa *intentio congerendi* & exprimendi, ex iſtis *hypochondriacis* partibus ad crura *deferatur*, adeoque in iſtis locis omittatur.

Ubi certe abſurdus ſit, ſi quis nobis vitio vertat, ſi aſſeramus, *varices* quoque *evacuationis* ſcopo congeri & comprimi: cum certe perruptio eorundem, in ſubjectis, quibus tenerior eſt cutis, perfrequens aliquid exiſtat.

Ut ad rem redeamus, multa exempla novimus eorum qui *podagra*, præſertim ab *iſchiade* cœpta, jam plurimis paroxyſmis cruciati, obortis *hæmorrhoidibus*, & bene poſtea *ſuccedentibus*, per numeroſos annos, ad ſerum ſenium uſque, immunes ab omni *podagra* manſerunt. Contra, quibus largior fluxus *hæmorrhoidum*, poſt inſignes *arthritides* & *iſchiadem*, coortus, ab horum quidem dolorum immanitate ipſos propemodum abſolute liberavit: ſubnata vero fluxus illius *reſtitatione*, mox in *ſtuporem* & *graviſſimam* tenſionem, & intercurrentes vibratorias *lancinationes* in *femore* & *crure*, devoluti ſunt.

Ex his omnibus colligimus, *podagram* nihil aliud eſſe, niſi *dolorificam ſpasmodicam motitationem*, ex *hæmorrhoidali externa*, & *varicoſa* ſanguinis compreſſione intentata, primo ortam, & initia ſua ducentem; ſucceſſive vero, partim non reperto *exitu*, inſigni *pertinacia*, continuantem: partim ipſa *conſuetudine*, cujus objectum formaliter ſunt *motus*, ita inſoleſ-

centem, ut deinde ſæpius, etiam ex *levi* occaſionali cauſa, præcipue tamen ab *animi pathematibus*, utpote *motuum turbas* longe ultra proportionem vel ſubjecti, vel objecti intendentibus, non modo prompte, ſed etiam ferociter, recrudeſcat.

Non deſino mirari, quod tam rara mentio *hæmorrhoidum*, aut aliarum ſanguinis evacuationum, ad *arthritidem fixam*, *vagam* & *podagram:* & horum *dolorum* viciſſim, ad iſtas & alias *hæmorrhagias*, tendentium, apud authores occurrat, ut fere practici magis *empirici*, quam *critice theoretici*, hic veritatem longe acutius ſubolfaciant: quemadmodum vix apud alium quemquam hujus rei ſimilem mentionem vidi, quam nomine ſolo, & quaſi primo aſpectu *ἀτόπως*, facit Zobelius, in *der* Chymiſch *und* Medicini *ſchen Perle*, cap. 16. de ſcorbuto, ubi aliquoties *ſanguinem ſcorbuticum*, & *ſanguinem hæmorrhoum*, ſynonimice uſurpat.

Certe manifeſtiſſime obvia illa apud eos, quibus pauliſper *capaciora* ſunt *vaſa*, *vaſorum* circa *pedes* laborantes *inflatio*, cujus propterea etiam *Sydenham* percommode mentionem fecit, quid aliud deſignat, quam quod nos loquimur, *varicodem* congeſtionem ſanguinis *verſus* pedes. *Tumores* iſti *phlegmonodes* & *eryſipelatodes*, apud eos, qui *laxioris* hic ſunt habitus, cujusnam alterius, quam hujus *preſſoriæ* congeſtionis ſunt ſoboles? *ardores* podagricorum, quid differunt a *varicoſis*, niſi profunditate ſitus? omnes vero *vibrationes* & *palpitationes* podagricorum, tanquam *occulte varicoſorum*, ſeu temporaria tantum *congeſtione* & compreſſione *varicode* prehenſorum, quid differunt ab aliis manifeſte & *ſuperficialius varicoſorum*, niſi *loco*, qui in *podagricis* latior, in *varicoſis* ſtrictior, interdum tamen inter utroſque par, obſervatur.

Arthritis vaga, ſcorbutica dicta, quo crudelior & diuturnior eſt, eo magis ruit & erumpit ad efferas *narium hæmorrhagias*, *hæmoptyſes*, interdum *vomitus cruentos*, non raro *mictus cruentos*, & ſæpe numero *hæmorrhoides*. Ubi frequentiſſime, quandiu *fluit* ſanguis, requieſcit omnis *dolor;* ſimulatque *fluxus* ſiſtitur, vix non eodem momento recrudeſcit *dolor*.

Inſignis & præſentanea efficacia *maturæ* & ſufficientis V. Snis, ut hinc inde experientia confirmatur, ita inter alias elegantes huc facientes Obſervationes, efficax V. S. in *iſchiadico-podagrico* dolore, præſto eſt apud *Thonerum* in Obſ. ubi de *Iſchiade*: & *Poliſii* in A. N, C. Dec. II. Anno 5. p. 338. de uſu cucurbitularum in dolore iſchiadico.

Quid etiam tempeſtivus & ſufficiens uſus *hirudinum*, in *iſchiadico-podagricis* doloribus poſſit, poterunt dicere Medici peritiſſimi, *Itali*, *Auſtriaci*, *Palatini*, quibus illarum frequentior eſt uſus: ſcimus ejus rei experimenta certiſſima.

Quibus omnibus circumſtantiis perenniter conſpirantibus inducti, hanc *Pathologiam Podagræ* eruimus, & pro certa atque vera agnoſcimus, ac tuemur.

CAPUT VII.

CAPUT VII.

Therapia Podagræ.

NOn arrige aures Pamphile. Non expecta a nobis invidioſam pollicitationem, licet hujus ſeculi ſtylo unice congruam, *percurandæ*, *tollendæ*, *profligandæ*, *proſcribendæ*, *eradicandæ* podagræ. Abunde eſt talium, & ſane nos, quia hic *novam* Pathologiam formavimus, hoc quoque *novum* in Therapia ſubjungemus, ut *nihil* cum *vulgo* pollicitatorum *promittamus*, *ſentiamus*, *aut faciamus.*

Hac methodo certe ſeries dicendorum ad pauca nobis recidet, eaque ad minimum propoſitu *nova*. Hoc ipſo aliorum labores, opiniones, traditiones, neque probamus, neque reprobamus: ſpeculationes, neque probamus, ſi cum noſtra Pathologia conveniunt, facile erit divinari, quantum cum ipſis conveniamus: ſi contra, contrarium.

Podagra cum *materialiter*, ſit a *quantitate* ſanguinis abundante, *depletio* ejus indicabitur.

Cum vero *formaliter*, ſit a *motu* ejus, & quidem *deſtinato* ad certas partes; depletio illa *generaliter* nihil proficiet, niſi vel *quantitate* ad *revulſionem* ſufficiente fiat, vel *loco* plane congruo, ad *ſpecialem* hanc *vergentiam* inſtituatur.

Quantitatem illam evacuationis, quæ *revulſioni* ſufficiat, nempe inſignem, neque *ætas* hæc fert, neque ipſius affectus indoles; ut pote in quo, ut non fruſtra monuimus (& quidem tanto magis, quo magis *inſuevit*) *Menſura commotionis*, non ſequitur exacte, ſed *excedit* communiter *proportionem* ♉ *movendi*. Unde brevibus, V. S. ſcarificatio, *curative*, hic, ut communiter *curative*, fruſtranea eſt; ſed *præſervative* non temnenda.

In loco vero, aut in locis *originariis*, proſunt *evacuationes ſanguinis*: idque & *præſervative* & *curative*.

Abſurdam nempe illam V. Snis & ſcarificationis adminiſtrationem, *uno* eodemque *loco*, ſine diſcrimine *ætatum* & *affectuum*, hic quidem deducere, non ſinit charta: interim qui *juniore* ætate circa *ſuperiora*, *provehente* circa *inferiora*, *præſervative* evacuationes ſanguinis inſtituunt, ſentient, quid commodi, præ *contraria* methodo, hic percipiant.

Ad *podagram*, ſanguinem, multo & aſſiduo, moderato, ſed diuturno, *motu corporis*, conſumere & diſcutere, eximium eſt; ſed nulli podagricorum placet. *Emiſſio* itaque commodius inſtituitur. *Præſervative* præcipue; aut ſi *curative*, vel in primo *principio* paroxyſmi, *copioſe*: vel in *ſtatu*, moderate: in *declinatione*, etiam *parce*.

Idque vel in *loco originario*, circa *hæmorrhoidalia* loca. Et fortaſſe diſ-

cet adhuc *poſteritas*, quid uſus ſit in *hirudinibus*. *In loco* vero *ſtatario*; immediate, *hirudines* eaſdem & *ſcarificationem*, cujuslibet diſcretioni quidem relinquemus, allegamus tamen obiter commendationem illam, quam *Gottofredus Kirch*, aliquoties calendariis ſuis adjecit.

Opium in cura, ut ſemper *in cura*, damnamus. Ad *palliationem* temporariam, vix admittimus: pathemata circa *abdomen*, ſub *podagricis* titubationibus, *nitro*, cum *tartro vitriolato* & *cinabari* plus debent, quam ulli anodyno.

Verbo: *hirudines* & *nitrum*, aut *hæmorrhoidum fluxum* & *camphoram*, commendamus *poſteritati*.

SOLI DEO GLORIA.

J. GODOFR.

CCXIV.

J. GODOFR. DE HAHN,

HISTORIA PODAGRÆ

PHILIPPI LUDOVICI CARDIN.

DE SINZENDORFF.

Norimb. 1750.

MEretur omnino, uti quovis monumentorum publicorum genere conſervari, immortalis memoria Eminentiſſimi Cardinalis a *Sinzendorff*; ita poſteritati quoque, in medici orbis gratiam, propagari ſingularis plane hiſtoria articularis morbi, cum quo per optimam pretioſiſſimæ vitæ partem conflictatus eſt, & cui altero ab hinc anno, in communes Sileſiæ luctus, ſuccubuit princeps integerrima ſanitate ad ſenium uſque perdignus. Hæreditatis quidem jure tranſierat malum in corpus ad obeſitatem fere nimiam pronum, pituitoſo oleo abundans molliorſque adeo & ſpongioſæ texturæ, atque iis præterea ſignis omnibus inſtructum, quæ ſuſcipiendo morbo favent. Quibus inter alia caput grandiuſculum, ingenium fervens, immo vero fabricæ partium inexplicabilis quædam diſpoſitio, adnumerantur. Accedebat ad hæc lautior, & delicatiſſimorum ciborum copiæ indulgens diætæ ratio, vini nullus quidem abuſus, uſus tamen liberalior, exercitiorumque, ob pedes præpropere motu privatos, defectus. Primos enim impetus exeruerat articularis dolor jam tum, cum viginti annos natus eſſet. Quotannis dein modeſte inviſens pedes, octavo autem anno ſubito ingraveſcens, totiuſque corporis, præcipue articulorum vires infringens.

Anſam morbi augmentis dederat glacialis hauſtus. Hunc arthriticus ſumens in colicam ſævam inciderat, retrogreſſo ad interiora morbo & abhinc etiam in externis partibus violentiore, ſenſimque intactas ante ſuperiores corporis partes occupante.

Id ſane repetito morbi acceſſu effectum erat, ut fractis articulorum viribus jam tum pedibus captum deprehenderem optimum principem, cum primum valetudinis tuendæ cauſa ad eum convocarer. Scilicet per quadriennium ex frictionum ſiccarum & fervidarum abuſu ita invaluerat pedum contractura, ut ægerrime, nec niſi binis ſervis adjutus, loco eos movere, vacillantemque formare greſſum valeret. Sexta erat hac vice, qua articulari morbo decumbebat, dies, pedeſque & manus dolore non adeo ſævo detinebantur. Et cum cognitorem morbi, quam præfeſtinantem medicum, agere mallerem, tum irretorto obtutu omnes & ſingulas mali circumſtantias ſollicitus obſervabam tantum, abſque ut quidquam molirer.

Primum, quod me, ſtatum morbi conſiderantem, in admirationem rapiebat, phænomenon, erat juncta articulari dolori *canina fames.* Viſa quidem ea in quibuſdam aliis podagricis, ſed eo, quo hic ſæviebat, exceſſu, nuſpiam.

Vellicabat nempe ventriculum adeo moleſtus titillans, rodenſque cibi appetitus, ut, niſi ad primam cibum clamantis vocem accurrerent ſervi, nutrimentum adportantes, illico vomituritione ingratiſſima afficeretur

tur noſter, ſpaſmo gulam tamdiu torquente, uſque dum proritatus eſurie ventriculus pituitam & bilem cum impetu eructaret. Optime autem reprimebat hanc æſtuoſam famem panis albus, vel oryza cum lacte præparata, quorum fere ſemper ad manus erat alterutrum, ne frequentior exſurgeret ex horum defectu vomendi libido.

Uſus fuerat Eminentiſſimus Cardinalis ante hanc podagræ acceſſionem *diæta lactis* per integros octodecim menſes. Toto illo temporis tractu, præter lac, non niſi piſces, panem album, legumina, fructus horæos, aſſumens. Tale quid enim poſcebat diætæ lactis rigor, quo præripere infeſtum morbi fomitem conabatur.

Re ipſa inſigne levamen tali victus ratione ſe aſſecutum affirmabat. Durante interim podagræ impetu abſtinebamus a lactis uſu, quem non niſi finito penitus illo revocabat; id quod hac vice poſt undecimam diem obtingebat, pace abhinc plurium menſium impetrata.

Vena Majo ſecta ſanguinem & ſerum juſta proportione & conſiſtentia nobis offerebat, raro paſſim muco oleoſo conſpicuo.

Novembre autumnalis acceſſio aderat, vernali illa longe gravior & diuturnior. Prævia per aliquot noctes turbulenta inſomnia excipiebat chiragra dextra. Senſim aſſurgens rubellus tumor octavo die manum levabat, ſuccedentibus eidem primo cubitu, mox & pede dextro. Latus ſiniſtrum ſimul afficiebatur, coſtis turgidulis & ſubrubris. Hinc tranſitus in manum ſiniſtram, tandemque in pedem. Singulæ partes juſtam maturitatem conſequebantur, mire intumeſcentes, madentes, cum ſplendore rubentes, ipſa facie phlogoſi repetita perfuſa. Ardor quidam, cum igne lambente comparandus, totum caput exagitabat, moleſto adeo ſenſu, ut vel leviſſima tegumenta jugiter a capite raſo removeret princeps.

Erat autem in iis totum a ſuperfluo illo ſtratorum plumeorum apparatu, quo alii podagrici tantum non ſuffocantur, alienus. Culcitris quippe, pilorum equinorum infarctu elaſticis, corporique reſiſtentibus, incumbebat, levioribus textilibuſque ſtragulis obtectus.

Bis conquieſcere viſæ dolorum turbæ bis revocabantur, in Decembrem protractæ, faſtidio & alvi lubricitate morbi augmentorum prænuntiis, pulſu celebri & debili, & canina fame comitibus. Triceſima ſeptima jam agebatur dies, qua nuchæ tumor & rigor, & calor auctus, & pervigilium, & verticis dolor ſpaſmuſque genu alterius, negotium nobis faciebant, urinis ipſis, quæ alias rariſſime a naturali deviæ erant, hac vice exaltatis. Succedens tandem ſputatio ſolvebat morbum, ita tamen, ut octoginta demum dierum ambitu penitus is terminaretur. Hoc impetu primum in uſum vocavimus maſſam pilularum de cynogloſſa, repetitis dolorum & ſpaſmorum vexationibus invitati, hujuſque pharmaci continuationem morbo perquam accommodam experti ſumus.

Quam-

Quamprimum liberum ſe a doloribus ſentiebat Cardinalis, devotum Regi animum teſtandi cauſa Berolinum proficiſcebatur. Conſtat inter omnes, quanta ſummi principis, maximi ingeniorum cognitoris, clementia ibidem fuerit ſuſceptus. Ipſeque Eminentiſſimus noſter Berolino redux, regiæ, qua gavſus fuerat, conſuetudinis ſuavitatem & animi & corporis vires inſigniter refeciſſe lætus iterato teſtabatur.

Martio brevis arthritidis acceſſio pedem alterum & cubitum inviſebat. Aquæ potui adſuetus princeps hac occaſione faſtidiens aquas, protinus has cum cereviſia commutabat, per menſem integrum tres ejus vel quatuor menſuras quotidie cum voluptate exhauriens, uſque dum Aprili menſe innumeri vomitus nocturni cereviſiæ continuationem nobis diſſuaderent. Exin aqua cum vino remixta per aliquod tempus obtinebat. Sanguis hoc vere cum e vena brachii, tum hirudinum ope ex hæmorrhoidalibus vaſis extractus. Cœlo tunc perquam blando, calido & pluvio, pacatus aliquamdiu rerum ſtatus. Mollioris enim auræ afflatu, ventique tepidi (qualem Itali *Girochi* vocant) demulcente virtute inſigne ſemper vel in ipſis doloribus commodum ſe percepiſſe memorabat æger.

Majo perquam moderata podagræ acceſſio, tertianæ typum obſervans, undecim diebus abſolvebatur.

Julio e contrario graviſſimus impetus nos affligebat. Dederat veſpertinus aër, in horto admiſſus, anſam dolori manus ſiniſtræ. Confeſtim & facies rubore perfundebatur. Altera die pes dexter patiebatur. Hoc non obſtante tertia die per aliquot horas in templo commorabatur Eminentiſſimus Cardinalis, in gratiam Sereniſſimi Principis Coadjutoris de *Schaffgotſch*, hodierni Epiſcopi Uratislavienſis, qui tunc Abbas Canonicorum regularium Lateranenſium eligendus erat. Tali moræ juncta fervidior paulo occupatiſſimi ſimul animi commotio exaſperabat dolorum articularium cruciatus, quos inſequens ſeptima die mador parum levabat. Recrudeſcentibus iiſdem decima die in uſum trahebamus mixturam quandam facilitandæ motuum ad peripheriam directioni dicatam, cujus formula ſequens erat:

℞. Aquæ Menthæ ſine vino
  Card. benedict.
  Serpilli aa ℥j.
Theriacæ Smaragdinæ
Pulver. antiſpaſm. aa ʒj.
Liquoris anodyni Hoffm. ℈ij.
  bezoard. Buſſii ℈j. M.

Hujus pharmaci cochlearia bina quavis hora exhibita, torpentes & interiora obruentes motus feliciter ad extremitates propulerunt olim aliquoties,

ties, idemque officium & hac vice nobis præſtabant. Undecima quippe die inter validiores pulſuum, quos *expulſorios* ſalutabamus, ictus, per genua, ſcapulas, nucham & artus reliquos diſtribuebatur morbi impetus, triduo poſt reiteratis maſſæ pilularum de cynogloſſa doſibus refrænandus. Quo facto gratus mador, blandus turgor, lætus rubor, ferociam hujus acceſſionis componebant. Mirabar autem pulſuum violentiam, ad inflammatoriæ febris ingenium propius accedentem, urinis colorem febrilem affricare non valuiſſe, quippe quæ a naturalibus toto morbi tractu non deviæ erant.

Nitroſorum pulverum munere fungebantur apud principem noſtrum omnis generis fructus horæi, quorum ſelectiſſimorum ſemper præſto erat abundans apparatus. Nec deficiebant unquam, quamdiu id per anni rationem liceret, mala armeniana, perſica, ceraſa, fraga, pruna, uvæ, ficus, ananas, & quæcunque demum ad ſucculentorum horæorum cenſum ſpectant. His vel recentibus & crudis, vel arte exaltatis, nunquam non delectabatur, inque horum gratiam & olitore peritiſſimo utebatur, & cupedinario in Italia inſtructo, glacie præparare ſuccos quoſvis & fructus horæos callente; artificio naturæ ſocio duplicato illectu tum provocante guſtum. Quibus cupediis merito hic adnumerandum lac glacie concretum & ſolidatum, quod vel ſolo adſpectu convivis ſalivam ſæpe moviſſe recordor, & ad cujus deguſtationem Romanorum *nivatas delicias*, quas *Seneca* ſugillat, tacite excuſavi. Præ reliquis autem Cardinalis in deliciis habebat excellentis bonitatis *melones*, fructus nempe cucurbitinos hortenſes exiguæ molis, denſæ & compactæ conſiſtentiæ, fragrantiſſimi & aromata ſpirantis odoris, ſaporis longe gratiſſimi & ſine ſaccharo dulciſſimi. Horum aliquot quotidie fere abſumebat Eminentiſſimus, cum inſigni quadam gulæ, verum ejuſmodi fructuum meritum exacte dignoſcentis, voluptate. Quo ipſo quidem cum in abuſum deflectere adſtantibus videretur, hique per jocum aliquando in eum increparent, ego, medicus, ut partes ægri tuerer quodammodo, illuſtre in medium afferebam exemplum ex *Julio Capitolino Hiſt. Aug. Tom. I. p. 699.* „ quo *Clodius Albinus* Imperator pomorum tantum hauſiſſe dicitur, quantum ratio humana non patitur. Nam & quingentas ficus paſſarias, „ quas Græci *Calliſtruthias* vocant, jejunum comediſſe dicit *Cordus*, & „ centum perſica campana, & melones Hoſtienſes decem, & uvarum „ Lavicanarum pondo viginti, & ficedulas centum, & oſtrea quadringenta ". Subridebat princeps, qui a tali quidem ingluvie longius aberat. Vix enim melones ejus maximum pomorum genus magnitudine ſuperabant, unius libræ pondus utplurimum æquantes, raro libras duas attingentes. Harum familiæ etiam adnumerandas eſſe judico Hoſtienſes illas *Clodii*, quarum decem uno prandio abſumſiſſe dicitur. Et quibus ideo, quod parvæ admodum molis ſint, cucumeres cum *Caſaubono* ſubſtituere

ſtituere manus neceſſe duco, cum nec naturæ, nec ſanitati adeo repugnare videatur, aliquot hujus generis fructus uno prandio epulari. Perſæ certe, ſi itinerum ſcriptores audias (*a*), unico quandoque prandio triginta melonum libras devorare ſolent, quin menſibus quatuor æſtivis ejuſmodi fructus, quorum ingens apud eos varietas occurrit, plebi omnem victum præbent. Ipſi etiam optimates delicatuli, duodecim quotidie libras eorum ſine incommodo ferunt. Neque ego memini ullam unquam Eminentiſſimo Cardinali, ex melonum talium deguſtatione liberaliori, moleſtiam enatam. Conſtans potius nos edocuerat experientia, horum uſu æquo, & ad palati deſideria demenſo, nunquam non temperatos fuiſſe ſanguinis fervores, indeque pendentem perſpirationis exceſſum; quem fructum exſpectandum eſſe a cucumerum & melonum paſtu, lætus aliquando legebat Eminentiſſimus Noſter in elegantiſſimis *Arbuthnoti* Angli (*b*) *de natura alimentorum* Commentariis, quos curioſus totos perluſtrabat.

Auguſti die viceſima ſexta, ſternutatio crebrior levem podagræ & chiragræ acceſſionem introducebat. Quarta die nuchæ dolor & tumor, & faciei rubor obſervabantur. Livores per nucham comparebant, quaſi a percuſſione, hique e longinquo ſonticum nobis minitari raptum ad caput videbantur. Sexta die coſtarum dolor a latere dextro aderat, calore propius ad febrilem accedente ſtipatus, mox iterum diſcuſſus.

Poſtremus hic impetus metum aliquem ſecuturæ olim apoplexiæ nobis incuſſerat. Præſens autem illo erat tempore germanus Eminentiſſimi Cardinalis Frater, Perilluſtris *comes a Sinzendorff*, eques Melitenſis & Præfectus Olſnenſis, fervidiſſimi ingenii Dominus, ſed ſimili hæreditario articulorum dolori obnoxius. Hic per aliquot annos in uſum ſe traxiſſe cum inſigni emolumento aſſerebat therebinthinam, cum Polio montano coctam. Quod remedii genus in Italia frequens, laudatum ibidem, & multiplici experientia comprobatum, nobis valdopere commendabat. Erat autem remedii compoſitio ſequens:

℞. Terebinthinæ Venetæ libr. ij.
Polii montani libr. 4.

Coqu. in aquæ menſuris ſeptem, ad conſiſtentiam maſſæ pilularis. Hujus maſſæ ſumat drachmam integram quovis mane, ad dies vitæ.

Salivam movebat Eminentiſſimo principi, magno exemplorum apparatu confirmatus ſpecifici hujus remedii antipodagrici effectus, præcipue cum præmonſtratores in ejus largiore exhibitione eidem offerrem binos, ſecu-

(*a*) Vid. Hiſtoire univerſ. traduite de l'Anglois, Tom. III. p. 381.
(*b*) An Eſſay concerning the Nature of Aliments, London 1735.

ſeculorum proxime præterlapſorum medicos illuſtres, *Amatum Luſitanum*, & *Julium Cæſarem Claudinum*, quorum prior (*c*) monachum quendam nephriticum ſex menſium uſu terebinthinæ, nucis magnitudine quovis mane devoratæ, reſtituerat; alter vero (*d*) principi Mirandulenſi podagrico, Frederico Pico, terebinthinam cum pulvere ivæ ſumendam ſuaſerat, externe adhibitis Tettuccianis & Porrettanis novis pro lotione & embrocatione. Idemque poſterior (*e*) in chiragra terebinthinam, cum pulvere ivæ arthriticæ, per temporis tractum ægro exhibuerat.

Eſt autem hæc iva arthritica Polii montani ſpecies, *ajuga* dicta, ſive *Chamæpitys*, ſpecialiſſimo quodam amarore, eoque non ingrato, commendabilis. Illum amarorem coctæ terebinthinæ altiſſime imprimit, maſſamque exhibet globulis formandis & deglutiendis facilem. Quod autem ad ipſam terebinthinam attinet, balſamum illud nativum perquam nobis accommodum videbatur eliminandis per urinarias vias, vel & involvendis ſalibus, perioſteis, tendinibus, ligamentiſque articulorum infeſtis. Eminentiſſimus enim Cardinalis, qui inter blandiſſimas collocutiones non raro graviſſimum ſe in hoc morbo auctorem claſſicum jocans profitebatur, in ea verſabatur opinione, veram arthritidis rationem repetendam eſſe a ſale, quod podagricorum machina copioſius ex alimentis extraheret, quam aliorum hominum. Non abſimili modo, quam fieri tale quid cernimus in ſalinis, in quibus aqua diuturniore mora ad extrahendum & exhibendum ſalem præparatur, fere eadem lege ventriculum & digeſtionis viſcera cuncta favere ſalium extractioni e cibis, e quibus aſſatas carnes majorem præ elixis ſubminiſtrare copiam affirmabat. Triſti enim experientia edoctus, aſſam, inprimis vitulinam, multoties podagram provocaſſe perſenſerat. Non alienus fuit ab hoc, ex intimo rerum ſenſu enato principis noſtri, de podagra ſyſtemate, judicioſiſſimus & in intima morborum ſæpe feliciſſime penetrans *Boerhaavius*, quandoquidem is in opere practico (*f*), podagræ rationem expoſiturus, *ergo*, inquit, *non bilem*, *non lympham*, *ſed ſalem hic aliquem accuſo*; pauloque poſt (*g*) elegantiſſime ſubjungit, "podagram eſſe effectum totius „ compagis corporis noſtri, ſuoque tempore æque accidere, ac ſeminis „ ſecretionem in viris, cauſamque habere in nervis ita genitis". Taceo quæ idem *Boerhaavius*, in ſtupendi laboris opere chymico, de ſale animalibus proprio, monuit, miti quidem illo & ſaponaceo, & inter volatilem & fixum medio. Cum quibus omnibus ſi contuleris, quæ non adeo multis retro annis, de ſale alcalico volatili vera podagræ cauſa, erudite

(*c*) Curat medicinal. centur. 1. cur. 63. p. 305.
(*d*) Conſultat. medicar. conſult. 19. p. 49.
(*e*) Conſult. 39. p. 93.
(*f*) Part. 5. p. 198.
(*g*) L. c. p. 200.

erudite commentatus eſt medicus Florentinus, *Michael Pinellus* (*h*), nobiſcum omnino ſentiens. Nos certe tali vel experientiæ, vel acutiſſimi ingenii ratiocinio innixi, in uſum trahebamus laudatam illam terebinthinæ cum polio montano coctæ maſſam, propoſitique tenaces continuabamus per integros ſeptendecim menſes, conſtantia a nullo fere privato homine exſpectanda.

Prima podagræ acceſſio, quæ durante hac aëra terebinthinæ Sereniſſimum principem detinebat, ſub finem Septembris obtingebat. Soda & ſitis immodica præviæ erant. Acceſſio ipſa permodeſta pedem dextrum occuparat. Alvus paulo liberior comes. Noctes parum quietæ, ſed non doloris culpa, qui mitiſſimus erat. Appetente vinum ſtomacho, ſumebatur hauſtus generoſioris. Septima die lateris ſiniſtri coſtæ affligebantur. Reſpiratio inde turbata, deglutitioniſque difficultas maxima. Flatuum præterea turbæ. Abhinc latius ſe diffundens dolor, aurem ſiniſtram, cubitumque & manum hujus lateris infeſtabat. Vocabatur in uſum mixtura ſupra laudata recreans, quæ, juncta repetitæ pilularum de cynogloſſa exhibitioni, inſignem & hic effectum præſtabat, ſocia utriuſque pharmaci virtute adjuto cordis & arteriarum vigore, refrænato fibrarum ſpaſmo, invitato molliter madore, partiumque benigno tumore, dolores ſequentium quatuor dierum ambitu blanda quaſi vi emolliente.

Aliquoties obſervaram, & hoc paroxyſmo iterato experiebar, ſeptentrionalem ventum provocaſſe morbum, perinde uti mollioris auræ afflatum, eundem mitigaſſe vidimus ſupra. Obtinuerat ſcilicet per quatuordecim dies boreas, cœlo ſereno & frigido. Huic in horto expoſitus Cardinalis, ſine dubio laterali dolori anſam dederat. In qua ſuſpicione confirmabar catarrho arthritidem excipiente; quanquam familiaris etiam ſit podagricis fere omnibus quædam catarrhorum cum podagra viciſſitudo.

Uſum terebinthinæ noſtræ omittebamus durante acceſſione, uti olim lactis, revocantes eundem finitis doloribus.

Novembre ſanguis e brachio miſſus, ſatis bonæ notæ erat; indeque armiſtitium cum morbo obtinuit ad initium uſque ſequentis anni.

Grave autem hoc nobis exiſtebat. Mox enim prima ejus die dolor principem ſalutabat, cubito primum, mox pede dextro & præcipue genu affectis. Hoc prætumidum, durum, ſpaſmo tentatum, negotium nobis faciebat.

Fervoris ſenſus univerſalis poſcebat aliquot noti pulveris antiſpaſmodici exhibitiones, quibus alvus illico turbabatur, novo dolorum augmento

 octavi

(*h*) Nuovo ſiſtema dell' Origine o principio della podagra, e ſuo Rimedio. In Roma, 1734.

octavi diei noctem ſomno privante. Feriebat autem manum dextram inti petus. Confeſtim interim rubor & tumor comparebant; morbum undecim diebus abſolventes. Catarrhus & hac vice poſt morbum, ſed is quarta die innumera ſternutatione diſſipatus. Abhinc ſilentium turbarum per aliquot menſes. Vena ſecta in pede Aprili menſe, ſub cujus finem primi calores vernales, repetente hiemali frigore repreſſi, anſam reiteratæ podagræ ſubminiſtrabant. Catarrhus cum vocis raucitate comes. Sputa mira quantitate afflua.

Rubor eryſipelaceus per faciem & nucham. Veſpertini algores, pulſuumque durities & inſueta celeritas. Rari quippe alias febriles motus univerſales. Fervor aliquis, cum igne lambente comparandus, per affectarum partium ſuperficiem vagabatur. Septima dies, poſt noctem irrequietam, dolorum augmentum ſecum ferebat, manu ſiniſtra plus quam arthritico rubore perfuſa & præturgida. Non ſecus ea livebat; quam ſi phlegmone in gangrænam prona detineretur, ficui maturæ non abſimilis. Hunc fere excedentem maturitatis gradum conſecuta, veſperi ſubſidebat. Alvus moleſte hærens, enemate officii admonebatur. Recipiente ſe abhinc undecima die dolore, ſudores, ſputa larga & liberior alvus, vernalem hunc impetum feliciter terminabant.

Julio æſtivalis aderat lateris primo ſiniſtri dolor, ſed hic proxime in femur deſcendens, mox in pedem. Blandus & ſuperficialis turgor erat, ruborque lætus. Sexta die latus dextrum eoſdem leves dolores experiebatur, mox in pedem & manum migrantes.

Mirus manus dextræ turgor; nec minus ſiniſtræ intenſe rubentis. Alvus liberior; duodecima die acceſſionis finis.

Vix menſe elapſo modeſtum hunc impetum excipiebat gravior. Bihorio a prandio ſubito aderat chiragræ dextræ perceptio. Protinus ſuccedebat turgor cum rubore. Canina fames præ aliquot prægreſſis vicibus; hac ipſa magis invaleſcebat. Quinta die, altera a prandio hora, indigeſtæ carnis fruſtulum vomitu reddebatur. Alvus naturalis. Nona die, remittere jam tum viſo impetu, dolor latus ſiniſtrum occupabat. Spaſmus hinc excitatus noctem diro cruciatu turbabat. Sciſcitantes comperiebamur, diuturniore extra lectum mora, intenſe frigidum borealem afflatum liberius admiſſum irritaſſe latus. Interim decima die ſudor largus; flatuſque copioſi ſolvebant turbas, quas biduo poſt glacialis hauſtus refricabat.

Notandum ſic, Sereniſſimum principem, aquæ potui adſuetum, etiam in ipſa podagræ acceſſione, reficientem frigidæ hauſtum ſemper calidæ prætuliſſe. Erat enim a frequentibus illis infuſi foliorum theæ ſorbitionibus, quæ adeo familiares nobis ſunt, prorſus alienus. Nec diffiteri poſſum, ſolam aquam, juſta frigidæ admixtione temperatam, ſæpiſſime nobis expellentis & reficientis pharmaci virtutes, præſentiſſimo effectu exhibuiſſe. Eminentiſſimus autem noſter, nunquam non alia utebatur aqua, quam

quam cum glaciali remixto quovis hauſtu. Unde evenit ſubinde, uti hac vice, ut paulo liberalior glacialis aquæ additio, committendi erroris occaſio fieret. Adeoque latus jam dextrum, uti prius ſiniſtrum, dolorum cruciatu afficiebatur, malo non niſi decima quarta die, penitus conquieſcente.

Medio Septembre, poſt nocturnum vomitum, pedis dolor novus aderat, ſimulque pulſus fortior, calor immodicus & rubor. Tertia die benignus tumor cum madore. Quinta pulſus & calor propius ad febrilem accedentes. Inde nox fervida, ſpaſmus genu dextri immitis, faciei rubor, ſputatio ſpumoſa largior. Octava die dolor acerbus & ſpaſmus genu ſiniſtrum quoque occupant, ægreque obſecundant conſuetis noſtris pilulis de cynogloſſa. Decima die mador auctus cum levamine. Mox alvus lubrica, & per aliquot dein dies ſolito importunior, diaſcordium aliquoties eludens, tandem cedens ejuſdem virtuti.

Sub Novembris initium ex refrigerio catarrhus, e catarrho tranſitus in chiragram dextram. Dolor ferendus, tumor æquus & cum madore. Pulſus quarta die violentior. Nox ſpaſtica, rapto in ſocietatem dolorum genu. Alvus abhinc per plures dies lubrica, undecima autem & ſequenti, vomitus aliquot vitellinæ bilis, dein ſtatus pacatus. Hoc menſe ſanguis e pede miſſus catarrhalem mucum ſecum attulit.

Anni 1745. ingreſſus immodica ſiti notabatur, maxime nocturna ea & febrilem colliquationem minitante. Ad hanc permoleſtam & vix reſtinguendam ſitim accedebat phænomenon notatu perquam dignum. Sputa ſcilicet, in noſtro principe ſemper, & tunc inprimis affluentiſſima; tenacia prodibant, ſaporemque & odorem terebinthinæ tota referebant. Nunquam ſolemnis ille terebinthinæ effectus, violaceus nempe odor, ſe prodiderat in urinis. Nunc vero impetu irruere in ſalivalia organa cœperat, ibidemque exitum iterum moliri traditus maſſæ ſanguineæ reſinæ hujus adparatus. Hæc operoſa muci terebinthinoſi per ſalivales ductus excretio, per plures dies nos exagitabat. Quanquam enim ſtatim a primo hujus phænomeni momento abſtineremus ab ulteriore terebinthinæ aſſumtione, fons tamen ejus videbatur inexhauſtus, omniſque ſaliva nil niſi fœcundiſſima terebinthinæ progenies erat. Nec mirum! Adeo longo enim temporis tractu decantati hujus medicaminis frugem periclitati fueramus, ut tota humorum maſſa imbui ejus ſubſtantia commode potuerit. Nec improbabile eſt, inter cauſas excedentis ſitis referri debere protractum hujus reſinæ uſum.

Jam quod ad hanc ſitim attinet, huic quidem reſtinguendæ perquam favens erat ſpiritus nitri dulcis, ordinario aquæ potui jugiter admixtus. Eliminandæ autem terebinthinæ ſuperfluæ non ſtatim in promptu erat conſilium. Tandem vero facilitando ejus a ſanguine divortio, præ reliquis accommoda videbatur emulſio noſtra oleoſa, qua aliquot olei recentis amygdalarum dulcium unciæ, cum ſufficienti ſacchari quantitate

&

& vitello ovi recenti exactiſſime ſubactæ, admixta ſenſim juſtâ aquæ quantitate, in emulſionem gratiſſimam abeunt. Hanc ſaponacea ſua facultate idem præſtituram corpori judicabam, quod vitellus veſtimentis reſinoſa vel picea maſſa contaminatis. Feliciſſime illius ope hanc eluunt artifices.

Hocce conſilium etiam ex voto ſucceſſit, Sereniſſimo principe paucorum dierum continuatione ab hoc incommodo penitus liberato. Felices illas interim, quibus per ſex fere menſes gaviſi fueramus, inducias, pro fructu aſſumtæ conſtanter terebinthinæ jure agnoſcebamus. Sed minoris momenti erat ille fructus, quam ut urgere ulteriorem terebinthinæ uſum fas ducerem. Inceſſerat præterea etiam aliquis metus omnium animos, ſubjugata, quacunque demum arte, podagra, alios, eoſque pariter graves morbos, facile oborituros.

Miſſus Februario ſanguis floridus erat.

Majo levis impetus manum primo, mox cubitum, exin genu tentabat. Reſpiratio contentioſa erat. Sputa uberrima. Phlogoſes univerſales, præcipue faciei, quam ſpongia humida indeſinenter ſolabamur. Cetera nil contra moliebamur, motu omni ad peripheriam expeditiſſimo. Marceſcente undecima die, ſub remiſſioribus doloribus, partium turgore, alvus per aliquot dies fluxa erat, cum moleſto ſenſu. Decima tertia autem die, hæmorrhoides ſine incommodo ſtillabant.

Junio ſimillima huic per omnia acceſſio blanda, decem dierum ambitu circumſcripta, obſervabatur, eaque alvi fluxu terminata, poſt noctem, ab aſſumtis pilulis de cynogloſſa voluptuoſam, uti hanc ipſam ſalutabat princeps, quem hac unica vice recordor hauſiſſe, per paroxyſmi totius decurſum, tenue pulli juſculum, appetente calidum potum ipſo palato.

Julio gravior nobis incumbebat impetus, clamores eliciens, & quinque horarum ſpatio ad ſummum gradum evectus. Quo temporis momento & turgor aderat, & congruens rubor, & pilulis noſtris feliciter promota maturitas, prodeunte madore benigno. Sexta interim die per nucham vagabatur ſuperficialis & rubellus dolor, cito diſcuſſus. Tum demum alvi lævitas cruenta, & exceſſu peccans, & calori coſtæque dolori juncta. Pertinax malum nec diaſcordio, nec abſorbentibus pharmacis morem gerebat. Vinum calidum proderat, inde a die decima tertia ad ſeptimam frequentius hauſtum. Vini illius, quod *vin brulé* vocamus, præparatio talis: vini gallici, *hermitage* dicti, vaſculum, tres circiter ſcutellas, theæ ſorbitioni dicatas, capiens, bullire ſinentes, vinum ſaccharo & cinnamomo imprægnatum, inter bulliendum accenſum deflagrare permittebamus. Qua arte & gulæ acceptum, & minus inflammans reddebatur vinum, cujus hauſtum, elapſo fere ſemper quatuor horarum ſpatio, ſumſit æger noſter cum euphoria.

Quam-

Quamquam autem conſiſtentior indies hac methodo alvus evadebat, nondum tamen naturalis ea, nec incruenta erat, viriumque lapſus & appetitus proſtratio ita invaluerant, ut attonitos nos redderet inſolitus aliquis ſenſim obrepens corporis & animi marcor. Contriſtatum enim aliquando præter morem conſpicabar Cardinalem noſtrum, vultumque ejus mortifero vulnere affectorum vultui ſimillimum. Tali rerum ſtatu geminata opera extricare nos e dubiis rebus conabamur, voti tandem compotes facti duplicata diaſcordii doſi, victu lactis cum pane albo, & decocto radicis tormentillæ cum cortibus aurantiorum parato, triceſimaque morbi die alvi fluxus cum chiragra brevis durationis commutabatur. Hoc tempore medicus quidam Venetus, ſententiam ſuam circa noſtram medendi methodum rogatus, frequentiorem pilularum de cynogloſſa uſum in ſuſpicionem vocabat, parumque aberat, quin diffidentiam pharmaco excitaſſet, minus conſiderate ſcriptis ad ſereniſſimum principem his verbis: *rimedio da medici tutti di buon ſenno proſcrito.* Præferebat enim ille medicus pilulis noſtris de cynogloſſa, maſſam pilularum de ſtyrace, accuſans in prioribus cum cynogloſſam, tum hyoſcyami ſemen, quippe quod tremores muſculorum & debilitates induceret, aliasque plures nocivas qualitates exerceret. Cui quidem acriori judicio, & inſonti pilularum de cynogloſſa maſſæ minus competenti, opponebam primo auctoritatem gravioris medici Romani, *Proſperi Martiani*, fidelitate & candore cum *Hippocrate & Sydenhamo* merito comparandi, qui tutiſſimum hujus remedii uſum diuturniore experientia compertus, ubi de articulari morbo verba facit (*i*), hæc eloquitur: *ego autem theriaca utor ad ſcrupulum unum, cum granis ſeptem pilularum de cynogloſſa, vel etiam theriaca ipſa, ægri natura inſpecta. Quorum medicamentorum caliditatem & ſiccitatem corrigo victus ratione iis contraria. Hisque omnibus abſolvitur curatio hujus affectus adeo exacte, ut alia omnia remedia irrita habeam, quæ in alium finem tendunt.* Oſtendebam utramque pilularum maſſam eundem agnoſcere auctorem *Alexandrum*, ob magnum in praxi medica nomen κατ᾽ ἐξοχὴν *medicum* dictum, atque adeo eadem antiquitatis prærogativa gaudere.

Incognitas porro mihi plane eſſe regerebam nocivas illas ſpecierum, quæ maſſam pilularum de cynogloſſa ingrediuntur, qualitates. Neque id mea tantum, multiplici ſane experientia, ſed & judicioſiſſimorum medicorum effato confirmabam. Quod enim ad cynogloſſam attinet, perplacent quæ de hac planta profitetur *Fullerus* (*k*): *populus*, inquit, *medicorum uno ore vim ſoporiferam attribuit cynogloſſo. Ipſe vero, licet millies in uſum duxerim, nullam ejusmodi virtutem obſervare potui. Egregium pharmacum in defluxionibus calidis.* Et commemini aſſertum cujusdam medici, in Ephemeridibus his nat. cur. pilulas de cynogloſſa in compeſ-

(*i*) Commentario in Hippocratem, pag. 214.
(*k*) Pharmacopæia extemporanea, p. 355.

cendis convulſionibus ipſi opio præferentis, & tanquam excellentiſſimum antiſpaſmodicum dilaudantis.

Ad hyoſcyamum vero quod ſpectat, non equidem ignoro ſugillare hujus antiquiſſimi dolorum domitoris virtutes haud pautos. Nec diffiteor, culpa non vacare liberaliorem ſeminis doſin. At vero quale damnum emergere poſſit ex minuta adeo ejus quatitate, non video. Unicum enim ſeminis granum duodecim maſſæ ineſſe, norunt omnes. Neque huc trahendas eſſe arbitror triſtes illas hiſtorias, quibus abunde devorati effectus veneneſi memorantur. Cruda ſemina copioſe ingerere alias certe ſequelas excitabit, quam congruo tempore & loco judicioſe in uſum vocare accommodam circumſtantiis quantitatem. Quodvis remedium facile exceſſu peccabit. Quidni potens adeo & generoſum!

Nos vindicatæ hujus pilularum maſſæ uſum, conſtanti aliquot annorum decurſu ita comprobavimus in eminentiſſimo principe, ut nullum unquam in contrarium effectum fuerimus experti. Confeſtim altera vel tertia acceſſionis nocte quinque vel ſex grana deglutiebat æger, rariſſime eandem doſin intra unius diei ſpatium repetere coactus. Utplurimum prima pharmaci exhibitione ſigna promoti ad peripheriam impulſus aderant, mador nempe blandus, turgor æqualis, rubor lætus, excedentiſque doloris ſenſus moderamen. Tantum abeſt, ut cohibuerit unquam juſtum morbi articularis ſucceſſum, ut potius commodam viam ad attingendam eo facilius metam præpararit, fibrarum reſiſtentiam amoliendo, partiumque ſpaſmo criſpatarum niſum refrænando. Et ſane hic verus anodynorum rite adhibitorum fructus eſt, a reliquis remediis, contra ſpaſmos adhiberi ſolitis, vix exſpectandus, hocque ratiocinio conquieſcens princeps, cum fiducia uti remedio non deſiit.

Auguſto ſanguis tenax & pituitoſus e pede miſſus.

Septembre, iterumque Octobre leves aliquot dierum acceſſiones aderant, faciem & aures ſcarlatino rubore peſundente ſuperficiali phlogoſi. Exin ſacharo lactis uſus fuit Cardinalis per menſem. Sub finem autem Novembris, prima nive, vigentibus ubivis catarrhis, principem occupabat catarrhus. Nuchæ dolor comes mox & chiragra dextra, ſplendente & quatriduo maturo turgore. Privo quodam jure liberi cenſentur ab epidemicis morbis podagrici; nec quemquam recordor ex meis epidemica febre correptum, quamquam non pauci proſtent, quibus acuta febris, juncta doloribus, auxerit periculum, & quos ſocia utriusque morbi violentia jugularit.

Catarrhorum interim epidemiæ podagricis minus parcunt, quin imo permulti anſam fiunt recrudeſcentis morbi. Quidam etiam per vices vel catarrho laborant, vel articulari morbo, non obſcuro, ni fallor, indicio, acre illud, quod ſupra accuſavimus, podagricorum ſal in illis catarrhoſæ pituitæ vaginis deliteſcere, atque in catarrhis unacum pituita eliminari e corpore

corpore ; in rheumate & arthritide oſſium membranas obſidere & rodere, omneſque illos, quos podagrici experiuntur, cruciatus excitare.

Sub anni 1746. initium importunus gulæ ſpaſmus, deglutitionem turbans, quarta die vomitum proritabat. Oſſa lingualia revera arthritide affecta loquebantur omnes circumſtantiæ, præcipue autem gulam ea ipſa die liberans manus dolor. Dolor erat immitis, pilularum noſtrarum uſum poſcens, quibus octava demum die æqua maturitas promovebatur. Nona mœror aliquis & inſueta moroſitas & extremorum pallidus algor, pulſu duro exiſtente, gravem tempeſtatem portendere videbantur. Sed metu liberabamur proxime, genu dextrum feriente impetu, intra biduum iterum faticente.

Februario ambæ manus & lateris dextri coſtæ ſeptem dierum decurſu vellicabantur, madore affluo liberatæ. Quale quid & Martio nobis obtingebat.

Medio Aprili nocturnæ choleræ anſam dabat repletio aliqua diurna. Pulſus operoſus comes. Malum vino calido repreſſum, poſt magnam ſaburræ nondum bene ſubactæ exturbatam copiam.

Eminentiſſimus Cardinalis, per omnem vitæ tractum ventriculi virtutem nunquam deficientem expertus, hac choleræ occaſione tamen ventriculi aliquem languorem accuſans, potum ſubito mutabat, & loco adſueti potus aquæ ſimplicis, hanc ipſam cum vini Burgundici quarta parte remixtam inde ab hac die hauriebat. Lagenam integram vini iſtius intra unius diei ſpatium ordinarie exſiccans, non ſine blandiente quadam, eaque per totum corpus ſe diffundente ſenſus grati perceptione. Vena hoc menſe in pede ſecta ſanguinem exhibebat floridum.

Prima arthritidis ſalutatio, ex quo vinoſa gaviſi diæta fueramus, eveniebat Maji quarta die. Aëris veſpertini in horto afflatus excitabat dolorem manus & coſtæ, mox & pedis. Pulſus vinoſam diætam decens, alacrior ſolito & a febrili parum abludens. Promotus tali pulſu terminus maturitatis, ſeptima die intra non adeo moleſtos cutis fervores abſolutæ. Perſtabat interim aliquis dolor ruborque, & tumor articulorum duriuſculus, ad decimam quartam uſque diem, madore non ut ante affluo, ſiccioreque ambitus corporis calore.

Medio Junio ex aſſe ſimilis huic chiragra & podagra decem dierum decurſu commodiſſime ſuperabatur. Alvus hac vice præter morem ſiccior, unica magneſiæ drachma in ordinem redigebatur.

Pari ratione Julio & iterum Auguſto leviores chiragræ acceſſiones ſine alvi lubricitate finiebantur.

Sub finem Septembris chiragra & gonagra ſiniſtra repetebant. Hæc quidem cum ſpaſmo circa genu vigente clamoſo & perſeverante etiam tum, cum tumor & rubor & mador ſuccederent. Sputa tenaciſſima. Decima tertia morbi die cholera ſuperveniens, & hæmorrhoidum fluxio artus liberabant. Decima quarta facies uredinibus perfuſa, luculenter indi-

cabat, qualis præcedente die internarum partium facies fuerat. Similes enim uredines in primis viis choleram provocaſſe, nullus dubito. Rhabarbari toſti drachma ſumebatur cum effectu optato.

Octobre ſanguis e pede miſſus partim pituitoſus conſpiciebatur, partim floridus. Octiduo a vena ſecta elapſo, hæmorrhoidum fluxio repetebat ſine incommodo.

Novembre manus ſiniſtra denuo affligebatur. Catarrhus doloris ſocius. Status per decem dies violentus. Maturitas tum demum exquiſita. Tumor prægrandis. Sputa tenaciſſima gratiſſimo pharmaco ſaponaceo fluido & mobilia reddebantur, ſucco, ſcilicet pomorum Sinenſium ſaccharato.

Communicaverat illo tempore cum Sereniſſimo principe noſtro aliud quoddam remedii genus, debellandæ podagræ dicatum, Eminentiſſimus Cardinalis *de Roham*, qui eadem, qua Cardinalis *de Sinzendorff*, dolorum fere menſtruorum catena irretitus; remedio illo per longum annorum tractum uſus fuerat cum notabili fructu. Erat autem hoc ſequens:

℞. Radic. Gentianæ
Ariſtolochiæ
Herb. Centaur. minor.
major.
Chamædryos
Chamæpityos a a ℥j.

Infund. in ſpiritus vini Rhenani libr. iij. digeratur per xv. dies furno bene calido, colatura D.

Hujus guttæ XL. vel L. ſumantur mane & veſperi in infuſo herbæ ariſtolochiæ, & poſt cœnam in vino. Singulis menſibus purgandum ſemel per annum.

Quodſi calefaciat nimium; ſequentis ptiſanæ hauſtus bini vel tres ſumantur poſt prandium.

℞. Radic. Graminis Miiß.
Fragariæ Mj.
Dactylorum No. viij.
Radic. Glycyrrhizæ ℥ß.

Coquantur in aquæ fontanæ libr. IX. leni igne, ad caſum tertiæ partis Purgans ſit ſal Anglicanum. Poſt tres menſes guttæ ſemel de die; dein bis per ſeptimanam ſumantur per omnem vitam.

Sunt fere omnes podagrici iſto animo, ut hac vel illa via reſtitui ſe in integrum poſſe ſperent & metuant, dubioque conſilio a cruciatuum repetitione liberari non minus ardenter deſiderent, quam tremuli vereantur.

Jam quamquam fragrantior paulo nobis videretur mixtura illa ſpirituoſa, periculum tamen ejus faciebamus per unam vel alteram diem. Et cum prima hæc tentamina nimis ferirent linguam, eamque ſiccarent, præterea

terea quoque ſpaſmum coſtarum excitare viderentur, abſtracta ſpiritus dimidia quantitate, mitiorem eam & guſtui magis gratam efficere curabamus. Vix autem per aliquot dies aſſumta erat mixtura hæc temperata, cum continuationem ejus interpellaret chiragra ſiniſtra ſub finem Januarii moleſta. Fervor aliquis univerſalis huic junctus erat, dolorem cito transferens in manum dextram & genua. Alvus ſiccior enemate monenda erat officii. Octavo die pacata omnia.

Fervor ille, præ aliis vicibus notabilior hac acceſſione, ſuſpectam nobis reddebat pharmaci ſpirituoſi virtutem. Neque enim ferebat Eminentiſſimus Cardinalis ptiſanam moderandis caloribus, ab uſu hujus mixturæ exſpectandis, deſtinatam. Obtinebat præterea adhuc aëra Burgundica, uſus ſcilicet vini Burgundici cum duabus vel tribus aquæ partibus remixti, juſtusque adeo ſuberat metus, flammam tandem concepturum ſanguinem vino & ſpirituoſo medicamine ſimul impragnatum. Abſtinuimus ergo penitus ab hujus continuatione.

Februario medio catarrhus cum tuſſi inani agitabat pectus. Violentia ſtimulantis tuſſis pillulis de ſtyrace perdomita.

Martio ſubitus & longe acutiſſimus dolor petebat pedem, eumque æque cito altera die iterum dimittebat, non ſine metu interiora ferientis impetus. Tertia enim die enormis vomitus inter prandendum obſervabatur, quem quidem magnam etiam vino Burgundico copioſius hauſto, lentibusque, quarum amantiſſimus erat princeps, aceto vini humectis, avidius ingeſtis, tribuebamus. Turbæ ſponte conquievere.

Hoc menſe ſanguis præter morem tenax, luridus, teter, inflammationem ſpirans, e pede emiſſus, inquietos nos reddebat, variaque meditabamur, quæ objici glutinoſo illi pingui cum fructu poſſent. At enim vero quis fructus expectandus erat a quocunque pharmaco, cum primum in pituita diſſolvenda remedium in poteſtate noſtra non eſſet, labor ſcilicet & muſcularis motus, absque cujus adminiculo irritum quemvis conatum prævidebamus.

Erat enim per hos annos, quibus aſſiſtere ſereniſſimo principi datum fuit, impoſſibilis omnis inceſſus, muſcularisque motus quivis, vel tantillum operoſus. Manibus ipſis vix ciborum aſſumtioni, librorumque, quorum lectione nulla non die delectabatur, evolutioni ſufficientibus. Unum motus corporis genus nobis liberum erat: vel curru longius exſpatiari, vel curriculo ſuo triumphali in horto aut conclavi vectari; motus intimæ humorum tenacium miſcelæ juvandæ non adeo magnifice favens, optimus tamen, deficiente omni reliquo, ſi exceperis frictiones humidas in pediluviis & balneis, ſatis ſolenniter in uſum vocatis, adhiberi ſolitas.

Venerat inter alia in mentem noſtro Eminentiſſimo, experiri in ſe ipſo virtutes medicamentoſas pretioſi illius *lapidis hyſtricis*, quem mille florenorum Hollandicorum ſumtu ſibi comparaverat. Notum eſt, medicamenta biliofa, & in his præcipue concretum hoc velleum, glutinoſo pingui ob-

jici a magno ſeculi noſtri medico *Boerhaavio*, bilemque & lentam pituitam oppoſitam inter ſe habere indolem, obſervante id illuſtri illius commentatore *van Swieten*; minus ergo hæſitabam concedere hoc, ſi non adeo proficuum, innoxium tamen futurum tentamen.

Infudimus lapidem iſtum per viginti minuta in aquæ cardui benedicti unciis quinque vel ſex, & hauſimus jejuni. Affligebant illo tempore matutini quidam pituitæ vomitus principem noſtrum, qui & alias facili cauſa, maxime vero nunc abundante pituita, proritabantur. Hi, repetito per aliquot dies hauſtu illo bilioſo, conquieſcebant. Obſervabamus autem ſequentibus experientiis, aquam ſimplicem felicius & citius imbui ſpecifico illo amarore, a quo virtus omnis medica lapidis pendet. Miſſa ergo cardui benedicti aqua, benedictam fontanam præ hac pro menſtruo pharmaci ſeligebamus. Effectus tandem, ſi, quod res eſt, fateamur, nec tantus erat, ut nos ultro alliceret, nec tam nullus, ut ſuſcepti nos pœniteret. Sub finem Aprilis afflatus Boreæ invitabat catarrhum, hic lateris dolorem, quem chiragra levabat, felici humorum ad extrema motu.

Hæc eadem chiragra ſub Maji finem repetebat, ſed violentior & triduo acutiſſima, repetitamque pilularum de cynogloſſa doſin poſcens, antequam blandum illum, maturitatem & levamen adferentem, madorem impetraremus. Quarta die manum alteram feriebat impetus, ſeptima die diſcuſſus, largumque hæmorrhoidum fluxum poſt ſe trahens. Inter ſolennes pilularum noſtrarum effectus conſtanter obſervabatur alvi aliqua ſegnities. Hæc præſenti acceſſione paulo ſolito pertinacior, vinoſaque diæta auctior, repetitis enematibus levanda veniebat. Rhabarbaro illa impræguata votis ſatisfaciebant ſine incommodo.

Junii octavo die ſubita cholera media nocte magnam aſſumtorum ſaburram per ſuperiora & inferiora exturbabat. Cauſam mali accuſabamus fervente cœlo largiorem ſolito vini Burgundici, cum aqua remixti, hauſtam quantitatem, ſudantique corpori admiſſam noctu frigidiuſculam auram. Irritos plura egerendi conatus, probe vacuatis ſpontaneo illo motu viis, reprimebat medicamentum abſorbens & unica theriacæ doſis.

Julio levis dolorum podagricorum muſſitatio, & octiduo abhinc fluxus hæmorrhoidum parcus aderat, turbis exin pacatis ad primam Auguſti, qua noctu pes, mane coxendix dolebant. Rubellus illico pes. At vero ſuperveniente graviſſimo & non præviſo animi motu, & dolor & rubor præpropere ſe recipiebant, viſceribus e veſtigio moleſtiſſimo ſenſu preſſis. Hæc prima ſecuturi propediem morbi origo.

Erat Eminentiſſimus Cardinalis, quod magno ei honori eſſe duco, ſummæ animi moderationis, contemnendisque adverſitatibus adſuetus. Hac tamen vice parum aberat, quin momento iis ſuccubiſſet. Animum inſolita quadam afflictione perculſum ſchedula ad me miſſa ipſe profitebatur, viſcera premi ſimul innuens. Scilicet ardentiſſimo princeps flagrabat deſiderio intereſſe electioni Archiepiſcopi Salisburienſis. Videbatur quippe *ei* blan-

blandiri aliqua ſpes ſucceſſuræ ex voto electionis, ſi modo daretur eidem dirigendæ præſto eſſe. Quicquid ergo vel remorari Salisburienſe iter, vel præſcindere conceptam ſpem minabatur, infeſtum erat animo in iſtam gloriæ metam defixo. Levatis obſtaculis levatæ præcordiorum moleſtiæ, iterque inſtitutum die duodecima Auguſti. Neminem latet, rebus Salisburii minus optabiliter cedentibus, Cardinalem longe graviſſimis maceratum fuiſſe animi turbis. Factum inde, ut altera ab electione die, domum reverſurus, iter iterum inſtrueret. In hoc Danubium navi deſcendens, ſomnoque indulgens, humido refrigerio admiſſo in alvi moleſtum fluxum incidebat.

Hunc alvi fluxum die duodecima Septembris ſequebantur vomitus plane enormes. Exceptus ea die convivio ſplendidiſſimo fuerat ab Epiſcopo Olomucenſi, ad quem diverterat; partim ferente id itineris ratione, partim & recreandi animi cauſa. Vomitus illi, de die in diem importuniores, repetitis theriacæ cœleſtis doſibus ad breve temporis momentum repreſſi, ultro ſemper urgebant. Princeps tandem, intimo ingraveſcentis mali ſenſu perculſus, magnis itineribus Uratislaviam ſuam contendebat, dieque viceſima tertia quatuordecim milliaria abſolvens, verſus mediam noctem domum redux ſalutabatur. Mihi quidem tunc advolanti immane quantum mutatus ab illo videbatur Eminentiſſimus noſter. Obrepſerat notabilis aliquis marcor, conſuetum, & principi plane peculiarem faciei ſplendorem obliterans. Oculi profundi erant & nobis plane peregrini, nimium obtuſa eorum acie. Ad hæc inſolita vocis, acutæ alias, raucitas uſtulatas levi inflammatione oris membranas ſubindicabat.

Ex hiſce ergo junctim conſideratis, cum triſtiores nobis imminere turbas præmetuerem, itineris comites, animum a metu liberaturi, ſuggerebant, omnia hæc operoſi & pulverulenti itineris culpa evenire, conceſſa quiete facile iterum diſparitura. Sumſerat Cardinalis iſtius diei mane, ut compeſceret vomitus, quatuor theriacæ cœleſtis grana, & conquieverant turbæ ad noctem. Lectum ergo petebat absque repetitione pharmaci. Nocte ſomno transacta, ſummo mane denuo aderat vomitus. Non obſtante impetuoſa hac ventriculi actione ſoporoſum deprehendebam principem noſtrum. Novus latentis periculi monitor mihi exiſtebat ille ſopor, præcipue cum ſtatum ſonticum tacite declararet pulſus ea die ſubinde, magno meo dolore, intermittens; phænomenon, quod me, pulſuum rationes in principe noſtro exactiſſime ſemper examinantem, protinus attonitum reddebat.

Hac tam implicata rerum facie mirum tutam judicans ſoporiferam nimium theriacam cœleſtem, mitius pharmacum eidem ſubſtituebam, unam ſcilicet diaſcordii Fracaſtorii drachmam. Hæc mane ſumta ab ulteriore vomitu præſervabat totam illam diem, quæ, animo ob reditum magis compoſito, ſic ſatis per omnia tranquilla tranſigebatur; quin & ipſa nox præ priore magis adhuc pacata. Matutinus interim vomitionis

repe-

repetentis impetus longius a ſecuritate nos abeſſe indicabat, quam opinaremur. Et quanquam ea die levia ſe manifeſtarent arthritidis molimina, inflatis ſiniſtri pedis venis, ſubrubella cute, dorſoque pedis indolente, eaque omnia conſtantem nobis podagræ acceſſionem & hoc ipſo ſalutarem vomituum medelam, pollicerentur; mox tamen evanida erat illa ſpes, intra brevia temporis momenta cum ipſo podagræ apparatu diffluens. Idem enim impetus, qui paulo ante extremum pedem petere viſus fuerat, confeſtim inverſo ordine ventriculum feriebat, noctemque, reiteratis poſt quævis aſſumta vomitibus, turbabat. Erat autem vomituum ratio talis: ſinguli hauſtus commorabantur aliquamdiu in ventriculo, usque dum proxime in inteſtina tranſitum moliri viderentur. Tum vero jugi impetu rapidus aſſumtorum torrens, diſtento ore, liberalius effundebatur, manifeſto indicio, denegatum aſſumtorum tranſitum in inteſtina provocare ventriculi, diaphragmatis, omniumque thoracis & abdominis muſculorum convulſionem, veram vomituum verendorum cauſam! Et par erat, ſive frigide, ſive calide aſſumtorum fatum. Calidorum quidem ſummum aderat per plures dies faſtidium. Aegrius ergo illa aſſumebat æger; aſſumebat tamen rogatus theam. Calida ſcilicet adſtantibus magis blandiebantur; ſed eadem mora, eadem, qua ingurgitata erant, via, regurgitabant & illa. Quin & ipſa medicamina, vomitibus objecta, ne excepto quidem, felici alias in his reprimendis, laudano liquido *Sydenhamii*, aliquoties poſt vomituum violentiam exhibito.

Tum vero rebus aperte deſperatis, periculoque pulſuum inconſtantia confirmato, anxii confugiebamus ad lapidis hyſtricis infuſum, ad mixturam noſtram arthriticam, ad enemata varia, ad decoctum corticum aurantiorum cum tormentilla, iterumque ad theriacam illam, ſi diis placet, cœleſtem; ſucceſſu nullibi votis noſtris reſpondente, niſi quod ſopor auctus inducias quasdam proficuas mentiretur. Sub veſperam tantillum vini generoſiſſimi Tockavienſis, cum pane albo ſumtum, compeſcere indomitos vomitus videbatur, Eminentiſſimusque, refectis tantillum viribus, per aliquot horas tranquillus blande madeſcebat, cumque paulo poſt, aliquot theæ vaſcula hauſta nauſeam vomibundam revocarent, motus illos commorſo citro feliciter reprimebat. Nox præter expectationem profundiore ſomno tranquilla erat, niſi quod pavores, in ſomno a me obſervati, fulgures mihi viderentur, certo imminentem proxime annunciantes tempeſtatem graviorem. Quam inevitabilem, magno tamen conatu prævertere annitebamur, fotu, frictu, ſinapiſmo, veſicantibus, motuum directionem ad extremas partes invitaturi, decollantemque ſpem reſuſcitabat nunc gratus ſudor, nunc plenior & ordinatus pulſus. Comparebat præterea rubellus turgor, ambas manus occupans, faciemque ſimul perfundens. Soli pedes minus tumori ſe adaptabant, ſicco calore rigentes. Matutinæ aliquot horæ ſtatum adeo tranquillum adſtantibus offerebant, ut ſingulorum animis ſpem inſpirarent, res deſperatas adhuc dum

in

in integrum reſtitui poſſe. Conjunctos ideo cum ſopore & nunquam non verendos pavores, molliter in ægri gratiam ſentientes, interpretabamur oboriri a podagrico molimine; ſolam podagram, debita loca attingentem, ſolvendo morbo, alias inſuperabili, parem pronunciantes. Quibus auditis attentiſſimus ad quævis Sereniſſimus princeps: *Ergo vero*, inquit, *ſtatus noſter ſimillimus eſt ei, quo occubuit Carolus VII. Imperator!* Congruum ſane judicium & appoſita comparatio! *niſi enim*, triſtis monebam, *criſis noſtra ad peripheriam cito abſolvatur, æque cito actum de nobis eſt, ac de illo.* Cui acerbiſſimo effato proxime reſpondebat acerbior eventus.

Nam poſt meridiem ſubito remittebat ſalutaris ille viſus & ad peripheriam tendens humorum motus. Turgori rubello ſuccedebat ſqualidus marcor. Invaleſcebat ſopor, ita quidem, ut de potu aut alia quadam re admonitus Cardinalis, ſemper quaſi ex alto ſomno excitatus cum terrore aperiret oculos, &, quid rerum adeſſet, ſciſcitaret, mox iterum clauſis oculis. Ad pavores accedebant artuum tremores, reliquo corpore immota quadam ſitus ratione propius ad tetanum accedente. Tuſſim provocabat vel parciſſima liquidorum deglutitio, quorum juſtam exhibitionem præpediebat maxillarum ſpaſmus, os tenacius conſtringens. Oculi tunc vitrei & altius immerſi. Urinæ ſuppreſſæ. Stertor ſenſim obrepens. Singultus quoque & tandem fatiſcentibus per noctem cunctis vitæ motibus, ſtertoroſa mors, quæ conſequebatur die Septembris viceſima octava, hora octava matutina, tabo cruento, conſummatæ inflammationis gangrænoſæ teſte, paulo poſt mortem per omnes poros magnos penetrante, corpore ad crepaturam inflato.

Tantum valuere cum itineris moleſtiæ, tum graviſſimæ animi iterato vulnerati afflictiones, forte & vini Burgundici adulterati uſus, & lubricæ in itinere, uti muſſitant adſtantes, diætæ ratio. Quibus junctis vigor cordis tandem infractus fatiſcere cœpit. Imminente poſtmodum arthritide non amplius attingere potens remotiora a centro loca, & penetrare per vias vel ſpaſmo ſtrictas, vel tophis obſtructas, vel coalitu deletas, detento adeo malorum fomite in ipſis viſceribus, lethalique ibidem incendio producto. Nullus enim dubito, gangrænoſum reperturos nos fuiſſe ventriculum, præcipue circa pylorum, ſi ſectioni corporis Eminentiſſimi Cardinalis locus fuiſſet. Notaram quippe inter repetitos vomitus, manu aliquando leviter contrectans abdomen, locum aliquem duriuſculum in regione gaſtrica dextra, eumque renitentem & ad contactum confeſtim convulſione jactatum; tremulo ſubſultu exquiſitiſſimum ſenſum prodente, focumque incendii manifeſte indicante. Quanquam de reliquo non aliena etiam a vero videatur ſuſpicio, hærentis ſimul in veſicula fellea calculi, ſanitatis vitæque deſtructoris. Præterquam enim quod huic choleras & indomitos vomitus proritare ſolenne ſit: hæreditaria quoque diſpoſitio quædam favebat calculi generationi apud Cardinalem, utpote cujus illuſtriſſimus Pater magnæ molis calculum in hepate exhi-

exhibuerat; notumque inſuper, ſimilem veſiculæ felleæ calculum exhibuiſſe inſuperabili cholera humanis rebus ereptum Auguſtiſſimum olim Cæſarem *Carolum ſextum.*

Quod autem attinet ad hiſtoriam mortis *Caroli ſeptimi* Imperatoris, ad quam provocabat moriturus Cardinalis, e re eſſe judico brevibus eandem hic commemorare, ob aliquam morbi interemtoris affinitatem.

Quinta Januarii die chiragra laborare cœperat Imperator. Hanc octava inde die exceperat podagra; mox & gonagra. Die decimo quarto morbi, ſuperato jam viſo acceſſu, madore humectus æger in conclave ſubgelidum ſe conferebat. Vix horæ quadrantem ibidem commoratus, lectum tremulus repetere coactus, convellitur. Per horæ dimidium vix reſpirans, dentibus ſtridens, ſecta in brachio vena tandem ad ſe rediens, pulmonaleſque ardores accuſans. Artus omnes inſcii dolorum. Urinæ parciſſimæ. Tuſſicula ſicca. Alvi lubricitas ominoſa. Reſpiratio turbatiſſima. Diſerti lethalis nobiliſſimorum viſcerum incendii teſtes. Nullum a repetita venæſectione auxilium, ſed præceps, prævio linguæ livore, mors, die morbi decima ſeptima. Sectum corpus adſtantium oculis offerebat pulmonum & ventriculi ſphacelum, cordis polypum, calculum renum; uti hæc omnia in memoriis publicis (*Pommeriſche Nachrichten* 1745. *im* 21. *Stück pag.* 238.) recenſuit Cæſareus Archiater *Wolterus.*

F I N I S.

J. FRID.

CC.XV.

J. FRIDERICI BAUER

ET

CAROL. JOAN. MICH. OTTO,

EXERCITATIO

DE

SCARIFICATIONE CERTO ET SECURO REMEDIO ANTIPODAGRICO.

Lipſiæ 25 Octob. 1732.

Q. D. B. V.

Quanta cum induſtria ad hoc uſque tempus a Medicinæ Cultoribus Medicina contra podagram ſit quæſita, neminem nec ipſum vulgum latere poteſt. Ecquis mirabitur hoc ſpecificum a quovis omnino Medico adeo anxie optari, cum videamus, tam ſtupendam hujus morbi eſſe potentiam, ut nulla tyrannorum vis illi æqui parari queat.

Bellicoſiſſimi heroes, qui nunquam niſi victorioſi revertuntur, victi jacent, nec ſua fortitudine plagas has inſanabiles avertere poſſunt. Quin adeo furioſe hæc lues in genus humanum graſſatur, ut ipſius vitæ pertæſi nil magis ſæpe quam mortem ægrotantes exoptent, dum omnium Medicorum artem eludit. Mirum non eſſet Craſſi *divitias medicum reportare, ſi unum quemvis ex voto ab hac tortura liberare poſſet.*

Fridericus Wilhelmus, *Elector Brandenburgicus glorioſæ memoriæ, aliquando hic Lipſiæ in ædibus Welſchianis degens, hoſpiti ſuo D. Welſchio centum mille imperiales obtulit, ſi ipſum a Podagra poſſet liberare, hic vero Electori pro gratioſa liberalitate gratias agens, morbum hunc prorſus incurabilem profeſſus eſt.*

Quæ cum ita ſint, B. L. forſan me nimis audacem pronunciabit, quod morbum hunc adeo rebellem impugnare audeam, vel putabit, quod Medica mea antipodagrica ejuſdem ſit valoris cum illa, quam a non paucis ſpecioſis ſane encomiis in una & altera plagula ad lucrum capeſſendum commendatam, effectu tamen minus felici, in lucem quotidie prodire videmus. Sed mitiorem mihi polliceor ſententiam, quum mea medendi methodus non ſolum rationi apprime reſpondeat, ſed etiam ipſa experientia eam infallibilem reddat, denique ratio hujus inſtituti non in eo conſiſtat, ut vanum arcanum jactitem, ſed unice, ut Reipublicæ inſerviam.

§. I.

Eſt podagra morbus articularis chronicus, virili ſexui imprimis familiaris, doloribus tenſivis, lancinantibus & corrodentibus complicatus, vel regulari vel irregulari tempore recurrens.

§. II.

Omnes oſſium cohæſiones, ſive ſint cum motu manifeſto ſive obſcuro, hujus morbi conſtituunt ſubjectum, ita ut nihil prohibeat, ſi podagram ſenſu latiori capias, ne reliquæ arthritidis ſpecies, videlicet *gonagra*, *malum iſchiadicum*, *dolor ſcapularis*, *ſpinalis* & *chiragra* comprehendantur. Præcipue vero pedum articuli immenſos hoſce dolores experiuntur, dum obſervamus, primum pedis digitum ad quoſcunque motus fieri ineptum, & iſtius juncturam, quæ cum metatarſo cohæret, maxime cruciari. In chiragra ſimili modo digitorum articuli huic morbo pandunt portam, cum primo pollex, poſtea vero reliqui digiti & denique Metacarpi oſſa in conſenſum rapiantur. Par eſto judicium de ſede gonagræ, dum ex anatomicis conſtat, eo in loco, ubi os femoris & tibia cohærent, nec non patella genu conformat, multo grandiorem eſſe juncturam, quæ pariter tam vehementi dolore afficitur. Nec illas oſſium cohæſiones, ubi motus vel plane nullus, vel admodum obſcurus animadvertitur, eſſe immunes, probat Celeberrimus *Bœrhaave*, qui in naſo ejuſmodi podagricum obſervavit dolorem. vid. *Prax. Med. p.* 197.

§. III.

Inter morbos chronicos hoc malum eſſe referendum, nemo facile dubitabit, quum quotidiana experientia nos doceat, ægros, qui ſemel hoc morbo ſunt vexati, nil magis quam crebriorem ejus recurſum ſibi promittere poſſe, imo malo inveteraſcente per totam vitam eodem cruciari. Sicuti enim omnes morbi chronici in corpore debili diutius durant, ita ſimile judicium de podagra ferendum, quæ debiles homines infeſtat, & viribus exhauſtis diutius durat.

§. IV.

Sexus imprimis virilis hoc morbo vexatur, perraro femineus, ni, aſſerente *Hippocrate L. VI.* ſint vetulæ, corpore maſculino præditæ, vel menſtrua ſint ſuppreſſa. Huic vero contrarius eſt *Seneca Ep.* 95. quando dicit, quod tempore Hippocratis mulieres moderate victitaverint, nec luxui vel voluptati ſe dederint, hodie vero non ob mutatam femineam na-

naturam, ſed ob varii generis debacchationes podagram ſibi contrahant, cui & Lipſius in Comment. ad Senecam adſtipulatur.

§. V.

Dolores, quibus podagrici cruciantur, diverſæ ſunt indolis. Ab initio ægri nihil fere ſentiunt præter ventriculi cruditates, affectus ſpaſmodicos & animadvertente *Sydenhamio Opuſc. Prax. p.* 547, torporem & quaſi flatuum deſcenſum per femorum carnes, quibus poſt aliquot ſeptimanas, ſenſus præcipue in articulis ſeſe adjungit exquiſitior, cui aliquando ardor & rubor ſuccedunt. Cæterum dolores ſunt tenſivi & lancinantes, qui vel genu, vel longitudinem tibiæ, vel inferiorem pedem occupant, temporis ſucceſſu vero adeo exacerbantur, ut pars affecta ad quoſcunque levidenſes motus inepta reddatur, & linteamentorum pondus vel pavimenti levem motum, vel ullum fortiorem ſtrepitum ſine dolorum augmento perferre nequeat. Hi dolores gradatim intenduntur, &, cum unicum articulum ab initio occupaverint, reliquos ſucceſſive in conſenſum rapiunt, imo, ſi materia peccans exuberet, qui in unicum ſaltim pedem ſunt graſſati, utroſque pari vehementia occupant.

§. VI.

Podagra eſt vel regularis vel irregularis, dum vel partis affectæ vel temporis invaſionis ratione eam variare intelligimus. Regularis appellatur, quæ non ſolum regulari tempore, e. g. circa ſolſtitia & æquinoctia, ſed etiam certa corporis parte e. g. in genu, extremo pede vel manu fixam ſedem ſibi format. Irregularis e contra modo has modo illas partes afficit & corpus pervagatur, modo diverſis temporibus homines diſpoſitos exercet, nec conſtantes ſervat periodos.

§. VII.

Cauſa proxima hujus affectus non in ſpiritibus & genere nervoſo eſt quærenda, ſicuti ſibi perſuadet *Dolæus*, cum ſpiritus animales nequaquam adeo craſſos & exuberantes credere debeamus, ut materia peccans podagrica pro eorundem fæcibus haberi debeat. Majori fundamento ſtatuimus, quod ſanguis acris & tartareus, particulis ſalinis & auſteris refertus, cauſam efformet podagræ proximam. Probatur hoc aſſertum inde, quod horum ægrotantium ſanguis V. S. miſſus, apprime pleuriticorum ſanguini reſpondeat, & vaſa ſanguifera cruralia circa principium paroxyſmorum tumida & inflata conſpiciantur. Nec quis vocabit in dubium, nephriticæ paſſionis cauſam, videlicet materiam tartaream & ▽eo ⊖nam, conſanguinitatis vinculo cum materia podagrica junctam, a ſanguine ad renes

tranſ-

transferri, ita, ut ſimili ratione ſanguis impurus ſuam fæculentiam & impuritatem, quæ ſecundum analyſin a *Kerkringio* inſtitutam ⊖tartari ✱co non diſſimilis eſt, in articulis & extremitatibus corporis deponere ſoleat. vid. *Spicil. Anat. Obſ.* 28.

§. VIII.

Quando vero ſpiritus animales eatenus pro cauſa hujus affectus agnoſcuntur, quatenus eorum defectus auxiliatrices manus præbet, libentiſſime & ego calculum adjicio. Notum eſt, nil magis, quam frigus externum, ſpiritus animales offendere noſtroſque in corpore congelare poſſe humores, ita ut viatores hyemali tempore iter facientes, non raro artus combuſtos reportent, & quotannis dolores ſentiant podagræ correſpondentes, ſicut *Borrichius* hoc confirmat, ubi in *Act. Hafn. Vol. IV. p.* 169. meminit, ſe aliquando ad ægrum fuiſſe vocatum, qui chiragram ſibi contraxit, quod per aliquot horas in ſcribendo menſæ marmoreæ incubuit. Quod ſi denique ad propriam experientiam provocare fas eſt, nota mihi eſt perſona, cujus fidem magni facio, quæ ab inhabitatione hypocauſtorum pavimentis marmoreis inſtructorum podagram ſe accepiſſe ſancte teſtatur. Quidam Capitaneus de ſua valetudine verba mecum faciens, inter alia referebat, ſe ab eo tempore, cum locum paludoſum cum ſuis militibus tranſgrederetur, podagram ſenſiſſe, quod confirmat *Bœrhaave*, dum præter milites venatores podagræ ſubjectos cenſet, quia pedes ſudantes frigori exponunt.

§. IX.

Sicuti a refrigerio, ita ab immodica venere ignis naturalis extinguitur, ita ut mirum non ſit, quod libidinoſi a podagra caſtigentur. Nil magis ad humorum circuitum accelerandum confert, quam ſpirituum animalium integritas, quæ veneris abuſu adeo offenditur, ut omnes humores poſtea lente progrediantur, ſtagnent & in minimis extremitatum tubulis impuritatem, podagricorum dolorum matrem, relinquant.

§. X.

Eandem ob rationem iracundi & qui animi pathematibus indulgent, præ aliis ad podagram ſunt proni, cum quævis animi paſſiones ſpiritibus ſint nocivæ. Nec quis vocabit in dubium, ab effuſione bilis ventriculum maxime lædi, ita ut chylus crudus elaboretur & pneumatoſis turbetur, imo ob bilem ſanguini admiſſam, materia cruori adferatur ad podagræ generationem apta. Præclarum exemplum habemus in calculis, quos ſæpe numero in veſicula fellea reperimus, quippe qui quadantenus cum lapillis podagricorum conveniunt.

§. XI.

§. XI.

Duplici modo literarum cultores ad podagræ generationem ſymbolum ſuum conferunt. Dum enim diurnis ac nocturnis laboribus ſe fatigant, & profunda meditatione omnes nervos intendunt, ignis naturalis & ſpiritus extinguuntur, ut mirum non ſit, ſi corporis macies & pallor ſequantur. Spiritus, ſi ingenioſis laboribus & meditationibus unice impenduntur, cæteris œconomiæ animalis functionibus inſervire nequeunt, unde fit, ut cruditates ſpiſſique humores generentur, qui per exilia vaſa non progrediuntur, ſed ſtagnant & vitio ſuo intrinſeco tempore ſuo dolores pariunt. Qui literatos, ſerio literarum ſtudio operam dantes in ſuis muſeis videt, facillime affirmabit eos, quantum mente ſunt negotioſi, tantum corpore eſſe otioſos, ita ut omnia vitæ ſedentariæ incommoda reportent. Dum in legendo & ſcribendo caput & pectus inclinantes libris incumbunt, ventriculum & cætera inferioris ventris viſcera comprimunt, ut fere nullus inveniatur, qui de ſtomachi languore & appetitu depravato non conqueratur. Quid vero labefactata chylificatio ad podagræ generationem conferre valeat, mox fuſius, Sydenhamii ſententia examinata, deducam.

§. XI.

Quod alimenta, ſive ſint eſculenta ſive potulenta, conferant ad morbos articulares, principes imprimis & magnates experiuntur, dum frequentius in palatiis, quam in caſis ruſticorum eos reſidere obſervamus. Potulenta & imprimis vinum large hauſtum, quantas in hoc affectu generando habeant vires, ipſa experientia docet, dum vinum quod tartaro gaudet, uti Rhenanum & Werthemenſe, materiam in articulis calciformem & lapidoſam generat, quæ ob corrodentem naturam, partes nervoſas vellicat, pungit, hoſque dolores producit. Hanc ob cauſam *Mr. Smith* potum aquæ antipodagricum appellat remedium, multaque recenſet exempla, ubi ſola abſtinentia a potulentis ſpirituoſis, continuato aquæ potu, ægri a podagra liberati ſunt. Vid. *Traité des vertus Medicinales de l'eau commune p.* 33.

§. XIII.

Ne vero tibi perſuadeas, omne vinum cui materia tartarea ineſt, gignere podagram, non inficias eo, quod tartari genera, pro diverſorum aſſumtorum natura ſint diverſa, alia craſſiora, mitiora, acutiora, ſubtiliora magis ferientia & penitius intrantia, ita ut vinum tartaro adeo abundans, ſicuti Jenenſe, neutiquam neque podagram neque calculum generet, quum tartarus, qui illi ineſt, adeo crudus & diſproportionatus ſit, ut per vaſa lactea ad ſanguinem penetrare nequeat, ſed omnis potius ſaburra cum fæcibus excernatur; ſicuti hoc probari poteſt, quando

vini certa quantitas menſæ politæ infunditur & per aliquot horas ita relinquitur, quod præter maculam, quam vinum relinquit, tartarum inſtar ſabuli abſtergere queas.

§. X I V.

Reſtat ut Sydenhami ſententiam examinemus, qui aſſerit, quod in ventriculo & labefactata digeſtione cauſa ſit quærenda. Licet non in genere ſtatuamus, quod omnis podagra a mala digeſtione dependeat, quum hoc pacto quilibet imbecillitate ſtomachi laborans, podagricus fieret, tamen libentiſſime largior, quod chylificatio læſa ad producendum hunc morbum eatenus ſymbolum ſuum conferat, quatenus pneumatoſis offenditur & ignis naturalis extinguitur. Ex dictis conſtat, quantum contribuat ad hujus mali generationem defectus ſpirituum, ubi addere lubet, quod depravata chylificatione, ingens humorum peccantium quantitas ſanguini adferatur, quæ generationi hujus morbi ſuppetias ferre poteſt.

§. X V.

Si quærat aliquis, unde eveniat, quod podagra regulariter in articulis pedum animadvertatur, cum calor non pedibus ſaltim, ſed in toto corpore deficiat, materia etiam peccans podagrica non in pedibus generetur, ſed ſanguinis circuitu ad pedes ablegetur, rationes *Celeb. Bœrhaavii* omnem plane abſolvunt paginam, dum l. c. p. 196. ita argumentatur: *hæ partes primo conſtant vaſis minimis, ſecundo a corde remotiſſime diſtant & tertio maxime comprimuntur.* Quod minima ſint vaſcula, quæ materia tenax & corroſivis particulis referta, penetrare tenetur, ex anatomicis conſtat, quum iis in locis adeo exiles ſint arteriolarum ramuſculi, ut neutiquam humorum ſpiſſorum progreſſus, multo minus vero particularum calciformium agilitas ſperari queat. Diſtantia harum partium a corde, utpote principio humorum commovente, cauſa omnino eſt, quod tantus in extremitatibus non ſit vigor, ita ut, refrigerio externo accedente, humorum fiat congelatio. Multum denique confert pedum compreſſio, dum per ſtricturam & violentiam externam calceorum vaſcula per ſe anguſta, multo anguſtiora reddantur.

§. X V I.

Sed ut dicam quod res eſt, omnis podagra conjunctim a materia acri & corroſiva & ignis naturalis defectu generatur, quæ duæ cauſæ in quovis podagrico ſunt ſupponendæ. Nunquam enim mihi perſuadere poſſum, unicam earum, ſeparatim conſideratam, affectum hunc producere poſſe. Quodſi defectus caloris naturalis per ſe ſine materiæ peccantis adminiculo generaret articularem morbum, verendum eſſet, ne omnes ægroti, diuturniori morbo emaciati fierent podagrici. Pari modo laſcivi, potatores

& qui genio ſuo quocunque modo indulgent, hincque ſufficientem materiam podagricam in ſanguine alunt, ſatis vero ſunt robuſti nec ullum ſpirituum defectum ſentiunt, nunquam podagra laborabunt. Robur enim naturæ plus valet in ægroto quam materia peccans. Quæ ratio eſt, cur illi, qui ob diſpoſitionem hæreditariam præ aliis ad podagram proni, ea ſint immunes donec vel ob varii generis bacchationes, vel incidentem ſenectutem de caloris naturalis defectu conquerantur. Experientia teſtatur, regulariter circa annum quinquageſimum, ubi vires ſenſim ſenſimque minuuntur, podagram ſuas incipere tragœdias. Quæ cum ita ſint, concludendum eſt, duas jam allatas cauſas ad generationem podagræ omnino requiri, quod in curatione maximopere eſt attendendum. conf. *Foreſt. L. XXIX. p.* 414.

§. XVII.

Quodſi practicorum codices de methodo medendi conſulimus, eos adeo diſcrepantes deprehendimus, ut parum aut nihil optati ſperare queamus. Plurimi in eo conveniunt, materiam peccantem eſſe educendam, quare ad cathartica tanquam ad ſacram anchoram confugiunt. Hæc remedia, utut ſpecioſis titulis ſuperbiant, tamen ægrotantium voto vix ſatisfaciunt; etenim, cum materia peccans ad artus jam ſit delata, lenia remedia, ſive ἄνω ſive κάτω operentur, inepta ſunt ad materiam peccantem removendam, fortiora vero, quæ artubus ſunt dicata, naturam maxime debilitant, ſpiritus animales ad vincendum hunc morbum neceſſarios, diſſipant & morbum contumaciorem reddunt. Draſtica ergo remedia nil aliud agunt, quam ut materiam podagricam ad extremitates a natura ablegatam, ad ſanguinem vel ad viſcera nobiliora non ſine ſummo ægrotantium periculo revocent. vid. *Sydenh. p.* 561. *Ephemerid. A. N. C. D. III. A. V. & VI. p.* 347.

§. XVIII.

Alii cautius in curanda podagra procedere credunt, cum per *ſudorifera* materiam peccantem expellendam eſſe, ſibi perſuadent. Quamvis autem maſſa humorum non inepte hac via ab impuritate liberari queat, tamen in hoc morbo vix ac ne vix quidem ſcopus optatus attingitur. Notum enim eſt, eatenus diaphoretica operari, quatenus ſanguinem commovent ſerumque expellunt. Ponamus ergo, extra paroxyſmum hujus generis remedia adhiberi, prædictum nobis promittere poſſumus effectum, quum natura impuritatem humorum ad extremitates propellere intendat, ut ob ſanguinis concitatiorem motum eandem vi quaſi in artus protrudat, &, ut citati Sydenhamii verba mea faciam, cunctantem paroxyſmum ante diem ſollicitet. Quando vero in ipſo paroxyſmo hæc remedia in uſum vocantur, materia morbifica, articulis inhabitans omni humiditate orbatur,

tenacior & ſpiſſior redditur, ita ut impacta & ad omnem motum inhabilis fiat. Ut taceam una cum ſudore particulas laudabiles & nutritivas expelli ita ut corpus reſiduo vigore penitus ſpolietur. Denique non omittendum eſt, quod particulæ podagricæ poris cutaneis plane non reſpondeant; ita, ut impoſſibile ſit, eas una cum ſudore egredi.

§. XIX.

Nec illa diaphoretica, quæ placide alias movent perſpirationem & diapnoica ſalutantur, omne ſanationis punctum abſolvunt. Licet enim hujus generis remediorum intrinſeca virtus diſcutiens, quando videlicet particulæ tartareæ adhuc ſunt ſolubiles, aliqualem effectum edere valeat, tamen fatendum eſt, quod ejuſmodi remedia parum aut nihil efficere queant, ſi materia peccans ad artus jam eſt delata, adeoque præſervative, neutiquam vero curative illa ſunt adhibenda.

§. XX.

Par eſto judicium de diureticorum virtute antipodagrica. Hiſce medicamentis nonnulli authores ſpecificam attribuunt virtutem, quibus ſubſcribere hæſitamus, quia horum remediorum operatio admodum eſt incerta, dum lenia diuretica, omnibus conſentientibus doctoribus, ſæpiſſime convertuntur in diaphoretica, fortiora vero, ſale penetrantiori prædita, uti ſunt juniperina, therebinthinata, ex cantharidibus præparata &c. potenter pellunt urinam, ut diabetes non raro ſequatur, & tamen tanti non ſunt effectus, ut materiam podagricam a maſſa ſanguinea ſeparare & ſaburram tartaream articulis pedum inhærentem, via plane inverſa, per venas emulgentes & meatum urinarium educere valeant.

§. XXI.

Nec magis ſalutaris effectus de anodynis & opiatis eſt ſperandus, quamvis a Williſio, Sylvio, Dolæo aliiſque magni æſtimentur & in prima claſſe remediorum antipodagricorum locentur. Verum equidem eſt, nos anodynorum uſu furorem hujus affectus ex voto compeſcere poſſe, ita ut ab ægrotantibus iſtiuſmodi remedia miris laudibus prædicentur, ſed multum abeſt, ut victoriam gloriari queamus, ut potius diris ſymptomatibus poſt brevem quietem malum recrudeſcat. vid. *Ephemerid. N. C. Dec. III. A. II. p.* 32. Si quoque anodynorum operationem, quatenus ſpiritus animales conſopiuntur, probe ponderamus, per ſe patet, vigorem vitalem maxime offendi nec quicquam materiæ peccanti derogari.

§. XXII.

§. XXII.

Quid vero dicendum de remediis topicis, quorum adeo ingens utrobique reperitur copia, ut numero vix comprehendi queant. Sint ergo vel ſpiritus antarthritici, vel emplaſtra, vel unguenta antipodagrica vel cataplaſmata aut pediluvia, vel quocunque ſpecioſo nomine veniant, cane pejus & angue ſunt vitanda. Quum enim ſpirituoſæ ſint energiæ, quorſum pediluvia ammoniacalia a quodam empirico frequenter commendata, referri merentur, nil magis quam materiæ morbificæ retrogreſſus ad interiora & nobiliora corporis viſcera eſt ſperandus. Natura enim, quæ a centro ad peripheriam vel extremitates materiam malignam propellit, hiſce remediis externis turbatur & impeditur, qua ratione multo periculoſior ſequitur effectus. Hoc ſuo damno expertus eſt Legatus Cæſareus *L. B. a Bendenrider* qui Soiſoni ante breve tempus podagra laborabat, adeo vero infelici ſucceſſu pediluviis tractabatur, ut podagra in ventriculum reverſa, brevi poſt hunc miniſtrum jugulaverit.

§. XXIII.

Alii per interna remedia generoſiora & fortiora morbo huic contumaci mederi volunt, unde ☿ialia in uſum vocant. Aſt minime omnium miſeri ægrotantes, quicquid etiam *Blancardus* in Tr. de podagra *p.* 115. iis promittit, effectum ſalutarem ſperare valent. Impoſſibile enim eſt, per ſalivationem materiam morbificam ad artus delatam, expurgari, cum ſequeretur, cauſam materialem ſine noxa ab extremitatibus, via plane inverſa, ad glandulas oris retrahi, quod tam rationi quam experientiæ repugnat. vid. *Eph. A. N. C. D. II. A. II. p.* 362.

§. XXIV.

Tranſeunt denique ad ferrum & ignem, qui pharmaceuticis remediis hoſtem hunc obſtinacem movere nequeunt, dum ad moxam confugiunt, quæ inuſtione parti dolenti adplicatur. Si de hoc peregrino remedio dicendum quod res eſt, hujus operatio in eo conſiſtit, ut dolor, quem excitat inuſtio, podagricum ſuperet ſuaque vehementia hunc quaſi obſcuret, quod *Hippocrates Sect. II. Aph.* 46. confirmat, ſi dicit: duobus doloribus ſimul obortis, vehementior alterum obſcurat. Inſuper humores congelati & ſtagnantes ab externo calore, quem moxa adulta excitat, ſolvuntur, ut ad ſanguinem commode regredi queant, quod nonſolum a moxa ſed etiam urticarum cæſione & frictione cum pannis laneis ſperari debet, ſicuti mox demonſtrabimus. Quum vero ad fundamentalem cujuſcunque morbi curationem requiratur materiæ peccantis remotio, quæ nihilominus in ſanguine remanet, non poſſum non ſpecioſam hanc curam palliativam, neutiquam vero fundamentalem appellare.

§. XXV.

Majori fundamento ad avertendum hunc morbum, vel in manibus vel pedibus V. S. inſtituendam, commendari videas. Utcunque vero hac operatione res acu tacta videatur, tamen non poſſum non ſanguinis miſſionem ob id reprehendere, quia impoſſibile eſt, ut per venæ inflictum vulnus cauſa morbifica auferatur vel naturæ vigor hac operatione reſtituatur. Inquit ſupra laudatus Bœrhaave V. S. eſſe adiaphoram, quæ in plethorico uno vel altero menſe ante paroxyſmum inſtituta, id efficere valeat, ut dolores vix percipiantur. Huic contrarius eſt Sydenham, qui dicit, timendum eſſe, ne a ſanguinis & humorum agitatione novus excitetur paroxyſmus, qui diuturnior & vehementior prioribus ſit. Aſt Bœrhaavio magis applaudendum videtur, imprimis ſi phlebotomia in pede vel parte affecta celebratur & crebrius reiteratur. Conf. *Breſslauiſche Natur-Geſchichte den XIX. Vers. p.* 135. Quicquid ſit, cunctas morbi cauſas hæc operatio non removet, cum calor naturalis, qui cumprimis attendi meretur, hoc pacto non reſtauretur. Ad aliam ergo medendi methodum eſt progrediendum.

§. XXVI.

Ante omnia inquirendum eſt, utrum malum recens vel inveteratum ſit. Priori caſu, ubi podagra nondum quatuor ſuperavit annos, afflicti firmam ſpem concipere poſſunt, fore ut a morbo liberentur. In curatione ergo hæ indicationes ſunt reſpiciendæ, quo materiæ peccantis evacuatio & caloris naturalis reſtauratio promoveantur, quod ut eveniat, non juvat ægrum defatigare mille medicamentorum ſpeciebus, ſed ſimpliciſſima methodus, per ſcarificationem inſtituta, ſufficiens eſt, ut ad ſcopum perveniamus. Alibi dictum, quod natura in podagricis omnem impuritatem ad corporis extremitates ablegare ſoleat, hinc impoſſibile eſt, eam ſine ſanitatis læſione alia via, quam poris cutaneis expurgari. Aſt pori cutanei adeo ſunt exigui, ut cauſa materialis eos haud penetrare queat, ſicuti §. 18. & 19. fuſius docuimus, hinc neceſſe eſt, ut loco pororum foraminula cuti infligamus, quantitati impuritatis ſanguinis æquata, quod optime balneatoris lanceola abſolvitur.

§. XXVII.

Licet facta hac operatione, natura patulam habeat viam omnem impuritatem foras ejiciendi, nihilominus haud ſufficit ſola cutis vulneratio, ni inſimul humorum ſaburra ad exeundum ſtimuletur. Ergo ſtimulatur & vi quaſi provocatur humorum colluvies cucurbitularum adplicatione, quod neminem medicorum latere poteſt, dum omnes pro ſcopo revulſorio vel derivatorio huic vel illi parti cucurbitulas admovendas commendant,

dant, quo humores aliunde ad partem, cui affixa eſt cucurbitula cum impetu propelluntur.

§. XXVIII.

Cucurbitulæ poſt ſcarificationem neceſſario adhibendæ ſunt, cum experientia teſte, vix ac ne vix quidem ſola ſcarificatione ad finem perveniamus. Mercator hujus loci mea perſuaſione ſcarificationem contra podagram cum euphoria continuaverat, ita ut ne minimum hujus morbi inſultum ſentiret. Sed accidit ut ægrotus, neſcio qua ex ratione, alii balneatori, qui nondum ſuppetias tulerat, negotium ſcarificationis committeret, qui loca quidem deſignata ſcalpello ſuo tetigit, ſed cucurbitulas admovere ſtudio intermiſit, defectum earundem ſupplere putans cultellum eburneum, quo ſanguinem prorumpentem abſtergebat. Multum vero abfuit, ut mutila ſcarificatio hæc, priori cum cucurbitulis adminiſtratæ æquiparari potuerit, ut potius podagræ paroxyſmus vix triduo præterlapſo reverteretur. Ratio, cur adeo ſiniſter effectus tum demum ſcarificationem ſecutus ſit, in eo conſiſtit, quod a ſcarificatione quidem materia ſtagnans tartarea fuerit irritata, propter cucurbitularum vero defectum non evacuata, ſed potius inepta balneatoris abſterſione cum eburneo cultello ſuppreſſa, quod ipſe ægrotus confirmavit, referens, cruoris vix decimam partem, uti antea, emanaſſe, nec obſcuro, ſed magis florido colore comparuiſſe.

§. XXIX.

Scarificatione ulterius calor naturalis optime reſtauratur. Etenim ob vulnuſcula cuti inflicta & cucurbitulam ardentiorem dolor calorque ſenſibilis in membro excitantur ſcarificato, ita ut ſpiritus, qui antea quaſi ſuffocati videbantur, reſuſcitentur ſuoque influxu calorem reſtituant. Qua ratione methodus *Boerhaavii* ſuo non caret uſu, quando l. a. commendat, ut omni mane & veſperi pannis laneis & calidis juncturæ fricentur, vel etiam urticis verberentur, utpote quod aliquando ſuam præſtat utilitatem, ſi nempe malum dependeat ab humorum congelatione a refrigerio orta, ſine ubertate materiæ podagricæ. Maſſa enim ſtagnans hoc pacto diſcutitur & calor reſuſcitatur, ut particulæ tartareæ, quæ intra articulos ſubſiſtunt, circulationis lege ad ſanguinem reducantur.

§. XXX.

Ut hæc, quæ de ſcarificatione dixi, in ſummam contraham, nemo vitio mihi vertet, ſi hoc elogium ſcarificationi tribuam, quod nullum medicamentum a prudentiſſimis Medicorum ſit inventum huic medicinæ æquiparandum, dum ambo requiſita vi quaſi concentrata & ſpecifica cauſæ hujus mali reſpondent. Nullum remedium invenitur, quod adeo commo-

mode materiam podagricam, videlicet ſanguinem frigidum & craſſum, ſenili ætati familiarem, ſine regreſſu ad interiora evacuat & vi quaſi humores corruptos ex profundo corporis ad locum ſcarificatum allicit. vid. *Valeſc.* de *Taranta Phil. Pharm. Chirurg. p.* 35. Nemo a ſcopo aberrat, qui hanc methodum medendi fonticulis æquiparat, qui in morbis chronicis pro evacuanda materia peccante omnem ſæpe abſolvunt paginam. Simili, modo, cum podagra afferente Hippocrate, profunda ſanguinis expurget & materiam nocivam ad extremitates rejiciat per ſcarificationem fonticuli ad inſtar, materiæ peccanti exitus paratur, cui natura brevi adſueſcit & omni impuritate ſe exonerat. De altera ſcarificationis virtute, videlicet calefaciente, ſupra verba fecimus, ita ut nihil prohibeat, quin titulo veri remedii antipodagrici, ſcarificatio inſigniri queat.

§. XXXII.

Ne illotis manibus hanc medendi methodum quis aggrediatur, monendum eſt, quod in ipſo paroxyſmo ſcarificatio haud inſtituenda ſit, quoniam tum, ubi dolores ſæpe ſuperant ægrotorum patientiam, verendum eſt, ne atrociora ſymptomata excitentur. Tutius eſt, tempore intercalari, i. e. vel ante vel poſt podagricum inſultum, ubi humores placido motu circulantur, hanc operationem ſuſcipere. Hoc pacto enim cauſa materialis futuro paroxyſmo detrahitur, ut ægroti, etiamſi dolores proximo termino quadantenus recurrant, eos vix percipiant.

§. XXXII.

Hic veniam mihi dabis B. L. ea, quæ experientia circa tempus ſcarificationis me docuit, Tecum communicare. Dixi in præcedenti §. quod minus conſultum videatur, hoſtem hunc, qui caſtra jam in articulis locavit, armata manu aggredi, ſed majori fortuna, inſidias ſtruendo illi obviam iri. Aſt contrarium in uno alteroque caſu ſum expertus, ubi ægrotantes dolorum vehementia victi, in ipſo paroxyſmo parti dolenti violentam manum admoverunt, dum unus balneatoris auxilio ſcarificationem una cum cucurbitularum applicatione ſuſcepit, alter vero omni pariter patientia deſtitutus, ſummo cum furore ſcalpellum arripiens articulum primi digiti pedis vulneravit, ubi utroque caſu ſanguis atramenti inſtar nigricans & grumoſus prodiit, quo facto dolores illico ceſſarunt & paroxyſmus, qui alias per aliquod tempus duravit, hoc pacto interceptus & ſine ullo incommodo. Verum enim vero, quis hæc exempla pro norma aſſumet vel ſibi perſuadebit, quod durante adhuc paroxyſmo hæc violentia ſit admittenda? Notum enim eſt, tam apud Medicos quam Chirurgos canonem eſſe receptum, quod in partibus extreme ſenſibilibus & nervoſis, ubi adeſt dolor ſummus ab igne & ferro ſit abſtinendum,

ni

ni necroſin vel gangrænam provocare velimus. Licet ergo in allatis exemplis audaces fortuna juvarit, neutiquam tamen concludendum eſt, quod utrobique pari ſucceſſu hic conatus voto noſtro reſpondeat. Interim non inficias eo, quum dies diem doceat, fore, ut majori experientia & penitius hanc controverſiam rimando, nodum hunc ſolvere & certum quid determinare valeamus.

§. XXXIII.

Haud ſufficit ſcarificatio ſemel adhibita, ſed ſæpius reiteranda eſt. Quum enim ad materiam morbificam educendam naturæ patens ſit facta via, neceſſe eſt, ut crebro hæc operatio reiteretur. Commendant *Nenterus Fund. Med. P. I. & Chriſt. Joh. Langius Oper. Med. P. II.* ſcarificationis menſtruam repetitionem, quibus vero ob id contradicere audeo, quod ægris multum faceſſit incommodi, ſingulis menſibus in reliquis negotiis turbari, & quantitas ſanguinis, quæ ad libram unam ſingula ſcarificatione evacuatur, aliqualem debilitatem conferre poteſt. Experientia me docuit, ſingulis tribus menſibus inſtitutam ſcarificationem omnino ſufficere ad omnimodam hujus morbi curationem.

§. XXXIV.

Quo in loco cucurbitulæ ſint applicandæ haud difficile eſt determinare. Quando enim in manibus morbus graſſatur, intra pollicem & indicem in metacarpo ſcarificare & cucurbitulam collocare fas eſt, quod ſi vero in pedibus dolores exſurgant, in metatarſo ille locus eſt eligendus, qui inter omnes pedum digitos eſt medius, ubi & ſcarificatio & cucurbitulæ adplicatio debite ordine adhibentur. Si denique gonagra ſalvis manibus pedibuſque ſentiatur, ſupra genu prope patellam cucurbitula apponi debet, cæteroquin vero attendi, ut ipſæ juncturæ nec a ſcalpello nec cucurbitula afficiantur, ſed potius a balneatore locus tranſverſo digito diſtans eligatur.

§. XXXV.

Si juxta methodum præſcriptam ſingulis tribus menſibus ſcarificationis negotium expediatur, omnis materia podagrica tandem penitus eradicatur, ita ut vix tranſgreſſo anni ſpatio ne minimus quidem podagræ dolor ſentiatur. Etſi vero omnia ex voto cedant, tantum abeſt ut ſcarificatio poſt hæc negligatur, ut potius qualibet temporis periodo omni attentione continuanda ſit. Natura enim huic evacuationi adſueta: & tali ratione fonticuli ad inſtar omnem impuritatem excernere ſolens, maxime offenditur, ſi in hac ſalutari evacuatione impediatur. Neminem latere poteſt, quantum moleſtiæ ſentiant, qui V. S, per aliquot annos continuatam, negligunt; inde multo majori periculo ſe exponunt podagrici, qui

non pro copia ſanguinis imminuenda ſed materia peccante educenda ſcariſicationem ſuſcipere neceſſe habent, ſi per negligentiam hanc materiam vitioſam in corpore retineant. Neque mirum eſt, ſi morbus articularis vel recurrat, vel natura impuritatem ad loca multo nobiliora, e. g. ad pectus, ventriculum. inteſtina &c. ablegando, aſthmata, vomitus, inflammationes periculoſiſſimas & hujus generis alia ſymptomata lethalia excitet. Qui ergo ſemel ad hanc medendi methodum ſunt tranſgreſſi, eam ſine omnimoda mutatione continuare tenentur, alias mortem ſibi conſciſcunt, & ſiniſter effectus non ſcarificationi ſed propriæ ipſorum negligentiæ adſcribendus eſt.

§. XXXVI.

Quærat aliquis, unde veniat, quod neglecta ſcarificatione podagra adeo tarde regrediatur, vel priſtinam ſuam ſedem penitus negligat & ad alia loca, v. g. ad pectus, ventriculum tendat? Rationem hanc concipio. Quia omne podagræ ſeminium, ſcarificatione per aliquot annos continuata penitus eſt extirpatum, & calor naturalis reſtitutus, ita ut ſanguis per exilia vaſcula libere circulari queat, materia peccans, quæ in articulis ſeminium ſuæ indolis non invenit, cui ante hac adhærebat, ad communem ſanguinis maſſam reducitur, & natura a recto tramite aberrante, ad nobiliora viſcera propellitur e. g. ad communem alimentorum canalem, cujus in tunicis poſtea firmiter hæret, quod venenum atrocia ventris tormina, diarrhœas, vomitus & periculoſiſſimas inflammationes excitat. Si vero natura viam ad extremitates inveniat & materiam peccantem ibi deponat, magis requiritur temporis ſpatium antequam verus paroxyſmus oriatur. Etenim particulæ podagricæ ob eradicatum ſeminium ægre articulis affiguntur, uſque dum temporis ſucceſſu rurſus fruticis inſtar radicentur, quo facto demum podagra fixam ſedem recuperat. Interim non nego, quod quandoque in uno alteroque ſubjecto, ubi ſanguis materia vitioſa ſcatet, podagra breviori tempore redire & ob fertilius materiæ peccantis incrementum novum paroxyſmum formare queat.

§. XXXVII.

Quod ſcarificatio non obſtante ſenectute continuanda ſit, forte quis dubitabit, qui ſanguinis adeo crebram effuſionem ſenectuti nocivam autumat. Verum, quum in mulieribus poſt quinquageſmum annum, ubi ipſa natura menſes ſupprimendo ſanguinis evacuationi contradicit, ſummo cum fructu venæ ſectio crebro inſtituitur, non video, cur non eadem ratione ſcarificatio trimeſtris ſit admittenda. Hac ætatis periodo, qua homines magis quieſcunt, & corporis exercitia negligunt, maſſa ſanguinea augetur & particulæ tartareæ, ob defectum vigoris, qui antea eoſdem in ſanguine retinebat, fundum petunt, quare in articulos manuum pedumve

ſe inſinuant. Meminit *Vit. Riedlinus Lin. Med. A. VI. p.* 154. menſtruæ ſcarificationis a muliere ſexagenaria in pedibus ad eorum tumores abigendos, ſummo cum fructu inſtitutæ; ubi quæſtio ab Autore movetur, an in tanta ætate adeo crebra ſcarificatio conveniat. Sed experientia docuit, nil minus quam periculum ſcarificationem eſſe ſecutam, dum, ea quovis menſe repetita, tumores prorſus evanuerunt, qui vero ſcarificatione neglecta rediverunt.

§. XXXVIII.

Cæterum non ſolum ii, qui uno alteroque anno podagra jam ſunt cruciati, de hac medicina ſibi gratulari debent, ſed etiam qui ob hæreditariam diſpoſitionem affectum hunc ſaltim metuunt, ſpem concipere poſſunt, fore ut ſcarificatione in uſum vocata & ſingulis æquinoctiis reiterata ob omni podagrico inſultu ſint præmuniti. Cum enim extra omnem dubitationis aleam poſitum ſit, parentes corporis ſui vitia ſæpiſſime propagare, quilibet podagricorum parentum ſanguine natus ſuæ ſanitati optime conſulit, ſi præſervative bis in anno ſcarificatione utitur in pedibus inſtituenda, ubi pariter notari meretur, quod ſine intermiſſione ea per totum vitæ curſum continuari debeat, ne ob negligentiam in excernenda materia peccante podagræ paroxyſmus oriatur & poſtea trimeſtris ſcarificatio in uſum vocari debeat.

§. XXXIX.

Qui dicto modo curari volunt, propriam ſcarificationis ſupellectilem ſibi aſſervare tenentur, ne inſtrumentis balneatoris, quæ cuilibet ſine diſcrimine inſerviunt, ſeſe ſubjicere debeant. Nil magis apud vulgum eſt receptum contra cutis exanthemata, quam ſcarificatio, ita ut in ſcabie, purpura & aliis affectibus a ſanguine corrupto ortis, ad vaporaria balneatorum ægrotos confugere videamus. Si ergo ab ejuſmodi fatis ægroti tuti eſſe volunt, non balneatorum ſed proprium apparatum adhibere debent, quod *Georg. Horſtius T. II. p.* 433. inculcat, ubi inſimul meminit, quod a balneatore ob inſtrumenta venenata ingens ægrotantium numerus malitioſe fuerit interfectus.

§. XL.

Dictum eſt §. XXVI. quod podagrici intra quatuor annos, vel nondum tranſgreſſo quarto invaſionis anno, mediante ſcarificatione ſe ab hoc malo liberare poſſint; unde facile concludi poteſt, quod non cuivis podagrico hæc medendi methodus ſit ſalutaris. Atque omnes omnino a ſcarificatione abſtinere oportet, quorum articulis & tendinibus hic morbus diu inhæſit & in nodos & tophos abiit, quod *Ovidius L. I. ex ponto epiſt.* 3. *v.* 23. ita confirmat:

Tollere nodoſam neſcit Medicina podagram.

Cum enim cauſa materialis adeo firme articulis inhæreat, imo calcis ad inſtar indurata & concreta ſit, oleum & operam perdimus medicamentorum uſu. Imo de ſcarificatione plus damni quam ſalutis in ejuſmodi ægro ſperari debet, dum materia tartarea ligamenta & tendines inhabitans movetur, ſed non promovetur. Etenim vulnuſcula ſcalpello cuti inflicta neutiquam quantitati materiæ podagricæ reſpondent, ut hæc penetrare commode queat. Hinc fit, ut peſſima ſymptomata, videlicet contracturæ, convulſiones, inflammationes & hujus generis alia ſequantur pejora, quum maſſa concreta ſcarificatione irritata, ſpiculis ſuis acribus partes nervoſas pungat & dilaceret. Melius ergo eſt adeo rebellem & incurabilem morbum plane intactum relinquere, quam infelici conatu deteriorem reddere.

§. XLII.

Ne quicquam, quod de effectu ſcarificationis in podagra nodoſa experientia me docuit, ſilentio prætermittam, lubet ſequentem brevibus addere obſervationem. Vir quidam caſu, ter iterata vice, indicem ſiniſtræ manus contuſione ita lædebat, ut quamvis læſionem cruentatio aliqualis ſequeretur. Quum digitus integritati fuerit reſtitutus, accidit, ut chiragra digitum hunc doloribus acutiſſimis bis vel ter quovis anno cruciaret, qui tandem ſucceſſu temporis tophum efformarunt, hocque in ſtatu ægrum per duodecim annos detinuerunt. Hic ſcarificationis effectu in podagra admodum proficuo ſuffultus, tophum primo aperiit, materiam tartaream eximens &, quovis menſe ſcarificatione præmiſſa, cucurbitulas adhibens, quo regimine jam per tres annos continuato factum eſt, ut dolores ſenſim ſenſimque fuerint mitigati, donec ab omnimodo chiragræ inſultu ægrotus fuit liberatus, quo in ſtatu jam ultra annum ſartus atque incolumis vivit & digiti agilitate priſtina ex voto fruitur.

§. XLII.

Regulam, quod in podagra nodoſa ſcarificatio non admittenda ſit, ſingulares circumſtantiæ, quæ in hoc caſu occurrunt, non deſtruunt. Ex relatione patet, ægrum externa digiti læſione reiterata, occaſionem dediſſe, ut natura materiam podagricam congeſſerit eamque ad manus extremitatem ablegaverit. Quum ergo nullibi in corpore ægrotus, neque dolores podagricos neque tophos præter hunc in digitis obſervaverit, nec in adeo profunda articuli cavitate uti genu & oſſis femoris cum iſchio ſunt cohæſiones, ſed magis ſuperficiaria regione, qua materia calciformis ſibi exitum ſine moleſtia parare potuit, ſedem occupaverit materia peccans, quæ crebro ab ipſo ægroto eſt remota, in dubium vocandum non eſt, quod in tali caſu ſcarificatio, præmiſſa videlicet tartari evacuatione, admitti, ſicque malum inveteratum eradicari commode poſſit. Nec ſicco pede tranſeundum eſt, quod ſca-

ſcarificatio menſtrua in ejuſmodi ægroto requiratur, ut locum excretorium, cui a multis annis natura jam eſt aſſueta, patentem inveniat, quo ab impuritatibus ſe commode liberare queat.

§. XLIII.

Antequam filum abrumpo, liceat paucis diæteticæ & pharmaceuticæ curationis mentionem facere. Sicuti in genere diæta congrua in innumeris morbis admodum eſt proficua, ita & in podagra moderata vita, & ſex rerum non naturalium norma omni medicina ſæpe ſunt potentiores. An vero adeo exacta diæta utrobique ab iis, qui podagra vexantur, expectari debet, quum vix decimus inveniatur, qui ſecundum normam diætæ vitam agit? Neceſſe ergo eſt, ut talis adhibeatur medicina, quæ errores inſimul in diæta commiſſos corrigere valet eoſque ſua virtute plus pollente ſuperat. Sed ejuſmodi medicina, ut cum Sydenhamo loquar: adhuc in Democriti puteo latet atque in naturæ ſinu recondita eſt, ita ut magis optanda quam ſperanda ſit. Si quid ergo ab ullo remedio hucuſque commendato ſperari debet, certe a ſcarificatione præ omnibus poteſt expectari, ita ut nequaquam adeo anguſtis limitibus diæta podagricorum ſit circumcingenda, ſed, etſi hi genio ſuo qnandoque indulgent, ſcarificationis ſpecifica virtus omnium errorum effectum infringere poteſt, ſi modo ægri τὸ *ne quid nimis* memoriæ commendatum habeant. De curatione pharmaceutica non eſt ut multa proferam, quum ſcarificatio ordinato tempore reiterata ſufficiat ad perfectam ſanationem. Quodſi tamen medicamenta a prudente medico præſcribantur, quæ humorum pravam diſpoſitionem corrigunt, nec non ignem & vigorem vitalem reſuſcitant, illa curationem adjuvare poſſunt. Aſt propero ad portum, hinc vela contraho Tuoque favori L. B. me meaque ſtudia de meliori commendo.

CCXVI.

J. ADRIANI THEOD. SPROEGEL

EXPERIMENTA

CIRCA VARIA VENENA IN VIVIS ANIMALIBUS INSTITUTA.

Gottingæ 17 Martii 1753.

PROOEMIUM.

CUm mihi ad ſummos in arte medica honores adſequendos, aliqua pro legibus hujus Academiæ diſſertatio conſcribenda eſſet, pro themate præ cæteris hoc, quod Experimenta circa varia venena in vivis animalibus inſtituta ſiſtit, ſelegi. Enarrabo nempe fideliter ea omnia, quæ in vivis animalibus de hoc vel illo veneno obſervavi, ſymptomata, modumque agendi, cum vivi adhuc, vel mortui jam animalis, diſſectionis hiſtoria & brevi de his obſervationibus ratiocinio. Subjuncturus alia nonnulla experimenta, quæ ad ſcopum quidem meum non pertinent, in iiſdem animalibus tamen a Perilluſtri ac Generoſiſſimo Hallero, Præceptore meo æternum ſanctiſſime deveneranda, me præſente inſtituta. Capta hæc inprimis ſunt de reſpirationis mechaniſmo, quem adſertis Hambergerianis ſemper contrarium eſſe, iterata experientia docuit. In tres hunc meum laborem diſtribui ſectiones, harum prima illa continebit, quæ ex regno vegetabili deſumſi venena; ſecunda tractabit, venena mineralia; & in tertia de illis agam, quæ ſiphone in jugulari vena externa, viventis animalis injecta ſunt. Nulla inſtituere mihi licuit experimenta cum animalibus ſic dictis venenatis, occaſio enim ea experiendi defuit. Ne vero experimentis meis fides denegari poſſit, mihi nominandi ſunt teſtes fide digniſſimi, inprimis Venerandus ac Perilluſtris Præceptor omnibus fere interfuit, alia etiam vidit Cl. Joannes Georgius Zimmermann *M. D.* amicus meus integerrimus, & multi Generoſiſſimi ac Prænobiliſſimi commilitones præſentes fuerunt.

SECTIO PRIMA

De plantis nonnullis venenatis.

§. I.

VEneni generalis definitio facilis non eſt & diverſiſſime ab Auctoribus data. *Boerhaavius* (*a*) omne illud venenum dicit, quod ingeſtum vel adplicatum corpori, talem excitat mutationem, quæ per eam mutationem ipſam ſuperari non poteſt, & medicamentum a veneno ea nota ſeparat, quod ea, quam medicamentum facit mutatio, in ſanitatem tendat; illud vero corpus vel in ægrotum aut mortuum mutet. Optimam hanc *Boerhaavii* definitionem non eſſe, unuſquiſque ſtatim videbit, qui conſiderat medicamentum a veneno non differre, niſi quod minori copia datum corpori noſtro proſit, majori vero valde idem inimicum ſit & venenorum doſes dentur, quæ a vitæ viribus ſuperari poſſunt, aliæ minime; in priori igitur caſu eſſent medicamenta & in poſteriori unice venena. *Celeberrimus Richardus Mead* in introductione elegantiſſimi ſui libri *de venenis* (*b*) meliorem dat definitionem; venenum nempe vocat omne illud, quod parva copia datum, animalium vitæ ita contrarium eſt, ut vel per os ſumtum vel extrinſecus adhibitum ei deſtruendæ ſufficiat, aut ſaltem funeſtos effectus producat; hæc etiam *Illuſtris ac Generoſiſſimi Halleri* ſententia eſt.

§. II.

Venena inter ſe valde differre, potiſſimos tamen effectus & modum agendi congruere, antiquiſſimi jam obſervarunt Auctores. *Dioſcorides in Præfatione libri de venenis* (*c*) inquit: venenorum quamplurimorum facultates in affectus conſimiles corpus redigunt, & in libro *de alexipharmacis* ipſo: medicamentorum venenatorum magna eſt varietas, mutationes autem corpori inductæ communes & paucæ. Eadem cum veteribus ſententia eſt *Richardus Mead*, quin princeps diſcrimen illud eſſe, inter animalia etiam, quod horum vulnera extrinſecus, pharmacorum vero effectus intrinſecus, in ſtomacho & inteſtinis ſint, adfirmat (*d*). Plantæ vero venenatæ a mineralibus venenis ſe diſtinguunt potiſſimum, quod

(*a*) Prælectiones Academicæ Tom. VI. Göettingæ 1744. p. 374.
(*b*) A Mechanical Account of Poiſons. London. 1747.
(*c*) Interpretatio *Joannis Antonii Saraceni* 1598.
(*d*) Libro citato. pag. 185. 186.

quod hæc illis vehementiora ſint, ob proprium pondus, cum ſoliditas earum partium vires addit & robur, quo ſuccos plantarum nocivarum ſuperant.

§. III.

Magnus eſt plantarum venenatarum numerus, in duas claſſes tamen dividerunt eas auctores: in venena nempe *corroſiva* & *narcotica*. *Corroſiva* dicuntur ea, quæ guſtu acria ſunt, & in ore, faucibus ac ventriculo, alicujus uſtionis ſpeciem producunt, corrodunt ventriculi & inteſtinorum membranas, faciunt inflammationes & ſubtiliſſimis ſuis particulis nervos penetrant, pariunt inde convulſiones vehementes, quas tandem mors ſequitur. Excitant etiam maximos vomendi conatus, aut vomitum ipſum, cum diriſſimis anxietatibus conjunctum. *Narcotica* vero faciunt vertiginem, mentis abalienationem, conſtringunt vaſa cerebri, & ſiſtunt motum fluidi in iis contenti, hinc excitant ſtuporem quendam & ſomnum profundiſſimum, qui denique lethalis fit. Deſtruunt etiam penitus in ventriculo & inteſtinis, motum vermiformem omnemque fere irritabilitatem & ſenſibilitatem, & ita porro. Enarrabo nunc ipſa mea de hac re facta experimenta.

§. IV.

EXPERIMENTUM I.

D. 24 Julii Anni 1751. hora pomeridiana tertia, feli trium menſium, *radicis Napelli* recentis, minutim conciſæ & lacte miſtæ drachmam ſemis ſpatula in os intruſi. Vix hac deglutita, vehementer vagiit & clamavit, parietes, feneſtram, circumſtantia omnia, ex maxima ſine dubio anxietate conſcendit. Verum totum corpus brevi poſt debiliſſimum redditum eſt, ut modo in dextrum, modo in ſiniſtrum latus decumberet, præſertim vero in ſiniſtrum; pedibus etiam poſterioribus inſiſtere ægre potuit & horum dexter paralytici inſtar erat, potus adpetentiſſima, os lingua ſæpius linxit. Hora elapſa integra & dimidia, ingeſta varia, carnem nempe, piſcium ſpinulas, cum veneni adſumti fruſtulis evomuit, valde convellebatur, dein, oculis firmiſſime clauſis, dormiit; poſt horæ quartam partem iterum ut prius varia egeſſit ſed majorem radicis copiam, nec non ſpumam albam ſubviſcidam & lac coagulatum, conatus ad vomitum ſemper ſemperque vehementiores erant. Ter adhuc eodem modo vomitum fecit, poſtremo vero nil præter aquam ſubſpumoſam albidam eructare potuit, verſus tempus veſpertinum ſingultus, tremores corporis convulſivi ſuperaccedebant & fortiſſimis conatubus penitus nihil egerebatur, infirmiſſimis ſemper manentibus pedibus in latus ſiniſtrum cubitavit.

Nocte ſubſequente vomitus plane ceſſavit, alterius diei matutinali tempore, heſterna pedum debilitas adhuc aderat, cibum omnem recuſabat cum vagitu. Poſt meridiem vero jam erat vegetior, devorabat avide lac & panem & tandem ad priorem ſanitatem rediit.

EXPERIMENTUM II.

Repetii d. 19 Auguſti, recuperata penitus ſanitate, in hac feli, *napelli radice*, eodem modo præparata, majori tamen dupla copia, drachma ſcilicet integra, hoc experimentum, hora 4. pomeridiana jam audita. Quantitatem hanc totam non deglutivit, cum quarta pars ex ore circiter effluxerit. Veneno adſumto caput ſtatim vehementer ſuccuſſit, fortiter ſingultiit, & multa viſcida ſpuma, cum paucis guttis meræ aquæ, ex ore emanavit. Poſt horæ dimidium ingeſta varia, materiam viridem, ſpumoſam multam, & aliquid deleterii adſumti evomuit; pedes poſteriores ut in ſuperiori exemplo, erant inbecilles, ut iis uti nullo modo potuerit & modo in dextrum modo in ſiniſtrum latus decubuerit, capitis ſuccuſſiones & ſingultus vehementiores erant. Hora ſexta iterum ut antea vomuit, nullum vero venenum, incedere vero nequaquam potuit, ſed per aliquot tempus quietiſſima permanſit; paulo poſt parum & claudicans ambulavit, & ſubito rurſus moribundæ ſimilis in terram proſtrata eſt. Naſum animalis ſcalpello acuto tunc temporis irritavi, abſque ullo doloris ſigno, vehementer dein anxia reſpirationem cum ſibillo & ſtrepitu peregit, mox diriſſime convellebat ſed iterum proſtrata per longum tempus penitus abſque motu erat. Hora ſeptima ut prius irritata, clamavit, ſaliva perpetuo copioſe fluebat. Decima ejuſdem diei hora eundem in modum ſeſe adhuc habebat. Hora ſeptima alterius diei matutina viva erat, ſed ejulabat fortiter & vehementiſſime cum totius corporis motu convulſivo in altum ſubſiliit. Hora elapſa nona & dimidia tandem maximas inter convulſiones obiit, corpus totum erat rigidiſſimum ita ut pedes vix a ſe invicem in diſſectione dimovere potuerim. Aperto animalis ventriculo, naturali ſimillimum eum reperi, abſque ulla contractione vel dilatatione, ſatis magna quantitate veneni repletum & cibis & muco quodam viridi, & nihil eroſionis ſimile viſum eſt, villoſaque tunica mundiſſima, inteſtina cum viſceribus reliquis ſaniſſima. Aperui deinde thoracem, ſanguis ventriculo cordis dextro fluidus multus, fere diſſolutus, inerat, ſic etiam in aorta & reliquis arteriis & venis. Urinaria veſica conſtricta, ut nulla fere cavitas ſupereſſet.

§. V.

Napelli vulgaris Cluſii (*e*) aut *Aconiti foliorum laciniis linearibus*, *ſuperne*

(*e*) V. Rariorum plantarum hiſtoria lib. 5. Antwerpiæ 1601. pag. 96.

perne latioribus, *linea exaratis*, *Illuſtr. Halleri* (*f*), vim venenatam, tota fere jam antiquitas novit. *Petrus Andreas Matthiolus in Commentario ſuo ad Dioſcoridem* (*g*), totam plantam valde venenatam eſſe, præſertim vero ejus radicem adfirmat. Adeo pernicialis tamen non eſt hæc radix, ut manu calefacta tenentes interimat, ſed tantum vulgi perſuaſio (*h*). Multa vero profert experimenta funeſta, omni fide digna & vario modo facta; illa inprimis experientia, juſſu Imperatoris in latrone inſtituta, fuſiſſima eſt. *Saracenus in ſcholiis ſuis in Dioſcoridem* (*i*), multa nomina adduxit, quæ ob vim deleteriam, huic plantæ data ſunt. *Plinius* (*k*) *in hiſtoria ſua naturali*, hoc aconitum omnium venenorum ocyſſimum eſſe dicit, ita ut pantheras guſtatu necet, & inde nomen *Pardalianches* acceperit. *Celeberrimi Wepferi* experimenta, quæ fuſiſſime in aureo illo libro (*l*) deſcribit, hic repetere ſuperfluum eſſe credo. Cum nullum nec eroſionis, nec inflammationis, in animali hoc veneno interempto, ſignum viderim, vim ſuam potiſſimum in nervos exegiſſe oportet, vellicando nerveam ventriculi membranam, unde diræ illæ convulſiones & anxietates ſubortæ ſunt: ſanguinem etiam minime coagulatum, ſed fluidiſſimum, invenimus; ita ut coagulatio accuſari nequeat (*m*).

§. VI.

EXPERIMENTUM III.

D. 25 Auguſti hora 2. pomeridiana, felis *radicis Anthoræ* bene conciſæ & in mortario contuſæ, cum lacte, drachmas duas devoravit; ſaniſſima permanſit & omnino nihil inde mali ſubſecutum eſt.

EXPERIMENTUM IV.

Eodem modo præparatæ radicis, partem duplam, drachmas nempe quatuor ſubſequente die, eidem animali dedi & iterum abſque ullo damno.

§. VII.

Ex his duobus experimentis adparebit, nullam vim *Anthoræ* ineſſe noci-

(*f*) V. Enumeratio ſtirpium Helvetiæ. Götting. 1742. p. 312.
(*g*) Venetiis 1565. p. 1095.
(*h*) Vide *venerandum ac optimum Præceptorem* meum l. c.
(*i*) *Dioſcoridis* Opera, ex interpretatione. *J. A. Saraceni* 1598. p. 85.
(*k*) Pariſiis 1723. Vol. II. pag. 419.
(*l*) De cicuta aquatica, Lugd. Batav. 1733. p. 225. ſeqq.
(*m*) Vide *Wepferum* l. c.

nocivam, a veteribus enim pro multorum venenorum antidoto habita eſt. *Matthiolus in ſuo Commentario* (*n*) eam virus napelli frangere retulit; ſed *Cluſius* ob ſimilitudinem cum aliis aconitis, quorum tota claſſis ſuſpecta nobis omnino eſt, ſibi etiam anthoram valde ſuſpectam adfirmat (*o*), & eadem ſuſpicio fuit *Friderici Hofmanni* (*de medic. inſecur. & inſid.*) Nomen genericum hujus plantæ, *Venerandus ac Optimus* meus *Præceptor* in jam excitato elegantiſſimo libro (*p*), ſequens dedit: *Aconitum foliorum laciniis linearibus, ubique ejuſdem latitudinis*; *Antithoræ* vero nomen accepit, quia ranunculo illi, *thora* veterum dicto, qui ob vires ſuas deleterias infamis eſt, contraria creditur.

§. VIII.

EXPERIMENTUM V.

D. 26 menſis Auguſti, poſt meridiem hora 2. & dimidia, feli, quæ bis anthoræ radicem devoraverat, ſcrupulum integrum ſucci illius lactei, qui ſponte ex decerptis foliis *tithymali*, cui vulgo *cataputiæ* nomen eſt, exſtillat, eadem circiter cum quantitate lactis vaccini infudi. Valde ſuccuſſit ſtatim caput, tuſſiit vel ſternutavit potius vehementer, cum tremoribus & motu totius corporis convulſivo, exoneravit poſtea alvum ſiccis & paulo poſt fluidioribus fæcibus, ceſſavit inde tuſſis, ſed reſpiratio difficilis & cum ſibillo quodam peragebatur, ſuperaccedebant conatus ad vomitum, ſed ſine ullo penitus effectu. Oculi erant firmiſſime clauſi & per longum tempus quietiſſima permanſit, lac, panem & radicem ingeſtam brevi poſt evomuit, iterumque ut in initio, non ita tamen vehementer, tuſſiit. Penitus fere ſanitate recuperata, aperta caſu janua, fuga ſibi conſuluit.

EXPERIMENTUM VI.

Canis moloſſus, ſeminum *cataputiæ* bene contuſorum, drachmas duas, quæ in carnis fruſtulis abſcondita erant, avide devoravit; nihil vero inde ſubſecutum eſt mali, niſi quod alvum ter vel quater naturali ſimillimam, neutiquam vero fluidam, depoſuerit. Quod plane nullus effectus ſubſecutus fuerit, credo a ſeminibus valde vetuſtis ſubortum fuiſſe, quæ ex pharmacopolio ſumere oportuit, etſi mihi unius ſaltem anni eſſe, qui vendidit, adfirmaverit.

§. IX.

(*n*) L. c. pag. 1097.
(*o*) L. c. lib. 5. pag. 97.
(*p*) Enum. Stirp. Helv. pag. 313.

§. IX.

Totum fere *tithymalorum* genus acre & cauſticum eſſe, & eam ob cauſam iis aut penitus abſtinere, aut ſaltem caute cum hac tota gente agendum oportere, *Illuſtr. Hallerus* (*q*) monuit. Hæc ſpecies, quæ *Tithymalus foliis ad caulem cruciatis, lingulatis, ſub floribus cordatis, longe acuminatis, ſcutis bicornibus, obtuſis, Enumerationis ſtirpium Helvetiæ* (*r*), eſt præ aliis venenata, inprimis enormi purgante vi pollet, ideoque a feminis laſcivis, plerumque recens ſemen ad abortum promovendum adhibetur, quod flagitium merito in medicina legali fuſtigationis pœnas cadit. *Dioſcorides* (*s*) grana ſex vel octo alvum vehementer ſatis purgare, & multam deſumere pituitam, *Matthiolus* (*t*) adnotavit; exſtant etiam varia exempla lectu digna apud *Plinium* in *hiſtoria naturali*. Guſtus hujus plantæ virus ſtatim prodit, intolerabilior acris enim eſt, & linguam, fauces & ventriculum urit, vellicat membranam ejus nerveam, parit vomitum, facitque majorem humorum ſecretionem. Cuti faciei exterius admotus hic plantæ ſuccus, puſtulas inſtar febris urticatæ excitare, in me ipſo expertus ſum. Doleo vero me non potuiſſe hoc experimentum ad finem perducere, tanta enim copia in horto Regio Academico, ex quo indultu & benevole adſentiente *optimo Præceptore*, *Illuſtr. Hallero*, hanc & alias plantas ſumſi, non aderat, ut hoc experimentum reiterarem, & animal quod memorato modo aufugit, nunquam poſtea vidi.

§. X.

EXPERIMENTUM VII.

D. 1 Sept. feli juniori, pomeridiana hora 2. lactis, ſponte ex decerpto *Tithymalo*, *Cypariſſias* dicto, exſtillantis, aqua fontana ſimplici miſti, ſcrupulum unum, propinavi, de quo vero penitus nullum incommodum perpeſſa eſt, & altero die æque ſana ac vegeta fuit, ac ſi nullum accepiſſet deleterium medicamentum.

§. XI.

Tithymalus foliis ad caulem linearibus, obtuſis, radiis umbellæ plurimis, petalis

(*q*) Enum. Stirp. Helv. pag. 190.
(*r*) Pag. 189.
(*s*) In libro quarto materiæ medicæ cap. 167.
(*t*) V. Commentarius in *Dioſcoridem* pag. 1260.

petalis lunatis, *Illuſtr. Hallero* (*u*) dictus, & *Tithymalus Cypariſſias Matthiolo* (*x*), ejuſdem cum priori indolis eſt, non vero ita acris & cauſticus, quod proxime antecedens experientia docuit. Damnatur tamen a pleriſque ob virulentam ſuam acrimoniam, & in hydrope ſolum eo *Boerhaavius* utitur, quando viſcera omnia ſana ſunt.

§. XII.

EXPERIMENTUM VIII.

D. 10 Septembris hora ante meridiem undecima & dimidia cuniculo juniori, ſucci ex *cicutæ aquatica Geſneri* foliis expreſſi, ſemunciam circiter infudi, ſed nullum inde ſubortum eſt malum. Translata erat hæc planta ex lacu *Denkersbuſano* a *Venerando Præceptore* meo in hortum medicum, in quo nullos flores produxit, & multum forte virium ſuarum amiſit, cum ibi multo ſiccius, quam in loco ſuo natali, ſolum ſit.

EXPERIMENTUM IX.

D. 29 Septembris, mediocris magnitudinis cani, nigro, unciam integram ſucci hujus plantæ ex foliis & floribus expreſſi, quam die antecedente a loco natali, trium milliarium germanicorum diſtante, ex lacu nempe qui prope pagum *Denkershauſen* ſitus eſt, recenter adportaveram, eodem modo ut prius dedi, hora matutina decima. Nullus inde penitus ſubſecutus eſt effectus, ſed circa veſperam oſſa, panem & alia, avide, ſumma cum voluptate, ſanus devoravit.

EXPERIMENTUM X.

Eidem cani ut heri, ligato prius, eadem quantitate, ſuccum ex radice ſola expreſſum, quem multo fortiorem eſſe, & odor & ſapor demonſtrant, vi in os infudi; differt hic ſuccus ex radice, qui flavus & ſpiſſior eſt, ab illo ex foliis & floribus hujus plantæ, qui colore viridiore & multo aquoſior eſt. Hora elapſa ter ingeſta omnia, maximo cum conatu, egeſſit, & aqua mere limpida, ſpumoſa ex ore interdum emanavit. Etſi hi vomitus mox ceſſarint, per totum tamen diem, omnem cibum & potum recuſavit, contremuit ſæpiſſime toto corpore, nec ullum ſonum edidit, cum antea maximo noſtro incommodo, perpetuo latraret.

EXPE-

(*u*) Libro citato pag. 193.
(*x*) L. c. p. 1254.

EXPERIMENTUM XI.

Subſequente die, radicis bene conciſæ & contuſæ ipſius, ultra unciam & dimidiam eidem cani, ore vi diducto, ligneo bacillo intruſi, quam vero ægerrime deglutiit. Corpus totum vehementer ſtatim contremuit, quod mihi vero videbatur, magis a tortura illa, quam ligatis pedibus in veneni intruſione perpeſſus eſt, non ab ipſo veneni effectu ſubortum fuiſſe. Spuma magna copia effluxit, ita viſcida, ut pugni magnitudine ex ore propenderet, ſed altero die ſaniſſimus, oblatum cibum avide comedit.

§. XIII.

Sium pinnis laciniatis, pinnulis trifidis, nervo non folioſo Illuſtr. Hallerus (*y*) hanc cicutæ ſpeciem nominat. Notiſſimæ ejus vires deleteriæ in hominibus ſunt, a *Celeberrimo Wepfero* (*z*) triſtibus exemplis comprobatæ. Antiquiſſimis Auctoribus virulentam hujus plantæ indolem notam fuiſſe, *Nicander* (*a*) teſtatur, qui cicutam, aconitum & alia venena, carmine græco deſcripſit & *Dioſcorides* (*b*) e lethalium venenorum genere eſſe, & vi ſua refrigeratoria necare, adfirmavit, inque *Alexipharmacis* (*c*) pleniorem dat effectuum hujus veneni hiſtoriam; *Saracenus* vero *in ſcholiis ſuis in Dioſcoridem* (*d*), *Celſi* ſententiam, qui cicutæ ſemen inter rodentia numerat, damnat, cum cicutam potenter refrigerare & vi ſua refrigeratoria enecare, apud omnes fere medicos, in confeſſo ſit. *Matthiolus* (*e*) nonnulla enarrat exempla, quibus abunde cicutæ nociva vis probatur, inprimis triſte experimentum ruſtici, qui paſtinacæ loco has radices comedit, lectu digniſſimum eſt. *Plinius Secundus* (*f*) cicutam ut magnum venenum deſcribit. Verum hæ cicutæ omnes, non aquaticæ, ſed vulgaris illius terreſtris, ſpeciei eſſe videntur, quæ *Illuſtr. Hallero cicuta* ſimpliciter dicitur (*g*). Ceterum hanc cicutam aquaticam vi ſua refrigerante necare, falſum omnino eſt & experientia *Wepferi* contrarium oſtendit; calidam potius eſſe, amarities & acredo docet, & ſymptomata a *Wepfero* memorata. Maximas producit in ventriculo

(*y*) L. c. pag. 436.
(*z*) In hiſtoria cicutæ aquaticæ.
(*a*) *Nicandri* Theriaca. Interprete *Joanne Gorræo.* Pariſiis 1622.
(*b*) In libro 4. de materia medica, caput 79. pag. 276.
(*c*) Pag. 406. cap. 11. de cicuta.
(*d*) Pag. 85.
(*e*) L. c. pag. 1415. 1416.
(*f*) In hiſtoria naturali.
(*g*) Enum Stirp. Helv. pag. 434.

triculo anxietates, facit ſopores, deliria & mortem, niſi accedat vomitus, quo ſæpe homines ſervati ſunt, parit etiam vehementiſſimos convulſivos motus, quos, miſeri illi mortales, qui hanc radicem ederant, experti ſunt. Somnus & deliria illa ſatis, ut credo, oſtendunt, hanc cicutam majorem ſanguinis verſus caput determinationem facere, & circulationem ejus vehementiorem, igiturque potius motu ſanguinis circulatorio aucto, calorem, quam frigus in corpore noſtro excitare. Convulſiones etiam, huic plantæ, particulas acres & pungentes ineſſe, quæ vellicatis nervis ventriculi, has producunt, demonſtrant. Sed ſuperfluum fore exiſtimo, experimenta *Celeberrimi Wepferi*, qui hanc plantam peculiari libro (*h*) deſcripſit, hic repetere; monendum mihi tamen adhuc eſt, non in parva copia hanc cicutam effectus ſuos demonſtrare; & tempore vernali, virus multo fortius eſſe, quam autumnali, eamque ob cauſam, mea experimenta exſpectationi non ſatisfeciſſe. Multa etiam de hac cicuta aquatica cum *Wepfero* communia habet, *Cel. Richardus Mead* (*i*).

§. XIV.

EXPERIMENTUM XII.

D. 11 Octobris cani eidem, ſucci ex foliis *Hyoſcyami foliis amplexicaulibus*, *Illuſtr. Præceptoris* (*k*) expreſſi, unciam infudi integram, ſaniſſimum permanſit hoc animal & ita vegetum acſi nihil deleterii accepiſſet.

§. XV.

Plantas inter narcoticas, *hyoſcyamum* hunc, unum ex fortiſſimis eſſe, omnium auctorum ſententia eſt. Suffitum ipſum ſtupefacere & vi ſua narcotica dentium dolores tollere *Illuſtr. Hallerus* (*l*) memorat, narrat etiam triſtem hiſtoriam hominis, qui varia venena, napellos, apocyna & belladonnæ baccas ſine noxa comedit, ab hyoſcyamo vero mente alienatus fuerit. *Dioſcorides* (*m*) inſaniam & ſoporem gignere, ideoque vix in communem uſum recipi poſſe, ait, & *Cluſius* (*n*) omnibus Hyoſcyami ſpeciebus vim refrigerantem, ſoporiferam & dolores ſedantem adtribuit. *Plinius*

(*h*) Cicutæ aquaticæ hiſtoria.
(*i*) Mechanical Account of Poiſons. pag. 230. & ſeqq.
(*k*) Enum. Stirp. Helv. pag. 512.
(*l*) L. c.
(*m*) Lib. 4. de materia medica cap. 69. pag. 269.
(*n*) In rariorum plantarum hiſtoria. Lib. 5. pag. 85.

Plinius vero largiorem hujus plantæ ſuccum, venenum eſſe, & potum inſaniam feciſſe, oleumque ejus majorem cerebri motum excitaſſe, in hiſtoria naturali teſtatur (*o*) & *Matthiolus* (*p*) exempla varia adducit de venenata vi hujus plantæ, narrat inprimis, illos qui de hoc ſucco biberint, capitis gravitate & venarum diſtentione laboraſſe, menteque cum quadam verborum altercatione abalienatos fuiſſe, & vidiſſe ſe, pueros adeo deſipientes factos, ut parentes eos a cacodæmonibus vexatos crederent. *Wepferus* (*q*) etiam habet caſum lectu dignum, in quo totum monaſterium his radicibus, radicibus cichorei mixtis, comeſtis, varia & partim ridicula ſymptomata perpeſſum eſt. Cauſam inertiæ hujus plantæ, in memorato meo experimento, ſitam eſſe credo, vel in nimis parca doſi vel quod poſt diuturnum tempus pluvioſum & quidem autumno decerpſerim, cum hæc planta calore æſtatis penitus fere ſiccata, ſuccuſque ejus multo aquoſior redditus fuerit & vim ſuam deleteriam amiſerit. Requiſita ad occidendum copia, inprimis in animalibus, haud facile poteſt determinari, alia enim in eadem ſpecie, aliis multo ſunt robuſtiora & aut majorem, aut minorem, veneni quantitatem requirunt, ſecundum eorum naturam, quam his experimentis diverſiſſimam ſemper inveni. In hominibus tamen hunc *hyoſcyamum*, & in minori copia datum, funeſtos ſemper effectus facere, compertum eſt, iterataque experientia docuit (*r*). Sed hac occaſione neceſſe eſſe mihi videtur monere, nullam valere concluſionem effectus & virium venenorum in corpore noſtro, cum vires ejus multo, viribus animalium, debiliores ſint, & parciſſima veneni quantitas illud penitus deſtruat, qua multo major ab animalium natura impune ſuperari poſſit.

§. XVI.

EXPERIMENTUM XIII.

D. 13 Octobris canis idem, qui antecedente die drachmas duas ſeminum *lathyridis majoris Raiy* (*s*). ſumſerat, unciam ſemis *daturæ Acoſtæ* vel *ſtramonii fructu erecto, calyce pentagono Illuſtr. Halleri* (*t*) ſeminum, carne miſtorum devoravit. Licet famem per viginti quatuor horarum ſpatium quietiſſime ſuſtulerit, ferculum tamen hoc in initio recuſavit, exceptis paucis ſeminibus, ſine noxa tamen adſumtis.

§. XVII.

(*o*) L. c. Vol. II. pag. 215. 310. & 457.
(*p*) L. c. pag. 1064.
(*q*) L. c.
(*r*) In actis S. R. *Pariſinæ* & *Londinenſis* multa exſtant exempla.
(*s*) Pag. 866.
(*t*) Libro citato pag. 489.

§. XVII.

Validiſſime narcotica eſt hæc planta, cum tota ſua gente, & ſemen ejus parva copia funeſtos effectus producit. Recordor *Illuſtrem ac ſumme Venerandum Præceptorem* meum, in prælectionibus narraſſe, hoc ſemen ex pharmacopoiæ inperitia pro nigellæ ſemine, colore & habitu cum hoc ſimili, venditum ad drachmæ unius pondus, lethale fuiſſe, atque ſe ex ventriculo feminæ exemtum ſemen adſervare, quam occiderat. Dementat enim ſtatim, facit deliria, ſomnum, quem denique mors ſequitur. Refert idem *Illuſtr. Vir* (*u*) experimentum *Bartholeti*, qui cum hac planta deliria, maniæ contraria, arte produxit, & *Kæmpfero* in India ab amicis ſuis deliria conciliata eſſe. *Dioſcorides* (*x*) qui ſtramonii aliam, finitimam utique ſpeciem fructibus pendulis, calyce terete, *ſolanum manicum* adpellat, drachmam unam radicis ex vino potam, imagines haud injucundas menti repræſentare, duas ad triduum uſque inſaniam & mentis alienationem facere, duplam hujus vero ponderis copiam, mortem conciliare, teſtatur. Commentator *Dioſcoridis*, *Petrus Andreas Matthiolus* (*y*) ſe nunquam hoc ſolani genus vidiſſe, adfirmat, loquitur tamen prolixe de venenata aliarum a *Dioſcoride* memoratarum ſpecierum indole. *Cluſius* (*z*) vero, hanc ſpeciem *daturam* Indis vocari dicit, & ei eaſdem fere cum *Dioſcoride* vires adtribuit, mentis nempe alienationem, viginti quatuor horarum ſpatio durantem, & alia. In *aromatum* vero *hiſtoria* tres *daturæ* ſpecies deſcribit *Chriſtophorus a Coſta* (*a*) narratque de prima illarum, quam id ipſum modo citatum *ſtramonium* eſſe credo, quod conſuetudo apud inpudicas mulieres invaluerit, hujus in pulverem triti, ſeminis drachmam ſemis ex vino præbere, miſerumque maritum qui venenum bibet, tota die mente alienatum eſſe. *Plinius* vim reprimendi refrigerandique huic plantæ tribuit (*b*) & *Wepferus* funeſta etiam exempla habet (*c*).

§. XVIII.

(*u*) In Enum. Stirp. Helvet. pag. 490.
(*x*) L. c. lib. 4. de medica materia cap. 74. pag. 272.
(*y*) L. c. pag. 1073. ſeqq.
(*z*) V. Indicarum plantarum hiſtoria lib. 2. pag. 238.
(*a*) Pag. 289. in operibus *Caroli Cluſii*
(*b*) L. c. Vol. II. pag. 438.
(*c*) L. c. pag. 289. ſeqq.

§. XVIII.

EXPERIMENTUM XIV.

Ultimum quod ex plantarum regno, excepto opio, inſtitui experimentum, cum *phytolacca americana*, *majori fructu*, (*d*) vel *phytolacca foliis integerrimis Linn.* (*e*) fuit. Dedi nempe decimo die Septembris, mediocris magnitudinis cani, in initio ſaltem guttulas aliquas ſucci ex baccis expreſſi, neque enim maturæ erant; tuſſiit ſtatim vehementer, corpus tremuit & aliqui, ſed parvi momenti, motus convulſivi acceſſerunt. Drachmas poſtea duas hujus ſucci, eidem animali in os infudi, & antea memorati effectus erant multo fortiores, ſed poſt breve tempus reſtitutum penitus animal, nihil amplius mali paſſum eſt.

§. XIX.

Cum hujus plantæ ſucco experimentum faciendi occaſionem nactus ſum ab Anglis illis, qui eadem cancrum curaſſe, in *diario Londinenſi* ſcripſerunt. Acrem eſſe guſtus demonſtrat, an vero materiæ iſti cancroſæ abſumendæ par ſit, merito dubito, cum debiles effectus, in hoc exemplo demonſtraverit. Non licuit mihi plura de hac re capere experimenta, quæ vero adjuvante *ſummo numine* inpoſterum inſtituere certe non deſinam.

§. XX.

Capta cum *opio* experimenta, ſecundum eum ordinem recenſebo, quo a me inſtituta ſunt, & in mea diaria relata. Octo mihi omnino exſtant cum *opio in ſubſtantia*, & duo cum ejus *reſina*, *ſpiritu vini extracta*, facta.

EXPERIMENTUM XV.

D. 15. Septembris, hora nona matutina, cani, in quo ante paucos dies vim ſucci *phytolaccæ americanæ*, explorare volui, drachmam *opii crudi* integram, in pulverem contuſi, ore vi diducto & animali bene ligato, inruſi, utque eo facilius hunc pulverem deglutiret, ſatis magnam aquæ fontanæ copiam, ei ſuperinfudi. Die antecedente, drachmam integram hujus veneni eodem modo præparati, jureque carnium miſti, huic cani dedi, ob vehementem vero amaritiem recuſavit. etſi duobus diebus famem ſuſtuliſſet. Hoc veneno vix adſumto, ſpuma viſcida, a colore opii rufeſcens, ex animalis ore perpetuo manabat, totumque ejus corpus contremiſcere incepit. Uſque ad horam pomeridianam quartam ſubſequentis

 diei

(*d*) V. *Tournefort inſtitutiones rei herbariæ* p. 299.
(*e*) V. *Adriani van Royen flora Leidenſis prodromus* p. 222.

dixi, hoc in ſtatu, ſine ullis aliis memoratu dignis ſymptomatibus, præter copioſe ſemper fluentem ſpumam, tremores & leves vomendi conatus, permanſit, modoque in hoc modo in alterum latus, decubuit quietus. Pedibus, inprimis vero poſterioribus, inſiſtere nullo modo potuit, quod quidem potius torturæ, ex ligatis artubus, quam effectui veneni attribuo. Præterea ſomnolentus absque vero ſomno fuit; ut perpetuo dormire videretur, oculi tamen aperti erant. Vivum eodem die adhuc, præſente *ſumme venerando ac optimo præceptore* meo *magno Hallero*, disſecui. Motus in ventriculo & inteſtinis periſtalticus penitus deletus, eaque vacua ingeſtis erant, repleta tamen aqua flava, bile & opio tincta. Veſica urinaria lotio pleniſſima & fellea veſicula, bile itidem plena erat. In reliquis partibus vero nihil a natura alienum aderat. *Opium* irritabilitatem ac ſenſibilitatem inminuere, *venerandus præceptor* meus, in eodem animale ante ejus mortem adhuc obſervavit. Nullum enim percepit dolorem a punctura aliqua, vel a vellicatione aurium; ſpiritu nitri vel ſcalpello tactus, parum clamavit, & deletio motus periſtaltici ſuperius jam obſervata, ſatis clare, ut mihi videtur, opium irritabilitatem imminuere, oſtendit. Veſica urinaria nitri ſpiritu tacta, paululum contrahebatur & aperto abdomine conſtricta, aliquid adhuc lotii expulit. Obſervatum etiam eſt, ſed in hoc animale non ſatis bene, diaphragma œſophagum in inſpiratione conſtringere, quæ etiam *illuſtr. Halleri* ſententia eſt. *Cl. Joannes Dietericus Walstorfius*, (*f*) cranium quidem animalis aperuit, ad motum cerebri explorandum, qui nullus ab *optimo præceptore* noſtro, digito cerebro inpoſito, inveniebatur. Stilum tandem nitri ſpiritu madidum, in ſubſtantiam cerebri ipſam infixit, maximæ ſtatim ſubſecutæ ſunt convulſiones, inprimis vero opiſthotonus vehemens erat & eo vehementior, quo profundius in cerebrum & cerebellum hic ſtilus infigebatur.

EXPERIMENTUM XVII.

D. 20. Septembris in cato, valido animale, eadem cum veneni quantitate, hoc experimentum repetii, inde ſtatim pene delirus factus ac poſteriori pede mancus manſit, nulli vero alii effectus apparuerunt, præter illos in ſuperiori experimento memoratos. Ventriculo aperto, & ipſe & tenuia inteſtina, aqua flava, bile tincta repleta apparuerunt, & perinde in cane, fellea veſicula bile turgidiſſima, panis etiam & opii aliquid in ventriculo, qui nullibi inflammatus erat, repertus eſt. Motus vermiformis in ventriculo & inteſtinis aderat adhuc integer & ſano ſimilis, & motui cordis inſigniter ſuperſtes, etiamſi pectus ſerius abdomine apertum fuerit, cordis ventriculorum vero motus, illis inciſis, aliquis ſupererat.

Cor

(*f*) Vide pulcherrimam ejus diſſertationem *de motu cerebri, cerebelli, duræ matris ac venarum.* Gott. 1753.

Cor interne irritatum, ad motum revocari non potuit, vena cava vero inferior, ſpiritu nitri tacta, valde conſtringebatur, magis, ſi intus irritares, ſi extus, minus. Urinaria veſica & fellea valde etiam irritabiles erant; modoque multum, modo parum, diaphragma in reſpiratione deſcendebat & œſophagum fortius, quam in antecedente experientia, conſtringebat & in magna actione veſicæ inſtar deorſum tumentis, ſeptum transverſum turgebat. Ex præſentia motus periſtaltici credo, opium effectum ſuum nondum per breve hoc tempus exercuiſſe, quod animal ſex circiter poſt veneni adſumtionem horis jam aperueram.

EXPERIMEMTUM XVII.

D. 21. Septembris. Ranæ, hora antemeridiana undecima, *opii* grana decem, ore diducto, in ventriculum intruſi, quæ doſis eam hora veſpertina ſexta occidit. Ante ejus mortem *venerandus ac optimus præceptor* meus, varia hac occaſione, ad circulationem ſanguinis pertinentia, obſervavit; inprimis quod ſanguis venæ ſectione adhibita, magna cum celeritate iter ſuum peregerit, cor etiam ſanguine jam ſtagnante iterum per hanc, ad motum revocavit (*g*). Motus periſtalticus nullus, nec in ventriculo, nec in inteſtinis, obſervabatur, nullaque in vellicatis vel diſciſſis nervis, irritabilitas, quæ alias in hoc animalium genere, diutius quam in reliquis, ſupereſt.

EXPERIMENTUM XVIII.

D. 23. ejusdem menſis cuniculo, cui ante hos undecim dies, ſuccum *cicutæ aquaticæ* (Experim. VIII.) dederam, hora ante meridiem undecima, drachmam *opii crudi*, forma pilularum, intruſi, circa noctem animal mortuum, absque prægreſſis memoratu dignis ſymptomatibus, erat. Eo inciſo nihil præter aquam iſtam flavidam, ventriculo & inteſtinis contentam, ventriculumque crambe repletum, inveni; veſicula fellea tota hepati innata erat & vix conſpicua. *Illuſtr. ac generoſiſſimus Hallerus* varia in hujus animalis oculis obſervavit.

EXPERIMENTUM XIX.

Subſequente die, ejusdem cum priori ætatis cuniculo, pilulas ex *opio* factas, eodem modo intrudere volui, ſed in nimis magnam maſſam collectum, faucibus & œſophago fortiter adhærebat animalque ſuffocabat.

EXPE-

(*g*) Vid. Cl. *Georgii Erneſti Remi.* Diſſertatio inauguralis ſiſtens *experimenta circa circulationem ſanguinis inſtituta.* Gott. 1752.

EXPERIMENTUM XX.

D. 24. Septembris, hora ante meridiem nona, occiſo per *opium* cuniculo, in rana experimentum eodem modo inſtitui. Motus periſtalticus in initio omnino adhuc ſatis viſibilis aderat, nulla vero ex punɖuris nervorum ſenſibilitas apparuit, veſicula fellea bile flaviſſima repleta erat, quæ pallidior alias in ranis eſt. *Illuſtris ac venerandus præceptor*, experimenta ad ſanguinis circulationem pertinentia, reiteravit, eodemque cum ſucceſſu ut in priori exemplo. Incidit nempe venam, & continuo ſanguis celeriter fluxit, cor interdum quieſcebat, ſtimulatum vero ſeſe pulcherrime iterum contraxit atque dilatavit, egregieque mucro ejus in actione per lineam & ultra in altum ſurgebat. Cor absque irritatione, erat quietum, nullusque ſanguinis in meſenterio motus.

EXPERIMENTUM XXI.

D. 14. Octobris, cani mediocris quidem magnitudinis, ſed inſignis roboris, coloris nigri, *opii crudi* drachmam integram, in pillularum maſſam redactam, ſuperinfuſa copioſius aqua, deglutiendam dedi, animale fortiter prius ligato. Spuma illa, in antecedentibus experimentis ſæpius jam memorata, maxima ex ejus ore copia, perpetuo emanavit, ita viſcida, ut fila ad duos usque, & tres pedes longa, traheret; ſatis quietus erat, quando ſibi relinquebatur, quoties accederet aliquis parum autem latrabat, mordebat & animum inimicum oſtendebat. Hora decima penitus quieti traditus, clauſis fortiter oculis per integræ horæ ſpatium, quietiſſimus dormiit, ſpuma ex ore profluere & longa ejus fila propendere, continuabat, totumque ei ſemper tremebat corpus. Expergefacto hora nona, major copia ſpumæ & viſcidior aderat, ita viſcida, ut pugni magnitudine os circumdaret, qua maximis capitis motibus & quaſſatione ſeſe liberare, nullo modo potuit. Pedes magnopere imbecilles fuerunt, ut iis inſiſtere ægerrime potuerit, ſed modo in anteriores, modo in poſteriores decubuerit; etſi per viginti quatuor horas famem & ſitim ſuſtulerit, omnem tamen cibum & potum conſtanter recuſavit. Hora integra & ultra iterum elapſa, dormituriit, ſæpiſſime vero expergefactus, auribus vellicatis, omnino nullum oſtendit doloris ſignum, neque magis cum totum animal prehenderem & in altum elevarem; ſpuma copioſius ſemper ſemperque fluebat, & pedes debiliſſimi, usque ad ejus diſſectionem fuerunt. Poſt meridiem, hora ſecunda, eum tandem liberavimus ab illa tortura, & præſente *venerando ac optimo præceptore*, *magno Hallero*, cultro anatomico ſubjeci. Vermiformis motus, in tenuibus inteſtinis, nullus omnino aderat; in craſſis vero & inprimis in recto, ſatis adhuc viſibilis per longum tempus manebat. Cane jam mortuo & reſectis a meſenterio inteſtinis, & periſtalticus & antiperiſtalticus motus, admodum clare

clare adparebat. Ventriculus mera aqua, colore opii colorata, diſtentus erat, nullus ei inerat motus, nec ſcalpello irritatus, nec ſpiritu nitri fumante tactus, tunica vero ejus villoſa ſubinflammata videbatur, quod non effectui opii, ſed longo jejunio attribuendum eſſe, exiſtimo. Cl. *Walstorfius*, cranium memorato modo forcipe aperuit, ad effectum, quem opium in cerebro excitat, videndum & obſervandum, ſed exſpectationi noſtræ nequaquam hac vice reſpondit. Pulcherrime dura matre denudata, nullus unquam ejus motus, licet animal diu ſupervixerit, in reſpirando, per plus quam ſemihoram, obſervatus eſt, neque ſucceſſit, cum *illuſtr. Hallerus* animali cerebrum depreſſiſſet & a cranio liberaſſet. Dura mater, ſpiritu nitri fumante tacta, nullam irritabilitatem vel ſenſibilitatem oſtendit, etſi cutis ſenſibiliſſima adhuc fuit, vehementiſſimeque animal in ejus diſſectione clamaret (h). Reſpirationes etiam, in abdominis inciſione erant magnæ, certo doloris ſigno; ex inciſo duodeno bilis, quam ſpiritus nitri viridiſſimo colore tinxerat, magna ſatis copia, profluxit, & ſtilo, ſpiritu nitri madido, profundius in cerebrum & cerebellum infixo, diriſſimæ ſubſecutæ ſunt inde convulſiones, & totius corporis tremores. Animal hoc, quod diutiſſime aperto abdomine, thorace & cranio, immo ipſi cordi, vulnere ſatis magno inflicto, vixit, nondum omnem ab opio irritabilitatem amiſerat, ſed inciſiones cutaneas optime adhuc perſenſit, licet & motus periſtalticus & venarum & cerebri ipſius ſenſus & motus deſtructus eſſe videretur, qui tamen in aliis experimentis clariſſime adparent.

EXPERIMENTUM XXII.

D. 21. Octobris, cani moloſſo, flavo, ſcrupulos duos *opii crudi*, eodem modo & eadem forma, ante meridiem hora decima, divulſis vi faucibus, intruſi; ſomnolentus ſtatim fuit & ad quietem ſe comparavit, temulentique inſtar modo in dextrum modo in ſiniſtrum latus cadebat. Poſt horam, bis magno cum nixu aquam, in qua magna opii quantitas jam diſſoluta erat, evomuit, quod nondum in ſuperioribus meis, cum opio inſtitutis experimentis, accidit. Spumoſa illa materia, in omnibus antecedentibus meis experimentis memorata, poſt hos vomitus primum ex animalis ore manare cœpit, quæ inter vomendum non adparuit, licet in aliis experimentis, opio vix deglutito ſtatim adfuerit; cætera ſymptomata cum jam memoratis analoga fuerunt. Irritabilitatem ab opio ſatis inminutam fuiſſe, obſervatum eſt, nullum enim doloris ſignum hoc animal, vel ab aurium vellicatione vel a punctura cutis oſtendit, & immobile

(*h*) Cl. *Joannis Georgii Zimmermann* Diſſertatio pulcherrima, de *irritabilitate*, Gottingæ 1751. propoſita.

bile ſemper permanſit. Nullam etiam iridi irritabilem vim ineſſe, ſequens nos experientia edocuit: admovimus nempe oculo quam proxime candelam, ſed nulla inde ſubſecuta eſt iridis contractio, neque ulla dilatatio; candela rurſus remota, & manu umbra oppoſita, quod etiam accidit admoto oculis cultro peracuto. Hoc in ſtatu per totam hanc diem usque ad ſubſequentis poſt meridianum tempus canis inmutatus fuit, cataleptici inſtar inmobilis, ſine ulla ſenſatione, etiamſi funibus vapularet. Hora ſecunda alterius diei, totum corpus convulſive tremuit, veræ tamen convulſiones non erant, ſonusque aliquis in ventriculo & inteſtinis, ut murmur aliquod a nimia adſumta aqua, auditu percipiebatur, certo præſentiæ motus periſtaltici ſigno, quem plane jam deſtructum fuiſſe, ideo conjiciebamus, quod abdomini, inpoſita manus, nullum obſervaret. Hoc toto tempore nec alvum depoſuit nec lotium. Tertio vero poſt venenum adſumtum die vegetior erat, oblatumque cibum avide devoravit, valde tamen adhuc quietus & pedes etiam inbecilles fuerunt usque ad diem ſubſequentem, atque ita convaluit.

EXPERIMENTVM XXIII.

Recuperata rurſus ſanitate, eidem cani, quinto poſt priorem veneni adſumtionem die, drachmas duas *opii crudi*, eodem modo ut ſuperius, intruſi. Spuma illa nunquam non obſervata, magna copia ſtatim aderat, ſed emanare non potuit ligato animalis ore, ut miſerrime eam deglutire cogeretur. Cæterum eadem ſemper ſymptomata paſſus eſt, a majori opii quantitate parum fortiora, nec magis dormiit, ſed ſtupidus, inmobilis & irritabilitate deſtitutus, ad diem usque tertium absque ullo cibo vel potu, ita etiam absque fæcum alvinarum & urinæ excretione permanſit. Experimentum cum iridis ſenſibilitate, in præſentia *optimi præceptoris*, eodem modo, ut ſuperius repetii, & penitus eundem eventum expertus ſum. Poſt meridiem tertii, ab adſumto opio, diei, vivo cani abdomen aperui, cutis ſine ullo doloris ſigno diſſecta eſt, & motus in ventriculo ac inteſtinis vermiformis omnino nullus adparuit. Ventriculus & inteſtina repletiſſima flava bile & ſpumoſa aqua fuerunt, fellea veſicula & urinaria veſica itidem valde diſtentæ. Fœtidiſſimam animam ſpirabat hoc animal, ex acrimonia humorum a longo iſto jejunio, ſine dubio ortam. Strangulavimus tandem miſerum canem, & quidem in inſpiratione, & aqua ſubmerſo, ſiniſtrum thoracis latus aperuimus ſcalpello obtuſo, quod acutum non eſſe oportet, ne pulmones ipſi vulnerentur. Verum nulla omnino aeris bulla ab *ill. & venerando præceptore*, aliisque multis circumſtantibus conmilitonibus, obſervata eſt. Aeri poſtea iterum expoſitum animal, rurſuſque inmerſum, multæ aeris bullæ adparuerunt. Dextrum deinde latus etiam eodem modo & eodem cum effectu apertum eſt. Alibi ab *illuſtri præceptore, magno Hallero,* abunde demonſtratum eſt, nullum inter pulmo-

pulmones & pleuram eſſe aerem, & ſæpius reiterata experientia adſerti hujus veritatem, ſatis ut credo, oſtendit. Oportet itaque fallaciam in experimentis, quæ a *celeberrimo Hambergero* & ejus adſeclis, hac de re inſtituta ſunt, fuiſſe, unde error iſte natus ſit, aerem nempe in cavitate thoracis inter pulmones & pleuram adeſſe. Facillime etiam aliquis committi poteſt, ſi pulmoni ipſi leviſſimum vulnuſculum infligatur, ex quo aer in pulmonum cellulas contentus, exit; memorabile etiam eſt ex pilis ipſis multas aeris bullas adſcendere.

EXPERIMENTVM XXIV.

Cani, mediocris magnitudinis, *reſinam opii*, *ſpiritu vini extractam*, duarum drachmarum pondere, hora ante meridiem nona, divulſis vi faucibus, intruſi. Vix opio deglutito, conſueta illa ſpuma, ſed albidior, quam in experimentis cum opio crudo factis, ex ejus ore, inſigni quantitate profluxit. Poſt horæ dimidium mortui ſimilis dormitabat, valde vero anxius & inquietus fuit, caputque ſæpius ſuccuſſit. Irritabilitas, pedibus vellicatis, omnino ſatis manifeſta aderat, nervoque crurali irritato, valde clamavit animal; alvum dormituriens depoſuit naturali ſimilem, debiliſſimum erat, ut nullo modo incedere & pedibus inſiſtere potuerit, & erectum ſubito iterum in terram proſtratus fuerit. Duobus poſt adſumtum opium horis elapſis, irritatus ac inſtrumentis vehementiſſime vellicatus canis, nullum omnino doloris ſignum oſtendit, & firmiſſime dormiens, caput pedibus nonnunquam vellicavit. Hora prima pomeridiana multo alacrior videbatur, & irritatus clamavit ac latravit, ſed parum tantum & ſubmiſſa voce. Hora tandem ſecunda, abdomen aperui, nullumque doloris ſignum, diſſectis muſculis & cute, edidit, motus ventriculi & inteſtinorum vermiformis, etiam penitus deletus erat, nervo vero vellicato vehementer doluit animal, & diaphragma, nervo diaphragmatico irritato, ſeſe convulſive conſtrinxit, ſub loco compreſſionis; minime vero motum eſt, ſi ſupra eam ſedem irritares. Diaphragma omnino videbatur œſophagum conſtringere, dum carnes eum tranſmittentes, tument, ſæpiusque adhuc, thorace aperto, canis diaphragma agitavit. Venam cavam abdominalem manifeſto in inſpirando detumeſcere & palleſcere, ideoque vacuam evadere, in exſpirando vero iterum intumeſcere & plenam fieri, Cl. *Walstorſius* mecum obſervavit. Ventriculus aqua flava, ſubnigra repletus erat, non vero inflammatus, inteſtina bile plena, uti ſemper in animalibus opio interemtis, nullum vero in his viſceribus inflammationis ſignum adparuit. Tota extracti hujus maſſa, vix ejus quantitate inminuta, aderat in duodeno inteſtino.

EXPERIMENTUM XXV.

Die ſubſequente, qui primus menſis Decembris erat, alii, ejusdem magnitudinis & roboris, cani, drachmas fere tres hujus *extracti reſinoſi opii*, ante meridiem hora decima, eodem modo, intruſi. Vehementer ſtatim inquietus & vomitibus, qui vehementiſſimi aderant valde cruciabatur, dum ore ligato nihil evomere potuit, indeque ſubortæ ſunt diriſſimæ convulſiones & totius corporis motus convulſivi, ſæpe etiam alvum anxius depoſuit. Symptomata cæterum reliqua, eadem erant, ut in antecedentibus experimentis jam a me deſcripta ſunt, & animal elapſis nonnullis diebus priſtinam ſanitatem recuperavit. Deinde, ab *illuſtri & venerando præceptore* meo, *magno Hallero*, experimenta quædam, de reſpirationis mechaniſmo & inprimis de actione muſculorum intercoſtalium internorum, in eodem animale inſtituta ſunt, quæ circumſtantibus omnibus abunde de veritate adſertorum, *optimi noſtri præceptoris*, convicerunt. Obſervatum nempe eſt, muſculis intercoſtalibus externis, quatuor ſuperiorum intervallorum penitus deſtructis, ita ut actio internorum clariſſima adpareret, hos in inſpiratione valde intumeſcere, & diſtantias coſtarum a ſe invicem inminuere, ita ut earum angulus denique rectus factus ſit; in exſpiratione vero, muſculi intercoſtales interni, rurſus tenſi, longique facti ſunt, & diſtantiæ coſtarum maximæ, earumque anguli cum ſterno acutiſſimi redditi ſunt. Unius lateris thorax, deinde & alterius a *venerando ac optimo præceptore* meo perforatus fuerat, ad reſpirationem fortiorem reddendam, & mediaſtinum, bullæ ſimile, primo per unum, deinde per alterum thoracem prorupit. Diu hoc in ſtatu, thorace aperto animal vixit, & per horæ integræ ſpatium fere, hanc intercoſtalium muſculorum internorum actionem, optime contemplati ſumus.

§. XXI.

Enarratis nunc meis cum opio factis experimentis, exceptis iis, quæ per injectionem in vena jugulari viventis animalis, inſtitui, ſubjungam breve de opii viribus ratiocinium. Brevior ero in hac enarratione, cum multi, & inter hos *celeberrimi viri*, jam ſatis hanc materiam exhauſerint, doctiſſimeque deſcripſerint. Opium, ſuccum ſponte ex capitibus inciſis, *papaveris foliis ſimplicibus glabris*, *illuſtr. Halleri* (*i*) exſtillantem, & a ſolis calore condenſatum, eſſe, omnibus notiſſimum eſt. *Venerandus ac optimus præceptor* meus (*k*) etiam hic Gottingæ, ex capitibus hujus papaveris ſpeciei, extractum vinoſum ſe paraſſe, quod opio vero nihilo debilius fuit, adfirmat. Succus etiam, qui in hac ſpecie amariſſimus

(*i*) Vid. Enum. Stirp. Helv. p. 303.
(*k*) l. c.

ſimus eſt, & odor, qui ſtatim caput feriat, vim valde narcoticam ineſſe, ſatis demonſtrat. Differt itaque hæc noſtra ſpecies papaveris, non aliter ab illa Aſiatica, ex qua Turcæ inprimis, opium conficiunt, niſi quod illius Aſiatici opii ſuccus, a nimio ſolis ardore, magis condenſatus & ab aquoſis particulis liberior, ideoque multo fortior ſit. In minori doſi datum opium, ex optimis certe medicamentis eſſe, itidem omnibus notum eſt, in majori copia vero datum, inconſuetis mortem inferre, quotidiana experientia docet. Symptomata, quæ producit in humano corpore, præcipua ſunt: quod primo loco lætitiam efficiat, ſanguinis circulationem accelerando, & hæc ratio eſſe videtur, cur Turcæ eo delectentur, ad melancholiam & perpetuam triſtitiam profligandam, quæ illis propria eſt, quare huic voluptati adeo adſueſcunt, ut pereant, ſi illis uſus opii negetur. Ejusmodi exemplum apud *Bellonium* lectu dignum exſtat; amiſerat, miles Turca opium, unde adeo animo conſternatus eſt, ut a *Bellonio* vehementiſſimis precibus opium efflagitaret. Dedit noſter peregrinator drachmam & dimidiam militi, eam tantam doſin ſtatim maxima cum voluptate & ſine noxa devoravit. Facit deinde ſomnum, qui initio ſatis blandus eſt, mox vero turbulentus fit, ſi tandem nimia fuerit adſumti opii copia, absque ullo dolore & incommodo hominem æterno ſomno tradit. Deſtruit nempe opium motum ſpirituum, omnemque irritabilitatem, nec non periſtalticum ventriculi & inteſtinorum motum. Alius etiam adhuc opii effectus eſt, quod lentam faciat mortem, ſi quis quotidie jejuno corpore, magnam, non vero tantam opii quantitatem adſumat ut moriatur; ita enim ſenſim fatuus fit, & mens cum corpore perire videtur, & æger infantis inſtar, repueraſcit. Sufficiens ad occidendum copia rite determinari non poteſt, dantur enim homines, quibus drachmæ duæ non nocent, cum e contrario nonnunquam grana decem ad hominem occidendum, ſufficiant; ſecundum conſuetudinem & naturæ diverſitatem enim variat opii effectus. *Illuſtr. ac venerandus præceptor* in prælectionibus ſuis, caſum notatu dignum virginis, quæ incauta grana decem, opii adſumſerat, ſæpius narravit. Incidit illa in ſomnum quadraginta octo horarum ſpatio durantem, tandem mechanice ad vomitum irritata, iterum reſuſcitata eſt, &, cum morti proxima eſſet, tamen ſervata eſt. Animalium natura, quæ omnino noſtra multo fortior eſt, longe etiam majorem venenorum copiam ſuperare poteſt, ut ex meis memoratis experimentis ſatis adparuit. Sed ſuperfluum eſſe credo, prolixius hic ſermonem de opio facere, cum ab omni tempore elegantiſſimi libri hac de re ſcripti ſint. Inprimis vero legi meretur *celeberrimus Anglus*, *Richardus Mead*, qui peculiari tentamine de opio & ejus effectibus (*l*), fuſiſſime egit. Exſtant etiam varia notatu digna in *obſervationibus medicis ſocietatis regiæ ſcientiarum Edinburgenſis*, & in *philoſophicis transactionibus*.

(*l*) V. Mechanical Account of Poiſons. Lond. 1747. p. 241. ſeqq.

SECTIO SECUNDA

De venenis nonnullis Mineralibus.

§. XXII.

Venena ex regno minerali ut plurimum, plantis venenatis multo fortiora eſſe, & minori copia ingeſta vel exterius adplicata, corpus noſtrum deſtruere, ſuperius jam (§. II.) a me obſervatum eſt. Videtur ratio, cur corpori noſtro ita, & parva doſi adſumta, inimica ſint, pendere a magno illorum pondere ſpecifico & a partium ſoliditate, quae villoſae ventriculi tunicae adhaerent, hanc erodunt, ventriculi nervos vellicant, indeque pariunt convulſiones & tandem mortem ipſam inducunt. Vehementiſſimum omnium mineralium venenorum ſine dubio, *mercurius ſublimatus corroſivus* eſt, quo cum nonnulla inſtitui experimenta ſequentia.

§. XXIII.

EXPERIMENTUM XXVI.

D. 3. Septembris 1751. feli vetulae ſcrupulum unum *mercurii ſublimati corroſivi*, cum lacte, ad ejus deglutitionem promovendam, dedi. Nondum hoc venenum deglutierat animal, cum multum ſpumoſae materiae ex ejus ore profluxit, absque ullo motu ventriculi. Non multo poſt in latus decubuit, & quinque horae minutis primis vix elapſis poſt veneni adſumtionem, mortuum jam erat animal, ſine ullis praegreſſis convulſionibus & aliis ſymptomatibus, niſi quod pedes parumper adtraheret, caputque concuteret. Statim diſſecui mortuam felem, & oeſophagum ita conſtrictum, ut nulla fere ſuperfuerit cavitas, inveni; nullo modo tamen inflammatus adparuit, licet tota veneni quantitas illi adhuc ineſſet. Ventriculus non adeo, ut oeſophagus conſtrictus fuit, & multo laxior verſus pylorum, circa ejus fundum etiam ſatis viſibilis cavitas ſuperfuit; repletum autem reperi mera aqua & nonnullis devorati veneni ſpiculis. Villoſa ventriculi tunica ubivis quidem inflammata, in fundo fortior tamen adparuit; inflammatio haec nihilominus non ita vehemens fuit, ut in ea fele, quae ſcrupulum arſenici albi, adſumſerat. Motus periſtalticus validior, quam facile vidiſſem, ſurſum deorſumque adfuit, flatusque vel ſurſum vel deorſum inpulſus, modo longitudinales fibrae, modo tranſverſales conſtrictae, adparuerunt. In inteſtinis nihil caeterum praeternaturale repertum eſt. In tuba etiam motus vermiformis ſatis manifeſtus fuit, ovarium vero cum ovis Grafianis minimum adparuit.

Aſpera

Aſpera arteria usque ad ſuam diviſionem, eadem ſpuma, qua ventriculus, repleta erat, pulmonesque pulcherrime rubri & aere pleniſſimi, veſica urinaria diſtentiſſima. In hepate, corde, aliisque viſceribus nihil, quod a ſtatu naturali alienum foret, offendebatur. Alcohole irritata inteſtina ſeſe contraxerunt; ventriculus vero parum tantum ea vi valuit; in pleniſſima veſica urinaria motus ejus conſtrictorius adparuit, cum nitri ſpiritu irritaretur. Fellea veſicula & vena iliaca, eodem ſpiritu tacta, irritabiles fuerunt, arteria vero iliaca neutiquam. Cordis ventriculi etiam adhuc palpitabant, & ad fortiorem motum, ſcalpello vel veneno irritati, reſuſcitati ſunt, ſanguisque corde contentus, niger & coactus fuit.

EXPERIMENTUM XXVII.

D. 3. Octobris, cani, qui neque ſucco ex foliis cicutæ aquaticæ, neque illo ex radice ſola expreſſo, neque radice ipſa, neque tandem ſucco hyoſciami, interimi potuit, bolos aliquos carnis, in quibus *mercurii ſublimati corroſivi* grana decem abſcondita erant, ad devorandum dedi, quos etiam libentiſſime adſumſit; ſtatim evomuit hanc carnem, & mox iterum egeſta omnia, devoravit. Decem minutis primis horæ vix elapſis, vehementer inquietus ejulavit, & ob maximam procul dubio anxietatem, ſæpius in gyrum inceſſit, adque ſitim forte exſtinguendam, extremitates pedum linxit. Poſt horæ dimidium ter devoratam carnem, & multam ſpumoſam materiam, vehementiſſimis cum conatubus evomuit. Per breve tempus dormiendi illi animus fuit, ſeque quieti tradidit; verum hæc quies, aliquot tantum minuta perdurans, vehementiſſimis vomendi conatubus mox interrupta eſt, quibus tamen nihil, præter parum ſpumæ egerere ex ventriculo potuit. Subſequente nocte, ceſſantibus his vomitibus, altero die vegetus & ſanus hic canis fuit. Ex hoc experimento, adparebit, venenum hoc, carne abſconditum, non potuiſſe effectum ſuum, ſatis manifeſte exercere, quia villis ventriculi non inhæſit, & animal iteratis vomitibus ſe eo liberavit.

EXPERIMENTUM XXVIII.

Tandem huic cani, qui diutiſſime inter beſtias venena toleravit, d. 4. Octobris, poſt meridiem hora prima vix audita, grana circiter quindecim, *mercurii ſublimati corroſivi*, ſuperinfuſa copioſe aqua fontana, intruſi. Adfuerunt ſtatim magni ad vomitum conatus, nihil omnino vero præter meram aquam ſubſpumoſam eructare potuit, quod mirum non eſt, quia per aliquot jam dies nihil cibi adſumſit. Inceſſit ſæpius in circulum, mox poſterioribus pedibus iterum inſedit, ſubito rurſus ſubſiliit & valde ejulavit. Obſervatis his per horam integram & ultra, hoc animal cultro anatomico ſubjeci, inprimis ad actionem ventriculi in vomendi conatubus

tubus, qui ſemper vehementes fuerunt, obſervandam. Sed nequaquam hac vice noſtræ exſpectationi reſpondit, licet animali jam ligato, granum adhuc hujus veneni intruſiſſem; & videtur maxima vis in vomitu, muſculis abdominalibus, ventriculum fortiter prementibus, ineſſe, quæ iis diſſectis plane ceſſat. Os totum inflammatum & rubrum, immo nonnullis locis lividum adparuit; œſophagus nec inflammatus, nec conſtrictus, ut in fele, hoc veneno interemta, fuit, ventriculus vero, inprimis ejus orificium ſuperius, valde inflammatum, nigrum & gangrænoſum. Villoſa tunica partim rubra, partim ſublivida adparuit, & ubivis veneni adſumti ſpiculis repleta, in inteſtinis vero nullum, nec leviſſimæ eroſionis vel inflammationis ſignum. Motus in ventriculo & inteſtinis vermiformis penitus deletus erat, ſpiritu vero nitri fumante irritatæ hæ partes ad motum reſuſcitatæ ſunt. Effracto cranio, in hoc animali, motus cerebri pulchre adparuit, & pulchrior adhuc fuit, dura matre digito depreſſa & a cranio liberata, pulſus etiam arteriarum duræ matris, per apertum cranium optime obſervatus eſt. Thoracem tandem aperui, & motum cordis per longum temporis ſpatium contemplatus ſum, diutiſſime enim hæc beſtia vixit, & thorace aperto, diſciſſis coſtis, perforato cranio, & inciſo ſinu falciformi duræ matris, ex quo magna ſanguinis quantitas ſine pulſatione effluxit, reſpirationis officio perfuncta eſt. Modice ſtimulato vel nitri ſpiritu uſto cortice cerebri & dura matre, nullæ ſubortæ ſunt convulſiones, ſtilo vero, eodem veneno inbuto, profundius paulum in cerebrum & cerebellum infixo, opiſtotonus vehementisſimus fuit. Cor denique ſcalpello incidi, quod per aliquot horæ minuta prima adhuc palpitavit.

EXPERIMENTUM XXIX.

D. 19. Octobris cuniculo mari vetulo, ſatis grandi, *mercurii ſublimati corroſivi*, in pulverem redacti, grana decem magna cum aquæ fontanæ copia infudi. Periit hoc animal, vix veneno deglutito, cum paulo ante mortem meram aquam evomuiſſet. Abdomine ſtatim aperto, motus periſtalticus & antiperiſtalticus, & in inteſtinis tenuibus & in craſſis valde pulcher adparuit, & nunquam ita fortem & per tam longum tempus durantem, obſervavi. In ventriculo vero omnino nullus adfuit, ſi quietus relinqueretur, ſi vero eum digito vellicares, ſatis contractilis & irritabilis fuit; veſica urinaria, quæ diſtenta valde fuit, etiam facile irritabilis adparuit, non vero perinde veſicula fellea. Cordis motus plus quam dimidia poſt mortem hora adfuit, & longe motui inteſtinorum vermiformi ſuperſtes. Ventriculum cum œſophago inde aperui, qui devorata braſſica repletus erat, orificium & ſuperius & inferius ventriculi valde conſtrictum, nullum vero in toto ventriculo inflammationis vel eroſionis ſignum adparuit. Quod etiam adeſſe non potuit, quia ventriculus

culus ita braſſica diſtentus fuit, ut venenum illius membranas attingere non potuerit, ſed ſtatim ſe cum contentis his miſcuerit. Oeſophagum etiam valde conſtrictum inveni, non tam vehementer tamen, ut in ſuperiori, cum feli inſtituto, experimento. Inteſtina cæterum penitus naturalem ſtatum oſtenderunt, nihilque veneni, neque in illis, neque in ventriculo, neque in œſophago repertum eſt, videturque igitur, id venenum, copioſa infuſa aqua, ſolutum fuiſſe, & vim ſuam ſtatim in nervos exercuiſſe, quod etiam ſubitaneam iſtam mortem ſuadere, credo. In magno illo, ſuperius jam obſervato motu vermiformi inteſtinorum, ab *Illuſtr. & Venerando Præceptore* noſtro, invaginationis principium & cauſa diriſſimi illius morbi, qui volvolus vocatus, obſervata eſt; quæ fit a particula inteſtini gracileſcente in aliam vicinam craſſiorem recepta; facillime vero, motu periſtaltico aucto, ſe iterum expedit intro-ſuſcepta inteſtini pars, morbuſque tum ſtatim penitus evaneſcit.

§. XXIV.

Subitanea mors, quam *mercurius* iſte *ſublimatus corroſivus*, parva etiam doſi ingeſtus, corpori animalium infert, ſatis clare ut ut mihi videtur, oſtendit, illum effectum ſuum in nervos potiſſimum exſerere, motum fluidi in illis contenti retardando & ſiſtendo. Vulnerant nempe & lacerant ſpicula iſta ſalina teneras ventriculi membranas, earum mucum naturalem deradunt, irritantque adeo liquidum nervoſum; inde oriuntur diræ illæ convulſiones & vomitus; diſcindunt & pungunt vaſa, quo facto, omnium circumjacentium partium inflammationes producuntur, ſanguineque ſtagnante, extravaſatio illius & denique gangræna ſuboritur. Adgnoſcitur vero ſtatim adſumtum hoc venenum, ſapore ſumme corroſivo, qui in ore percipitur, & in faucibus & ventriculo, prunarum candentium inſtar, vehementiſſime urit, ſuccedentibus enormibus torminibus cum totius ventriculi maxima diſtenſione. Diſtenditur enim ille ad crepaturam uſque, quod ab aëre in eo contento fit, qui, conſtrictis a veneni irritatione orificiis ejus, nullibi exire poteſt. Non facile ſervari poteſt homo, qui ejuſmodi venenum comedit, niſi ſtatim ab initio iteratis vomitibus ſe ab hoc veneno liberet. Tale exemplum exſtat apud *Celeberrimum Sydenhamum* (*m*), in quo famulus pharmacopolæ, vitæ pertæſus, mercurium ſublimatum devoravit, & hoc modo ſanatus eſt, adjectis balneis, fomentis, clyſmatibus, aliiſque demulcentibus. Plura de hoc veneni genere, & experimentis etiam comprobata, apud *Cel. Richardum Mead* (*n*) exſtant. Multa etiam lectu digna

(*m*) Vid. *Hermanni Boerhaave Prælectiones Academicæ.* Tom. VI. Gotting. 1744. N°. 1029. p. 380.
(*n*) Libro citato p. 187. ſeqq.

digna experimenta habet cum hoc veneno inſtituta, *incomparabilis plane vir*, *Joannes Jacobus Wepferus* (o), elegantiſſime & fideliter deſcripta; aliique egregii & antiquitatis & noſtri ævi Auctores.

§. XXV.

EXPERIMENTUM XXX.

D. 11 Septembris, illa felis, cui antecedente die lactis ex decerptis foliis *Tithymali Cypariſſiæ* (exper. 7.) ſponte exſtillantis, infuderam, hora poſt meridiem prima & dimidia, ſcrupulum *arſenici crudi albi*, devorare coacta eſt, quod alicui copiæ lactis vaccini inmiſtum erat, ad venenum tantum facilius deglutiendum. Statim clauſis firmiſſime oculis, horribili cum vagitu, totum corpus tremuit & convulſum eſt, ſummoque cum nixu e ventriculo aquam mere ſpumoſam egeſſit. Dimidia elapſa hora, aquam ſubſpumeam, iterum ut prius, maximo cum clamore evomuit, ac ſæpiſſime præ magna ſiti pedum extremitates linxit. Hora tertia iterum ut antea vomuit, egeſſitque aliquam, ſed parvam tamen veneni quantitatem, cum majori aquæ meræ copia. Ter adhuc eodem modo vomuit, majoribus ſemper cum conatubus & vehementiſſima totius corporis concuſſione, immo motubus nonnullis convulſivis, ejulatu & vehementi anxietate conjunctis. Ad motum, quem ventriculus in vomitu facit, obſervandum, vivum deinde, in præſentia *Venerandi ac optimi Præceptoris*, *Magni Halleri*, diſſecui animal. Sed abdomine aperto non amplius vomuit, etſi ventriculus valde contraheretur, & motus periſtalticus & in ſtomacho & in inteſtinis ſatis manifeſtus adparuerit, qui per horæ integræ ſpatium, perduravit. Circa pylorum ventriculus valde inflammatus adparuit, nullum vero veneni adſumti veſtigium inventum eſt, etſi in inteſtinis tenuibus, inprimis vero in duodeno, ſatis multa ſpicula arſenici adeſſent, quæ id inteſtinum non nihil inflammaverant. Ventriculo & inteſtinorum initio multum ſpumoſæ aquæ, bile flavo colore tinctæ, inerat, hepar vero, lien & reliqua viſcera ſaniſſima reperta ſunt. Rugæ ventriculi admodum pulchræ, in harum interſtitiis ſanguinis grumuli coagulati obſervati ſunt.

EXPERIMENTUM XXXI.

D. 13 Octobris cani, hora poſt meridiem prima, ſcrupulos duos, *arſenici crudi*, in carne abſconditi, dedi, quod ferculum avidiſſime devoravit. Poſt dimidiam horam, deglutito veneno, fruſtula aliqua ſicci panis ei exhibui, quæ vero vix deglutire potuit; devoratis tamen illis,

(o) Libro citato p. 373. ſeqq.

lis, vehementer cum totius corporis tremore tuſſiit, poſteaque ſatis quietus per breve tempus permanſit. Bis deinde maximo nixu vomituriit, nihil tamen evomere potuit, præter fruſtula aliqua panis, & quidem ſecunda tantum vice. Inceſſit interdum in gyrum, corpuſque parietibus adlilit, atque caput ſæpius concuſſit, ſine ullo tamen convulſivo motu. Liberavi denique animal ab hac tortura & anxietate & vivum diſſecui. Cranium primo loco apertum eſt ad obſervationes de cerebri motu, ſæpius jam inſtitutas, reiterandas, pulſaverunt aliquamdiu arteriæ duræ matris, cerebrum vero penitus quievit. Depreſſa vero a cranio dura matre cum aliqua crepitatione, animal, a veneno valde jam debilitatum, mortuum eſt. Abdomine aperto, ventriculum inprimis interne accurate contemplatus ſum, qui totus ruber fuit ab inflammatione, quæ a veneno producta fuit. Valde aëre elaſtico diſtentus erat, & carnem, in qua arſenicum abſconditum fuit, penitus immutatam reperi. Reperiebatur etiam inter ventriculi villos magna arſenici copia, extravaſato & in grumos collecto ſanguine circumdata. Oeſophagus & inteſtina penitus ſana fuerunt, & motus periſtalticus in iſtis validiſſimus, & ſponte & mechanice aut chemice irritata, ita ut breviora & anguſtiora fierent. Per medium diſſectum inteſtinum, adfluxit alba flaveſcens materies, quam modo expulit motus vermiformis, modo iterum reſorpſit, & ſpiritu nitri tacta villoſa tunica parum ſe conſtrinxit. Urinaria veſica valde magna & lotio pleniſſima fuit, quam vivus nullo modo exonerare potuit; veſicula fellea itidem bile turgidiſſima adparuit. Conſtricta etiam fuerunt ventriculi orificia, & ductus choledochus parvam tantum oſtendit cavitatem, ex qua nihil fere bilis exprimi potuit; ventriculi etiam contenta nulla bile tincta fuerunt, certo ſigno fellis adfluxum, ductuum conſtrictione inpeditum fuiſſe.

§. XXVI.

Ob analogiam *cadmiæ nativæ* vel *cobalti*, cum *arſenico crudo*, cujus minera eſt, mea ſtatim cum hoc ipſo inſtituta experimenta, hic ſubjungam.

EXPERIMENTUM XXXII.

D. 9 Octobris hora poſt meridiem prima, felem ſex circiter menſium, ſcrupulum integrum *cadmiæ nativæ*, devorare coegi. Hora vix elapſa, heſterna ingeſta & poſt horam dimidiam iterum ut prius, maximo cum conatu, totiuſque abdominis vehementiſſima conſtrictione, vomuit, multumque devorati veneni ſimul ventriculo egeſſit. Aliquoties eodem modo, vehementioribus tamen ſemper cum conatubus, vomitum repetiit. Vivam tandem diſſecui, nullam vero mutationem, neque

in ventriculo, neque in inteſtinis, neque tandem in aliis partibus, aliquid notatu dignum, reperi; videtur igitur, hoc animal iteratis vomitibus ſeſe a nociva cobalti vi penitus liberaſſe. Experimentum de cerebri motu a *Cel. Walſtorſio*, præſente *Ill. ac Generoſiſſimo Hallero*, in eodem animali repetitum eſt, nullum vero omnino motum ineſſe, invenit, ſi pericranium cum dura matre firmum permaneat, ſatis vero conſpicuus hic motus adparuit, quoties dura mater a pericranio, digito divulſa fuerat. Obſervatum etiam eſt, in inſpiratione cerebrum a cranio diſcedere, in exſpiratione vero rurſus ad id accedere; confundenda tamen non eſt pulſatio arteriarum duræ matris, cum motu cerebri ipſius, quod facillime fieri poteſt.

EXPERIMENTUM XXXIII.

D. 20 Octobris, hora decima ante meridiem exaudita, mediocris magnitudinis cani, *cobalti*, bene in pulverem contuſi, ſcrupulos duos, ſuperinfuſa multa aqua, intruſi. Poſt dimidiæ horæ ſpatium, varia ingeſta binis vicibus, magno cum conatu evomuit, horaque undecima iterum eodem modo, ſed meram tantum aquam vomuit. Hac ratione aliquoties adhuc vomitum repetiit, & paulo poſt panem, avidiſſime & ſumma cum voluptate devoravit, atque altero die æque ſanum ac vegetum fuit animal, acſi nullum venenum accepiſſet.

EXPERIMENTUM XXXIV.

Subſequente itaque die, hora decima, majorem huic cani doſin, ſcrupulos nempe quatuor *cobalti* vel *cadmiæ nativæ*, eodem modo ut in heſterna experientia, dedi. Evomuit ſæpius, hora integra nondum elapſa, devoratum heri panem, cum aliis cibis, a veneno colore nigro tinctis, eo tamen diſcrimine, ut ultimis vomitibus, nil niſi meram aquam, cinericii coloris egeſſerit; hora vero poſt meridiem ſecunda elapſa, meram ſpumoſam flaveſcentem aquam, cum nonnullis cobalti ſpiculis eructavit. Hos vomitus quinquies vel ſexies eodem die, maxima cum anxietate totiuſque corporis tremore, hoc animal continuavit; circa veſperam vero quietius factum & per ſubſequentem noctem penitus hi vomitus ceſſaverunt alteroque die ad priſtinam ſanitatem rediit, ac ita vegetum fuit, acſi nullum unquam deleterium medicamentum accepiſſet.

EXPERIMENTUM XXXV.

Die tandem 23 menſis Octobris, hora undecima ante meridiem audita, huic cani *cobalti* drachmas duas, eodem modo ut in ſuperioribus ex-

experimentis, parati, divulſis faucibus, intruſi; os animalis vero firmiſſime ligavi, ne venenum ſtatim rurſus evomeret, ejuſque vim, ſæpius iteratis vomitibus, penitus inertem vel ſaltem valde debilem redderet; quam cautelam & in omnibus meis ſequentibus experimentis & in multis antecedentium ſemper obſervavi. Devoraverat canis vix hanc veneni doſin, cum vehementiſſimis vomendi conatubus, magna cum anxietate & totius corporis motu convulſivo conjunctis, cruciaretur. Paulo poſt ſuperaccedebant ipſi vomitus, diriſſime convellebatur animal, cum ore ligato, egeſta iterum deglutire cogeretur; valde debile fuit & pedibus neutiquam inſiſtere potuit. Hoc in ſtatu uſque ad horam ſecundam pomeridianam permanſit, tunc temporis a tortura liberavi canem & ligaturas pedum oriſque diſſolvi. His diſſolutis vinculis tranquillior fuit canis, ſed ita debilis, ut, cum incedere vellet, ſtatim iterum in terram procideret. Tremebat vehementius totum corpus, quod vero magis ligaturæ, quam veneni actioni tribuendum eſſe, mihi videtur. Abdominis muſculi ſæpiſſime ſeſe adhuc convulſivum in modum, ut in vomitu fieri ſolet, contraxerunt, ſed omnino nihil, ob magnam debilitatem ventriculi totiuſque corporis evomere potuit; dimidia vero iterum elapſa hora, meram aquam, ab adſumti veneni colore, nigerrimam, maximo cum nixu & motu corporis convulſivo, egeſſit, quaterque alvum ſatis fluidam depoſuit. Circa horam tandem tertiam poſt meridiem animal, abſque ullis aliis prægreſſis notatu dignis ſymptomatibus, mortuum eſt. Aperui ſtatim abdomen, ubi motus periſtalticus & antiperiſtalticus in inteſtinis pulcherrimus adparuit, in ventriculo vero omnino nullus, nihilque in reliquis viſceribus, quod a natura alienum foret, offendebatur. Conſpecto intus ventriculo, hic vehementiſſime inflammatus viſus eſt, & ita pulchre ruber, acſi omnia ejus vaſa cera rubra optime repleta eſſent; fuit etiam nonnullis locis ſublividus, conſtrictus & penitus vacuus. Totus inteſtinorum tractus ab inflammatione ruber intus adparuit, eo rubriora vero fuerunt inteſtina, quo ventriculo propiora, eoque debilior inflammatio, quo ab illo remotiora eſſent.

§. XXVII.

Inter omnes *arſenici* ſpecies, illa quæ *alba cryſtallina* vocatur, vehementiſſimum venenum præbet & inprimis in uſum adhiberi ſolet. Eo magis hoc venenum deteſtabile eſt, quod a ſaccharo haud facile diſtingui poteſt, omniſque ſaporis expers cum hoc miſtum, propinari ſolet, ac ita corpori noſtro ingeſtum, illud ſubito deſtruit, niſi ſtatim ab initio iteratis vomitibus ſuccurratur. Modus agendi manifeſto idem eſt, qui mercurio ſublimato corroſivo, cum quo ſtructura etiam ſua arſenicum hoc album valde convenit, eo tantum diſcrimine, quod mercurius

vivus ſublimatus multo citius vires ſuas in corpore noſtro exerceat, mortemque inferat, quam hæc veneni ſpecies, de qua hic nunc ſermo eſt. Præcipua, quæ in animalium corporibus, excitat ſymptomata, conſiſtunt inprimis in eo, quod in ventriculum receptum hoc veneni genus, diriſſimas anxietates, vellicando nerveam ejus tunicam producat, quas totius corporis motus convulſivi ſequuntur. Ventriculus, cujus & inteſtinorum omnem deſtruit hoc venenum motum periſtalticum, conſtrictis a vehementi irritatione orificiis, aere in illo contento ad crepaturam uſque diſtenditur. Paris porro nauſeas ac vehementiſſimos vomendi conatus, qui ſemper eo vehementiores ſunt, quo magis ventriculi orificia ſunt conſtricta, & inprimis ſuperius ut nihil evomi poſſit. Poſt mortem ventriculum & inteſtinorum initium valde inflammatum, & in nonnullis locis maculas lividas, ſubnigras obſervavi, certo ſanguinis extravalati ſigno. Videtur igitur omnino, arſenicum vaſa ventriculi ſanguifera diſcindere, villoſamque ejus tunicam corrodere, hinc dira illa ſymptomata, convulſiones nempe, maximas anxietates, vomendi conatus, aliaque oriri. Si arſenicum hoc album cryſtallinum pulveriſatum prunis candentibus injiciatur, odor ſtatim virus ejus prodit, qui ſulphureus, alliaceus, fœtidus atque nonnihil narcoticus eſt, qualem vim etiam arguere videtur, etſi experimenta *Celeberrimi Wepferi*, & mea vehementem corroſionem, nihil vero omnino narcotici ſimile, oſtenderint; facile etiam arſenicum adgnoſci poteſt, ſi lithargyrii ſolutio adfundatur, quam ſtatim colore nigro tingit. In hominibus quantitas ad occidendum ſufficiens rite determinari non poteſt, variat enim hujus veneni effectus, ſecundum humanæ naturæ diverſitatem, & in venenis adſumendis conſuetudinem. Granum unum vel alterum arſenici ſæpius ſine noxa adſumtum eſt, & *Boerhaavius* (*p*) majorem adhuc copiam ab agyrtis adſumi adfirmat. Exſtant e contrario etiam exempla, ubi hoc veneni genus, minima copia ingeſtum, funeſtos produxit effectus, & inprimis illud legi meretur, quod in *obſervationibus medicis Societatis Regiæ Scientiarum Edinburgenſis* (*q*) reperitur: immiſit nempe femina incaute, cum guſtu aliquid in uſum domeſticum explorare vellet, parum arſenici in os, quod aliis rebus abſconditum erat, unde diriſſima ſymptomata perpeſſa eſt, totius nempe corporis convulſiones, vertigines, aliaque. Poſtquam hoc in ſtatu per integras viginti quatuor horas permanſerat hæc femina, ſymptomata illa tandem ceſſarunt, copioſeque adſumto oleo amygdalorum dulcium, adjectis injectionibus ex oleo olivarum atque laudano liquido, intra ſex dies ſanata eſt, per multos tamen annos debilis ejus fuit ſanitas. Multa etiam funeſta exempla de hoc vene-

(*p*) Vid. Prælectiones Academicæ Vol. VI. Gott. 1741.
(*q*) Medical eſſays and obſervations Vol. IV. pag. 41. Edinburgh. 1747.

veneno, in hominibus obſervata, enarrat *Celeberrimus Wepferus* (*r*), quæ etiam experimentis in animalibus vivis inſtitutis, comprobata ſunt. Varia etiam exſtant apud *Illuſtrem Richardum Mead* (*ſ*), lectu digna, & apud alios Auctores.

§. XXVIII.

Cobaltum ejuſdem cum arſenico indolis eſſe, ſuperius jam (§. 26.) obſervavi. Eodem modo agit quam arſenicum, quod magna copia huic lapidi ineſt, ſed doſis ad occidendum requiſita multo major eſſe oportet, quia arſenicum aliis rebus haud venenatis, inmiſtum eſt. Ad venenationem non facile adhiberi ſolet hæc *cadmia nativa*, color enim illius niger ſtatim contrarium aliquid oſtendit, & quantitas quæ multo major requiritur, facit, quod fere ſemper arſenicum huic veneno præferatur; quod etiam ob colorem ſuum album facile aliis corporibus inmiſci poteſt. Adhibetur plerumque cobaltum contuſum, & in aqua calida ſolutum, ad muſcas occidendas. In ſanguinem receptum hoc venenum mortem inferre, hic Gottingæ exemplum exſtat (*t*); feminæ pauperioris nempe filia ſcabie capitis laborabat, mater ut malum debellaret ac ulcera ſanaret, pulverem cobalti inſperſit, unde vero filia intra paucas horas miſerrime mortua eſt. In cane ſcabioſo idem experimentum inſtitui, eundemque inde effectum expertus ſum, qui etiam ſubſecutus eſt, cum hoc experimentum ſequentem in modum inſtituerem.

EXPERIMENTUM XXXVI.

D. 11 Decembris hora ante meridiem nona ſani canis, mediocris magnitudinis dorſo, deraſis prius novacula pilis, & parvis, ſaltem in cute, inciſionibus factis, drachmam circiter unam *arſenici cryſtallini albi*, inſperſi. Pedes vero & os ligaveram animali, ne dorſum lingere & ſe ab effectu veneni, quem exterius obſervandi mihi animus erat, liberare poſſet. Breve poſt elapſum tempus, diriſſimis cruciabatur animal convulſionibus vehementiſſimeque in altum ſubſiliit, ſuperaccedebant conatus ad vomitum, nihil vero ligato ore, evomere poterat. Hoc in ſtatu per quatuor horas permanſit, & eadem ſymptomata perpeſſus eſt canis, acſi venenum interius adſumſiſſet. Hora tandem poſt meridiem ſecunda mortuum eſt animal vehementes inter convulſiones. Inciſus ventriculus & inteſtina omnia, tam exterius, quam interius, valde inflammata adparue-

(*r*) In libro de cicuta aquatica.

(*ſ*) A Mechanical. Account of Poiſons. Lond. 1747.

(*t*) *Venerandus ac optimus Præceptor* meus *Magnus Hallerus* ſæpius hujus exempli in Prælectionibus ſuis, mentionem fecit.

paruere; inflammatio hæc erat partim ſanguinis exſudatio in totam ventriculi & inteſtinorum celluloſam, partim etiam extravaſatio vera, nigra, ſanguinis in magnos ſatis grumos collecti. Cutis, in qua venenum adplicatum fuit, tota erat livida, ſubnigra & tumida, venarum tunicæ rubræ & inflammatæ. In thorace pleura itidem cum pericardio inflammata, cor ſanguine pleniſſimum & pulmones ruberrimi adparuerunt, unoque verbo inflammatio multo vehementior obſervata eſt, quam ſi animal eandem arſenici quantitatem intus ſumſiſſet. Bis adhuc eodem modo, eodemque cum effectu, in canibus hoc experimentum repetii.

§. XXIX.

Hæc experimenta ſatis, utut mihi videtur, venas reſorbentes demonſtrant, quæ reſorptis particulis ſalinis arſenici, cum ſanguine noſtro facillime miſcibilibus, in antecedenti exemplo memoratos effectus produxerunt. Neque mirum etiam eſt quod majori cum vehementia & velocitate, venenum hoc effectum ſuum exercuerit, cum ſanguini inmiſſum, rectiſſima via ad cor & ad nervoſum ſyſtema pervenerit, unde ſtatim diræ convulſiones iſtæ ſubſecutæ ſunt. Hinc tam velox effectus ſequitur a morſibus venenatorum animalium, qui nullus eſt, ſi exempli cauſa, vipera vel bubo vel ejuſmodi aliud animal devoraretur, & nunquam nocent venena animalium, niſi inmediate in ſanguinem inmittantur.

§. XXX.

EXPERIMENTUM XXXVII.

D. 23 menſis Octobris, cani mediocris magnitudinis, hora undecima & dimidia antemeridiana, *ſacchari ſaturni* drachmam dimidiam, ore vi diducto, cochleari intruſi. Semihora vix elapſa vomuit, ſed ligato ore nihil egerere potuit, & e ventriculo egeſta iterum deglutire coactus eſt. Spumoſa lactea materia, in qua multum veneni ſolutum erat, maxima copia ex animalis ore promanabat, quæ interdum ſatis viſcida fila traxit. Continuavit hos vomitus quater adhuc, vehementioribus ſemper cum conatubus, totius corporis motibus convulſivis & tremoribus; quæ tamen ſymptomata omnia poſt meridiem ejus diei ceſſaverunt, & hora ſecunda nulli vomitus amplius ſubſecuti ſunt, ſed ſanitate recuperata, canis oblatum cibum, oſſa, panem butyro illitum, aliaque avide devoravit.

EXPE-

EXPERIMENTUM XXXVIII.

Repetii hoc experimentum die 25 Octobris, dupla majori quantitate, drachma nempe integra *ſacchari ſaturni*, in eodem cane. Idem penitus effectus & in ſuperiori experimento memorata ſymptomata, parum fortiora, ſubſecuta ſunt; ſpumaque iſta albida majori ex ejus ore quantitate profluxit, ſed poſt breve tempus ad priorem ſanitatem rediit animal; quod deinde ad experimenta de reſpirationis mechaniſmo capienda, cultro anatomico ſubjectum eſt, quæ *Illuſtris & Generoſiſſimus Hallerus*, inprimis de aere; qui inter pleuram & pulmones a *Cel. Hambergero* adeſſe adfirmatur; inſtituit. Strangulavimus laqueo canem, & cum ſub aquam mergeretur, primo dextrum thoracis latus aperuimus, ſed nulla omnino aeris bulla exiit; perforavimus deinde etiam alterius thoracis latus; & idem effectus inde ſubſecutus eſt; nullæ nempe adparuerunt aeris bullæ. Iterum vero aeri expoſitum animal & poſtea ſubmerſum, magna bullarum aerearum copia adfuit; quarum etiam multæ ex ipſis pilis proruperunt. Experimenta cæterum cum ſaccharo ſaturni ſæpiſſime, & maxima doſi repetii; nullum vero alium effectum, quam in experimentis antecedentibus memoratum, obſervare potui.

§. XXXI.

Saccharum ſaturni vix inter venena referri poteſt, cum actio ejus & effectus tam lentus ſit, ut poſt aliquod tempus demum interficiat. Magna etiam copia adſumtum hoc venenum, nunquam ſtatim mortem corpori animalium infert, ſed illud tantum languidum facit. Diverſa quantitate cum hoc veneno inſtitui experimenta, dedi his animalibus in initio ſaltem ſemidrachmam, deinde integram, poſtea duas, & tandem tres, ſed nullum animal inde mortuum eſt, & ipſa in antecedentibus experimentis memorata ſymptomata, a majori doſi parum fortiora quam a minori, fuere. Quotidie vero & per aliquod temporis ſpatium ſumtum hoc ſaccharum, omnino corpori noſtro valde inimicum eſt. Deſtruit nempe, fere ut opium, motum periſtalticum in ventriculo & in inteſtinis omnem, aufert omnem irritabilitatem ac ſenſibilitatem viſceribus, ſiſtit etiam motum ſanguinis in vaſis, ſaltem eum valde retardat, immo ipſum ſpirituum motum inpedire videtur. Hinc factis in toto corpore obſtructionibus, ſuboriuntur ſcirrhi, inprimis meſenterii, colicæ vehementiſſimæ, quæ tandem in veram paralyſin abeunt. Hi effectus ſequuntur, ſi hoc venenum magna doſi exhibitum fuerit, ſi vero in minori quantitate ſumatur, langueſcens facit corpus, homines habituali aliqua triſtitia adficit, ita ut evaneſcere videantur & tandem pereant. Potentiſſime etiam hoc ſaturninum adſtringit, alvique obſtructiones efficaciſſimas facit, &

conſtringendo ſpermatica vaſa inpotentiam efficit, hinc in uſum medicum, ut adſtringens medicamentum & in inflammationibus ac fluxionibus proficuum, adhiberi ſolet. Nullum etiam dubium eſt, lentum illud veneni genus, quod Gallis *la poudre de ſucceſſion*, adpellari ſolet, ſaturninis ejuſmodi originem ſuam debere. Oportet tamen ad hæc venena adhibenda, eſſe familiaritatem, ut poſſint longo tempore & in magna doſi exhiberi. Attamen falſum omnino eſt, quod nonnulli crediderint, mortem ad certum & determinatum tempus promoveri poſſe, quod nullo modo faciendum eſt.

§. XXXII.

EXPERIMENTUM XXXIX.

D. 23 menſis Octobris, cani juniori parvo, grana decem *reguli antimonii ſimplicis*, eodem modo ut in prioribus meis experimentis exhibui, hora ante meridiem undecima & dimidia audita. Os uſque ad horam ſecundam pomeridianam ligatum reliqui, ſed nihil inde mali perpeſſum eſt animal, præter leves aliquos ad vomitum conatus & pedum tremores.

EXPERIMENTUM XL.

Die vero ejuſdem menſis 25, eidem animali ſemidrachmam *reguli antimonii ſimplicis*, ſuperinfuſa copioſius aqua, eadem ratione intruſi. Inquietus ſtatim valde erat canis, & dum ligato ore, nihil evomere poſſet, tremoribus & nonnullis convulſivis motubus cruciabatur; poſt breve tamen tempus, ſanitate recuperata, oblata oſſa avide devoravit.

EXPERIMENTUM XLI.

Eodem die hora undecima antemeridiana, cani ejuſdem cum priori magnitudinis, *vitri antimonii* bene contuſi drachmam ſemis, eadem ratione ut in antecedenti experientia, intruſi. Horæ quarta parte vix elapſa, valde convulſum eſt animal, dum vomere vellet, & ob firmiter ligatum os nihil egerere poſſet, ſed poſtea per longum tempus quietus permanſit canis, & abſque aliis memoratu dignis ſymptomatibus, altero die, ita ſanus ac vegetus fuit, acſi nihil deleterii ſimile accepiſſet.

§. XXXIII.

Ejuſmodi plura, eodemque cum effectu, inſtitui cum *antimonio* experimenta, quæ vero omitto, cum nihil novi ex iis obſervaverim. Antimonium crudum in ſe quidem pro nullo veneno haberi poteſt, cum experientia doceat, illud ſæpius magna ſatis copia brutis pro medicamento ſine noxa propinari. *Celeberrimus* etiam *Kunkelius* (*u*), ſe contracturam ipſam, pulvere antimonii crudi, in ſubſtantia ad grana viginti quinque dato, feliciter ſanaſſe, & vim antimonii non tantum in aliis ſed & in proprio ſuo corpore expertus eſt. Si vero vel calcinatione vel ſublimatione, terra in antimonio exiſtens deſtruatur, ita ut ejus ſal corroſivum & arſenicale a vinculo ſuo liberetur, omnino vomitorium vehemens & venenum fieri poteſt; quo inprimis antimonii regulina pars, ejus vitra, flores, aliaque præparata pertinent. Hujus claſſis etiam eſt tartarus ſic dictus emeticus, qui maximopere in uſum adhibetur & nullo modo pro veneno habendus eſt, etſi exempla exſtent, illum interdum homines fere occidiſſe, diriſſimis illis, quos excitat, vomitubus, & inde ſubortis totius corporis convulſionibus. Non facile tamen hæc antimonialia occidunt, nec ullum exemplum exſtat hominis inde enecti, cum emetica ſint, ſeque ipſa expurgent, & corpus noſtrum a venenata vi liberent. Multas cæterum habet lectu dignas obſervationes *celeberrimus* & in experimentando *ſagaciſſimus vir Joannes Jacobus Wepferus*, qui cum antimonio plura & vario modo inſtituit experimenta, quæ in ſæpius jam excitato elegantiſſimo libro (*x*) exſtant.

(*u*) In laboratorio chimico, cap. de *antimonio*.
(*x*) De cicuta aquatica.

SECTIO TERTIA

De injectionibus in venam jugularem externam.

§. XXXIV.

IN hac tertia ſectione, ea experimenta enarrabo, quæ veneno aliquo, ſiphone in venam jugularem externam vivi animalis injecto, inſtitui. Recenſebo omnia quæ hac occaſione a me obſervata ſunt ſymptomata breviter, & comparabo mea experimenta cum illis, quæ in *philoſophicis traſactionibus* & apud *Cel. Anglum Joannem Freind* exſtant. Multum de his experimentis concludere non licebit, quia diverſiſſimum ſemper inveni effectum, qui interdum magnus injecta parva quantitate, & minor injecta majori adparuit; & ipſæ alias innocentiſſimæ res ſanguini inmiſſæ, ſubitaneam animalibus mortem induxerunt; quod clarius ex ipſa experimentorum enarratione patebit.

§. XXXV.

EXPERIMENTUM XLII.

D. 20. Decembris, hora poſt meridiem prima, denudavi canis majoris venam jugularem externam dextri lateris ab integumentis illi incumbentibus, & inciſione in ipſa vena facta, quam ſuperius verſus caput prius ligaveram, ſiphonis auxilio, drachmas ſex *laudani liquidi Sydenhami* injeci. Poſt hanc operationem inferius venam ligatura clauſi, ad vulnus cutaneum vero ſanandum ſuturam, quam vocant pellionum, adhibui. Poſt ſemihoram, mortui inſtar humi proſtratum fuit animal, nullumque vitæ vel motus ſignum edidit, etſi variis inſtrumentis pungentibus laceſſeretur. Poſtquam per integram ſaltem horam hoc in ſtatu fuit canis, a ſomno quaſi expergefactus, iterum obambulavit, ſed temulenti ſimilis modo in unum, modo in alterum latus, ſubito decubuit, quietus cæterum fuit, nullamque doloris perceptionem oſtendit. Altero jam die alacritatem recuperavit penitus priſtinam, cibi & potus valde adpetens, panem in carnium jure tinctum, avidiſſime devoravit.

EXPERIMENTUM XLIII.

D. 31. ejusdem menſis, vulnere lateris dextri penitus ſanato, hora circiter ſecunda, ſiniſtri lateris venam jugularem eadem ratione, ut in antecedenti experimento aperui. *Solutionis opii per fermentationem paratæ,* & aquæ

& aquæ uncia dimidia dilutæ, drachmas duas injeci, vulnusque ut prius ligatura & ſutura clauſi. Moribundi ſimile per trium horarum ſpatium, absque motu & vitæ ſigno permanſit animal, circa veſpertinum tempus vero inceſſit paulisper, debiliſſimi illi erant pedes & inprimis poſteriores, ut iis nullo modo inſiſtere poſſet, ſed ſtatim rurſus in terram decumberet. Per tres integras dies eundem in modum ſeſe habuit canis, totoque hoc tempore omnem cibum & potum ſtrenue recuſavit, mortuus tandem eſt quarto poſt hanc operationem die, absque ullis antea prægreſſis notabilibus ſymptomatibus. Inſtrumentis variis vehementiſſime laceſſitus, nec clamavit nec alium motum exhibuit, ſed absque irritabilitate inmobilis fuit. Videntur itaque omnes partes corporis & inprimis nervi, irritabilem ſuam vim penitus amiſiſſe, quod clarius adhuc de ventriculi nervis patet, qui alias facile a fame irritati, ſenſum alicujus doloris in illo producunt. Nervo octavi paris qui jugularem hanc venam comitatur, una cum vena ligato, vocem valde inminutam fuiſſe, *venerandus ac optimus præceptor* meus mecum obſervavit; illa tota vero periit, cum in altero latere idem nervus ligatus eſſet. Ab abſtinentia omnis cibi & potus, tanta ſuborta eſt humorum acrimonia, ut fœtor vivente adhuc animale ſummus & fere intolerabilis eſſet. Ab hoc inpeditus ſum, omnia accurate interne perſcrutari, ſed obiter tantum adnotare potui, ventriculum, inteſtina & omnia viſcera valde inflammata fuiſſe, vaſaque, inprimis vero venæ, putrido ſanguine repletæ adparuerunt, quod vero magis putrilagini, quam opii effectui tribuendum eſſe, cenſeo.

§. XXXVI.

De *opii* viribus, jam ſupra (§. XXI.) prolixius egi, ut ſuperfluum eſſe credam, harum etiam hoc loco mentionem facere; inprimis cum effectus opii in injectione idem fere fuit, quem experimenta mea, opio intus ſumto, in animalibus oſtenderunt. In *philoſophicis transactionibus* (*y*) eodem modo inſtituta experimenta, ſed cum opio crudo in aqua ſimplici ſoluto, exſtant, quæ partim eundem, partim penitus alium effectum docuerunt, quam mea experimenta. Injecta ſunt in primo exemplo, venæ crurali felis quinquaginta opii grana, in aquæ uncia ſoluti, unde diriſſime ſtatim convulſum eſt animal & poſt perpeſſa multa adhuc alia ſymptomata, quadrante horæ vix elapſo mortuum fuit. Alterum majori paulum quantitate opii inſtitutum experimentum enarrat, canem etiam valde convulſum eſſe toto corpore, vehementesque habuiſſe cordis palpitationes, dormiit interdum, mox rurſus expergefactus parumper inceſſit, iterumque quieti ſe tradidit. Per tres dies hoc in ſtatu vixit, quarto denique mortuum inventum eſt animal, omnem cibum &

 potum

(*y*) Philoſophical transactions Vol. XXVII. Numbr. 335. pag. 493. & 494.

potum etiam toto hoc tempore recuſavit. *Cel. Joannes Freind* (z) retulit etiam experimentum, ubi in venam jugularem canis *panaceam opii* injecit, & illum intra quatuor horæ minuta mortuum fuiſſe, adfirmat. Neſcio quomodo factum ſit, quod in hoc memorato exemplo, tam ſubitanea mors ab hac opii injectione ſubſecuta ſit, quæ in meis experimentis poſt aliquot demum dies ſupervenit. Quod ad alterum, ex *philoſophicis transactionibus* adductum exemplum attinet, maxima parte cum meis convenit, exceptis illis convulſivis motubus, quos *illuſtris auctor* obſervavit, & quos ego nunquam vidi. Ortæ ſunt hæ convulſiones forſan a ligaturis, quas animal in hac operatione perpeſſum eſt, non vero ab ipſo opii effectu, qui potius illas ſopit quam excitat.

§. XXXVII.

EXPERIMENTUM XLIV.

Die 20. Januarii 1752. hora ante meridiem undecima, in magnitudinis mediocris canis venam jugularem, *ſacchari ſaturni* drachmas duas, quod in aquæ calidæ ſufficiente quantitate diſſolutum erat, memorata eadem ratione, injeci. Vix veneno inmiſſo, animal mortuum fuit, neque ullum vitæ ſignum amplius edidit, cum tamen in fere omnibus reliquis experimentis, cordis motum diu adhuc ſuperſtitem fuiſſe obſervaverim. Aperto thorace, pulmones ruberrimos ac ſanguine turgidiſſimos inveni. Venoſum totum ſyſtema, vena cava ſuperior & inferior, vena portarum, iliacæ, unoque verbo omnes, valde ſanguine repletæ adparuerunt. Sanguis ex tota pulmonum ſuperficie ubique extravaſatus, & in ſatis magnas guttas collectus, adfuit. Pulmones collapſi & ab aere vacui, hepar etiam ad inpedito ſanguinis per venas refluxu, nigricans fuit, eundem in modum ventriculus & inteſtina reperta ſunt. Cordis ventriculus dexter aterrimo ſanguine ad rupturam usque diſtentus, ſiniſter vero penitus vacuus obſervatus eſt; eademque ratione in cordis auribus res ſe habuit. Alia ad irritabilitatem partium corporis animalium pertinentia, *illuſtris ac generoſiſſimus Hallerus* obſervavit, nec non motum venæ jugularis in reſpiratione, qui vero hac vice non optime reſpondit.

EXPERIMENTUM XLV.

Subſequente die, cani heſterno majori, drachmam tantum unam *ſacchari ſaturni*, in aqua tepefacta ſoluti, in venam jugularem injeci. Effectus idem fuit ut in antecedenti experimento memoravi, ſubſecuta nempe eſt ſtatim ſubitanea mors. Cadavere diſſecto, omnia ut prius inveni.

EXPE-

(z) In Emmenologia pag. 167. 168. Oxoniæ 1703.

EXPERIMENTUM XLVI.

D. 22. Januarii, cani moloſſo, hora ante meridiem undecima, ſolutionis hujus *ſacchari ſaturni* drachmam unam, eadem ratione injeci, & in prioribus experimentis obſervatum effectum etiam hic vidi. In diſſectione animalis, ſummam venoſi ſyſtematis repletionem, omniaque viſcera ruberrima, & ſanguine extravaſato tecta reperi.

EXPERIMENTUM XLVII.

Non penitus dimidium ſcrupulum hujus ſolutionis *ſacchari ſaturni*, venæ jugulari junioris ac parvi canis injeci, & eundem ab hac parva quantitate effectum expertus ſum. De motu venarum & inprimis venæ jugularis, *venerandus ac optimus præceptor* iterum inſtituit experimenta, qui pulcher hac vice adparuit & cum reſpiratione ſemper ſynchronus fuit. Confundendus vero non eſt hic motus venæ jugularis cum pulſatione ſubjacentis arteriæ carotidis.

§. XXXVIII.

Ex nimia iſta omnium venarum repletione, quam in enarratis his experimentis omnibus obſervavi, cauſa ſubitaneæ illius mortis, quam *ſaccharum ſaturni* in venam injectum, produxit, clare patet. Impedit nempe ſtatim omnem ſanguinis circulum per pulmones & ita animalia ſuffocando necat, unde etiam extravaſatio illa ſanguinis, quam in primo inprimis experimento reperi, orta eſſe videtur, quam nimia venarum minimarum diſtentio produxit. Nulla cum *ſacchari ſaturni* ſolutione in venam injecta, reperiuntur experimenta, neque in *transactionibus philoſophicis*, neque apud *clariſſimum Joannem Freind.*

§. XXXIX.

EXPERIMENTUM XLVIII.

D. 22. menſis Januarii, cani majori drachmas duas *ſpiritus vini rectificatiſſimi*, ſyringa in venam jugularem enarrato modo injeci. Statim corpore toto tremuit, cor valde palpitavit, ſubſequentibus interdum arteriarum pulſationum intermiſſionibus, reſpiratio vix adfuit ulla. Per ſemihoram deinde, vinculis ſolutis, quievit, mox temulenti inſtar parumper inceſſit, modo in unum, modo iterum in alterum latus decubuit cum totius corporis motubus nonnullis convulſivis, breve vero poſt tempus priſtinam recuperavit ſanitatem.

EXPE-

EXPERIMENTUM XLIX.

Inmiſſi per ſiphonem in canis, non magni quidem ſed fortiſſimi venam jugularem; d. 24. Januarii, hora undecima ante meridiem, *ſpiritus vini rectificati*, qui tamen optime dephlegmatus non videbatur, drachmas duas. Inmiſſo vix ſpiritu hoc, cor vehementer palpitare & clamare coepit animal; mox obambulavit paulilper ſed ſubito iterum in terram procidit. Altero die ſanus iterum fuit, & ſanitate priſtina bene adhuc fruitur, cum ad priorem ſuum dominum, cui furto ablatus erat, non longe poſt hanc operationem redierit.

EXPERIMENTUM L.

Idem experimentum die 28. Januarii in alio cane; eadem *ſpiritus vini* quantitate; quam ipſe bene dephlegmaveram & cineribus clavellatis ab aqua liberaveram, repetii. Inmiſſo vero vix veneno in venam animalis, mortuum eſt, absque ullis convulſionibus, ſi leves quosdam tremores excipiam. Diſſecui ſtatim poſt mortem canem, ſanguinem in cordis ventriculo dextro, in venis pulmonalibus, cavis & in toto venoſo ſyſtemate valde coagulatum obſervavi; coagula hæc erant admodum dura, ita ut nullo modo circulationem ſubire potuerint, ſanguinis etiam tota maſſa ſpiritus vini odorem vehementer ſpirabat.

§. XXXIX.

Adducta hæc experimenta, inprimis vero ultimum ſatis ut credo, actionem *ſpiritus vini*, ſanguini noſtro inmiſſi, oſtendit. Coagulat nempe ille ſtatim ſanguinem; atque ejus circulationem penitus ſiſtit; hinc ſubortæ ſunt iſtæ vehementes palpitationes cordis, corporis tremores, aliaque recenſita ſymptomata. Si ſpiritus vini non bene rectificatus fuerit; effectum quidem ſuum etiam eodem modo oſtendit; ſed leviorem, coagulavit ſanguinem, hæc coagula vero non ita dura fuerunt, ut a vi cordis ſuperari non potuerint & ab illa iterum diſſoluta, priſtinum motum ſubierunt. Eodem modo ſucceſſerunt experimenta, quæ in *transactionibus philoſophicis* (*a*) enarrantur, ſanguisque in primo illorum etiam in cordis ventriculo dextro & in toto venoſo ſyſtemate, valde coagulatus inventus eſt; in altero exemplo a majori quidem ſpiritus quantitate, non vero rectificatiſſimi, animal non mortuum eſt, temulenti inſtar & apoplecticum per breve tempus permanſit; poſteaque priſtinam recuperavit ſanitatem. Hac ratione inſtituit etiam *Cel. Joannes Freind* (*b*) hoc experimentum eundemque effectum expertus eſt.

§. XL.

(*a*) Vol. XXVII. Numbr. 335. pag. 496. & 498.
(*b*) in Emmenologia pag. 168.

§. XL.

EXPERIMENTUM LI.

Die 22. Februarii, in canis moloſſi venam jugularem externam, *aceti vini deſtillati* optimi drachmas duas infudi, & ſubitaneam mortem ab illo ſubſecutam fuiſſe obſervavi. Diſſecto poſt mortem animale, nullam fere mutationem in ſanguine reperi, niſi quod paulum rubrior & nonnihil fluidior, quam in ſtatu naturali videretur. Ter hoc experimentum poſtea adhuc repetii, eundémque ſemper effectum vidi.

§. XLI.

Acida omnia, quæ in vivo animale venis infundantur, ſanguinem noſtrum cogere, peripneumoniam & denique mortem inferre cum *Boerhaavio* (*c*) omnes fere auctores conſentiunt. *Acetum* ſolum ab hoc effectu excipiendum eſſe, quod magis ſanguinem noſtrum fluidiorem reddit, quam coagulat, iterata experientia docuit, a *Boerhaavio* etiam confirmata. Neſcio quomodo factum ſit, quod in meo experimento, tam ſubitanea mors, ab aceto venæ vivi animalis infuſo, ſupervenerit, cum tamen & in *philoſophicis transactionibus* (*d*), & apud alios auctores nullus fere adfuerit effectus. Aër forſan hunc effectum produxit, qui ſæpe inpediri non poteſt, quo minus aperta vena ſe in illam inſinuet, tuncque ſemper cum ſanguine miſtus occidit, quod ex mox recenſendis experimentis patebit.

§. XLII.

EXPERIMENTUM LII.

D. 13. Februarii ante meridiem cani unius ſaltem menſis, aperta vena jugulari eaque ſuperius ligita, inferius tubulo modicam *aëris* quantitatem inflavi, quæ hoc animal intra pauca horæ minuta absque ullis memorabilibus ſymptomatibus prægreſſis, ſi leves quasdam convulſiones exceperis, occidit. Diſſecto animale, auriculam ac cordis ventriculum dextrum aere diſtentiſſimum inveni, qui aer una cum ſanguinis circulatione movebatur, pulmonum cellulæ itidem valde aere plenæ apparuerunt. Motus cordis poſt mortem hujus canis ultra horam integram, valde pulcher & fortis ab irritatione aeris adhuc fuit, eumque ſemper fortio-

(*c*) Prælectiones Academicæ Vol VI pag. 382.
(*d*) Vol. XXVII. Numb. 3?5. pag. 492.

fortiorem obſervavi, ſi cor exterius ſcalpello irritaretur; auris vero dextræ motum per longum tempus, quieſcente jam reliquo corde, ſuperſtitem obſervavi. Vermiformis itidem in ventriculo & inteſtinis motus per longum tempus, cane mortuo ſuperfuit, qui etiam reſecta a meſenterio inteſtini parte & menſæ inpoſita, permanſit; iſte motus non materiam quandam flavam biliosam expulit, modo iterum reſorpſit, ut ſuperius jam obſervavi. Nihil præterea quod a naturali ſtatu alienum foret, in abdomine adparuit, niſi quod vena cava, meſenterii venæ, totumque venarum ſyſtema ab inflato aere valde diſtentum oſtendebatur. Nervum diaphragmaticum ſcalpello etiam irritavit *illuſtris ac optimus* meus *præceptor*, & digito in medium conpreſſo nervo, diaphragmatis fibræ muſculares tremebant ſi infra conpreſſionem nervum irritares, minime vero ſi ſupra hanc laceſſeretur nervus. Plura ad irritabilitatem & ſenſibilitatem pertinentia experimenta in eodem animale inſtituta ſunt.

EXPERIMENTVM LIII.

Eodem modo in cane moloſſo feci cum *aere* hoc experimentum, d. 17. ejusdem menſis, qui inflato vix aere mortuus eſt. Poſt mortem omnes venæ inflatæ valde adparuerunt & ab aere diſtentæ, nihil vero naturæ diſſimile aliud obſervatum eſt. Jugularis venæ externæ, ab integumentis nudatæ pulſationem optime vidimus, nullo modo a ſubjacente arteria carotide ortam. Cor pulſavit valde diu cum utraque auricula ſupra integram horam, inprimis vero dextra; appendice cordis leviter tacta, cor valde ſe contraxit, ut deorſum ſuum ſanguinem mitteret, absque ullo venæ cavæ motu. Cum poſt unam & dimidiam horam diaphragma quieſceret, ſternocoſtales muſculi adhuc tumuerunt, coſtasque adtraxerunt; œſophagus etiam egregie irritabilis, tactusque cultro anatomico ſe conſtrinxit & contenta ſua promovit. Evulſa de corpore inteſtina, inque partes fiſſa menſæ inpoſita, repſerunt motu ſuo periſtaltico ſeorſim ſingulæ partes & pulchre irritabilia fuerunt, refrigerata vero penitus quieverunt.

§. XLIII.

Sæpius hoc experimentum in canibus eodem modo reiteravi, qui omnes continuo mortui ſunt. Videtur igitur aerem enarrato modo inflatum, cor ita diſtendere, ut ſe contrahere non poſſit, adeoque motum ſanguinis circulatorium ſtatim ſiſtere. Si nimiam aeris copiam inflaverim, aer ipſas pulmonis cellulas diſrupit, & in illorum ſuperficie bullis ſatis conſpicuis adparuit. *Boerhaavius* (*e*) cauſam ſubitaneæ illius mortis, quam venæ vivi animalis inflatus aer efficit, in illo ponit, quod lethalem ſtatim

(*e*) Prælectiones Academicæ Vol. II. pag. 208 Gott. 1740.

ſtatim peripneumoniam, dum vaſa pulmonum minima obſtruit, faciat atque omnia diffringat, dum per vias, quæ illi alias inperviæ ſunt, iter ſibi parare conatur. In illo cæterum a *Boerhaavio* recenſito experimento *Bohnii* adfirmatur, ſanguinem ab aëris inflatione coagulari, quod vero in meis experimentis nunquam accidit, cum ſanguis e contrario fluidus, immo fluidior quam in ſtatu naturali adparuerit.

§. XLIV.

EXPERIMENTUM LIV.

D. 21 Februarii hora prima poſt meridiem, in canis venam jugularem ſcrupulum *ſalis armoniaci* in aqua ſoluti, memorato modo injeci. Maximas ſtatim animal perpeſſum eſt convulſiones per ſemihoram circiter durantes, mox iterum ad ſe rediit, ac altero die, clauſo bene vulnere, æque ſanum fuit, acſi nihil naturæ alienum pertuliſſet.

EXPERIMENTUM LV.

Poſtridie ejus diei, alterius lateris venam huic cani aperui, eademque ratione *ſalis armoniaci* ſolutionis in aqua tepida drachmam infudi, de quo animal omnino nihil mali perpeſſum eſt, & ligata utraque vena jugulari tamen valuit. Perforavit deinde *Illuſtris & Generoſiſſimus Hallerus*, tendinem Achillis bis in pedibus poſterioribus hujus canis inciditque capſulam articulatoriam patellæ abſque ulla viſibili noxa; animal enim bene poſt hanc operationem cucurrit, pedibuſque poſterioribus incedens ſaltavit, alioſque motus abſque incommodo peregit. Perioſtium abſque ſenſu eſſe in eodem animale etiam obſervatum eſt, cum nullam perceptionem ab illius irritatione ederet canis, in cutis vero inciſione perpetuo quiritavit.

§. XLV.

Idem effectus non fuit *ſalis armoniaci*, eadem copia eodemque modo venæ jugulari canis immiſſi, qui in *Philoſophicis Tranſactionibus* (*f*) enarratur, quod animal breve poſt tempus occidit. Nec illud meo reſpondit experimentum, quod *Celeberrimus Joannes Freind* (*g*) cum ſpiritu ſalis armoniaci cum calce viva parato, inſtituit, in quo vero magis ſpiritus & calx, quam ſal, culpandi ſunt. Cæterum experientia me edocuit, effectum hujus ſalis ſanguini immiſſi, nullum fere fuiſſe.

(*f*) Vol. XXVII. numb. 335. pag. 490.
(*g*) Libro citato pag. 169.

§. XLVI.

EXPERIMENTUM LVI.

D. 24 Februarii, in canis venam jugularem drachmam integram *ſpiritus ſalis crudi*, quem aquæ fontanæ uncia dilueram, injeci; nullum vero inde ſubortum fuiſſe malum obſervavi, exceptis illis clamoribus, quos animal edidit cum liquor iſte injiceretur.

EXPERIMENTUM LVII.

Eidem cani poſtridie ejus diei in altero latere, hora ante meridiem undecima, venam jugularem aperui, & drachmam unam ſemis, *ſpiritus ſalis crudi*, eadem cum aquæ fontanæ copia diluti, infudi. Pervenit vix iſte liquor ad cor, cum animal diriſſime convelleretur & clamaret, poſtque quinque circiter horæ minuta mortuum eſt. Diſſecto poſt mortem cane, ſanguinem in cordis ventriculo dextro, auricula dextra, vena cava ſuperiori & inferiori, & ut brevis ſim, in toto venarum ſyſtemate, valde coagulatum reperi. Coagula hæc ita dura fuerunt, ut figuram ſuorum vaſorum exactiſſime referrent, fragiliora tamen quam illa, quæ in mox recenſendo experimento cum oleo tartari per deliquium inſtituto, obſervata ſunt. A corde remotiores venæ ſanguine repletiſſimæ adparuerunt, ſanguis ille non erat coagulatus ſed ſatis fluidus; vacuæ quidem non obſervatæ ſunt arteriæ, ſed modica tantum illis inerat ſanguinis minime coagulati quantitas. Multum de irritabilitate cæterarum partium obſervatum eſt in hoc animale, butyro enim antimonii tacta tibiæ capſula articulatoria, nulla ſubſecuta eſt conſtrictio, nec ulla cum denudatum peritoneum eodem veneno conſpergeretur, tendo etiam Achillis abſque ſenſatione repertus eſt, itidemque pericardium penitus inſenſile. In corde auricula dextra irritata immobilis fuit, ſiniſtra vero auris cum ſuo ventriculo omnino valde irritabiles obſervabantur.

EXPERIMENTUM LVIII.

D. 7 Martii hoc experimentum eundem in modum in cane ſatis magno repetii. Effectus idem ut in ſuperius memorato exemplo fuit, ſanguis nempe in venis cordi propioribus coagulatus valde & in grumulos collectus inventus eſt. Alia experimenta a *Venerando ac optimo Præceptore* meo in eodem cane inſtituta, hic enarrare non vacat.

§. XLVII.

§. XLVII.

Repentinæ illius mortis cauſa, qua animalia ſtatim *ſpiritu ſalis* vix in venam injecto, interfecta ſunt, facile ex ipſa experimentorum enarratione patet. Vehemens enim iſta ſanguinis coagulatio, ejus circulum impediit, cordiſque motum uno quaſi momento abſtulit. In primo meorum experimentorum, acidum hoc fortiſſimum, eam ob cauſam animal non interfecit, quia nimia aquæ copia dilutum fuit, ideoque ſanguinem non tam cito & tam vehementer cogere potuit, quin a cordis vi hæc coagula ſuperari potuerint; quod in altero experimento tamen, parva tantum aquæ copia ſpiritui huic adfuſa, accidit. Exemplum in *Tranſactionibus Philoſophicis* (*h*) exſtans, eadem quantitate & ratione inſtitutum, eundem effectum oſtendit, vehementiſſimam nempe ſanguinis in venis coagulationem. Venæ vero abdominis & inferiorum partium ſanguinem habuerunt naturali ſimilem hanc ob cauſam, quod ſpiritus ad uſque cor ſolum delatus, inpedito ſtatim cordis motu, ulterius progredi non potuit. Superius, cæterum, acida omnia ſanguinem cogere, *Boerhaavii* (*i*) ſententiam eſſe jam dixi, qui ſolum acetum ab hac claſſe excepit, & mea experimenta, quæ aliquoties cum ſpiritu hoc ſalis adhuc repetii, me de adſerti hujus veritate magis convicerunt.

§. XLVIII.

EXPERIMENTUM LIX.

Die 11 menſis Martii infudi in canis venam jugularem, *ſalis tartari* in ſimplici aqua ſoluti drachmam. Immiſſo vix veneno, convulſiones totiuſque corporis tremores ſatis magni fuerunt, ſed paulo poſt abſque aliis notabilibus ſymptomatibus, priſtinam recuperavit ſanitatem animal.

EXPERIMENTUM LX.

Subſequente die, huic cani alterius lateris venam jugularem aperui, & tres drachmas *olei tartari per deliquium* in illam injeci, quod animal in uno temporis momento occidit. Poſt mortem thoracem ſtatim perſcrutatus ſum, & ventriculi dextri, auriculæ dextræ, cavarumque venarum ſanguinem valde coagulatum reperi; coagula hæc erant viſcidiſſima & non ita fragilia, ut in modo memorato experimento cum ſpiritu ſalis facto, figuramque ſuorum vaſorum, immo minimas eorum ramificationes

 pulchre

(*h*) Vol. XXVII. numb. 335. pag. 492.
(*i*) Prælectiones Academicæ. Vol. VI.

pulchre retinebant. Venæ a corde remotiores, ſanguine quidem erant diſtentæ, ſed fluido & non coacto; arteriæ ut in experimento cum ſpiritu ſalis non quidem vacuæ ſed modico tantum ſanguine repletæ obſervatæ ſunt. Pulcherrimæ etiam repertæ ſunt ventriculi & inteſtinorum venæ, ſanguine turgidæ earumque ductus ſerpentini optime adparuerunt.

EXPERIMENTUM LXI.

Repetii hoc experimentum die 7 Martii, eadem *olei tartari per deliquium* copia, eodemque modo; effectus idem fuit ut in antecedenti experimento, excepta arteria pulmonali, cui etiam ſanguis multus polypoſus, qui arteriæ figuram exprimebat, inerat. In vena cava abdominali ſanguis magna copia fluidus repertus eſt, cum quo *Illuſtris ac optimus præceptor* meus, *Magnus Hallerus* experimenta fecit ſequentia. Adfudit ſanguini iſto ſpiritum nitri, de quo ſemifluidus permanſit floridior vero ſano adparuit; pene perinde fuit ſanguis, cum parum ſalis tartari injiceretur, ſed paulum minus floridus; adfuſo vero aceto, niger & coagulatus repertus eſt ſanguis, major vero fuit hæc coagulatio, ſpiritu vini ſanguini iſti infuſo.

§. XLIX.

Primum quod cum *ſale tartari* inſtitui experimentum, eadem quantitate factum, etiam in *Philoſophicis Tranſactionibus* (*k*) enarratur; alius vero penitus fuit effectus & ab illo in experimento enarrato diverſiſſimus, mortem nempe ſtatim animali intulit. In altero vero experimento cum oleo tartari per deliquium, cauſa mortis manifeſto eadem eſt, quæ ab injectione ſpiritus ſalis reperta; inpeditur nempe ſtatim ſanguinis circulus a vehementi iſta coagulatione & cor ſe movere deſinit. Ter in diverſæ magnitudinis canibus hoc ultimum experimentum reiteravi & effectum eundem eſſe inveni.

§. L.

Enarratis nunc omnibus experimentis, quæ partim cum venenis ex vegetabilium regno, partim ex minerali, partim etiam cum injectionibus in venam jugularem vivorum animalium inſtitui, finem huic opuſculo inpono. Plura mihi adhuc reſtant experimenta facienda, quæ volente *ſummo numine*, ſi occaſio & otium mihi fuerit, certe & ulterius inſtituere pergam, multa etiam jam facta repetenda ſunt ut horum venenorum

rum

(*k*) Vol. XXVII. numbr. 335. pag. 491.

rum actio & effectus clarior fiat & melius determinetur. Parva cæterum & nulla fere concluſio formari poteſt in corpus humanum ab effectibus venenorum, quos in animalibus oſtenderunt; cum eorum natura multo fortior & a noſtra diverſiſſima plerumque ſit, & longe major vis veneni alicujus ab animalibus ſuperari inpune poteſt, quæ minori copia penitus jam deſtruit corpus humanum. Injectiones vero nihil fere demonſtrant, quod & ipſis experimentis ſatis patet, cum innocentiſſimæ alias res magnum effectum ſæpius oſtenderint, & impediri nunquam ſatis poteſt, ne aër ſe in hac operatione in venam inſinuet, quem animalium vitæ valde contrarium eſſe experientia docuit, ut taceam de aliis rebus acceſſoriis, quæ ſæpius evitari non poſſunt, exempli cauſa nimiam amiſſionem ſanguinis, nervi recurrentis punctionem, unde vehementiſſimæ ſtatim ſuboriuntur convulſiones, aliaque ſupervenientia mala. Hæc pauca, quæ in enarratione experimentorum ipſa jam admonui, hic repetere mihi viſum eſt; latiſſimus cæterum mihi pateret campus & fere inexhauſtus, ſi omnium venenorum effectus experimentis explorare vellem, nullusque foret ſermoni meo

FINIS.

CCXVII.

ABRAHAMI VATER

ET

FRIDER. GENSLER

DE

ANTIDOTO NOVO ADVERSUS VIPERARUM MORSUM PRÆSENTISSIMO IN ANGLIA HAUD ITA PRIDEM DETECTO.

Vitemberg 11. Septemb 1736.

Q. D. B. V.

DE Antidoto adverſus morſum viperarum, noviter in Anglia detecto, quædam commentaturi, non opus fore judicamus, ut vocis antidoti ſignificationem fuſius exponamus, cum nemo facile ſit, quem lateat, eadem remedium contra venena intelligi. Neque etiam quis a nobis expectet, ut in explicanda natura venenorum in genere, horumque differentia & varietate modoque operandi, verboſiores ſimus, quia hoc ab aliis actum eſt, nec inſtituti ratio id permittit. Hoc quidem certum, atque ab auctoribus ſufficienter demonſtratum eſt, quod, uti veneni vox a priſcis Latinis Scriptoribus ambigue, & nunc pro deleterio, nunc pro ſalutari remedio uſurpata fuit, teſte *Gellio Noct. Attic.* ita nullum detur venenum abſolute tale, id eſt, noxium ac vitæ animalium infeſtum, ſed quod omnia ſint corpora naturalia in ſe bona & innoxia imo ne ullo quidem excepto, utilem quandoque præſtent medicinam. *Vid Friccius de virtute Venenorum Medica, conſ. etiam B. Parentis Phyſ. Exper. in Append.* Comprobat hoc, ut reliqua nunc taceamus, vipera ſuo exemplo, quæ per ſe & in præparatis, non tantum contra varios morbos, ipſumque morſum viperæ utiliter ſolet adhiberi, ſed cujus etiam ſaliva venenata perinde, ac capita integra horum animalium ore hauſta ac deglutita, nihil noxæ inferunt, de quo legi meretur *Franciſc. Redi obſerv. de Viperis in Ephemer. Germ. Dec. I. A. I. & II.* Nihilo tamen ſecius vulnera a viperis vivis inflicta, imo dentibus mortuarum facta, ac ſaliva earum ſimul vulneri inſtillata, dira ſymptomata, ipſamque mortem brevi inducunt, uti experientia docet, & experimenta *loc. cit.* adducta confirmant. Notatu dignum imprimis eſt, vulnera a vipera inflicta, non tantum aliis animalibus, ſed ſibi ipſi etiam eſſe exitialia, quod curioſiſſimum comprobat experimentum, a Capitaneo Hall in Carolina Meridionalis Americæ anno 1720. factum, quod ab Illuſtri *Sloano* cum Societate Regia communicatum in *Tranſact. Vol. XXXIV. n. 399. n. VII.* conſignatum eſt. Iſte nimirum poſt varia tentamina cum canibus, a vipera caudiſona morſis, in ipſa vipera experiretur, illam ſuſpenſam, acubus baculo infixis, pupugit & vellicavit tamdiu, uſque dum ſe ipſam morderet, quo viſo, iſtam in terram demiſit, ubi octo ad duodecim minutorum intervallo, mortua eſt. Quapropter non immerito de Antidoto, huic veneno opponendo, ac ad ſymptomata funeſta atque fatales eventus, ab eodem metuendos, præcavendos & avertendos, ſolliciti ſunt Medici. Varia quidem ſunt ab auctoribus obſervata, uti infra videbimus in tractatione, ſingulare tamen in Anglia recenter detectum, atque experimentis comprobatum: in præſenti producimus. Communicavit idem nobiſcum *Clariſſ. Sprengell eques auratus ac medicus Londinenſis primarius, itemque Societ. Reg.*

atque Collegii med. ſodalis in literis Anno MDCCXXXIV, ad nos datis. Non poſſum non certiorem te reddere de experimento curioſiſſimo atque utiliſſimo; quod heri videre mihi contigit. Vir nimirum plebeius viperas duas diverſas brachiis ſuis denudatis applicuit; a quibus irritatis in utroque vulneratus eſt. Accepto vulnere, brachia mox inſigniter intumeſcere cœperunt, pulſus debilis tarduſque evaſit, parumque abfuit, ut lippothymia afficeretur. Hoc viſo, loca vulnerata inungebantur oleo quodam, quo facto, brevi pulſus celerior redditus eſt; homo vires recuperavit, atque omnis noxæ immunis abiit. Idem hodie in domo mea experimentum multoties in brutis, columba, gallina, aliquot porcellis, felibus atque in cane magno repetiit, eodem ubivis eventu. Nullum quippe horum mortuum eſt, ſed cuncta evaſerunt, exceptis iis, in quibus; ut vim venenati morſus experiremur, remedium non eſt applicatum. Nulla hic ſubeſt impoſtura, aut vaniloquentia, ſed negotium re ipſa ita actum eſt; multique mecum experimenta viderunt. Scire cupis, quale hoc fuerit arcanum, tantis viribus pollens? Miraberis haud dubie, ſi tibi manifeſtavero, nullum aliud hoc eſſe, quam ſimpliciſſimum oleum olivarum, quod ſtupendum hunc effectum, nobis præſentibus & admirantibus, edidit. Hactenus ille. Novitate rei permotus, optavimus quidem, ut nobis ipſis, rem hanc experiundi, ſe offerret occaſio, ſed voti noſtri compotes non ſumus facti. Communicaveram tamen eo tempore experimenta iſta Londini facta, cum clariſſ. Dn. D. Vatero, Medico Dreſdenſi, Patruele meo amantiſſimo, qui ſuperiori anno, data occaſione, rei veritatem atque remedii hujus efficaciam expertus eſt. Operæ pretium videtur, ut caſum ſingularem, publici juris faciamus, atque in præſenti diſſertatione inaugurali de morſu viperarum, hujuſque antidotis, ac ſigillatim olei olivarum efficacia, quædam proponamus. Faxit Divinum Numen, ut labor hic cedat in ſui honorem, hominumque afflictorum emolumentum.

HISTORIA.

Miniſter Pharmacopoeus in Officina regia Dreſdenſi, primarius, Proviſor alias dictus, ſuperiori anno viperas Italicas pro ægro illuſtri præparans, per incuriam ab una earundem in manus digito morſus eſt. Hic, accepto vulnere, perterritus, ad libros Medicos evolvendos advolavit, remedium quæſiturus, quo periculum, quod ſibi imminere intelligebat, averteret. Sed parum ſolatii in dictis libris invenit, contra ſummopere contriſtatus eſt, cum in uno eorum legeret, vulnera a viperis inflicta, communiter eſſe lethalia, parumque auxilii ſupereſſe. In his anguſtiis conſtitutus, varia quidem, interque ea etiam theriacam extrinſecus vulneri impoſuit, ſed nullum inde levamen ſenſit, ut potius intercedentibus aliquot horis, totum brachium enormiter intumeſceret, ægerque immanes in eo dolores, ac inſignes tenſiones ſub ala, cor verſus, cum virium defectu perſentiſceret. De vita igitur, omni-

nibus incaſſum adhibitis, fere deſperans, ad laudatum Patruelem meum D. Vaterum confugit, atque ab ipſo auxilium petiit. Hic de olei olivarum virtute in hoc caſu, uti dictum, ex relatione ad ipſum data, certior factus, ſtatim brachium totum eodem iterato largiter & calide inungere juſſit, a quo mox optatus effectus ſecutus eſt. Brachium enim, poſt unam aut alteram inunctionem, detumeſcere cœpit, dolores cum reliquis ſymptomatibus mitigati ſunt, & ſenſim ceſſarunt, ægerque intra unum alterumve diem perfecte convaluit. Nihil interea intus propinatum eſt, præter miſturam ſimplicem cum liquore minerali anodyno, ex conſilio dicti Medici, a cujus uſu ſudor largiſſimus, cum inſigni ægri levamine, ſecutus eſt. Non diffitemur, multum hoc remedium ad curam felicem contribuiſſe, primariæ tamen partes in hoc negotio, oleo olivarum adſcribendæ erunt, quia ab ejus inunctione, extemplo ſymptomata remiſerunt. Totam hiſtoriam ex ipſius Pharmacopoei demorſi ac ita ſanati ore habeo.

THES. I.

Antequam de morſu viperarum venenato, ejuſque antidotis, ſigillatim de olei olivarum virtute ac efficacia agamus, de earundem prius natura & indole, itemque diverſitate & ſpeciebus, paucis quædam ſunt monenda. Viperas ex ſerpentum familia eſſe, res eſt in vulgus nota. Nomen inde accepiſſe creditur vipera, quod vi aut viru perimat, aut quod ſola, ſecus ac aliæ ſerpentes, fœtus vivos edat, adeo vipera, quaſi vivipara audiat. *Vid. Severin. de vipera pythia p* 71. *&* 91. Cui quidem ſententiæ contradicit *Hoffmannus in Clav. Pharmac. Schrœder. p.* 688. & in ſerpentibus quoque vivos fœtus deprehendi, aſſerit. Plures conditiones, quibus a reliquis anguibus diſcernitur, *vid apud Severinum loc. cit p.* 260. Præ aliis, ob morſum imprimis virulentum ac deleterium, male audit, quem in homine perinde, ac animalibus brutis, ſymptomatum funeſtiſſimorum ſyndrome, ipſaque mors ſequitur. Ea propter antiquitus emblematis loco fuit vipera, quo rem quamvis damnoſam, perniciosiſſimam & exitialem indigitarunt, vetereſque eaſdem executores vindictæ divinæ crediderunt, quod vel ſolo exemplo divi Pauli conſtat, quem Melitenſes populi cum vipera a manu pendula videntes, propterea malefactorem aut homicidam eſſe judicarunt, eundemque fluctus maris procelloſi licet effugientem, vindictam divinam ſuperſtitem eſſe nolle, clamarunt. Differunt autem viperæ tum magnitudine & corporis mole, qua tamen a reliquis ſerpentibus ſuperantur, tum patria, quia italicæ, & aliarum calidarum regionum, noſtras malignitate & virulentia antecellere obſervantur. Imprimis India Orientalis, ſerpentes ſtupendæ magnitudinis alit, quorum quoſdam tantæ vaſtitatis perhibent, ut integros homines atque bruta, imo urobubalos deglutire poſſint, referente *Cleyero* Proto-Medico Bataviæ

 In-

Indiæ Orientalis ad *Menzelium*, uti videre licet *Ephem. Germ. Dec. II. A. II. obſ. VII.* quamvis quod uros attinet, nihil ſe comperiſſe dicit *Kæmpferus*, ac propterea ad nugas fabulantis vulgi id referat *in Amoenit. Exot. Faſc. III. obſer. IX. p.* 573. Ibidem autem producit viperæ ſpeciem, quæ Indis Naja, Luſitanis cobras de cabelo dicitur, quæ eodem narrante, ferox & hominibus infenſiſſima beſtia eſt, quæ mordendo exitiale virus vulneri inſtillat, unde ſubito anxietates cordis, lipothymiæ, atque neglecto alexipharmaci maturo uſu, mors ſequitur. Peculiarem præterea viperam India Occidentalis, America patefecit, quæ caudiſona appellatur, ita dicta, quod in cauda ſingularia crepitacula, ex annulis mobilibus, ultimæ vertebræ adnatis, conflata gerit, quarum ope multiplicatum ſonum edit, quo admoniti homines æque ac bruta, tempeſtive ſibi cavere poſſint, a tam pernicioſo colubro. vid *Anatomia ejus ab Edward. Tyſon Medico Londinenſi deſcripta, excerpta ex Tranſact. Philoſ. in actis Erudit. Menſ. Mart. A. MDCLXXXIV. p.* 138. *Plura de hac Tranſact. Philoſoph. Vol. XXXII. n.* 376. *n.* 4. & *Vol. XXXIV. n.* 399. *N.* 7.

THES. II.

A morſu viperarum, uti ex parte jam vidimus, in homine extemplo atrociſſima excitantur ſymptomata. Membrum vulnere tactum acerbiſſime dolet, atque enormiter intumeſcit, facies palleſcit, ſenſimque cum reliquo corpore flaveſcit, ac ictero afficitur, totum corpus occupat tremor, oritur anxietas præcordiorum, inquietudo ac triſtitia, pulſus fit debilis ac interruptus, cum palpitationibus cordis animique deliquiis, accedunt horrores, nauſea & conatus vomendi, motuſque convulſivi, tandemque æger, niſi cito eidem ſuccurratur, nunc citius, nunc tardius, brevi tamen temporis ſpatio exſpirat. Eoſdem propemodum effectus morſus viperarum in brutis edit, cujus rei experimentum in capra majori fecit *Mangetus*, uti refert *in Biblotheca. Medic. Pract. L. XVIII. p.* 853. quæ a vipera irritata, vulnus naribus inflictum accepit, unde illa ipſo momento tremula facta, vix ab una parte domus in aliam, præ debilitate, migrare potuit. Abhinc humi cubuit, tremuloſque per totum corpus motus, cum abdominis diſtenſione paſſa eſt. Poſt horæ circiter quadrantem ſalivatio, eaque admodum viſcoſa & ſpumoſa exorta eſt, & ad aliquot minuta talis perduravit. Inde in diſpnœam incidit, qua paulum imminuta, ſomno correpta eſt, quem rurſus ſubſecuta eſt ſalivatio, ſed tenuis, ac minus, quam prior, ſpumoſa. Somnus hinc cum intenſiori dyſpnœa, comiteque ſtertore, ingenti partium omnium tremore, & muſculorum colli convulſiva tenſione, eam corripuit. Salivatio interea non ita copioſa ſubſtitit, dyſpnœa & tremor ſenſim remiſerunt, ac oculos identidem aperuit, donec poſt duas, cum unius quadrante, a morſu horas, pedibus inſiſtens, rigida & quaſi cataleptica facta, non ita tamen per-

pertinaciter immobilis, quin excitata atque aliquatenus adacta, horæ quadrantem per cameram obambularet, donec veneni vi rurſus proſtrata, & vehementioribus motibus convulſivis ſuccuſſa, toto tandem corpore reſoluta perierit. Sed breviori temporis intervallo, effectum funeſtum producit, morſus viperarum in animalibus minoribus. Ictus a vipera turtur, quem *Steno* objecit, narrante *Borrichio in Act. Medic. Hafniens. Vol. V. p.* 268. *obſ.* 100. tremore initio correptus eſt, ambulans inde tantillum, ſed ebrio ac vacillanti ſimilis, ſpatioque exiguo interjecto, poſt convulſiones inſignes, in dorſum decumbens, exſpiravit. Vipera enim, obſervante *Redi in Epiſtol. II.* occidit facilius columbam, pullum gallinaceum, gallum Indicum, ſciurum, glirem & alia, tum aves, tum animalia minora, quam beſtias grandiores, ut ſunt vervex, dama, equus, taurus, imo majora iſta, & pelle duriſſima inſtructa ſæpiſſime non occidit. Secundum magnitudinem animalis, & ſecundum locum, quem vipera ferit, ſequitur mors citius aut tardius, *vid Ephemer. Germ. Ann. II. p.* 414.

Thes. III.

Venenum hoc adeo deleterium, ſymptomatum iſtorum atrociſſimorum cauſa, in quo conſiſtat, & in qua corporis viperarum parte reſideat, maximus auctorum, in diverſas partes abeuntium, diſſenſus obſervatur. Veteres, uti multa fabuloſa, de viperarum generatione & indole tradiderunt, ita eaſdem totas ac in omnibus ſuis partibus venenatas eſſe, perſuaſi fuerunt, vel varias earum partes veneni ſuſpectas crediderunt, atque hoc nomine nunc caput, nunc oculos vel linguam, modo caudam, aut etiam bilem accuſarunt, *vid. Severinus loc. citat p. II. p.* 273. *ſeqq.* At enim vero recentiorum in perſcrutanda natura viperarum diligentia, ac inſtituendis variis tentaminibus, ad indagandam veneni hujus rationem adhibitis, ſolertia effecit, ut hodie ſciamus, neque totas viperas, neque ullam earum partem, ſive ſolidam, ſive fluidam eſſe venenatam, excepta ſola ſaliva, in veſiculis, juxta dentes inciſorios majores, ſtagnante. Atque ne hæc quidem, ore hauſta & deglutita, venenatum effectum edit, uti ſupra vidimus, ſed ſolum mordendo, a vipera vulneri ſimul inſtillata, aut vulneri, alio inſtrumento facto, affricta, ſanguinique ibidem immediate mixta, horrendorum iſtorum effectuum, antea enumeratorum, cauſa exiſtit, uti experimenta *a Franciſco Redi loc. cit.* conſignata, confirmant. Huic quidem adverſarium ea in re ſe præbuit *Moſes Charas*, qui duplici Tractatu, *experimenta nova circa viperas* inſcripto, id egit, ut demonſtraret, liquorem hunc flavum ſalivalem inſontem plane eſſe, malignitatem ejuſdem fictitiam appellans, & venenatos effectus, ſpiritibus viperæ ad iram concitatæ, efferatis, ac ideæ vindictæ, quam ſibi formavit, adſcribens, plurimaque experimenta in contrarium, pro demonſtranda natura ſalivæ viperinæ innoxia, facta adduxit. Dubiis tamen

ab

ab ipſo factis, ſatisfecit laudatus *Redi in Epiſt. ad Abbatem Bourdelot & Alexandrum Morum loc. citat.* cujus adeo ſententia apud pleroſque prævaluit. Ad indolem hujus liquoris ſalivalis quod attinet, colore & ſapore ſimillimum olei amygdalarum dulcium eſſe, perhibet *Redi obſer. de viperis loc. citat. in Ephemer. Ger. man.* A. I. Sale tamen, eoque volatili, uti aliorum animalium, imprimis inſectorum humores, eundem eſſe turgidiſſimum, ſingulari admodumque eleganti experimento comprobavit *clariſſimus Mead, in Tract. Anglico, mechanical Account of poiſons in ſeveral Eſſays.* Excepit nimirum ille ſalivam a vipera irritata, mordendo dentes in corpus ſolidum oblatum infigente, effuſam, ac ſollicite collectam, plano vitri politi impoſuit & microſcopio examinavit. Primo intuitu nihil præter congeriem ſpiculorum ſalinorum, in liquido velociſſime agitatorum apparuit, ſed brevi facies mutata eſt, poſtquam evaporato humido, ſpicula iſta ſalina in cryſtallos incredibilis tenuitatis & aciei abierunt, quæ hinc inde nodulis, quaſi punctis cryſtalliſationis, inter ſe connexæ fuerunt, adeo ut telam aranearum, contextu ſuo tamen infinite ſubtiliori, exhiberent, tantæ ſoliditatis ut per plures menſes, in vitri ſuperficie abſque ulla alteratione perſiſterent. Idem laudatus vir, naturam hujus ſalis ulterius examinaturus, non obſtante exiliſſima ejus quantitate, tincturam heliotropii cœruleam inſtillavit, quam more acidorum in rubicundam mutavit. Præter lacerationem itaque partium membranoſarum & nervoſarum, dentibus ſubtiliſſimis iiſque uncinatis factam, hæ partes etiam a ſpiculis ſalinis irritatæ, in ſpaſmos aguntur, ac hoc ipſo affluxus humorum, dolor acutiſſimus, ac intumeſcentia membri vulnerati producitur non tantum, ſed etiam ſpicula iſta ſanguini immediate permixta, ac circumacta, tantas in corpore turbas, diraque ſymptomata excitant.

THES. IV.

Univerſum quippe ſanguinis circulum a veneno hoc admixto vehementer non tantum confundi, atque ſecretiones ac motus tum liquidi nervoſi, tum bilis valde turbari, teſtantur ſymptomata atrociſſima, pulſus debilis & interruptus, lipothymiæ, palpitationes cordis, conatuſque vomendi, tremor totius corporis atque convulſiones, icterus &c: preſſo pede inſequentia; ſed etiam ſanguinis ipſius craſin atque texturam deſtructum iri, monſtrarunt ſectiones brutorum ex morſu viperæ enecatorum, *Mangetus in Biblioth. Med. Pract L. XVIII. Tom. IV. pag.* 852. canum aliorumque animalium ſectiones a ſe factas, recenſet. In cadavere canis, in trunco venæ cavæ nonnihil ſanguinis concreti ſe reperiſſe dicit, reliquum vero ſanguinem ibi loci, in corde & ubique fuſcum & obſcuri coloris obſervavit, vitioſæ conſiſtentiæ, qualis ſanguis ex parte diſſolutus & corruptus. Viſcera autem omnia naturalis fuerunt coloris, præter ventriculum, cujus color quodammodo obſcurus, ſed manifeſtius in

me-

meſenterio & inteſtinis. In alio cane nullus ſanguis coagulatus repertus eſt, totus tamen coloris obſcuri, vitiatæque conſiſtentiæ, cum manifeſta ad concretionem propenſione, apparuit. In alio cane, cujus lingua a vipera morſa, hæc livida evaſit, totumque meſenterium maculis lividis conſperſum fuit, quarum plurimæ lentium magnitudinem ſuperarunt, ſub quibus ſanguis concretus delituit. In columba atque pullo gallinaceo, nonnihil ſanguinis concreti in corde & vena cava repertum eſt, reliquo cruore nigricante, ac ad coagulationem vergente, & diſſolutioni & corruptioni proximo, viſcera vero ceteræque partes internæ coloris floridi, recteque conſtitutæ fuerunt. Ex his patet vis atque efficacia virulenti iſtius ſucci, quem vipera mordendo vulneri inſtillat, cum exiliſſima ac vix ſenſibilis quantitas hujus liquoris, univerſam maſſam ſanguineam in tantas turbas agere, ac compagem ejus deſtruere valeat. Non immerito itaque cum fermento comparatur ejus activitas moduſque agendi, quia in fluido vitali motus peregrinos, fermentationi analogos excitat, utut hæ voces in ſenſu proprio, monente laudato *Mead. loc. citat. p.* 14. non ſint accipiendæ, quo fermentatio in corporis animalis humoribus non datur. Pulchre rem illuſtrat experimentum, quod in India factum, *D. Tyſon in Philoſoph. Tranſact. Vol. XII. n.* 144. citante *D. Mead. l. c.* refert: Venit ad illum Indus cum variis diverſarum ſpecierum ſerpentibus, inter quas cobra de cabelo fuit, ex qua particulam minutiſſimam ſalivæ expreſſam, inſtillavit ſanguini coagulato, vulneri, ab alio ſerpente femori ipſius, præmiſſa ligatura, inflicto, adhærenti, a quo ſanguis ille coagulatus in fluorem & fermentationem quaſi actus, mox in flavum liquorem abiit. Cujus naturæ ſit ſal illud, quo turget ſaliva viperina, utrum ſit acidum, an vero alcalicum, difficile eſt determinare. Vidimus ſupra quidem experimento Meadiano, ſpicula in vitro polito, a ſaliva viperina relicta, acidorum more, tincturam cœruleam in rubicundam mutaſſe, adeoque acidæ indolis eſſe videtur venenum viperinum, quemadmodum etiam *Bernerus in obſervat. de araneæ punctura*, exercitationi Phyſic. Medic. *de applicatione mechaniſmi ad medicinam annexa*, liquorem viſcidum ab aranea ictu communicatum, acido volatilem eſſe dicit, atque inde ſymptomata ab ictu aranearum inducta deducit, & propterea rejicit eorum ſententiam, qui morſum viperarum ſucco citri, aut alio acido curari poſſe perhibuerunt. Multum etiam huic doctrinæ favet, quod ſanguis coagulatus & ad coagulationem pronus, in animalibus brutis diſſectis, repertus fuerit. Sed nos in defectu propriorum experimentorum, nihil hac in re decernimus, quia id nos longe nimis a ſcopo noſtro abduceret. Notum enim & exploratum nobis eſt, quid huic ſententiæ opponi ſoleat, quod nimirum non tantum acida cum alcalibus, ſed etiam acida diverſa inter ſe efferveſcant, quod morbi acido principio communiter adſcripti, acidis medicamentis ſanentur, itemque quod coagulum ſanguinis ſæpe ſit effectus prægreſſæ reſolutionis, adeoque principium acidum

non evincat, quia & acida volatilia reſolvunt. Parum etiam refert, ſive acidum ſive alcalicum ſal in ſaliva viperina ſtatuatur, ſufficit quod illud ſanguinis craſi & texturæ ſit contrarium, ac compagem ejus deſtruat, atque œconomiam animalem peſſundet. In cura etiam non tam ad naturam iſtius veneni acidam, aut alcalicam, quam ad excluſionem ejus & eliminationem e corpore per diaphoreſin reſpiciendum eſt, ad quam nunc progredimur.

THES. V.

Ut itaque venenum hoc adeo virulentum ac deleterium, morſu viperæ inſinuatum, quantocyus e corpore exterminetur, ac quo minus ſanguinem inficiat, caveatur, aut ſi jam ad illum penetraverit, idem omnibus modis per diaphoreſin expellatur, varia tum extrinſecus applicata, tum intus ſumpta, commendata & proficua obſervata, apud auctores conſignata reperiuntur. Commendantur propterea ab auctoribus ligaturæ membri ſupra plagam, qua impedire ſtudent, quo minus virus malignum vulneri inſtillatum, ſe latius extendat, cor verſus ſerpat, atque circulo ſanguinis univerſali communicetur. Ad venenum vero ipſum e vulnere extrahendum, ſuctionem ore inſtitutam, profuiſſe legimus, quo fine certos homines adhibuerunt veteres, quos pſyllos aut marſos appellarunt, quorum corpori ingenitum virus, ſerpentibus exitiale, eſſe crediderunt, adeo ut illi eaſdem ſolo odore ſopire ac in fugam dare queant. Agnovit tamen fallaciam ſuo jam tempore *Celſus L. V. C. XXVII. n. 3. affirmans; non, hercule, ſcientiam præcipuam habent hi, qui pſylli nominantur, ſed audaciam uſu ipſo confirmatam. Nam venenum ſerpentis non guſtu, ſed in vulnere nocet. Ergo quiſquis exemplum pſylli ſecutus, id vulnus exuxerit, & ipſe tutus erit & tutum hominem præſtabit. Illud interea ante debebit attendere, ne quod in gingivis, palatove, aliave parte oris ulcus habeat.* Vidimus nos etiam ſuperius, ſuccum virulentum viperarum, ore hauſtum atque deglutitum nihil nocere. Suctionis vicem ſupplere poteſt cucurbitula, aut quodlibet ſimile vas, adhibita ſimul ſcarificatione circa vulnus, quo plus vitiati jam ſanguinis extrahatur, quod *idem loc. citat.* commendat. Porro ferrum candens vulneri, quantum quidem præ æſtu ejus vicinitatem ferre poteſt, quam proxime admovere jubent, referente Boyle in exercit. II. de utilitat. philoſoph. Experim. uſque dum uti loqui amant, omne extraxerit venenum, quod ut oculares teſtes aſſeverant, ſæpius inſtar maculæ ſubflavæ, ferro adhæreat. Quam quidem rem *idem loc. cit.* in medio relinquit, hiſtoriam tamen refert viri, a ſe eum in finem pretio conducti, qui a vipera ad iram concitata, in manu morſus, cultri candentis, decem aut duodecim minutorum intervallo vulneri admoti, beneficio, ab omni malo liber manſit, ac repetitione hujus experimenti, præmus haud contemnendis potitus eſt.

THES.

THES. VI.

Pro uſu interno ad expellendum venenum, auctores valde laudant viperas ipſas, earumque capita ac viſcera, imprimis hepata, maximeque ex iis paratum ſal volatile. Eam ob cauſam Mithridatium, regis Mithridatis antidotum decantatiſſimum, additione carnis viperarum auxit Andromachus, cui propterea theriacæ nomen impoſitum eſt. Hæc uti adverſus alia venena, ita ſigillatim contra animalium venenatorum morſum, ſpecifica virtute pollere creditur, adeo, ut etiam præſervationis gratia aſſumpta a quibusvis venenis tutos præſtet. De hac *Galenus* aliique perhibent, quod ejus uſu plurimi imperatores ac principes, qui eam opportune ſumpſerunt, a lethifera venenorum noxa præſervati ſint, imo *Idem Cap. XVI. Lib. de Theriaca ad Piſonem*, de eadem affirmare non dubitavit, quod inſtar ignis cujuſdam purgatorii illos, qui ipſam biberunt, a peſtilentia præſervet, neque permittat, ut eadem corripiantur. Ad demonſtrandam virtutem alexipharmacam viperarum, varia experimenta in brutis ac hominibus facta, adducunt recentiores, quos inter *Charas in Libro novarum experientiarum circa viperas*, plurima adducit in diverſis canibus & in fele inſtituta, quibus capita viperarum toſta, & omiſſa toſtione, devoranda dedit, quæ animalia a viperis irritatis morſa, omnia hujus antidoti beneficio evaſerunt. Concludit propterea idem, rem eſſe certiſſimam, quod caput viperæ toſtum & deglutitum, morſum penitus ſanet, & quod partes quædam corporis, cor & hepar ejuſdem ſint efficaciæ, unde in periculoſa occaſione ad hanc medicinam ſit confugiendum. *Mangetus pariter loc. citat.* adducit exemplum juvenis, qui cum in medelam affectionis cujuſdam faciei cruſtoſæ, juſcula viperina ac ſal volatile viperarum adhiberet, aliquando a vipera forcipe comprehenſa, altum inter pollicem & digitum indicem commorſus fuit, nec inde tamen quidpiam noxæ retulit, quod longo jam prædictorum juſculorum & ſalis uſu præmunitus quaſi fuiſſet, in ſucci virulentiſſimi & pernicioſiſſimi expulſionem ac extinctionem, ac propterea nobiliſſimum ac præſentiſſimum hoc in caſu medicamentum vocat ſal viperinum, totamque viperæ ſubſtantiam. Sed *Redi* repetitis iiſdem experimentis cum capite viperino, in canibus quidem duobus eundem effectum expertus eſt, adeoque experimentum inter res comprobatas numerare conſtituit, ſed oborto dubio, duos alios catellos, antidoto non devorato, admorderi curavit, qui pariter mortui non ſunt, contra vero capo, duo catelli, octo pulli gallinacei, duo feles catuli, atque ſex turtures, muniti licet antidoto ex capitibus viperinis, morſu viperarum interierunt, uti *idem teſtatur loc. citat.* Singularis virtutis quoque hoc in caſu prædicatur pomum citreum, uti videri poteſt in *Hoffmann. Clav. Pharmac. Schrœd.* quo loco non tantum hiſtoria ex *Athenæo* deſumpta adducitur, ubi refertur, quendam facinoroſum, ad beſtias damnatum, integri pomi citrei eſu ab interneci-

one aſpidum fuiſſe vindicatum, ſed etiam pro confirmanda hujus rei veritate, narratur caſus ſtudioſi medicinæ, Pariſiis Gallorum a viperæ morſu lethaliter fere decumbentis, nil quicquam proficientibus theriaca, orvietano, cauterio potentiali, ſale viperarum volatili in aqua theriacali hauſto, ſalutifero pomorum citrinorum eſu reſtituti. At enim vero ſæpius citatus *Redi* teſtatur, ſe duos pullos gallinaceos quatuor diebus continuo nutriviſſe hordeo, in decocto citri infuſo, ultimo eorum guttur fruſtulis citreorum & citrato impleviſſe, ac elapſis duabus horis a viperis morderi curaſſe, inſuperque vulnus Q. Eſſentia corticum citri inunxiſſe, ambo autem intra tres horas morientes, anſam ipſi colligendi dediſſe, hanc medicinam eſſe fruſtraneam, & hiſtoriam *Athenæi* fabuloſam. Præter hactenus enarrata antidota alia adhuc ſunt, quæ a virtute ſpecifica, qua contra morſum viperarum gaudere creduntur, nomen etiam acceperunt, qualia ſunt ſcorzonera, ab escorzo, quod viperam lingua catalonica indicat, adeoque viperaria dicta, ac ſerpentaria virginiana, itemque lignum colubrinum, quod vero potius radix lignoſa eſt, quia ſerpentum atque colubrorum morſibus medeantur, ita appellata. Exquiſita horum, qua pollent, amarities omnino in iſtis virtutem diaphoreticam ac alexipharmacam ſatis evincit.

Thes. VII.

Progredimur nunc ad duo alia antidota præcipua, quæ India orientalis nobis præbuit, numero tot venenorum diriſſimorum, quæ incolæ ibidem maximopere reformidant, reſpondentia. Alterum horum venenorum eſt morſus ſerpentis Naja, Luſitanis Cobra de Cabelos, cujus malignam indolem a Kæmpfero notatam ſupra vidimus. Alterum exhibet arbor ipu, vel upa, in abditis ſylvarum inſulæ Celebes locis creſcens, quæ recens ſauciata, fundit ſuccum adeo exitialem, ut referente itidem *Kæmpfero loc. cit.* niſi arbor eminus vulneretur, & ab ea parte, a qua ventus adſpirat, vel aura incumbit, aggreſſores erumpente halitu ſuffocet, quam ſortem etiam volucres, arborem recens vulneratam tranſvolantes, experiri feruntur, quamobrem collectioni hujus ſucci lethiferi, morti ob malefacta damnatis ſolum committitur, qui ad vitam ſalvandam haſtis longis & acutis, ex arundine magna & robuſta factis, ſylvas dumis & belluis infeſtas ingredi & penetrare tenentur. Hoc ſucco exitioſo Macaſſarienſes lanceas & pugiones inficere dicuntur, quibus vulnera lethalia vix ſanabilia infligunt. Adverſus ambo iſta venena adhibent & laudant bina memorata antidota, radicem nimirum mungos, atque lapidem viperinum, quibus ſolis prædicta venena, vix alio remedio vincibilia, ſanari poſſe tradunt. Radix mungos ab animalculo ejus nominis denominationem accepit, quod ſciuri forma, alias etiam mongutia, muſtela aut viverra audit, a quo primum uſus hujus radicis detectus dicitur. Animal iſtud natu-

naturali odio, velut catus glirem, ſerpentes proſequitur, ac perpetuum cum illis bellum gerit. Narrant de illo, quod ubi cum vipera dimicando, ſe morſum ſentit, tantæ ſit ſagacitatis, ut, relicto hoſte, radicem dictam pro alexipharmaco quærat, cujus eſu reſtitutum, ad certamen redintegrandum revertatur, ex quo virtus radicis primum innotuiſſe perhibetur. Hanc itaque exploratum antidotum, ad cuncta venena, ſive intro ſumpta, ſive corpori extrinſecus vulnere illata æſtimant. Propterea tum præſervationis, tum curationis gratia, radicem rudi ſaltem frictione ſuper lapidem comminutam, aut cultiori modo pulveriſatam, cum hauſtu aquæ dulcis, ſive alius liquoris aſſumunt, ipſi quoque loco vulnerato pultem ex radicis pulvere cum ſputo vel aqua factam, imponunt. Recenſet hæc omnia pluribus circumſtantiis *Kæmpferus in Amænit. Exotic. Faſc. III.* quo loco etiam teſtatur, ſe radice hac, quæ penetranti amaritie, ob quam planta tota, fel terræ audit, virtutem alexipharmacam prodit, in febribus putridis morbiſque malignis feliciter uſum, multiſque ſucceſſibus infallibilem ejus efficaciam, adverſus canis rabidi morſum, in brutis æque ac hominibus expertum fuiſſe. Videri etiam poteſt *Lochneri* Schediasma, quo mungos animalculum & radix deſcribitur, *in Ephemer. Germ. in Append. ad Cent. III. & IV.*

THES. VIII.

Alterum ex duobus commemoratis Indiæ antidotis, conſtituit lapis ſerpentinus aut viperinus, quia extrinſecus locis fauciis impoſitus, firmiter adhærens venenum omne extrahat, magnes etiam venenorum dictus. Hunc generari credunt in capite aut cerebro ſerpentis, cobra de cabelos vocatæ, non quod pilis tegatur, nec quod capite operculum tanquam depreſſum pilum, hinc inde mobile gerat, ſub quo prædictus lapis inveniatur, ſed quoniam laceſſita, cutem capitis utroque cervicis latere inflare & in orbem planum, ſive compreſſum, ad inſtar alæ vel vittæ, quæ in dorſo exactiſſimam imaginem conſpicilli exhibet, extendere ſolet, *Conf.* præter *Kæmpfer. Valentin Hiſt. ſimpl. Muſei muſeorum titulo antea germanice edita.* In hujus ſerpentis capite generari lapidem iſtum, fabulantur Indiæ populi, eundem tamen a ſacerdotibus eorum, quos brachmanes vocant, arte potius elaborari, conjiciunt prudentiores, qualem formulam componendi talem lapidem, ad imitationem eorum, videre eſt *in App. ad Ann. VI. & VII. Miſcell. Curioſ. ſ: Ephemerid. German. in Dn. de Bernitz faſc. II. Medic. ſingul.* Lapidem dictum, ad venenum e vulnere venenato, ſive cæſim, ſive punctim, ſive morſu inflicto extrahendum, certiſſimum & infallibile remedium eſſe tradunt, quando nempe loco vulnerato, aut morſo adhuc cruento aut ſcarificato applicatur, cui idem firmiſſime adhæret. Hac ratione elicit ac imbibit venenum, nec prius decidit, niſi extracto omni veneno, aut

lapide eodem ſatiato, quamobrem duo in promptu eſſe debent, alternatim adhibendi, lapis vero decidens confeſtim lacti calido, pro purificatione ejus, immergi debet. Ita enim virus ex poris ejuſdem elicitum, quod in ſuperficie lactis colore flavo & cœruleo variegatum ſpectabile innatare, narrant, atque ſic lapis novo uſui aptus redditur. *Kæmpferus* quidem parum fiduciæ in virtute hujus lapidis collocat, valorem tamen ejus in ſuſpenſo relinquit, nunquam ipſe illius efficaciam expertus. In caſibus ſiquidem ipſi obvenientibus, ad ſacram ſuam ancoram, uti vocat theriacam, ſe potius confugiſſe profitetur, quam ligato prius membro, vulneri ſcarificato, poſt factam ſanguinis expreſſionem, affricuit, propinata inſuper ejuſdem electuarii portione pro ſudorifero. Refert tamen idem caſum oppido rarum, quem ipſi dominus de Pavillon, gubernator provinciæ Choromandelo narravit, & tota teſtata eſt ſpectatrix ejuſdem familiæ, qui domi ſuæ acciderat, quem huc inſerere operæ pretium cenſemus. *Una nempe ex ſervis domeſticis a cobras de cabelo morſa, ardentiſſimos plorabat dolores. Productus illico & impoſitus lapis eſt; quo decidente, cum nec lapis præterea alius, nec lac dulce in promptu eſſet, quod poros elueret, nutrix, in tam pernici malo anxia, lapidi immulſit ex ſuis uberibus. Ex quo vero illi papilla confeſtim dolere, mox uber ejuſdem lateris intumeſcere cœpit, non ſine vitæ diſcrimine, in quo triduum verſabatur, ab uberis duritie vix decem diebus liberata. Papillam autem habuerat aliquantillum ab alumni gingiva excoriatam, adeoque recluſis venulis aptam, quæ veneni inquinamenta reciperet, calenti lacte elicita.* Poſſideo duos tales lapides cum radice mungos, ſed nulla eorum vires experiundi ſe obtulit occaſio. Reminiſcor tamen hiſtoriam, quam ante triginta & duos aut tres annos B. Parenti & mihi, B. Spenerus, medicus aulicus Berolini, cum ipſum inviſeremus, retulit. Monſtrando enim nobis inter alia curioſa, quæ poſſidebat, pugionem Macaſſarienſem & lapidem viperinum, narrabat, ſtudioſum quendam medicinæ in ſuis ædibus, de iſtius pugionis indole venenata dubitando, cutem in manu propria leviter vulneraſſe, ut quid ſubſit, experiretur. At ambo cum reliquis præſentibus valdopere perterriti fuerunt, cum vidiſſent, manum cum brachio toto mox intumeſcere & acuto dolore affligi. Applicato tamen ſubito lapide dicto, dolorem remiſiſſe, ac tumorem ſenſim imminutum, nec funeſti quid ulterius ſecutum fuiſſe, idem nobis aſſeveravit. Nos, uti propria experientia deſtituimur, ita rem merito in medio relinquimus, & ſi quid hoc in caſu præſtat lapis, id non tam magnetiſmo quodam, quam ſola poroſitate ſua, firmiter adhærendo parti vulneratæ & ſauciæ, ſanguinem extillantem, eidemque ibi admixtum virus, imbibendo, perficere judicamus, id quod forſan bolus armena, terra ſigillata, unicornu foſſile, aliaque ſicciora & poroſa corpora applicata præſtare poterunt.

THES.

Thes. IX.

Nunc ad antidotum noſtrum, cujus uſus in morſu viperæ noviter detectus, oleum nimirum olivarum accedimus, ut videamus, quomodo hoc loco morſu viperæ tacto inunctum, ſequelas ejus funeſtas avertere queat. Hoc licet viliſſimum, hactenus recenſitis tamen erit anteferendum, quia vulgare, facile parabile, ac ubivis in caſu neceſſitatis obvium eſt, ſi modo virtus ejus conſtanti experientia fuerit confirmata. De hoc tamen nullatenus dubitandum, ut potius ſpes affulgeat certiſſima, fore, ut plura experimenta facta, rem iſtam extra omnem dubitationis aleam ponant, ſi modo olei iſtius naturam atque effectus paulo curatius perpendamus. Non eſt ut de ortu, varietate ac multiplici ejuſdem in vita communi utilitate quicquam hic adjiciamus, cum hæc in vulgus ſint nota. Neque uſus ejus, in pharmacia & medicina ampliſſimus, ignotus eſt, quia inter omnes conſtat, nullum facile oleum coctum & infuſum, aut unguentum emplaſtrum, atque clyſterem eſſe, quem idem non ingrediatur, illud per ſe etiam emolliendi & lubricandi gratia intus & extus uſurpari. Nobis nunc ſolum cum virtute ipſius alexipharmaca, qua venenis reſiſtit, res eſt. Notum magis eſt, quam ut exponi a nobis debeat, poſt venena mineralia corroſiva ore hauſta, illud ſuperbibitum, aut etiam præſervationis gratia aſſumptum, effectus funeſtos abinde metuendos præcavere & avertere, quatenus ſalia acria oleoſa natura involvit, lubricitate canalem alimentorum defendit, ac vomitum excitando, expulſionem venenorum promovet. *Celſus* propterea illud remedium generale adverſus omnia venena, vel in cibo vel in potione aſſumpta *loc. citat.* commendat, *commodiſſimum eſſe*, inquiens, *ubi primum ſenſit aliquis, protinus oleo multo epoto vomere. Deinde, ubi præcordia exhauſit, bibere antidotum: ſi id non eſt, vel merum vinum.* Norunt id in ſuum commodum vertere circumforanei & agyrtæ, qui, ut theriacæ ac orvietano ſuo vendibili fidem faciant, aſſumpta prius quantitate olei atque juſculorum pinguium; venena impune cum admiratione vulgi devorant. Neminem etiam latet, oleum ſcorpionum, ſuffocatione horum inſectorum in oleo olivarum paratum, contra iſtorum non tantum, ſed etiam aliorum animalium venenatorum, aut venenatos ſaltem effectus producentes ictus morſuſque commendari, & cum fructu adhiberi. *Matthiolus comment. in L. II. Dioſcoridis p.* 232. *ego*, inquit, *uſu illud exploratum habeo, quod oleum per me factum, in quod ſane magnus ſcorpionum ingreditur numerus, cordi duntaxat & pulſantibus manuum & pedum arteriis, illitum, ab omnibus liberat venenis. Quin & eos ſanat, qui tam a viperis, quam ceteris venenoſis animalibus vel icti, vel demorſi fuerint.* Conferendo hæc cum experimentis iſtis cum oleo olivarum factis, & cum effectu laudabili contra morſum viperarum obſervato, non immerito in animo noſtro exoritur ſuſpicio, fallaciam ſubeſſe, & quod ſcorpionibus in oleo

iſto

iſto infuſis tribuitur, hoc idem per ſe præſtare poſſe. Clarum enim nullatenus eſſe judicamus, quid oleo a ſcorpionibus, ex immerſione eorum etiam vivorum accedat. Dices forte, ſale volatili horum inſectorum oleum hac ratione impraegnari. Nemo facile ſibi perſuaderi patietur, ſal volatile, in ſuccis horum inſectorum glutinoſis incluſum, hac infuſione liberari, ac cum oleoſa ſubſtantia uniri poſſe, qui novit, extremam ignis torturam in operationibus chimicis requiri, ubi ſal volatile ex animalibus, eorumque partibus deſideratur. Forſan autem ſcorpiones oleo immerſi, perforando propriis aculeis, folliculum liquore venenato turgidum, eundem in oleum ambiens effundunt, ſeque ipſos hac ratione interficiunt, ut vulgus fabulatur. Conſtat tamen, non propterea animalcula iſta in oleo emori, ſed quod aëris liberioris, ad vitam continuandam adeo neceſſarii, uſu priventur. Eſſet etiam hoc, venenum veneno addere, ſi vulnera recentia morſu ictuque animalium venenatorum facta, hoc oleo ſucco virulento ſcorpionum prægnanti, inungere vellemus, quoniam ſupra vidimus, ſalivam viperarum vulnuſculis, inſtrumento acuto factis, inſtillatam, eoſdem funeſtos effectus ac morſum earum, producere. Credendum potius eſt, ſolum oleum ſubſtantia ſua unguinoſa, lubricante ac demulcente illud præſtare.

Thes. X.

Quod igitur nunc ad modum operandi attinet, quo oleum olivarum hoc perficit; id unice ab oleoſa ejus natura pendere, ratio ſuadet. Etenim uti ſuperius demonſtratum eſt, dira illa ſymptomata morſu aut ictu, uti aliorum animalium venenatorum aut ſaltem iracundorum, vel rabidorum, ita etiam viperarum producta, a ſaliva vulneri ſimul inſtillata, proveniunt, quæ judice *celeberrimo Hoffmanno in Medicin. Rational. ſyſtem. T. II. Pathol. General. P. II. Cap. II. §. IX. imprimis venenata qualitate imbuitur, quoniam eſt humor valde ſubtilis, fermentativæ & ſpirituoſæ indolis, qua de cauſa*, ut in *ſcholio* adjecto pergit, *ſalivalis ille virulentus liquor, mediante morſu nervoſis & fibroſis partibus inſinuatus, ſumme pernicialis.* Vidimus quippe in antecedentibus, eundem natura ſua ſalina ſpiculiſque acribus, nervos non tantum laceſſendo & irritando, ſpaſmos atque affluxum humorum excitare, ſed etiam in ſanguinem penetrando, motum peregrinum, fermentativo analogum, inducendo compagem ejus diſſolvere. Quid autem ad ſalia acria temperanda, ſpicula involvenda, roſiones ac irritationes, mox inde pendentes, præcavendas efficacius, quid ad partes membranoſas & nervoſas contra ſtimulos defendendas & ſolandas, ſpaſmos ſiſtendos, motus turbulentos ac fermentativos impediendos, potentius eſt ſubſtantia oleoſa? Eam ob cauſam *Celſus lib. V. cap. 27.* contra hydrophobiam, a canis rabidi morſu, projectionem ægri non opinantis in piſcinam, non antea ei proviſam, com-

men-

mendando; inquit: *Sed aliud periculum excipit, ne infirmum corpus, in aqua frigida vexatum, nervorum diſtentio abſumat. Id ne accidat, a piſcina protinus in oleum calidum demittendus eſt.* Alio antidoto adverſus morſum viperarum ſe munire harum captores, memorat citatus *D. Mead l. c. p.* 29, quod quidem iſti in ſecretis habent, ipſe tamen diligenti inveſtigatione tandem detexit: nihil aliud hoc eſſe, quam axungiam viperarum, mox vulneri illitam, idem teſtatur, qui iteratis experimentis cum ſucceſſu factis, de ejus efficacia confirmatus, affirmat, curam hanc adeo facilem & certam eſſe, ut nullo alio interno remedio opus ſit, quia dicta pinguedo ſubſtantia ſua glutinoſa & viſcida involvat ſal volatile liquoris hujus venenati, quominus ſpiculis ſuis cryſtallinis effectum virulentum edere queat. Idem valet oleum noſtrum olivarum, quod vel ideo omnibus & pinguedini etiam viperarum anteferendum, quia ubivis locorum ad manus eſſe, ac in largiori copia membris læſis inungi poteſt. Multum ad ejus effectum promovendum valet calida inunctio, ut tanto intimius penetrare queat. Nihil igitur reſtat, quam ut continuatis experimentis, efficacia ejus laudabilis in iiſdem caſibus ulterius confirmetur. Utrum iſtud eundem effectum contra ictus morſuſque aliorum animalium edere queat, antequam uſus id docuerit, affirmari quidem non poteſt. Nulli tamen dubitamus, cum in pleriſque eadem eſt ratio, omniaque iſta vulnera ob ſuccum virulentum ſimul inſtillatum, potiſſimum horrenda illa ſymptomata producunt, quin idem ab eo expectare liceat. Nihil itaque addimus, præter votum, ut divina benedictio proſpero eventu in his caſibus ancipitibus, opus hoc coronet, laborque noſter ad ſolatium multorum afflictorum vergat.

CCXVIII.

JOS. EXUPERII BERTIN

E T

J. FR. CLEM. MORAND

THESIS IN HÆC VERBA

Ergo ſpecificum Viperæ morſus antidotum, Alkali volatile?

Pariſiis 13 Novemb. 1749.

I.

VEnena appellantur ea omnia quæ parva quantitate intra corpus aſſumpta, vel ipſimet extus applicata, ejus naturalem ſtatum violenter, nunc brevi, nunc tardius deſtruunt. Græcis τοξικα, imo & Φάρμακα, ſed melius addendo *deleteria* vocantur, quia pharmaca, medicamenta etiam ſignificant. Triplex eſt venenorum genus, ex triplici naturæ regno. Quæ vegetabili ortum debent, ob rodentem vel cauſticam indolem, ut aconitum, helleborus, euphorbium, tithymalus aliaque plura, vel ob vim inſpiſſantem ſive obſtruentem, vel narcoticam, noxia deprehenduntur. Ex mineralibus venena, acidæ plerumque ſunt indolis ut arſenicalia & mercurialia. Omnium ſubtiliſſima ſuppeditant animalia, quæ morſu vel punctura potiſſimum irrepunt; hinc promptius per varias partis læſæ contractiones, in vaſcula minima, inde in maſſam ſanguineam permeant. Quid igitur mirum eſt, ſi ſpiritibus animalibus permixta materies venenoſa, fibrillas nerveas dolorifice pungat, convulſiones ab excitato impetuoſo ſpirituum motu, citius excitet, ſi demum omnes humores totumque corpus contagione labefactentur, donec foras amandata fuerit? Ex hacce triplici venenorum familia, alia aliis magis ſæviunt, diverſaſque edunt malignitatis ſtrages; quemadmodum enim diverſæ ſunt partes machinam conſtituentes, ita quoque ſubjectorum ratione, eorumque corporis habitus, varia ſunt venena, quam multiplex ac diverſa latentium humorum conditio, tam diſſimilis inde exorientium ſymptomatum ratio. Non omnes æque vehementer eodem veneno afficiuntur, quidam levius, qui-

dam violentius; quidam cito, quidam tardius moriuntur. Inter animalium venena, primum obtinet locum viperæ venenum, cujus etiam non eadem eſt in omnibus viperis, & corporibus, energia, non eadem in omnibus regionibus, calidioribus, frigidioribuſve ſævitia; imo etiam, ex pluribus phyſicis, pro animalis, plus vel minus irati, mole, colore & ſexu, varios habent eventus: non igitur convenit omnibus idem remedium, ſed certum & optimum haberi debet, illud quod tutiſſimo, citiſſimo, minuſque injucundo donabitur effectu.

II.

Inter ſerpentes morſu venenato inquinantes, vipera quod vivos pariat fœtus, ſic dicta, eſt animal in totum perniciosisſimum, ut loquitur *Amatus Luſitanus*, in hieroglyphis etiam ægyptiacis, quidquid periculoſiſſimum ſignificat; ut bene multa, ad ipſius hiſtoriam & anatomen attinentia quæ prope infinita ſunt, omittam, maxillis mobilibus articulatos ab ipſomet ortu gerit uncos & incurvatos dentes, qui peculiari actione muſculari, cum maxillæ ſuperioris oſſe primo, antrorſum protruduntur. Baſi illius oſſis, affigitur veſicula flavo liquore plena, cui annectitur ductulus excretorius, fibris muſculoſis, in longum & circulum protenſis (*a*), munitus, quarum ope e veſicula exprimitur ſuccus, ab acuto, & fiſtuloſo dente in inflictum vulnus ſtillandus: hic tanquam mera ſalivalis materies, a celeberrimo pharmacopæo (*b*) ſpectatur, & omnium ferme ſcriptorum opinioni directe adverſans, hunc venenatum eſſe negat, ſive ex eo quod abſque ullo incommodo pluries guſtatus & deglutitus fuerit ille ſuccus, ſive quod non infeliciter cum ſanguine mixtus fuit per aperta recenti vulnere vaſa, & ex ſolis iratæ viperæ concitatis ſpiritibus, miſerandorum omnem ſymptomatum ſyndromen oriri affirmat. Sed quid inde? Etenim non niſi laceſſita, ſæpe externa læſione provocata, vindictæ inhians, morſum infert vipera; qui igitur effectuum ætiologiam rimari voluerit, dentes perſcrutetur; inde malorum quibus catervatim ſtipatur ille morſus, unicus fons & origo. In veſiculæ jam deſcriptæ ſucco, latere vim lethalem certo concludere eſt; ut autem explicetur in quo præciſe conſiſtat illud venenum, a vipera demorſum inſpice. 1°. Acute dolet pars læſa, quæ rubet deinde, & incaleſcit, gangrenæ prænuntius ſuccedit livor, ad vicinas partes breviſſime æque ac intumeſcentia ſerpens, his accedunt languor, totius corporis debilitas, pulſus fit celer, quanquam debilis, & intermittens: convulſivos motus, frigidus comitatur ſudor; ſed maxime omnium & pertinaciſſime muſculi collum caputque moventes convelluntur, ſupervenit icterus, magnus & intolerabilis dolor, regionem umbilica-

Hhhh 2

(*a*) *Mead.* de Vipera.
(*b*) D. *Charas*, Regiæ Scientiar. Academ. Socius.

licalem occupat: excitantur nauſeæ, bilioſæque evomuntur materies. Quanquam autem peſſimus ſit in genere viperæ morſus, non ſemper tamen indubitato mortem infert; citius, otiuſve hæc apparent ſymptomata, plus vel minus exacerbantur, prout cor uſque & cerebrum virus penetravit, pro tempeſtatis, morſi, mordentis, temperiei, ſanguinis diatheſeos, victus ratione, aliorumque ſimilium, unde explicari poterit, quomodo plura animalia poſt morſum abſque ullo remedio curata fuerint, quomodo ſemetipſum a vipera vulneratum, coram illuſtriſſima ſcientiarum Academia Pariſienſi; intra breve tempus curavit D. Charas; non igitur abſurde concludetur, mortem oſtia pulſare, niſi remedia tempeſtive adhibeantur. Sed quodnam medicamentum, tot & tantos avertet tumultus? Illud erit, quod & poros aperire, & ſudoris beneficio, per patentia cutis oſtiola, venenoſam eliminare materiam poterit.

III.

Quanquam enim nemini accurate, nota & perſpicua ſit veneni viperini indoles, de eo tamen a poſteriori, ratiocinari fas eſt. 1°. Affici fluida, injectique ſucci vi inſpiſſari & deturbari ſuſpicandi locus eſt, ex frigore morſum affligente, ex pulſu debilitatæ arteriæ, cum quadam mollitie, quod & adhuc confirmant bilioſi vomitus, ſymptomaticus icterus, doloreſque in abdomine. 2°. Genus nerveum affectum deſignant motus convulſivi, in demorſis apparentes; quomodo autem excitantur illi? Quæſtio ſane difficilis, & ex nervorum ſtructura, cum innoteſcet, facile forſan, eruenda. In his effectibus curandis infinita prope, a neotericis inſtituta fuerunt experimenta. Notum eſt omnibus eos qui viperas colligunt, viperina axungia vulneri cito applicata, omnes ab hoc morſu futuros eventus, prævertere quod, etiam clariſſimus Anglus, (*a*) ut ſpecificum laudat. Ferrum, ad eum caloris gradum, qui vix tolerari poteſt, excandeſcens, parti applicatum, tanquam eximium in hoc morbo, experimentiſque comprobatum remedium prædicat, D. *Boyle*. Pulvere pyrio ſuper parte demorſa accenſo, apud Americanos; & quarumdam decoctione plantarum levique partis læſæ ſcarificatione, apud venatores Pictavienſes, nulla eſt præſtantior viperæ morſus medela; ab antiquioribus, viperinæ partes coctæ, hoc ſerpente demorſis, feliciſſime exhibebantur. Tanquam certiſſimum ab Anglis celebratur oleum ſimplex olivarum (*b*), quod & toti membro illini poteſt, ſed in dubium revocavit illud pharmacum regia ſcientiarum Academia Pariſienſis (*a*), inventis & perfectis, Urbi & Orbi pariter notiſſima. Vulgo autem ignis, cauſtica, ligaturæ in parte affecta ejuſ-

(*a*) *Mead*, Lib. de Venen. Anglic. p. 29.
(*b*) *Vaterus*, Diſſertat. de novo Antidoto adverſus Viperar. morſ.
(*a*) Mémoire de MM. Geoffroy & Hunaud; année 1737.

ejuſque viciniis, adhibentur, nec non ſcarificationes quibus nonnulli cucurbitulas in principio ſuccedere volunt, remedium certe non contemnendum. Aqua muriatica ſive ſimplex, cui ſal ſolutum inſit, vel ſpiritus vini camphorati, aut ſpiritus theriacalis, calide applicantur vulneri, quod deinde prompte ſcarificandum eſt, & emplaſtro veſicatorio cum theriaca, emplaſtro de meliloto, ut & oleo ſuccini & caſtorei, ſimul mixtis obtegendum; deinceps in quavis deligatione, vulnus aliquo illinatur liquore, ut & oleo ſcorpionum, rutæ, chamœmeli, balſamoque Peruviano. Curationem abſolvunt alexipharmaca, diverſæ præparationes viperinæ, & omnia quæ cor ad celeriores vibrationes ſtimulando, naturæ conatum juvare poterunt. Hinc ſudorifica, & cardiaca pleraque promiſcue uſurpantur, cum eadem fere ſit utriuſque medicamenti indoles, poros aperire, ut facilius & admitti, & eliminari poſſit ſerum; recte equidem, iſta, donec nulla amplius veneni veſtigia hinc inde appareant, ſtatim & ſæpius exhibentur, theriaca præſertim, quæ amico amplexu, diffuſas veneni portiones ſibi adjungit, quas aut præcipites ſecum ducit, aut ſi fluitent adhuc, nullam noxam propter aſcitos comites valent inducere; ſed omnibus remediis, quæ vel non ſatis prompta, vel truculenta nimis ſunt, præpollet Alkali volatile.

I V.

Sal volatile, omnium medicamentorum, ſive natura ſive arte paratorum nobiliſſimum, ſpiritibus quibus abundat ſanguis analogum, hos recreat, reficit, & niſum, quo noxia quæque amoliri conantur, roborat, intimaſque corporis partes ſubit celerrime, occluſas venarum ſcaturigines, meatus cohærentes, humoreſque concretos, luminis adinſtar momento diſſolvit, noxioſque per corporis emunctoria eliminat. Hujus equidem effectus, varii erunt pro diverſa vulnerum & injecti veneni ratione, quantitate, qualitate, nunc citius, nunc tardius pro vario inſpiſſationis gradu, pro varia ſuccorum inſpiſſatorum indole, pro variis in quibus primum inſpiſſantur partibus, vim ſuam exercet, ſed ſemper feliciſſimo cum ſucceſſu, ſi ſtatim & ſæpius exhibeatur; hujuſce pharmaci præſtantiſſimam in eo caſu virtutem non ſatis commendandam reddit, eventus, pluribus circumſtantiis notabilis, & coram regia ſcientiarum Academia, a celeberrimo Bernardo *de Juſſieu* prolatus. Vir quidam, (*) regium profeſſorem una cum frequentiſſimis rei medicæ ſtudioſis, rei herbariæ cauſa, ut quotannis mos eſt, in agris concomitans, dum angues venabatur, in viperam, quam prima facie colubram autumavit, fortuito incidit (nam in viciniis Pariſiacis raro occurrit) eam, infelix heu, ex una in alteram manum ſecurus tranſmittebat. Ira ferox anguis, occupat

 hanc

(*) Menſe Jul. ann. 1747.

hanc morſu, lethiferamque ibi eructat ſaniem, formidabile virus; longis amplexibus illam implicat, triplicique demum tabidos morſu, depaſcitur artus. Dolore, & intumeſcentia quæ inflicta vulnera ſtatim ſecuta fuerunt, impulſus, unde & doctrinam, hic & etiam malis medicinam quærit. Extrema carpitur cauda ſerpens, & peritiſſimo defertur Magiſtro qui viperam, non colubram pronuntiavit, nullaque relicta mora, alkali volatile liquidum, & deinde ſal volatile, intus & extus adhibuit; res ægrotantis, quamvis in tuto poſitæ viderentur, & citiſſime appoſitum fuiſſet remedium, graviſſima nihilominus exorta ſunt ſymptomata. Brachia ad ſcapulas uſque, ſubitaneo tumore, horrendam in magnitudinem aſſurrexerunt, unde ligaturæ ex conſilio cujuſdam primum admotæ, ſublatæ fuerunt; nauſeæ vehementes, anxietates cordis, nec non ſyncopes acceſſerunt. Ad locum in quo pernoctandum erat, ægrum recto tramite tres diduxerunt Philiatri, & interea, aquam ſupradictam guttatim in vino mixtam ſæpe ſæpius ei exhibebant. Ibi adventus, lectum intravit, & juſculum, cui alkali volatile miſcuerunt, ſorbuit, quod delirium leve & ciborum per cœnam injectorum vomitum non amovit: ad dolores & torpores in brachiis levandos, vulnera, & partes inflatæ, oleo olivarum, & ſale armoniacali, hacce nocte ſæpius illata fuerunt. Demum poſt abundantes ſudores melius ſe habuit ægrotans, & ſex horis elapſis ita abſoluta fuit curatio, ut poſtridie, arva nobiſcum, prima luce petiit; per plures deinde dies, ſupradicto illitu, intus vero, ſale volatili uſus fuit. (*). Æque ſalubriter eodem fere proceſſu, pari caſu in uſum revocavit ſpiritum volatilem viperæ, doctor medicus D. *Yvon*, qui ſupradicti eventus teſtis fuerat.

V.

Exulet ergo tanta medicamentorum ſylva, qua nihil ad diſtinendam ægrotantium ſalutem, & ad praxeos rationalis, & efficacis incrementum remorandum deterius inveniri poteſt (*a*); ad pauciorem & ſelectorum numerum redigatur innumerabilis apparatus, quippe qui, *a curatoriæ methodi ſimplicitate, curati ſecuritas*, (*b*) quin imo, *permultis, & compoſitis, indicationibus, pauca & ſimplicia ſufficiunt medicamenta*, ut luculenter patet, elegantiſſima theſi celeberrimi hujuſce Academiæ ſocii domini *Heriſſant*; eo ſalubrius eſt illud pharmacum, quod pluribus & valde compoſitis ſupplet, quod eorum omnium vires in ſe continet: Alkali volatile, duris rigidiſque corporibus, in partes minutiſſimas dividi facile poteſt, & in exiles canaliculos permeat, naturæ laboranti juvamen affert;

ſi

(*) Ex dono Bacc. propon. ſervatur vipera in muſæo Hort. Reg. Plantar.
(*a*) *Hoffman.* Med. rat. Syſtem. Tom. 3. Sect. 2. Cap. 3.
(*b*) Theſis D. *le Thieullier.*

ſi quid eſt liquoribus, tenax, viſcidum, ac everberantibus ſolidoru moſcillationibus inobediens, illlud alkalium ope totidem cuneorum inſtar dividitur, atteritur, comminuitur. Præcipua hujus morſus curatio, in fibrarum elatere, & liquorum fluxilitate reſtituenda ſiſtit. Hæc omnia alkali volatilis uſu aſſequeris: partes ſolidas quibus præterlabuntur fluida, ad motum excitat, actuoſis particulis ſanguinem exagitat, & diſſolvit, vaſorum ſyſtolen adauget, diaphoreſim promovet, & ſudores. Forſan objicies, ſanguinem in patella effuſum, ab alkalibus pluribus tum fixis, tum volatilibus, oleoſis inſpiſſari (*c*), ſed hic effectus, ex aërearum partium miſcela oriri poteſt; an calorem quo pollet hocce medicamentum, noxium ſupponeres? Num ſemina quædam, & fructus nonnulli, acrius os afficiunt, & tamen ſalubre ſanguinis fervori frænum injiciunt; ſic ſemen Cardamomi, maſticatum, calido licet donetur ſapore, ſitim nihilominus, frigiditate, in ore ipſo ſalubriter extinguit; quid plura? Hujus medicamenti vim aſſerit experientia, quapropter non dubites concludere:

Ergo Specificum Viperæ morſus antidotum, Alkali volatile.

(*c*) Chym. *Boerhaav.* Tom. 2. p. 239.

CCXIX.

J. HENRICI SCHULZE,

ET AUCTORIS.

JO. GEORGII KRUMNAU,

DISPUTATIO.

QUA CORPORIS HUMANI MOMENTANEARUM ALTERATIONUM SPECIMINA QUÆDAM EXPENDUNTUR INQUE CAUSAS EARUM INQUIRITUR.

Halæ Septemb. 1741.

PRÆFAMEN.

Quum certus ſim medicinam duobus niti debere columnis, experientia & ratione; & quod ipſa ratio ex repetitis experimentis eodem ſemper modo cadentibus, horumque pluribus inter ſe collatis & comparatis, elicienda & producenda ſit: totam medici vitam ſentio nihil aliud eſſe debere, quam perpetuam obſervationem eorum, quæ in ſenſus incurrunt, atque ſeveram indagationem illorum, quæ ſenſibus abſcondita ſunt, & iſtos, quos per ſenſus noſtros percepimus, produxerunt effectus. Fuit quondam ſcholæ medicæ aliqua familia, quæ propalam profitebatur illam abditarum cauſarum indagationem, qua rationem venamur, ad medicum nihil pertinere: forte etiam Hippocratem non injuſte dicemus a rationibus requirendis aliquantum alieniorem, quam videri ipſum volunt clariſſimi viri, qui dogmaticorum ſeu rationalium patrem ac principem per complura ſecula decantant. Sed quod Hippocrates remotioribus cauſis requirendis ſedulo feliciterque ſtuduit, etſi in proximis induſtria ejus defecit: maneat ipſi laus, qua diutiſſime floret, per nos illibata. De empiricis autem manifeſtum eſt, quod totus mundus in profunda rerum medicarum ignorantia verſaturus eſſet, ſi ab exortu illius ſectæ manſiſſent & ad nos perſiſterent ejuſdem decreta, quibus omnem abditarum cauſarum requiſitionem abſcindebant. Nam qui anatomicum ſcrutinium corporis humani contemnunt medici, eos neceſſe eſt aut ignaros eſſe ſummi momenti acceſſionum, quas ars noſtra inde a ducentis annis, dante & procurante anatomia, accepit; aut de ſua, ad quam delati ſunt, ſecta ita ſentire, quod ad ſummum perfectionis apicem deducta ſit, & tamquam corpus athletice repletum in extremo boni habitus conſiſtat. Certe de ſecretionibus parum, præter facultates veterum, noſceremus, niſi anno, qui ante hunc præſentem centeſimus fuit. Mauricius Hoffmannus *Furſtenwaldenſis Marchicus ductum pancreaticum in animalibus inveniſſet, ſuoque hoſpiti Wirſungo oſtendiſſet, qui ſequenti anno in homine etiam repertum publicavit. Certe ab hoc tempore anatomici certatim glandulis quaſi venandis operam dederunt, infinitoſque ductus detexerunt, quibus diverſi latices multis locis effunduntur. Legat recentiſſimos phyſiologos, qui dubitat, an hæc inventa lucem attulerint. Quid dicam de circulatione ſanguinis, quid de chylo & lympha, horumque humorum viis, quid de novis, circa partes generationi inſervientes, inventis? Omitto hæc, cum longe pluribus, & pauca attingo, quæ in memoriam revocent quantum opera artis medicæ emendatiora certioraque per anatomen ſint reddita. Quanto nunc expeditior & facilior eſt fiſtularum lacrymalium curatio, præ illa priſtina, quæ non poterat non corrumpere & miſeriores reddere ægrotantes? Quanto nunc melior eſt herniarum curatio: & quam compendioſa multiſque modis certior calculorum exciſio, poſtquam anatomici ruditatem artis neceſſariæ emen-*

dandam, dirigendam, illuſtrandamque ſuſceperunt. Atque hæc pro anatomia empiricis viſa fuerunt reſpondenda. Quis autem exitus erit, ſi pro phyſica dicendum eſſet, quantum leges motus declarando, corporumque qualitates expendendo, aëris, ventorum, caloris, frigoris, diverſarum, quæ in aëribus & aquis occurrunt, mixtionum & adventitiarum qualitatum indicium faciendo, ortumque indicando, ad morborum generationem intelligendam & curationum vias inveniendas, operæ pretium faciat: aut ſi expediendum eſſet quantum ampliſſime patens chymia artem noſtram promoverit ad inveniendam mixtionem eorum, quibus recte comparatis valetudo ac vita noſtra quotidie producitur & continuatur: quantum ad venenorum diſtinctam cognitionem ea faciat, eodemque ad oppoſitam illis medelam cum recta ratione faciendam nos inſtruat. Hæc certe omnia ſi recte adhibeantur, & non tam inferantur in doctrinam medicam, forte extra corpus noſtrum particulariter viſa & obſervata, ſed in ipſo corpore obſervatis maturo providoque judicio ad illuſtrationem adhibeantur: oſtendunt ſane multas vias propius ad naturæ abdita penetrandi. Sed videtur optimam ſpem nimis ſæpe corrumpere feſtinatio, quando nos impatiens deſiderium novæ inventionis, aut omnino ſyſtematis novi, laudem decerpendi impellit ad extrudendum quod maturitatem nondum conſequutum eſt. Æque enim incrementa artis remorari videntur, qui ad placita ſectarum, tamquam in brevia aut ſyrtes devecti, hærent, quam qui libere in verum inquirere exorſi, navem inconſideratius vento ratiociniorum permittunt, a quo cæcis & latitantibus ſaxis impinguntur. Quare mihi hanc legem ſcripſi in veritatum medicarum ſcrutinio tenendam, nihil ut adſperner, quod vel ipſe fideliter obſervavi, vel a viris fide dignis annotatum & in commentarios ſuos relatum deprehendo, quodque plena fide hiſtorica dignum debeat haberi: deinde ut in eventus cauſa proxima requirenda in nulla acquieſcam, quæ ſupponitur, ſed indagando pergam, donec inveniam in corpore humano realiter præſentem, ſenſibus comprehendendam, & cum quæſito eventu manifeſtum nexum habentem. Ut autem exercitium perpetuum haberem, a longo jam tempore mihi præfixi indagationem momentanearum in corpore animali vivo accidentium mutationum: quarum ipſemet partem fidelibus & attentis ſenſibus obſervavi: partem ex virorum fide dignorum ſcriptis aut orali relatione accepi. Selegi autem ex multis pauca alterationum ejuſmodi ſpecimina, ne limites commentationis academicæ nimium excederem, & ut tempori anguſto, quum graves cauſæ reditum in patriam accelerare jubeant, conſulerem. Lectoris benevoli æquitatem imploro, ut omnia in meliorem partem interpretetur.

§. I.

§. I.

Alterationem, cum omni ſchola medica, vocamus ſtatus, qui ante fuit, notabilem mutationem, ſive illa in melius accidat, ſive in deterius. Atque talis accidit multis ſubjectis; ut aëri, quando ſerenus in nubilum, frigidus in calidum, ſiccus in humidum, aut quoviſcunque alio modo conſtitutus in diverſum aut contrarium migrat: ut vino generoſo, quanto lenteſcit, vappeſcit, aut in acetum tranſit. Sed medica conſideratione digniores ſunt alterationes, quæ in animalium viventium corporibus, præcipue autem humanis, eveniunt. Pridem itaque invaluit in medicina hoc nomen alterationum, quum vetuſtiſſimi therapiæ omnem, quam ægrotis navat, operam bipertitam voluerint: ſcilicet evacuatoriam, quæ nimia & noxia ſubducit; & alterantem, quæ qualitatem humorum aliter determinat, & his ita alteratis, firmarum etiam partium ſtatum & conditiones mutat.

§. II.

Latiſſimum illum conceptum, commodioris doctrinæ cauſa, emendavit Illuſtris Academiæ hujus *Senior Dom. Frider. Hoffmannus, præceptor ac patronus meus omni pietate & obſequio ætatem colendus in medic. ſyſtemat. Tom. III. ſect.* 2. *cap.* 4. qui quatuor medicamentorum ſumma genera docens, alterantium nomen illis reliquit, quæ materiæ vitioſæ corrigendæ dicata ſunt, & ab iis ſejungit, quæ ſolidorum ſtatum roborando & excitando, aut remittendo & ſedando, mutant. Quæ diviſio ut rei naturæ convenientiſſima, & docentibus ac diſcentibus aptiſſima eſt, quando de medicamentorum generibus agitur: ita non videor mihi contra mentem illuſtris venerandique præceptoris agere, qui alterationis vocabulum in tractatione mixta, ſcilicet pathologica & therapeutica, tam amplo ſenſu accipio, ut lædentium æque ac juvantium momentaneis effectibus conveniat.

§. III.

Momentaneas alterationes dicendo, intelligo illas, ubi inter tempus cauſſæ corpori allapſæ, vel quocunque modo inſinuatæ aut illatæ, illiuſque conſpicuum effectum, ſive ſalubrem ſive inſalubrem, nullum omnino intercedit notabile intervallum. Atque hujus generis non pauca notantur in vita hominum, ubi a re audita, viſa, odorata vel ore adſumta, ipſo illo momento affecti exſternantur, concidunt & vitæ ſuæ ipſimet ignari, alios de ea dubitantes, aut non multum boni ſperantes

reddunt. Et quamquam ab illo initio continuo augeſcentes læſiones ſæpe progrediuntur, & graviſſimos effectus tandem producunt; ut finis ſeu eventus iſtiuſmodi momentaneus non poſſit dici: quoniam tamen cum initio, perpetua & neceſſaria ſerie, cohæret eventus poſterior; non vereor ne litem mihi de nomine quiſquam moveat.

§. IV.

Quum multa occurrant iſtiuſmodi alterationum exempla, quas momentaneas optimo jure dicas: haud ſcio an me reprehenſurus quiſquam ſit, ſi dixero & graviſſimas & frequentiores eſſe, quæ initium capiunt ab aliqua cauſa, quæ auditum & viſum afficit: maxime ſi, quod vix abeſſe in his binis ſolet aut poteſt, animi magna & improviſa commotio conjungatur. Sic pleraque exempla graviſſimarum paſſionum præbent feminæ, præcipue gravidæ aut menſtruatæ, quas incurrerunt ſubita tempeſtate exorta, quæ magnis tonitruis aut fulgetris vel in ipſas ædes, quas habitaverunt, vel vicinas delapſis, incendiove excitato periculum magnum adduxerunt, aut minatæ fuerunt. Deinde conſpicientes oculis ſuorum, quibus tamen ſuccurrere non poſſunt, maximum & improviſum periculum; tantoque magis læduntur & afficiuntur, quanto ſecurioribus & tale quid minime exſpectantibus tam triſtia objiciuntur oculis.

§. V.

Sed & per olfactus & guſtus ſedes in nos primum delata, ipſo momento, quo tam breve iter trajiciunt, incredibiles ſæpe effectus perpetrare ſolent, tam ad juvandum excitandumque, quam ad animi deliquia, ſtrangulatus uterinos, epilepticas convulſiones, mentis perverſiones alienationeſque ſubitaneas inducendum. Tandem etiam tactum accenſere debemus illis feneſtris, per quas mors cum morbis ſubire vitalem œconomiam valet. Non multa, fateor, ſpecimina occurrunt, quæ ſatis clare comprobent tactum, quatenus organum ſenſus denotat, & in manu eminenter collocatus eſt, momentaneas producere aut potius primum ſuſcipere & in univerſum corpus diffundere & propagare poſſe alterationes. Nam quod frigus, calor, humiditas, ſiccitas, horumque viciſſitudines brevi tempore ſibi ſuccedentes potenter agant & celeriter, nemo negaverit: dubitabunt tamen plerique, an hic magis in humores alteratos & hinc per totum corporis habitum undique ad interiora recurrentes cauſſa conjicienda ſit, quam in tactus organum, per ſe & privatim patiens.

§. VI.

§. VI.

Enimvero omnem eximit animo dubitationem, quod apud graviſſimos ſcriptores, tam veteres quam recentiores, conſignatum de torpedine piſce legimus. Tantum ſcilicet ſcribunt vivæ vim ineſſe, ut retibus capta, antea quam manu attingatur, manum lacertoſque piſcatoris ſtupore non modico afficiat. Quin ſi quis contum vel haſtam mari immiſerit, illaque hunc piſcem attigerit, celeriter ſtupor manum corripit. Ex quo factum eſt, ut jam a bis mille annis de tam ſingulari efficacia, per maris inquietas undas, per funes retium, per contos hamorum tranſmiſſa diſputatum fuerit. Et ne manibus ſolum infeſtam putemus, etiam de pedibus nos certiores reddit *Plinius hiſt. natur. lib.* 32. *torpedo*, ſcribens, *etiam procul & e longinquo, vel ſi haſta virgave attingatur, quamvis prævalidos lacertos torpeſcere facit, & pedes, quamlibet ad curſus veloces, alligat & retinet.*

§. VII.

Videntur etiam tactui plurimum debere illæ alterationes, quas relatas legimus apud *Anſelm. Boetium* de *Boot de gemm. & lapid. libr.* 2. *cap.* 102. & ex eo repetitas apud *Rob. Boyle de utilit. philoſoph. experimentalis* exercit. 5. *pag.* 279. Scilicet *Boetius* apud illuſtriſſ. Baronem de Kniphauſen didicerat vim inſignem jaſpidis rubræ, in menſtruis impetuoſis ſubito ſiſtendis, quum femori alligata eſſet: ut & in vulnere pedis, quum nihil ad ſanguinem cohibendum valeret, eandem admotam, etiam non tecto vulnere, hæmorrhagiam extemplo ſuſtuliſſe. Harum curationum memor, quum virgo per ſex annos menſtruis nimiis & impetuoſis ita vexata, ut vix umquam hebdomada præteriret, quin aliquoties ipſi ſanguis efflueret, quæque omne genus præſidiorum & medicamentorum fruſtra tentaverat, opem ejus imploraſſet: ſepoſitis aliis omnibus utendam ipſi dedit jaſpidem rubram, crebris experimentis antea ſpectatam, quam collo appenſam gereret. Siſtitur illico ſanguinis fluxus, nec redit, quamdiu gemmam geſtat: ſi deponeret, interjecto non longo tempore redit, idemque, gemma iterum appenſa, ſtatim ſiſtebatur.

§. VIII.

Dantur etiam notabilia alterationum ſatis celerium ſpecimina, in quibus obſcurum eſt quis ſenſus potiſſimum primumque afficiatur. Refert illuſtr. *Rob. Boyle de inſign. effic. effluvior. cap. 6.* de virgine nobili quæ a roſis tantopere offendebatur, ut etiam ignara nulloque ſenſu de præſentia earum admonita, anxietatem ad lipothymias properantem perciperet: cujus rei experimentum, in principiſſæ cujuſdam aula captum, plu-

pluribus refert. Nota mihi eſt nobilis matrona, quæ feles jam adultos circa ſe pati poteſt: ubi autem exigui & nondum adulti conclave ſubeunt, maxime inſciam illico admonent de ſua præſentia anxietate cardialgica ad ſyncopen, niſi animalculum cito removeatur, progrediente. Forte tamen omnium maxime mirabile eſt, quod in viro illuſtri, & maxime forti animo ac corpore prædito, noſtro tempore multis cognitum eſt. Is quum omne pomorum fructuumque horæorum genus ſine offenſa ferat, ab una tamen pomorum ſpecie, quam vocant *Herren-Æpfel*, tantopere læditur, ut, ſi ipſo maxime inſcio vel unicum in conclave, quo degit, inferatur, mox animi deliquio corripiatur: cujus rei experimentum in aula magni principis factum eſſe, multis referre poſſem, ſi longiorem ſermonem liceret texere.

§. IX.

His momentaneam alterationem inducentibus proxima ſunt, quæ admodum exiguo ab aſſumtione aut applicatione intervallo, vix uno aut altero horæ minuto longiore, corpus aut mentem mirifice alterant & pervertunt: utinam ſint, quæ æque certe & celeriter eam poſſint in ſtatum integrum reſtituere. Nequiſſimum apud exteros paratur unguentum, cui odores admiſti pulchrum balſami nomen dederunt, cujus ſi vel tantillum, quod piſi magnitudinem æquet, ſubter nares hominis inungas, ex leviter in iram concitato reddet furioſum, feminæ autem ad voluptatem blandis ſermonibus paululum flexæ, omnem pudorem, omnem, quam ſana ratio requirit, continentiæ curam aufert. Ejuſdem generis eſt pernicioſum daturæ ſemen, cujus in ſanæ rationis & conſcientiæ uſu auferendo tam multa exſtant, tamque infamia ſpecimina, ut ab eo tempore, quo primum ab Indis ad nos mitti cœpit, omnes libros medicorum querelis de maleficiis ſuis impleverit.

§. X.

Sufficiant hæc ſpecimina alterationum momentanearum: quibus tamen nonnulla adjicere commode debebimus, in ea, ad quam illico accedemus, indagatione proximæ cauſæ. Iſtud tantum monemus, quod in exemplis alterationum, quas concitati affectus ſubitanei intulerunt, longi eſſe noluerimus, quum copioſe de illis a doctis viris pridem actum fuerit, ex quibus indicamus, qui ad longe plures remittit, b. D. D. *Chr. Jo. Langium* in binis diſſertationibus, *de animi commotionum vi medica, & de mortuis ex affectibus.*

§. XI.

§. XI.

Atque has omnes alterationes, quando in titulo diximus fieri in corpore humano, illud utique vivum intelligimus; nam mortuum, præterquam putredinoſi corruptivi, nullius motus capax eſt: has autem omnes alterationes, motuum tam in fluidis quam ſolidis, eſſe alias determinationes, quam brevi antea fuerant, manifeſtum eſſe exiſtimo. Dum vivum dico, eodem ipſo dico in tali ſtatu conſtitutum, ut arctiſſimus inter animam atque corpus nexus ſubſiſtat: proinde itaque animam minime excludimus, quippe per organa ſenſuum, animalibus functionibus utique ſervientia, tam quæ celeres mutationes ad pejorem, quam ad meliorem ſtatum afferunt, corpori primum allabi diximus. Sunt præterea quam plurima facultatum animalium valde tunc alteratarum documenta: in illis utique qui ſine ſenſu, motu, ſuique conſcientia jacent. Quum vero hæc de anima diſceptatio nihil, quod in ſenſus incurrat, adeoque convictionem ſenſualem, quæ in experientia eſſe debet, afferre poſſit, ex ulla parte præbeat; ſummique medici & philoſophi in diverſum longe hic abeant: ſtatui mihi omnem hanc de animæ in harum alterationum eventu partibus & concurſu diſceptationem ſuo loco relinquendam, mihi vero illa ſuperſedendum eſſe.

§. XII.

Jam ut mihi aditum ad hanc indagationem parem, experimenta quædam, cum ab aliis capta, tum a me ipſo inſtituta, teſtibus ſemper adhibitis, recenſebo. Animal quodcunque recens mactatum, ſi ſanguis omnis, ablato capite, effluxerit, &, modo nondum omnino obriguerit, in ſpinalem ejus medullam acum ad hoc ſatis firmam & commodam impreſſeris, illico obſervabis motum aliquem, qui artus trahit & convellit. Hoc quum alii in aliis experti fuerint; ipſemet in ranis ſæpius: nuper autem in cane, cui caput amputatum fuerat, omniſque ſanguis effluxerat, tentavi, eo ſucceſſu, qui omnium exſpectationem ſi non ſuperabat, certe implebat. Puncturam enim factam illico excipiebant ſatis notabiles, quin celeres & vegetæ artuum ſuperiorum commotiones: quumque retracta acu ſexies eandem iterum imprimerem, moveri & contrahi ſemper eaſdem partes, quamquam ſemper imminutius, obſervabam. Quum vero ad lumbares vertebras eandem acum poſtea adigerem, non licebat motum contractionis ullum conſpicere. Habeo a viro fide digniſſimo, multiſque annis Lipſiæ commorato, quod ſuo tempore id experimentum in homine violenta morte exſtincto, in almæ univerſitatis theatro factum fuerit, omnibuſque admirationem moverit ſucceſſus ejus.

§. XIII.

Puto me ex adducto experimento ſatis juſte colligere, quod & ante me docti viri tam ex illo, quam iis, quæ chirurgi in capitis vulneribus quotidie obſervant, didicerunt & docuerunt, eſſe ſcilicet inter corporis noſtri partes ad motum ſuſcipiendum nullas promtiores & celeriores illis, quæ a cerebro, membranis ejus inveſtitæ, proxime exeunt; tum vero quæ a medulla ejus per dorſi ſpinam demiſſa, iiſdemque membranis involuta, procedunt: denique illa, quæ majores nervorum ramos accipiunt aut membranas habent cum cerebri involucris proxime & immediate conjunctas, aut plures diverſorum ramorum propagines nervoſas, in ganglia plexuſque coadunatas, deinde iterum de ſe emittunt & propagant. Qui autem nervi integumentis minime involutis prodeunt, ut qui a proceſſibus cerebri mammillaribus per tunicam narium pituitariam diſtribuuntur, motui non æque apti ſunt & deſtinati; ſed tanto interiorem ad animalis facultatis ſedem acceſſum præbent: unde odores ad vires refocillandas plurimum valent, & efficaciam celerem exſerunt; ſed & non minus pernicioſis atque nocentiſſimis exhalationibus portam aperiunt.

§. XIV.

Olfactus atque guſtus organum arcte inter ſe cohærent: quod vitæ quotidianis experimentis cognitum eſt, etiam illis, quæ medicinæ omnium minime vel gnari vel curioſi ſunt. Efficiunt autem illam cognationem, & notabilem officii communionem, nervi ab eodem pari quinto exorti, quorum pars magna ad ſuperiorem maxillam, naſum, palatum, uvulam, parteſque cum his connexas, diſtribuitur: ſed nec minor portio maxillæ inferiori, præcipue autem linguæ, impenditur. Et quamquam ſunt hodie, qui, ſub celeberrimi viri ductu, officium guſtatorium, huic quinti paris propagini ablatum, in nonum par, quod alias linguæ motorium habebatur, transferunt: neſcio tamen, quam id juſte faciant, & an gravius pro ſuo guſtatorio vel argumentum vel experimentum attulerint, aut auferre poſſint, quam quo *Realdus Columbus*, excellentiſſimus anatomicus, omni, ut mihi videtur, dubitatione majori documento, ab experientia rerum magiſtra ducto, quinti paris officium luculentiſſime comprobavit *de re anatomica lib.* 15. *p.* 264. edit. venet. fol. Quanquam enim iſte doctiſſimus anatomicus adducto loco de pari quarto loquitur: neminem tamen offendere hoc debet, qui novit, quam non longiſſimum tempus effluxerit, ex quo olfaciendi officium iſtis per os cribroſum trajicientibus cerebri portionibus medullaribus, tunicam narium ſubeuntibus, attribuere cœptum fuit.

§. XV.

§. XV.

Jam igitur mirari tantopere non debemus, ſi nervi tam propinqua via e cerebro egreſſi, deinde ita a natura conditi, ut debeant ab oblatis immediate *, quamvis ſubtiliſſimo modo, quem potiſſimum *Marcellus Malpighius* docuit, contingi, atque hinc in ſe factam mutationem ad ſenſorium commune deferre; ubi in debilitatis grato quodam & analeptico excitante contacti fuerunt, non ſolum in naribus & oris partibus ſubſiſtentem effectum exerant, verum etiam illico & celerrime ad ſui originem, cerebrum puto, tranſmittant. Accedit, quod effectum eorum, quæ in nos per olfactum guſtumque delata ſunt, magis propagari oportet, guſtatorii ſeu quinti paris per complures partes diſtributio, quum non ſolum variis oculi partibus, verum etiam faciei pleriſque ſeſe immittat. Omnium autem maximum eſt, quod pro nervi intercoſtalis compoſitione in ipſo adhuc cranio partem largitur, qui deinceps juxta ſpinam dorſi per thoracem & abdomen latiſſime decurrens, & cum vago pari omnibuſque ſpinalibus infinitis ſeſe modis & locis conjungens, fere omnium in corpore plurimum admirationis impenſæque indagationi operæ pretium reddit. Et quemadmodum de gratis atque amicis illud apertum eſt, ita non minus manifeſtum & ex parte antea jam monitum, quod noxia ſeſe haud minori facilitate hic inſinuare atque hinc diffundere longe lateque poſſint.

§. XVI.

Videtur autem nec injucunda neque inutilis quæſtio, quidnam iſtud dicere debeamus, quod ſe per guſtum odoratumque nervorum extremis papillis applicat, & quo pacto in illas agat? An ſubſtantialiter aliquid nervos ſubeat; an vero tantum tractio, ſtricturave, vel e contraria parte remiſſio tonique deſtructio fiat? Sic quando perpendimus, quam ſævos effectus in nos edat tonitru, vel improviſo vel gravius ſolito auditum, fulgurque aut incendium, vel alia res terribilis viſa auditave: vix quiſquam erit, cui non abſurda moliens videatur, qui aliquid ſubſtantiale & materiale vel ſuſpicari hic velit & requirere. Enim vero ut in illis, quæ per auditum viſumve concuſſa & quaſi proſtrata ſunt, prorſus exiſtimo motum tantummodo profunde pertinaciterque alteratum in culpa eſſe, ita tamen ſpero, me effecturum, ut excuſatus videar ſtatuere, quod in effectibus, qui ab odoratu, maxime autem guſtu pendent, etiam materialis quædam ſubſtantia nervos intret & per hos in corpus celerrime diſpergatur.

§. XVII.

Quibus id argumentis inductus mihi perſuaſerim, paucis expediam. Audiveram *D. D. Præſidem* non ſemel auditorio ſuo recenſentem experimentum, quod ante hos 25 annos, in corona multorum commilitonum, inſtituerat, animo certe nil minus, quam præoccupato. Scilicet legerat in diſſertatione quadam inaugurali apud Belgas habita ſubjunctum corollarium, quo provocabantur omnes anatomici, ut darent, ſi poſſent, rationem, qui fieri queat, ut, ſi cani vivo vegetoque crus integrum uno impetu amputaretur, atque ſub ea, quam evenire neceſſe eſt, hæmorrhagia paucæ guttulæ liquoris cujuſdam ſtyptici rubri ori indantur, momento plane, abſque ulla deligatione aut arteriarum conſtrictione per fila obducta, impetuoſus ille fluxus ſubſiſtat. Videbatur hoc magnum & admirabile: obverſabatur tamen animo, quod arteriæ diſciſſæ, motu contractionis, per validum ſtypticum inducto, retrahi & ab circumjacentibus partibus comprimi potuerint. Exiſtimabant itaque patroni & amici, cum quibus de hoc argumento collocutus fuerat, dubio huic eſſe obviam eundum ea providentia, ut arteria non diſcinderetur, ſed incideretur commodo ad arteriotomiam inſtrumento. Procuraverat inter hæc amicus, ipſemet medicus, liquoris hujus ſufficientem quantitatem ex Batavis tranſmiſſam. Cum omnia jam neceſſaria ad manus eſſent, cani ex venaticorum genere, menſæ commode alligato, cutis in ſummo crure aperiebatur, &, quantum neceſſarium erat, diducebatur, ut arteria libere conſpiceretur. Infligebatur vulnus, ſaliebat ſanguis longe lateque in altum, & arcum bene longum faciebat. Hoc viſo fibulatum lorum ori circumductum momento aperiebatur, & cochleari, quo ſaccharum infuſis calidis admetiri ſolemus, infuſæ guttæ forte triginta ori immittebantur. Momento ſubſiſtebat ſanguis; & vulnerato loco thrombus coagulatus ſuperſtabat. Non longo tempore interjecto ipſa liquoris conficiendi formula cum Exc. *D. D. Joanne Junckero* communicabatur, ad cujus præſcriptum *D. D. Præſes* prorſus ſimilem & experimentis pluribus comprobatum elaborabat, ex hæmatite præparato, cryſtallis tartari & aceto bono deſtillato diu una digerendis, donec acetum colorem rubrum ſaporemque bene ſtypticum acquirat: quo facto modica ſpiritus vini quantitas ſucceſſive additur.

§. XVIII.

Quum hoc experimentum ſemel iterumque repetitum, ſæpiuſque a *D. D. Præſide* in prælectionibus ſuis laudatum eſſet, in mentem venit alicui amico meo, annon idem poſſit effectus impetrari alio quodam liquore ſtyptico, quorum in officinis aliqui haud contemnendi ſemper pro-

proſtant, aut non magno temporis impendio parabiles ſunt. Sumſit itaque illum liquorem martialem, in diſpenſatorio Boruſſo Brandenburgico ſub hoc titulo deſcriptum, ſcilicet qui paratur ex reſiduo a floribus ſalis ammoniaci martialibus in cella per deliquium ſoluto. Hunc cani, ut decet, ligato ac ſanguine per apertam arteriam ſaliente, ori infudit, atque omnino eundem inde effectum obſervavit. Ipſemet tandem, ante menſis forte ſpatium, utriuſque liquoris, tam ſtyptici rubri Dippelliani (ad hunc enim auctorem refertur) quam dicti martialis experimentum cepi: omninoque de ſucceſſu certus ſum: quanquam non diffiteor mihi efficaciorem viſum fuiſſe liquorem martialem, illo ſtyptico Dippeliano: cujus culpam tribuo aceti, minus quippe, quam volebam, generoſi imbecillitati.

§. XIX.

Neſcio annon maxima admiratione in his experimentis dignum ſit, quod ſtypticus liquor momento ab ore ad crus ſatis diſſitum pertigerit. Pertigiſſe autem effectus docebat. Erat enim in ore inflicti arteriæ vulneris conſpicuus thrombus, ſeu tenaciter coagulati ſanguinis grumus, leviter faſtigiatus, qui, inſtar epiſtomii, vulnus obturabat, atque egreſſum ſanguinis omnino prohibebat. Jam mihi plane videtur, ſi infuſus ori liquor tantum in ſolidas partes egiſſet, eaſque, nervis in ore ac œſophago fortiter ſtrictis, deinceps momento procurrente motu, etiam in reliquo corpore valide adduxiſſet; meram labiorum vulneris conſtrictionem accidere debuiſſe. Quum autem effectus in ſanguine coagulatorius, qualem fortia tantum acida producunt, in oculos clariſſime incurrerit: quis non miretur momentaneam celeritatem delatæ ab ore ad crus medicinæ coagulantis, quæ profecto non potuit per ordinarias vias ad œſophagum primum veniſſe, deinde per lactea aut lymphatica vaſa ad ſanguinem deducta fuiſſe, quantumvis rapidum nobis per has partes aſſumtorum progreſſum nunc velimus fingere, quem alias placidiſſimum & lentiſſimo gradu ſuccedentem omnes phyſiologi nobis proponunt.

§. XX.

Enimvero objicies nobis, quod parum vero ſimilia ſint, quæ de medicina ſtyptica, per nervos celerrime provecta ad arteriam vulneratam, diximus. Antiqua eſt, & toties repetita oblocutio, quod in nervis cavos ductus oſtendere non liceat. Non reponam hoc loco ſæpius reſponſa, quod non omnino aut fieri nequeat aut umquam factum ſit, ut conſpiceretur ex majoribus nervis diſciſſis alicujus humoris effluxus: ſed ipſius poſtulati iniquitatem tantum oſtendam. De nervis, mollibus utique & poroſis partibus, tam inexorabiles ſumus, ut progreſſum alicujus

fluidi per illos nolimus admittere, niſi oſtendantur ductus cavi, per quos ſeta aut ſtilus immitti forte poſſit, quum de oſſibus, longe certe durioribus & rigidioribus, nemo dubitet, quin fibræ eorum cavitatem habeant, per quas influat, quo ad vitalitatem eorum conſervandam, & ad augenda illa ſecundum omnem dimenſionem, a prima inde ætate ad conſiſtentem opus eſt. Fracta oſſa, quando adducta materia, quæ in callum abit, conſervent, annon probant eſſe fibras, diaphyſin eorum conſtituentes, quantumvis videantur compactæ rigidæque, ductibus cavis, per quas tenuiſſima lympha adfluat, præditas?

§. XXI.

Suſpicaberis forte non per fibras oſſium diaphyſin conſtituentes illud fluidum, ſed a perioſteo ſuppeditari: adeoque ad id, cujus cauſa oſſeæ fibræ poroſitatem adduxi, comprobandum eam non quadrare. Enimvero cauſa non cadam, etiam ſi liberalis ſim in largiendo tibi quod poſtulas. Superſunt enim mihi, quæ in praxi toties viſæ ſunt, in medio diaphyſeos duriſſimorum oſſium exorti veri magnique tumores, in quibus tandem arte chirurgica apertis collecta humiditas menſurabilis ac ponderabilis deprehenſa fuit. Qui in ebore elaborant artifices haud exiguo damno ſuo ſubinde incidunt in tales duriſſimi oſſis abſceſſus: quorum unum, qui multas uncias limpidæ aquæ continuit, *D. D. Præſes* vidit Norimbergæ apud b. *D. D. Goetzium*, apud quem ad inviſendum diverterat, quum artifex recens inventum, & adhuc bona humiditatis quantitate intus ſervata caute exciſum eum adferret. Qua occaſione plura in eboris media & duriſſima parte enata abſceſſuum ſpecimina, ab artificibus redemta, non ſine admiratione conſpexit.

§. XXII.

Et annon quotannis nobis obverſantur arbores, juſto tempore ſucco turgentes, ut ad integras pluresque menſuras intra paucas horas eum poſſis educere: v. g. betulæ, juglandes. Erras ſi per corticem eum putas emitti: videas enim in Germania inferiori & Livonia mea, ubi præ ceteris betulæ & multæ & annoſæ ſunt, pro ſucco colligendo & exhauriendo veris tempore truncum earum magnis & profundis excidi cavitatibus. Et qui ex juglandibus aquam limpidam ſapidamque cupiunt, Januario menſe ex majoribus radicibus unam ad medullam uſque perforant, ſicque in vas commode apteque appoſitum, ſi ceteris recte proſpectum ſit, aliquot menſuræ ſucci confluunt. Si autem vel juglandem vel betulam alio tempore ſucci obtinendi cauſa ſollicites, lignum ejus ſiccum invenies, & non multo plus humidi, quam ex arida pumice, obtinebis. Earundem arborum ſiccata ligna ſcriniariorum, tornatorum, doliariorum elegan-

elegantioribus & firmioribus operibus idonea reperiuntur. Ebur autem quam firmum durumque ſit, quid attinet hic multis inculcare?

§. XXIII.

Sed ex levi diverticulo in viam atque ad nervos redimus, viſuri quid celerem decurſum & momentaneam propulſionem intra ipſorum poros ductuloſque receptorum valeat efficere. Diximus antea illos nervos, qui per organa olfactus guſtuſque diſtribuuntur, ita fuiſſe a natura fabrefactos, ut involucris poroſis obducti & reconditi ſint, per quæ odorabiles & guſtabiles particulæ, penetrantes ad papillas nervorum extremas atque ſubtiliſſimas, eas immediate & ſubſtantia ſua adficiunt. Jam itaque ſi blanda, naturæ amica & non nimis confertim illata illa ſint, effectum blandum & œconomiæ vitali commodum edere valent: ut quotidie videmus ex odoratorum, ſpirituoſorum, vinique vel aceti tempeſtivo uſu, ut & ore hauſta & in illo tantum detenta efficaciam jam edant optabilem. Sic animo defecti præ imbecillitate, jam recreantur, quando analepticum ore tenent; aut naribus admota odorabilia obverſantur. Fit inde perſpicuum, quod ad nervos immediate accedant: quod autem intra illos de talium ſubſtantia aliquid recipiatur & per corpus celeriter diſtribuatur, experimentis adductis credimus comprobaſſe. Supereſt itaque una quæſtio, quid ſit in nervis, quod tam celeriter impellat & diſtribuat receptorum ſive laudabiles ſive noxias vires.

§. XXIV.

Nihil autem vereor omnem hunc fructum tribuere maximo artificio conſtructis gangliis nervorum, quorum fabricam atque uſum ſagaciſſimus atque accuratiſſimus anatomicus *Jo. Bapt. Morgagnus*, *adverſ. anatom.* 2. magis, quam ante ipſum quiſquam, illuſtravit: exquiſita autem & luculenta diſſertatione explicavit illuſtriſſimus etiam poſt fata *Jo. Mar. Lanciſius*. His duumviris docentibus iſtud novimus, eſſe ganglia veluti corcula quædam ſtructura muſculari compoſita, arteriis ſuis veniſque, per tunicas exteriores ad interiorem ſubſtantiam admiſſis, prædita, unde accipiunt vim ſemet contrahendi, & contentum appulſumque liquidum, vegeto motu, quaſi ejaculandi. Atque ſane notabile eſt, quod ad ganglium paris intercoſtalis ſupremum, ubi a pari vago inſignem ramum accipit, eodem loco non minor ad linguam excurrit, per quem utique communicatio manifeſta & in oculos incurrens prima perficitur, quæ autem deinceps, uſque ad ganglium ſecundum, in thoracis ſuprema regione jacens, per complures alios nervos ab lingua, oris palatique partibus ſæpiſſime augetur & intenditur. Cumque nunc exinde per thoracem & abdomen ita pergat hic intercoſtalis nervus, ut, non dicam ſingulis nervis

vis a ſpina exeuntibus fila impertiatur, ſed in arteriarum venarumque ſingularum tunicas ſeſe immergat, eaſque variis modis ſtringat, inveſtiatque, non video, cur fieri non poſſit, ut intra vaſa, vaſorumque tunicas aliquid deponant ex eo, quod intra ſe receperunt. Sic acidas penetrantiſſimas, itidemque ſtypticas ſubtiliſſimas particulas ad arteriam vulneratam perduxiſſe, atque in ipſa vulnerata tunica arteriæ effluenti ſanguini admiſcuiſſe, atque ſic coagulum induxiſſe, mihi prorſus perſuadeo.

§. XXV.

Atque eadem ganglia mihi prorſus videntur haud minimam partem habere in effectibus aliarum medicinarum, ſubito, vel ad ſanitatem vel perniciem, aut magnam læſionem corporis operantium. Ex quo tempore ſalis ammoniaci commendatio ad curandas febres intermittentes cœpit ſcriptis divulgari, viſum fuit hic quoque accidiſſe, quod in infinitis aliis, vt, ſi nimis ampla & univerſalia promiſſa minus ſpei reſpondeant, ad medicamentum, ut loqui ſolent, rectificandum & exaltandum animus adjiciatur. Id hic quoque factum eſſe rerum documentis patet. Primo flores ſimplices expetebantur. Quum hi prodigioſas curationes non facerent, adhibebantur citrineſcentes martiales. Tandem, ut non quieſcere ſolemus, donec ex bonis nimium bona, ſed bonæ valetudini tanto ominoſiora, arte procudamus: elaborati ſunt flores hi cum hæmatite facti, aurantii obſoleti coloris: quorum uſu quum unus itemque alter momento ipſo, quo ore acceperat, gravi ſomno obrutus, nihilque ſui conſcius jacuiſſet, atque deinde evigilaſſet febre ſolutus: mirum in modum encomiis ferebatur hoc ſulphur anodinum. Sed quum pergeretur alacrius, accideretque ut vir ſenio propior iiſdem floribus acceptis obdormiret, numquam evigilaturus, ſicque a morbo in perpetuum liberatus libitinæ commendandus eſſet: cito, & merito quidem, deſiit illius medicinæ fiducia, factumque deinceps fuit, ut ſollemniſſime inter venena narcotica ſcriberetur.

§. XXVI.

Quorſum hæc valeant adducta, paucis dicam. Momentanea narcoſis, omniumque ſenſuum feriatio, in ſenſus incurrit. Si quis medicamentum vel minima quantitate guſtu exploret, profundiſſimam adſtrictionem, tantum non ſtrangulatoriam, ori & faucibus illico impreſſam diuque inhærentem, non ſine vertiginoſa ad caput congeſtione experietur. Idem tamen eſſe volatile docet ejuſdem confectio: nam ſi encheireſes probe teneantur, non ſolum facile & mediocri igne, ſed copioſe & confertim adſcendunt flores iſti. Et quoniam illud martiale, quod tantopere, ad ſtran-

ſtrangulationem uſque, adſtringit, cum ſalino ſolubili & per ſe penetrante conjunctum eſt, vehiculoque ſolutum exhibetur; illico ſe poris linguæ, palati, faucium & œſophagi inſinuat, per omne nervoſum genus diffunditur, ganglia plexuſque vehementi ſua adſtrictione contrahit: a quibus viciſſim tunicæ arteriarum ad ſuperficiem excurrentium anguſtantur, ut humoribus illuc excurrendi libertas magna ex parte adimatur, intus autem intra majora vaſa acervati hæreant, ad cerebrum copioſius irruant, oppletiſque vaſis corticalem ſubſtantiam intrantibus medullarem ſubſtantiam, ex qua prima nervorum ſtamina producuntur, premant: illaque durante ſtuporem illum ſeu effectum narcoticum, inducant & ſuſtentent.

§. XXVII.

Si inter hæc fiat, ut vis naturæ corporeæ, per acervatos in vaſis humores, excretoria organa recludat & perrumpat, ibique effluxum & exitum, cum medicinæ ſalinis permixtum adſtrictorium habenti, tum ſimul halituoſis aliiſque in morbo acervatis ſordibus inveniat atque aperiat: ſalutem ægrotus recuperat. Quod ſi vero in corpore humoribus ſuperonerato, viis non facile expediendis, humoribus autem ad motum non diſpoſitis, eadem accidant, rem ad eventum apoplecticum decurrere minime debemus mirari. Videnturque in hoc genere majoris periculi, quæ cum volatili expanſivo principio profunde adſtringens una habent: quam quæ ſine illo turgefaciens tantum & orgaſticum poſſident. Certe ab oleo animali Dippeliano, quin ſpiritu cornu cervi probe facto, viſi ſunt homines epileptici, aut febre intermittente laborantes, ſi juſto tempore ante paroxyſmum data fuerint, profunde ſopiti aliquot horis jacuiſſe; tandem cum exſudaſſent, expergefacti cum euphoria fuerunt, neque tamen, quod ad meam notitiam pervenerit, quiſquam inde funeſtum ſoporem contraxit.

§. XXVIII.

Quum de medicinis momentaneum effectum edentibus ſermo ſit, non poſſum quin inſeram ſpecimen notabile, quod *D. D. Præſes*, præceptor omni obſequio ætatem colendus, cujus fideli inſtitutione in quintum jam annum, ædibus autem & convictu per tres admodum annos magno cum fructu uſus ſum, doctrinæ & admonitionis cauſa ſubinde recenſuit. Scilicet puerulo ſemeſtri paululum majori, quum miſerandum in modum per aliquot horas ejulaſſet & abdomen contorqueret, injecta autem enemata; atque neſcio quæ alia exhibita, parum conſpicuæ opis tuliſſent, ſuaſu matronæ cujuſdam petebatur ex pharmacopolio pulvis, cujus effectum optabilem in aliis ſæpe ſpectaſſet. Dabatur modica quantitas: quæ vix ori infuſa fuerat, quum puellus in medio ejulatu tamquam obmuteſceret, oculos clauderet, ſomnum placidum caperet. Quam id optabile initio fuerat vi-

viſum, tam ſollicitos reddebat parentes momentanea mutatio & ſomnus, quantumvis placidus, ultra octavam jam horam continuus. Advocabantur, quotquot haberi poterant medici, qui metum eximebant, quum libere reſpirantem & belliſſime tranſpirantem viderent. Examinato pulvere, qui ex epileptico M. ſpecieb. diaireos & ſaccharo penidio concinnatus & guttula una vel altera laudani liquidi Sydenh. concinnatus fuerat, inveniebatur centeſimam forte grani unius opii partem fuiſſe, quæ tam momentaneum, tamque conſpicuum effectum ediderat. Quum poſt aliquot interjectos dies eadem in puſione exacerbatio dolorum accederet, jamque medicina confidentius daretur, vix conſpicuum fuit, quod fructum adferret eadem quantitas; & altera tertiaque demum doſi profectus ſentiebatur.

§. XXIX.

Hactenus de nervis primas regiones, quas medicinæ ſubeunt, perreptantibus, atque vires earum primum in ſe recipientibus, loquuti ſumus, quantum neceſſarium viſum fuit ad indagandas rationes momentaneorum, quos producunt, effectuum. Non fuit propoſitum nervorum, iiſque appoſitorum gangliorum omnem doctrinam evolvere; aut ab iis pendentium alterationum non æque momentanearum cenſum agere. Quod cogitans benevolus lector veniam dabit, ſi ad pathologiam atque praxin utiliſſima plura, quæ docti viri *Williſius*, *Vieuſſenius*, atque hos omnes longe ſupergreſſus *Lanciſius*, in hanc rem attulerunt, ſicco pede a nobis prætermiſſa animadverterit.

§. XXX.

Supereſt nunc ut diſpiciamus, ſi quæ ſuperſint celeres ſubitæque alterationes, quæ ad cenſum earum, quas tractavimus, haud commode videntur referri poſſe. Scilicet loquuti fere ſumus tantum de illis, quæ excitantur, quando per odoratus guſtuſque vias nervi immediate affecti mutationem aliquam ſuſceperunt & propagaverunt ulterius. Videntur his fere contraria, quæ in nervorum extrema, cuti intertexta, primum incidunt, & effectum ad interna propagant. Quæ de torpedine §. 6. attulimus, quantum ad hiſtoriam pertinet, puto indubia eſſe: tanto autem magis admiranda, quia non niſi vivæ illa vis eſt, mactata autem inter menſarum delicias habita fuit. Sed quod noſtris regionibus diſpiciendi de his atque indagandi copia omnis ademta eſt; & antiquus auctor, qui oſtendit in quo illa vis ſita fuerit, ad nos non pervenit: cum juſta excuſatione hæc omittimus. Pariter deſpero de invenienda ratione individualium alterationum a roſa, fele, pomo certæ & determinatæ ſpeciei: quare nec his expediendis fruſtra inſudabo.

§. XXXI.

§. XXXI.

Quotidiana ſunt exempla celerium magnarumque alterationum, quando corpori bene calenti ac tranſpiranti, animo autem ſecuro & nihil adverſum exſpectanti, aliquid accidit contrarium, ut magno frigore afficiatur aut humiditate ſimul ac ſemel perfundatur. Atque quo magis quiſque inſuetus eſt talium, tanto magis graviuſque ab illis afficitur: quum adſuetis etiam ex ferventi balneo in fluvium, hiberno ipſo tempore, ſe immittere atque natare, deinde in hypocauſtum fervens redire, non ſolum impune ſit, verum etiam ad corporis firmitatem & alacritatem conducat: quod inter Ruſſos toto licet die oculis arbitrari. In pleriſque, quibus male talia cedunt, terror ſubitus concurrit, & plurimam partem in læſione hinc orta ſuſtinet. Sed ſi demamus illum, contrarii effectus caloris blande expandentis & ad ſuperficiem pellentis; frigoris autem ſuperficiem conſtringentis & ad interna pellentis, ſolidis vero partibus anguſtationem & corrugationem inducentis, manifeſti ſunt. Hinc fit ut hæmorrhagiæ ſæpe nimis cito hac arte ſupprimantur: ſed non raro graviſſimos poſt ſe affectus relinquant: ut in naribus polypos, ut & in utero: hæmorrhoides autem ita ſupprimant, ut mox tubercula dura, pulſantia, ſuppurantia & in fiſtulas ani abeuntia producant. Poſſemus, ſi tempus permitteret, notabiles caſus dare, quibus triſtes hi eventus clare comprobati fuerunt.

§. XXXII.

Sed hæc valde nota, & quotidianis exemplis forte nimis ſpectata, mittimus. Paucis autem diſpiciemus quam firmæ ſint eorum rationes, qui in jaſpide aut hæmatite exterius applicatis, præter frigoris effectum, nihil volunt admittere. Enimvero ſententiam illam fida obſervatio refutat. Supra §. 7. adduximus ex *Anſelm. Boetio* virginem, cui jaſpis rubra ad nimiorum menſium vitium corrigendum fuerat proficua. Ut autem judicari poſſit, quod frigori lapidis nihil tribuendum ſit, non gravabor adſcribere auctoris verba. „ Jaſpidem - - illi commodato do, ut collo appenſam gerat. Paret „ illa, ſanguiniſque fluxus illico ſiſtitur. Geſtat per aliquot hebdomadas; „ non redit fluxus. Cum itaque ſe prorſus curatam opinaretur, deponit „ gemmam: poſt paucos dies redit fluxus: iterum appendit jaſpidem, cujus „ beneficio mox liberatur. Cum vero ſingularem hujuſmodi facultatem & „ divinam miraretur, ut mihi retulit, experiundi gratia aliquoties a collo „ depoſuit gemmam, ac ſemper animadvertit redire fluxum, nec curari, „ quin iterum appenderet. Obſervavit tamen non ſtatim, ſepoſita jaſpide, „ redire, ſed poſt multas prius elapſas hebdomadas: appenſa tamen ſtatim „ ſiſti, ita ut nulli alii cauſæ fluxus inhibitio adſcribi ab illa potuerit, quam „ jaſpidi".

§. XXXIII.

Non gravabor adſcribere prorſus parallelam huic obſervationem *Rob. Boylæi* ex fine tractatus, cui titulum fecit *de atmoſphær. corpor. conſiſtentium.* „ Vidi, inquit, lapidem penes academicum quendam mihi notum, quem, „ ſi oculis fuiſſet habenda fides, agatem judicaſſem, non hæmatitem, adeo- „ que non crediviſſem aptum ad medica effluvia, vehementi hæmorrhagiæ „ ſiſtendæ accommodata, communicandum, niſi, qui eum geſtabat, mor- „ bo illi fuiſſet obnoxius, ſeque ipſum & alios hoc lapide cervici appenſo „ pluries curaſſet: quem ſi deponeret, ut quandoque experimenti gratia „ factitabat, temperamentum ejus perquam ſanguineum, cui geminum raro „ vidi, ipſum paucorum dierum ſpatio in recidivas conjecit". Judicem nunc ipſum benevolum lectorem facio, poſſitne hic frigori, ſive jaſpidis ſive hæmatitæ, cauſa cohibitarum hæmorrhagiarum tribui. Eſto frigidos hos eſſe lapides, quando cervici appenduntur: quam paucis momentis opus eſt ad expellendum frigus, caloremque ſuſcipiendum, ſi ex collo, ſub veſtimentis, dependeant. Et an vero videri poteſt ſimile, tales lapillos per menſes annoſque geſtatos, frigiditate ſua, quam olim habuerunt, continuo juvare. Ceterum paucis addo in talibus eam adhiberi debere judicii moderationem, ut non illico adſpernemur omnia, ſi non quævis obvia jaſpis, aut quivis hæmatites, parem opem ferant. In omnibus iſtiuſmodi externis notatur, quod non æque duriores homines afficiant, ac teneriores & majori ſenſibilitate præditos. Deinde ipſi lapides mirum in modum differunt, quod exemplo magnetis cognoſcas. Omnes enim norunt eſſe inter illos, qui ferri modicum pondus attrahunt & ſuſtentant: dari autem nobiliores atque pretioſiores, qui tantum pondus ſuſtinent, quod proprium ſuum pondus quinquagies, immo, ut *Rob. Boylæus* auctor eſt, octuagies æquat. Quam tamen ejus virtutem nemo a priori, ut loqui ſolemus, per ſenſus cognoſcit: ſola experimenta indicant & comprobant.

§. XXXIV.

Sed ad finem tandem properamus, atque ex longo ordine dictis aliquas concluſiones ducimus, quas in arte verſatorum judicio ſubmittimus. Dicebamus §. 4. longe graviſſimas eſſe læſiones, quas inducunt alterationes momentaneæ feminis gravidis ac menſtruatis. Facile eſſet plura colligere ac adducere ex optimis obſervatoribus exempla gravium convulſionum, ab hoc initio ortarum, nævorum etiam corpori fœtus geſtati impreſſorum, atque abortuum: ſed unicam mihi probe notam pro exemplo dabo hiſtoriam. Femina juvencula, quæ ætatis ſuæ anno 18. primum pepererat, quum uterum iterum tertio menſe gereret, & meſſis tempore omnes domeſticos in agrum dimiſiſſet, ſola domi relicta, oborta graviſſima tempeſtate, cellam pro-

profundam ſubibat, quo minus fragorem tonitruum exaudiret & fulminibus terreretur. Sed cum fulmen in propriarum ædium tectum decideret, magnamque frontis earum partem ſummo cum fragore dejiceret: iſto tanto terrore penitus exſternata in ſyncopen incidit, & abortum fecit. Ab eo tempore, quoties conceperat & ad tertii menſis medium acceſſerat, abortum toties experta eſt, ut, ſi recte memini 23. immaturos fœtus ejecerit. Nulla fuerunt artis præſidia omiſſa: conſilia celeberrimorum medicorum, integrum volumen conficientia, præſtantiſſimæque medicinæ omnino nihil profecerunt. Infelix femina tandem melancholica facta & cachectica, finem tot calamitatum optatiſſima morte invenit.

§. XXXV.

Quum per nares & linguam tam propinqua ſit ad cerebrum, atque humores vitales nobiliſſimos via; medicus odoratum & guſtum afficientia prudenter in uſum vocata, neutiquam adſpernetur. Sunt hujus generis complura in officinis, quæ ſi individuis recte aptentur, inſignem fructum largiuntur. Poſſunt ope ſpir. ſalis ammoniaci, aut mixtura hujus ſalis cum calce viva, exaltari. Sed aliis potius aceta, aut vinum arrident. Ipſumque vinum aut acetum, ore tantummodo detentum, ſi intro dare dubites, gargariſatione juvant. Quam efficacia ſint adſtringentia volatiliſata, patebit ex §. 17. lectione: quare vix opus eſt de cauto illorum uſu admonere. Quin nec volatilia, ſed ſatis fixa, ut terram Japonicam cum tinctura martis & anodina mixtam, haud ſegniter vires ſuas per corpus diffundere: patebit ex illo caſu, quem Exc. *D. D. Præſes* ante complures annos cum publico communicavit, viri ab inconſulta hæmorrhoidum ſuppreſſione apoplexia exſtincti, cujus inteſtinum rectum cum bona coli parte, arctiſſime & anguſtiſſime conſtrictum inveniebatur. Opiatorum igitur cum adſtringentibus vix videtur fieri fauſtum auſpicatumque connubium. Sed vere tutiora ſunt, quæ & per ſe ſunt puriſſima ac a fæcibus ſequeſtrata, & deinde cum purgantibus aut emeticis non ſegnibus, ut veratro albo, ſcilla, ſulphure aurato antimonii, gutta cambodia, ut quodvis purgans morbo commodius videtur, rite combinata ſunt. Hoc pacto correcta opiata, præſertim alcalino ſapone adjuncto, ut in Starckeyanis pilulis, divinum ſunt remedium, ſi modeſto uſu eadem adhibeas.

§. XXXVI.

Non quidem momentaneam, ſed ſatis profecto celerem opem adfert etiam caſtoreum illis, quos rigida & pluvioſa tempeſtas in graves ſpaſmodicas contractiones conjecit. Novi exemplum viri proceræ ſtaturæ & tamquam quadrati, robuſti &, cetera non certe in umbra molliter educati. Hic cum aperto curru, quales ſunt apud nos veredariorum publicorum, injurias in-

clementiſſimi aëris, ventorum frigidorum, pluviarumque pertuliſſet, dira corripiebatur colica, cum abdominis partium tam vehementi contractione, ut umbilicus omnino ad lumbos intus retractus eſſet. Totum proinde corpus in anteriorem partem rigide incurvatum erat, ut nullo pacto ſemet, non dicam erigere, ſed vel tantillum movere poſſet; robuſtiſque pluribus viris opus eſſet, qui admotis ſcalis de curru ipſum tollerent, inque proximam tabernam deponerent. Ibi quum momento quieviſſet, donec cyathum potus caffe appararent, & ſibi, ſæpius idem paſſo, familiarem medicinam, eſſentiam caſtorei afferrent, duas forte drachmas hujus eſſentiæ ſimul ebibebat atque pauculis momentis interjectis, jam aliquantum ſemet erigere, mox ſurgere, libere obambulare, atque in hoſpitium ſuum pedibus abire valebat. Habeo hiſtoriam a viro, qui coram omnia vidit & obſervavit: & forte ipſemet, cui id accidit, hodie ſuperſtes eſt. Medicus erat, doctoralibus infulis in hac academia ornatus. Adduxi autem caſum, quia celeris alterationis & auxilii exemplum eſt, & ut cogitandum commendem, annon a caſtoreo minorem opem propterea plerumque reportemus, quod nimis paucas guttulas granave ægrotis admetimur. Sed rivos tandem hic claudo, benevolumque lectorem rogo, velit a me dicta in partem optimam accipere, ſuaque benevolentia & æquitate omnibus æqui bonique conſulere.

FINIS.

DANIELIS

CCXX.

DANIELIS LANGHANS

DE

CONSENSU PARTIUM.

Gottingæ 10 April. 1749.

§. I.

MEdico praxi operam daturo, ſane non ſine magna erit utilitate certa variorum illorum corporis humani conſenſuum notitia, cum magna graviſſimorum etiam morborum pars unice per hanc illamve conſenſuum ſpeciem in corpore noſtro oriatur.

§. II. Per conſenſum autem harum partium nihil intelligimus, niſi ejuſmodi harum partium inter ſe harmoniam, cujus ope ſæpenumero contingit, ut, affecta una parte, alia eodem vel poſt aliquod tempus perinde male afficiatur. Idem erit genus conſenſus, ſi per certas cauſas in hac vel illa corporis parte aliquis producatur effectus, deinde alius iterum in alia & a priori plane remota parte naſcatur, qui primum affectum inter ſuas cauſas habet. Manifeſtiſſima harum rerum exempla ſunt abſceſſus, qui poſt inflammatorium pleuritidis, pleuropneumoniæ, aliorumque morborum inflammatoriorum ſtadium, in certis locis ſuperveniunt, uti inguinibus, glandulis parotidibus, aliisque etiam interne latentibus partibus. Deinde vomitus ab inflammatione aut a calculo renum excitati. Mammarum intumeſcentia, quæ tempore illo fit, quo fœminis lochia fluere incipiunt, &c.

§. III. Omnes hi morbi, ſymptomata, atque effectus varii, qui per conſenſum aliquem in corpore noſtro excitantur, ad ſequentes claſſes commode referuntur: ad conſenſum ſcilicet tunicæ celluloſæ, quæ ubique per totum corpus regnat; ſecundo ad conſenſum vaſorum, non ſolum rubrorum, ſed & lymphaticorum, & ſeroſorum: tertio ad conſenſum nervorum: quarto ad conſenſum partium quarundam, quæ fabrica ſimili inter ſe & ſtructura gaudent: & quinto denique, ad membranarum conſenſum.

§. IV. Primam ad claſſem pertinent pleræque fere hydrops; hydrops nempe anaſarca, hydrops ſcroti; hydrops cavi abdominis, Veteribus aſcites dictus; hydrops pulmonum; hydrops aſperæ arteriæ. Abſceſſus varii. Emphyſema, ſive aeris per vulnus aliquod in adipoſam præſertim tunicam immiſſi, ibique rarefacti, per univerſum corpus mira diſtributio.

§. V. Hydrops ἀνὰ σάρκα, ut nemo facile ignorat, eſt nimia aquæ ſecretio in adipoſam telam ſubcutaneam, quæ iis maxime in locis colligi primo incipit, in quibus tardior paulo fit ſanguinis per arterias in venas circulatio, quam in aliis partibus. Unde prima plerumque hujus mali ſedes in imis eſt pedibus, a corde quippe omnium partium remotiſſimis, ex quibus per venas ad cor ſanguinis motum valde imminutum eſſe oportet (*a*). Secernitur hæc aqua, neque per vaſa lymphatica, neque, per

(*a*) Si aqua hæc unice in pedibus continetur, & haud ultra aſcendit crura, tumoremque ibi aliquem laxum, album & mollem producit, vocatur οἴδημα. *vid. Lommii Obſerv. Medic. practic.* p. 268.

per ſeroſa, quæ in imis pedibus nondum demonſtrata ſunt, ſed per ipſos rubris continuos canales, qui per omnem ſubcutaneam celluloſam migrant: hæc autem ita fieri, demonſtrant anatomicæ injectiones, quarum ope cera, aqua, atque aer facillime in hanc telam expellitur (*b*). Ab aucta nunc hoc modo per aliquod tempus hujus aquæ copia in imis pedibus, vicinæ celluloſæ areolæ ſenſim ſenſimque replentur, quæ ſequentibus ſimili ratione abundantem ſuam aquam advehunt.

§. VI. Hanc igitur ob cauſam certe haud difficilis nobis erit cognitu origo hydropis ſcroti, licet plerumque cum hydrocele pro uno eodemque habeatur morbo, quod manifeſte autem anatomicis repugnat inſpectionibus, uti mox videbimus.

§. VII. Sedes hydropis ſcroti eſt intermedia illa ſine dubio celluloſa inter cutem & membranam, quam Græci proprio nomine δαρτὸν appellaverant. Eſt ergo hæc celluloſa mera continuatio celluloſæ ſubcutaneæ, quæ ſub cute in corpore noſtro ubicunque reperitur. Oritur hydrops ſcroti fere ſemper ab hydrope anaſarca, dum aqua illa hydropica, quæ ſuperiora crura inguina jam occupat, in tunicam externam celluloſam ſcroti, continuam cum celluloſitate inguinum & femorum, lente ſeſe demittit. Diſtinguitur hoc malum ab hydrocele, quod cutis ſcroti, quæ in ſano homine rugoſa eſt, nunc plane glabra & albicans appareat: deinde, quod tumor ille a diſtendente humore productus, mollis ſit attactu, digitiſque impreſſis facile cedat. In hydrocele autem cutis ſcroti haud glabra, ſed tota rugoſa apparet: tumorque hic elaſticus eſt, & impreſſis digitis magis reſiſtit: occupat etiam plerumque unicum tantum ſcroti latus (*c*).

§. VIII. Sed in hydrope anaſarca a diſpoſitione quadam cachectica corporis oriunda, non ſolum pedes & teſtes, ſed tota ſubcutanea, & muſculis etiam interpoſita celluloſa, ab ejusmodi aqua repletur: viſa ſunt aliquoties a BOERHAAVIO ipſa corpora cavernoſa penis ab hac aqua diſtenta. Non immerito igitur inter alias curationes ab Auctoribus (*d*) profundæ ſuperiorum femorum ſcarificationes commendantur, ad avertendam nimirum aquam illam in ſubcutanea celluloſa ſuperiori contentam: hoc ſatis commode fieri poſſe, nemo non videt, nam omnes areolæ tunicæ celluloſæ ita inter ſe communicant, ut aqua, in una collecta, libere in vicinam exire queat.

§. IX. Sicuti in hydrope anaſarca aqua ex imis pedibus ad ſuperiora ſenſim ſenſimque progreditur, ita & hic contingere poteſt, ut aqua in exter-

(*b*) Vid. Ill. atque, æternum mihi Venerandum *Præceptorem* in Comp. ſuo Phyſiolog. Cap. I. pag. 9. §. 20.

(*c*) Vid. Zachar. Platneri Inſtitut. Chirurg. pag. 849. §. 863.
Boerhav. Aphoris. p. 300. §. 1227.
Heiſteri Inſtitut. Chirurg. pag. 8. 42.

(*d*) Frid. Hoffman. in Medicin. rational. pag. 323. Edit. Genev.
Boerhav. Aphorism. p. 307.

externa peritonæi membrana collecta, proprio ſuo pondere verſus pelvim deſcendat, & inde per varias hujus celluloſæ productiones vicinas partes adeat. Hæc ita fieri poſſe, ex decurſu hujus celluloſæ perfecte omnino videbimus. Quando peritonæum ad conjunctionem ſive ſymphyſin oſſis pubis pervenit, ubi ſupra veſicam urinariam ſeſe conjicit, magna telæ illius celluloſæ pars, quæ extrinſecus hoc peritonæum ambit, diſcedit idem, atque per veſicæ latera ad proſtatam, urethram, & corpora ipſa cavernoſa abit; poteſt ergo ope harum productionum aqua hydropica in omnes has partes libere deſcendere, neque, ipſæ teſtibus circumpoſitæ celluloſæ, crurum, inferiorumque denique pedum ſubcutanea etiam celluloſa ab adfluxu hujus aquæ immunes manebunt: continuatur enim modo dicta celluloſa per hiatum illum abdominalem, quem multi, ſed immerito quidem, anulum abdominalem vocant, uſque ad teſtes, vaſis ſpermaticis, & ductui deferenti inſtar vaginæ circumdata, quæ celluloſa deinceps teſtis vaginalem tunicam producit (*f*). Eadem ad ſuperiora pervenit femora cum maximis vaſis iliacis, quæ ſub ligamento *Fallopii* tranſeunt, ubi iterum cum copioſa muſculis femoris interpoſita, & adipoſa ſubcutanea amplum ſatis commercium habent.

§. X. Duæ adhuc hydropum ſpecies nobis explicandæ veniunt, hydrops nempe aſperæ arteriæ & pulmonum. Prior ſpecies ſane vix differt ab hydrope anaſarca, cum aqua illa ſimili ratione in celluloſa illa inter cutem & cartilagineam aſperæ arteriæ partem media, primo ad certam aliquam quantitatem colligatur, & in vicinam continuamque paulo poſt celluloſam tunicam propagetur (*g*). Satis largam, valdeque dilatabilem eſſe hanc celluloſam, quæ inter cutem aſperæque arteriæ faciem anteriorem reperitur, demonſtant pleraque fere huic parti inflicta vulnera, per quæ aer externus facillime eam ſubit, atque ſimul cum colli cute in tumorem aliquem expandit.

§. XI. Licet omnino valde raræ ſint, hydropis pulmonum obſervationes, aliquoties tamen contingit, ut lympha, vel aquoſa ſanguinis pars, aut ex ruptis quibusdam lymphaticis vaſis, aut ob ſimiles forſan cauſas, quæ hydropem anaſarcam gignunt, in pulmonum celluloſam ſubſtantiam

 per-

(*f*) Vid. Ill. *Præceptorem* in Comp. Phyſiol. n. 776. nec non in Comment. Boerhav. Vol. V. P. I. pag. 289.

Clariſſimi atque Eruditiſſimi Dni Doctoris *Schobingeri* Amici mei, omnium optatiſſimi & cariſſimi elegantiſſimam, utiliſſimamque plane Diſſ. Inaug. De Dignitate Telæ Celluloſæ in Corp. Humano, in qua ſubtiliſſime atque exactiſſime omnino totam hujus celluloſæ hiſtoriam nobis deſcriptam dedit.

Teſtium vaginalis hæc tunica certa hydroceles ſedes eſt. Vid. Mr. *Garengeot obſerv. de Chirurg.* Tom. 1. obſerv. 27. p. 461.

(*g*) Vid. Boerhav. Aphoriſ. p. 298. §. 1221. ubi de hac hydropis ſpecie ita loquitur. Quin & aſpera arteria auctiori & conſpicua parte quacumque, vi lympham ſtagnantem colligens, Bronchoceles ſæpe ſpeciem exhibet.

perveniat. Hæc vaſa a *Rudbeckio* deſcripta, a D. *Ferrein* & *Hunauld* repetita, varia in pulmonum ſuperficie reticula habent, quæ ad glandulas vicinas bronchiales migrant, indeque ad œſophageas, & abhinc denique in ductum thoracicum. Similes hydropum ſpecies reperiuntur vel in ipſa ovariorum mulierum cellulofa (*h*), aut in eorum cavitate interna, quas multi pro principi ſterilitatis cauſa habent. Sic etiam in utero non infrequens valde ejuſmodi hydrops, qui plerumque ſub nomine hydatidum venit (*i*).

§. XII. Tranſimus nunc ad abſceſſuum hiſtoriam, qui per conſenſum tunicæ celluloſæ variis in corporis partibus apparere ſolent. Neminem eſſe, credo, qui neſciat, nihil eſſe abſceſſum, niſi congeriem purulentæ cujusdam materiæ, poſt prægreſſam aliquam inflammationem in loco affecto productæ, quæ ex affuſis per rupta a nimia inflammatione vaſa ultima liquidis, & liquefacta ſimul pinguedine fit. Sed alia adhuc obſervatur ſpecies abſceſſuum, qui, prægreſſa antea nulla plane inflammatione, certa quædam loca ſuperveniunt. Hi vulgo *metaſtatici* appellari ſolent, atque duplicis ſunt originis; alii enim pertinent ad vaſorum conſenſum, de quibus ſuo loco nobis dicendum erit; alii ad conſenſum tunicæ celluloſæ.

§. XIII. Unum alterumque hic ſufficiet exemplum, ad demonſtrandam horum abſceſſuum originem, qui ad conſenſum celluloſæ tunicæ pertinent; nam ſicuti pleræque hydropum ſpecies ratione ſuæ originis nihil plane inter ſe differunt, ita etiam & abſceſſus iſti nullam adeo magnam differentiam admittunt. Demonſtrabimus ergo, quomodo poſt pleuritidem nata in pleuræ externa celluloſa materies purulenta (*k*) in ſubcutaneam affecti thoracis lateris celluloſam poſſit pervenire. Duplicem hanc viam eſſe, per quam ejuſmodi purulentæ materiæ fit translatio, docet Anatome. Prima eſt, quando pus arteriarum & venarum muſculos intercoſtales perforantium celluloſam ſequitur, quæ non ſolum cum intermedia horum muſculorum celluloſa, ſed & cum externa ſubcutanea manifeſtum commercium habet. Altera autem via eſt, quando pus ad angulum illum coſta-

(*h*) Vidit *Boerhaavius* ejusmodi hydatides in ovariis mulierum, quæ octo & decem denique aquæ libras continebant.

(*i*) Hydrops uteri difficulter certe poteſt agnoſci, uti optimus *Drelincourt* in epiſtola ad *Bonetum* libere fatetur: accuſat enim ſe ipſum, quod formoſam aliquando, ſed omnino honeſtiſſimam Virginem, cui mammæ lacte incipiebant turgere, & ciborum jam aderat faſtidium, draſticum petentem, repulerit ut gravidam, & medicamenta negaverit: mortua autem biennio poſt hac virgine, & corpore inciſo, innocentiam ejus cum dolore detexit.

(*k*) Hos abſceſſus olim Aegyptii, ſi poſt diem decimum quartum ſubito dolor pleuriticus remiſerit, ſcalpello, vel ferro ignito aperiebant. Vid. Aretæum lib. 1. de Morb. Acut. Cap. X.

coſtarum, ubi muſculi intercoſtales interni deſinunt, per intermediam horum muſculorum celluloſam in ſubcutaneam migrat (*l*).

§. XIV. Neque ſane diſpar eſt ratio originis abſceſſuum reliquorum omnium, qui huc referri poſſunt. Nati ſunt ope hujus tunicæ celluloſæ abſceſſus in extremis manubus a deglutitis aciculis; (*m*) ſic etiam ad umbilicum, ad axillas, &c. ab aliis per os ingeſtis ſcindentibus, vel pungentibus corporibus, quæ in abſceſſibus reperta ſunt. Haud potuit deglutita ejuſmodi acicula aliter, niſi per conſenſum tunicæ celluloſæ ad manus pervenire, perforata prius illa œſophagi parte, quæ extra pectoris cavitatem ſita eſt: probabile omnino videtur, hanc aciculam, quæ in celluloſam forte aliquam brachii muſculis interpoſitam pervenit, æquali compreſſione horum muſculorum ad inferiores ſenſim ſenſimque promotam fuiſſe, & horum ſimili denique conatu & actione ad volam uſque manus perveniſſe.

§. XV. Ultimus qui nobis explicandus ſupereſt morbus, & qui merito ad hanc conſenſuum ſpeciem referri debet, eſt emphyſema. Hæc vox græcæ originis eſt, oriturque a verbo εμφυσαω: emphyſema ergo dicimus, quando poſt vulnus aliquod pectori aut integumentis capitis inflictum, aer externus in adipoſam tunicam ſubcutaneam irrumpit, eamque ita deſtendit, ut totum ubique corpus, aut magna ſaltem ejus pars, aëre tumida appareat.

§. XVI. Contingit ſæpenumero, præcipue autem in hominibus macilentis, quibus aut per lapſum, aut inſtrumento quodam leniter tantum aliqua integumenti oſſa cranii ambeuntis pars vulnerata fuit, ut aër per totam ſubcutaneam celluloſam ſeſe diffundat, uti *Mery*, *Palfin*, & præſertim *Bœrhaavius* (*n*) noſter obſervarunt.

§. XVII. Certa quædam ſunt loca tam interne quam externe in corporis ſuperficie, per quorum vulnera aër nos ambiens longe facilius vicinam celluloſam ſubit, quam per alias corporis ſedes. Omnia ſubcutanea loca multa pinguedine repleta, poſt accepta vulnera ab hoc malo plerum-

 que

(*l*) Vid. Eruditiſſimum D. D. *Schobingerum*, amicum, quem certe magis amo, quam memetipſum in Diſſ. Inaug. pag. 50.

(*m*) Vid Mr. *Petit* dans les Memoir. de l'Acad. Roy. de Chirurg. pag. 552. Invenit aciculam in abſceſſu, qui in infimo pede a deglutita & ad eum uſque locum deſcenſa, generatus fuerat. *Moinichen.* Obſervat. Medic. chirurg. obſ. 21. ſimilem deſcribit caſum in Fœmina, quæ ex improviſu aciculam deglutivit, quam ex ſuperiori pedis parte, quam ſimili modo parvulus abſceſſus obſidebat, poſtea extraxit. *Williams Derhams* Phyſic. Theolegic. pag. 811. *Rodericum* a *Caſtro* Lib. 4. de mulierum morbis. Cap. 6. *Blancardi* Anatom. Practic. Cent. 1. Obſerv. 42. *Reies* Camp. Elyſ. jucund. quæſt. 92. Sect. 1. pag. 1175. circa aurem dextram ex abſceſſu aciculam extraxit. Les Memoir. de l'Acad. Roy. de Chirurg. pag. 550. Ubi *Petitus* ſimilem priori hiſtoriam enarrat. Confer etiam Philoſoph. Tranſact. Num. 265. 282. 304. &c. *Ruyſchium*; Obſerv. Anatom. 55. adverſ. Dec. 11. pag. 12.

(*n*) Vid. Commentar. ad Inſtitut. Vol. VI. pag. 87.

que immunia eſſe ſolent, uti v. g. nates, crura, pedes, ipſum abdomen, brachia, &c. quibus magna præ reliquis omnibus corporis partibus adipis atque pinguedinis copia eſt. E contrario autem, loca minus pinguedinoſa, & macilenta, qualia ſunt, tota capitis poſterior & lateralis ad aures uſque pars, nec non pectoris latus utrumque magis omnino ad ſuſcipiendum aerem diſpoſita ſunt, per vulnera ſua. Unde Chirurgi in pectoris aut capitis vulneribus ſumma ſemper cura, antequam labia ad ſe invicem adducunt, & glutinantia ſua emplaſtra imponunt, aërem intus expellunt. Neglecta enim ab ignaro & artis ſuæ minus perito Chirurgo hac cautela, aer in celluloſa illa ſubcutanea macilenta, in fronte v. g. coërcitus, & a corporis naturali calore rarefactus, brevi per totam ubique faciem, palpebras, collum, brachia, unoque verbo per totam non ſolum ſubcutaneam, ſed muſculis etiam interpoſitam tunicam celluloſam diffunditur, eamque ad craſſitiem duorum pollicum diſtendiſſe viſus eſt. Simili modo in vulnerato œſophago, (*o*) aliiſque internis partibus, quas aër externus adire poteſt, naſcitur emphyſema.

§. XVIII. Ex hiſtoriis emphyſematum ſatis patet, celluloſam ſubcutaneam non ſolum per totam regionem, quæ ſub cute eſt, ſed cum aliis etiam internas corporis partes ambientibus celluloſis infinitas certe communicationes habeat. Non ignorant hoc commercium laniones, qui per tubos mactatis ſuis animalibus aërem inter cutem & muſculos inflant, ut facilius de carne, mediante celluloſa ei adnexum pellem detrahant. (*p*) Hanc artem plurimi Helvetiæ noſtræ ruſtici in equis vivis, quibus, ut pulchram atque formoſam eis formam concilient, aërem ſimili ratione per inflictum cuti vulnuſculum in ſubcutaneam celluloſam impellunt, iterque, emplaſtro claudunt, ne fraus tam nefaria ab emtoribus facile percipi queat. Idem etiam artificium orientales aliqui mangones in camelis imitantur, (*p*) quos ob fallacem, quam acquirunt, pulchritudinem, ignaris hujus fraudis pretio cariori vendunt.

§. XIX. Sane haud opus eſſe, exiſtimo, ut multis hic exponam cauſam atque rationem phyſicam, ob quam aer in tunica celluloſa coërcitus adeo mirabiles effectus producat. Nam ſi quis generales tantum aëris nos ambeuntis agnoverit proprietates, quæ eo imprimis redeunt, ut ab incumbente & premente corpore in anguſtius aliquod ſpatium comprimi poſſit, & remota cauſa premente, proprio ſuo elatere iterum expandi, & calore incredibiliter dilatari, ille ſine dubio facillime videbit, effectibus illis nihil plane obſcuri ineſſe. (*q*)

§. XX.

(*o*) Vidit *Boerhaavius* ejuſmodi emphyſema in diſſecto nobilis viri cadavere, quod poſt ruptum œſophagum in vicinis celluloſis tunicis natum fuerat. vid. *ejus hiſtor. alter. morbi atrocis.*

(*p*) Vid. *Littrium* Mem. de l'Acad. Roy. des ſc. 1713. *Mauchartum* in Ephem. N. C. centur. 1. obſerv. 12.

(*q*) Vid. Illuſt atque, Excellentiſſimum *Segnerum*, Præceptorem meum omni pietate mihi venerandum, *in ſeiner Einleitung in die Naturlehre*. pag. 104. ad pag. 110.

§. X X. Propoſitis ſic pleriſque, quoad mihi licuit, illorum morborum ſpeciebus, qui ad conſenſum tunicæ celluloſæ pertinent, ad proximum caput jam jam nos conferimus, ad hiſtoriam ſcilicet vaſorum, quam non ſolum arteriæ rubræ & venæ, ſed reliqua ſimul omnia vaſa excretoria conſtituunt.

SECTIO II.

De Conſenſu Vaſorum.

§. XXI.

MAgnum certe hic vaſorum conſenſus in ſe continet numerum morborum ſymptomatum & affectuum. Hujus enim loci eſt, omnis major ſanguinis determinatio ex una parte in aliam: (*r*) deinde contagiorum reſorbtiones & metaſtaſes materiarum morboſarum: huc pertinent excretiones & evacuationes variæ: animi affectus nonnulli.

§. X X I I. Primam ad claſſem ſane non immerito ab auctoribus practicis capitis dolores & deliria febrium acutarum referuntur, de quibus plerumque ægroti hujuſmodi febre laborantes, aut ab initio febris, aut in incremento demum valde conqueruntur. Eorum deliriorum, licet variæ omnino cauſæ ſint, princeps tamen unice a majori ſanguinis cerebrum delati copia petenda videtur, quæ arteriarum diametrum ita ſenſim diſtendit, ut vicini nervi vel comprimantur, vel a novo ſaltem a corde in arterias pulſo ſanguine ingratam aliquam pulſationem percipiant.

§. X X I I I. Haud mirum videri poteſt, in febribus acutis dolorem capitis pro prima cauſa majorem ſanguinis in cerebrum adfluxum habere, ſi arteriæ carotidis truncum communem & arteriam vertebralem ſimul ſumtam comparaverimus cum lumine arteriæ aortæ, in quorum rationem aliquoties inquiſivit magnus & *æternum mihi venerandus præceptor.* Invenitur omnino arteriarum carotidum & vertebralium lumina ſimul ſumta $\frac{1}{7}$ eſſe luminis aortæ. Oportet igitur, ut per hæc vaſa ad minimum $\frac{1}{7}$ totius ſanguinis ad caput perveniat. In fetubus autem, quibus hæ arteriæ ratione corporum ſuorum majores quam in adultis ſunt, major & dimidia forte pars ad caput aſcendit. Ea copia ſanguinis poterit vel per motum muſcularem, vel vitalem facile augeri, & in caput determinari, uti nos docet ratio hydraulica. Omnis enim canalis ita diſpoſitus, uti arteria aorta educet ex convexitate arcus particulas fluidi intus moti motus tenaciſſimas, cum ii rami ſint in directione axis, quæ vero ex concavitate trunci prodeunt, extra axis directionem ſunt: neceſſe igitur eſt, particulas mobiliſſimas ex arcu aortæ in arterias carotides propelli. Hanc rem ita ſeſe habere, ex quibuſdam practicis experimentis abunde conſtat. Mercurius

V.

(*r*) Vid. Magnum Præceptorem in Comp. Phiſiolog. p. 300.

v. gr. ex mobiliſſimis atque ponderoſiſſimis conſtans particulis, non poteſt fere ulla arte impediri, quin in caput aſcendat, ibique effectum ſuum per ſalivationem prodat; nunquam autem agit per diureſin, raro per alvum. Simili ratione omnia medicamenta volatilia operantur in corpore noſtro, ut alcohol vini, &c. quæ in cerebrum continuo & quam velociſſime rapiuntur. Repertus eſt aliquoties ſpiritus vini in cerebri ventriculis, poſt obitum hominum, qui huic potui valde adſueti fuerant.

§. XXIV. Apparet nunc ſatis, puto, manifeſte, in febre acuta, ubi cordis & arteriarum pulſus præter naturam valde frequens eſt, ſanguinem tanta copia ad caput pervenire, ut vaſa neceſſario omnia diſtendat, atque hoc modo teneram cerebri ſubſtantiam moleſte etiam afficiat. Pendet etiam a nimia hacce ſanguinis agitatione & copia deliriorum in his febribus ratio, qua continuo tolluntur, dummodo repetitis, iiſque ſatis largis venæ ſectionibus, pediluviis & phœnigmis cerebro abundantem ſuum ſanguinem detrahamus, & ope hujus irritationis ad inferiores partes derivemus. Hujuſmodi revulſiones non ſolum hic commode inſtituuntur, ſed in omnibus etiam reliquis partibus. In inflammatione enim v. gr. pulmonum, pleuritide, vel quocunque demum morbo inflammatorio, imo etiam, quando materies podagrica interiora verſus retropellitur, multum certe juvant, teſte experientia.

§. XXV. Certa quædam habemus ſigna, quæ demonſtrant, ſanguinem in febribus acutis maxime determinari ad caput. Huc pertinet rubor faciei, aurium tinnitus, carotidum pulſationes in collo, oculorum tumor, vertigines, narium hæmorrhagiæ, & quæ reliqua ſunt. Vertigines oriuntur, dum interna arteria carotis vicinos, imo proxime adpoſitos nervos opticos; & magis vicinos ramiſque arterioſis obnuptos nervos tertii paris pulſat, quod alias in ſtatu naturali nunquam, niſi in hominibus ſumme plethoricis obſervatur, Similem vertiginis ſpeciem illi etiam patiuntur, qui vino aut alio ſpirituoſo potu ſeſe obruunt, ut ex præcedenti (§. 24.) optime patet.

§. XXVI. Alteram adgredimur abſceſſuum hiſtoriam, qui per vaſorum conſenſum fiunt. Enarravimus in ſuperioribus quædam abſceſſuum metaſtaticorum exempla, quæ per tunicæ celluloſæ conſenſum certa quædam loca ſupervenıunt. Oriuntur abſceſſus, ope conſenſus vaſorum, quoties poſt prægreſſam aliquam inflammationem, poſt pleuritidem (s) v. g. pleuropneumoniam, peripneumoniam, paraphrenitidem, &c. materies purulenta per vaſa reſorbentia in ſanguinem recipitur, & ex eo ad alias partes advehitur. Recenſebimus ex ordine omnes ſigillatim abſce-

(s) Vid. *Boerhaav.* Aphoris. pag. 199. §. 892. De peripneumonia vera. pag. 181. §. 892, de paraphrenitide pag. 204. §. 910. *Aretæum* de morbis acutis lib. 1. pag. 9. lit. B. *Frid. Hoffman.* Edit. genev. Tom. 1. pag. 137. §. 17. ubi hujus morbi hiſtoriam ex aretæo proponit. *Lommii* obſerv. medic. pag. 108. 115.

ſceſſus, qui poſt hunc vel illum morbum inflammatorium naſcuntur.

§. XXVII. Quando adeo ab irreſolubili inflammatione pulmonum, externi thoracis, diaphragmatis, aut alius in corpore notabilis viſceris, pus natum eſt, reſorbetur id omnino, vel per aperta oſcula venarum reſorbentium, quæ in tunicam celluloſam patent, in cujus areolas elabitur, vel per vaſa illa reſorbentia; quæ in toto thoracis non ſolum & abdominis interno ambitu, ſed in omnibus corporis noſtri cavitatibus copioſe ubique reperiuntur. Per ea vaſa in majores venoſos ramos revehitur, & ex his in truncos, qui ad cor ducunt.

§. XXVIII. Facillimum eſt demonſtratu, omnino in omni tela celluloſa magnam adeſſe vim ejuſmodi venularum, quæ nimiam in areolis hujus telæ ſecretam pinguedinem, aut aliud quodcunque liquidum reſorbent. Nemo enim ignorat, in ſomno, omnique animi, corporiſque perfecta quiete, maximam adipis atque pinguedinis copiam in tunica noſtra celluloſa generari, quæ certe, niſi per vias aliquas aut in ſanguinem, inde ad renes, aut ad inteſtina, aut immediate per tranſpirationem auctam extra corpus decederet, brevi in immenſum creſceret. Oportet ergo, talia hic adeſſe vaſa, per quæ liquefacta, & nimia pinguedinis pars ad alias partes pervenire poſſit. Hoc eleganter probant experimenta nonnulla practica. Videmus in luis venereæ curatione mercuriali omnem fere in corpore pinguedinem ſolvi, atque ad fauces determinari, ita ut infeliciſſimis ejuſmodi hominibus ſuperata curationis vi oſſa ſub cute emineant, quæ antea multa pinguedine tecta, vix percipi potuerunt. Sed non diu in eo triſtiſſimo ſtatu eorum corpus manet, quod ſceleton plane refert, acquirunt enim brevi tempore, poſtquam ſalivationem paſſi ſunt, tantam pinguedinis copiam a bono cibo potuque, ut amiſſum multarum librarum pondus non ſolum reſtituant, ſed multis libris præterea augeant. Eadem obſervamus in hydrope anaſarca, hydrope aſcite, & reliquis hydropum ſpeciebus, ubi quam maxime areolæ tunicæ celluloſæ aqua diſtentæ ſunt, quæ educi haud poteſt, niſi validis purgantibus naturale robur & libertatem reſorbentibus tunicæ celluloſæ vaſculis penitus, vel ex parte ſaltem conciliaverimus, quod fit, quando inteſtina a tranſeunte materie ita irritantur, ut ſanguis & tenuior ejus pars copioſius in vaſa meſenterica confluant, & venæ bibulæ, nunc inanes ad reſorbendum liquidum in celluloſam effuſum, aptiores evadant. Aliud porro occurrit exemplum hujus rei in ſuppuratorio variolarum decurſu, (*t*) ſub quo tanta ſæpenumero conſumitur pinguedinis, ſubcutaneæ præcipue copia, ut vix dictu credibile ſit: viſum enim eſt, hunc morbum haud longo certe ex tempore quinquagintas libras conſumſiſſe, quæ partim per ſudores viſcoſos, partim per urinam, partim per ſuppurationem ipſam deceſſerunt: ſedimentum, quod in urina eorum hominum reperitur, mera pinguedo ſoluta eſſe ſolet. §. XXIX.

(*t*) Vid. Thom. *Sydenh.* pag. 137. 138. 156.

§. XXIX. Similia etiam per vaſa reſorbentia reſorbetur purulenta illa materies, quæ poſt pleuritidem, vel prægreſſam pleuropneumoniam in pectoris cavo collecta fuit. Adſunt enim & hoc loco, uti in omni corporis cavo, ejuſmodi vaſa reſorbentia, (*u*) ob perpetuam nimirum exhalationem vaporis illius aquoſi, & coagulabilis, qui ex univerſa pulmonum ſuperficie ex ultimis arteriarum finibus exhalat. Similem exhalationem producimus, ope injectionum aquoſarum, quæ per arterias, aut venas, in tota pulmonum ſuperficie exſudant. Quando eæ exhalantes arteriolæ liquidum ſuum debito modo ſecernere pergunt, & venæ deſinunt ſuo fungi munere, id eſt, nimiam ſecreti liquidi quantitatem iterum reſorbere, oritur proprium pectoris malum, quod recentioribus ſub nomine hydropis pectoris notum eſt, de quo ne tantillum autem a veteribus nobis memoriæ proditum eſt. Eodem modo res ſeſe habet in cavo abdominis, ubi ex omni interna peritonæi parte priori ſimilis exhalat liquor viſcidus, coagulabilis ab igne & alcohole, quem reſorberi etiam oportet, ne idem hic ac in pectore contingat malum, cum hydrops abdominis a pectoris hydrope non niſi nomine differat.

§. XXX. Mixta denique ſanguini purulenta hæc materies reſorbta, vi cordis & arteriarum brevi per univerſum corpus diſtribuitur: tranſit aliquando ſine damno pulmonum, hepatis, aliorumque viſcerum nobilium, vaſa tam rubra quam reliqua; ſæpe autem in ultimis harum arteriarum finibus immeabilis hæret, novamque ibi inflammationem producit, & ſuppurationem; quod ſine dubio a diſpoſitione quadam pendet inexplicabili corporum, & variabili hujus materiæ conſiſtentia, quæ modo craſſior, modo ſoluta magis, modo deterior, modo minus, concipi debet. Loca autem conſuetiſſima, in quibus plerumque hæc materies infarcta hæret, ſunt glandulæ quædam conglobati præſertim generis, nec non conglomerati, parotides ſcilicet & inguinales, quod ab Hippocrate jamjam animadverſum video. (*w*) Sed præter hæc loca tamen non raro etiam hepar afficitur.

§. XXXI. Sane mirabilis plane hujus materiæ purulentæ in corpore decurſus eſt; cur enim plerumque unice fere in dictis glandulis accumulatur, ibique abſceſſus format; cur non in aliis glandulis conglobatis, quæ magna certe copia per colli latera partim ad alas, partim in ipſum pectus cum arteria aſpera, ſupra pericardium ad ſuperiorem uſque ſepti tranſverſi partem deſcendunt, & per hoc cum ductu thoracico & arteria aorta per totum abdomen ad ipſa inguina. (*x*) Simili inter ſe gaudent fabrica & ſtructura omnes hæ glandulæ.

§. XXXII. Hujus rei ratio quærenda forte erit in peculiari harum glan-

(*u*) Vid. magnum *Præceptorem* in Compend. Phyſiol. pag. 124. & 84.

(*w*) In Prognoſt. Charter. Tom. VIII. pag. 684.

(*x*) Illuſtr. atque æternum mihi venerandus *præceptor* in primis Phyſiol. lineis pag. 87. §. 183.

glandularum ſitu, quarum aliæ, ut nemo non videt, aëris frigidiuſculo adflatui externo magis ſunt expoſitæ, aliæ autem minus. Glandulæ enim parotides, nec non inguinales, non niſi unico teguntur involucro, cute ſcilicet, quare facillime certis quibuſdam temporibus aliqua mutatio in his contingere poteſt, quæ internis glandulis vix poteſt accidere. Ita poterit ab adſpirante aëre frigidiuſculo aliqua in his vaſis conſtrictio fieri, quæ glandulas has adeunt, ut materies illa purulenta, per ultimos horum vaſorum fines nunc tranſeunda, plane immeabilis reddatur. Uti enim, ineunte vere, aut autumno a ſubitaneis aëris mutationibus graviſſimæ obſtructiones & inflammationes intra quartum ſæpenumero diem funeſtæ, in vaſis intercoſtalibus facile generantur, licet non unico tantum involucro tegantur, ſed validiſſimis præterea muſculis, qui in utroque latere pectus cingunt, cur non malum idem & hic in ſubcutaneis ejusmodi vaſis locum habeat, quando a frigido aëre conſtringuntur.

§. XXXIII. Sed in internis glandulis ab omni quippe externi aëris injuria immunibus, haud ſimile aliquid unquam timendum eſt, quum aliis etiam gaudeant naturæ auxiliis, quibus dictæ ſubcutaneæ glandulæ carent. Foventur enim perpetuo naturali vicinorum viſcerum calore, & exhalente ex iiſdem viſceribus liquore limpido, atque calidiuſculo lubricæ ſervantur, ut neceſſario hoc modo arteriæ omnes, quas accipiunt, ad expanſionem & dilatationem facilius ſe accommodent. Interimhaud dubito, quin & internis quibuſdam glandulis ejuſdem præcipue generis, ſimiles ſæpe naſcantur abſceſſus: verum hoc non niſi ex longinquo tamen ſuſpicari nobis licet.

§. XXXIV. Quemadmodum hæc ab inflammatione producta materies purulenta per vaſa alia reſorbentia ſanis antea corporis partibus poteſt advehi, novamque ibi iterum excitare inflammationem & ſuppurationem, ita etiam propagantur contagia omnia ex primis ſuis ſedibus in alias atque remotas partes. Id manifeſto videmus in morbis præſertim venereis, rabie canina, variolis, &c. Vix ullus in corporis tam externis quam internis partibus locus eſt, ex quo, ſi venereum ei applicatum fuerit venenum, non poſſit non aliquid in alium locum transferri. Hoc fieri poteſt, aut per ſudores, aut contrectatione, aut lactatione aut infecta ſaliva, aut per ipſum concubitum, teſte experientia (*a*).

§. XXXV. Si certum eſt, his modo dictis modis venereum malum ad internas partes propagari poſſe, oportet, cutem in toto noſtro corpore talia habere vaſa, quæ tenuem adhærentem liquorem & ſubtiliſſimum hoc alcalinum venenum reſorbeant, & in ſanguinem revehant. Conſentiunt huic noſtræ ſententiæ variæ obſervationes practicæ: mercurius enim unguentis quibuſdam exceptus, leni frictione manubus facta, pleriſque locis per cutem penetrat, & ad ſanguinem venit. Eo venire, adparet ex affectibus, qui poſt ejuſmodi frictionem ſenſim in faucibus æ-

Nnnn 2 gro-

(*a*) vid. *Boerhaav.* Aphoriſ. pag. 340. §. 1441.

grotorum apparent, ex quibus poſt tertium diem ingens liquefactæ a mercurio in tela celluloſa pinguedinis copia effluit, quæ ad glandulas ſalivales determinatur. Reperti ſunt, haud ſemel certe in hujusmodi hominum hoc morbo conſumptorum cadaveribus, integri globuli mercurii crudi, ſanguini per frictiones repetitas advecti, & ex hoc in carioſum aliquod os depoſiti.

§. XXXVI. Quando in gonorrhœa virulenta, aut in penis venereo cancro ſanioſa hæc materies adſtringentibus, aut alio quocunque modo in ſanguinem retropellitur, oriuntur bubones in inguinalibus, & axillaribus glandulis, nariumque & faucium membrana poſt aliquod tempus ſordidis ulcuſculis obſidentur. Multi ſcriptores crediderunt, ſedem hujus gonorrhœæ eſſe glandulam proſtatam, ex quo corruptus liquor proſtaticus efflueret. Verum ea glandula ab hoc malo plerumque immunis reprehenditur: ſunt autem ſinus illi muciferi urethræ *Morgagniani*, (*b*) qui ſanioſam illam materiem in cavitatem urethræ effundunt. Horum ſinuum, ut paucis rem abſolvam, alii majores ſunt, alii minores, atque per totam urethræ partem ſuperiorem & lateralem diſpoſiti; tendunt oblique verſus glandem. Superiores & reliquis majores octo, novem, vel decem adeſſe ſolent. Maximus autem omnium ſedet retro glandem, qui primum ab impuro concubitu ſaniem illam ſuſcipit. Similes ſinus in uteri præſertim cervice, qui vulgo ova Nabothii dicuntur, & ſecundum urethram, nec non circa clitoridem, &c. reperiuntur. Secernitur ex his ductulis mucus aliquis, qui in viris ſenſiliſſimam urethram oblinit, ne urina in tranſitu ſuo acri & irritante ſua natura aliquod damni ei inferat: hinc quoties deficit, aut abraditur, intolerabilis dolor naſcitur, de quo homines gonorrhœa laborantes perpetuo queruntur, quoties urinam mittunt. Quando materies hæc ichoroſa diu ita ſibi relinquitur, in diem magis magisque vicinam urethræ ſubſtantiam corrodit, & ampliora ſenſim in ea generabit ulcera, & præterea eodem modo ſubtiliſſimum hujus materiæ in ſanguinis univerſam maſſam reſorbetur, uti fit, quando lues venerea per ſudores acquiritur. Urethræ enim ſtructura non differt a reliqua cute, quæ non ſit, niſi canalis ex cute, celluloſa, & epidermide, factus. (*c*) Oportet igitur, talia & hic etiam adeſſe vaſa reſorbentia, qualia in toto externo corporis ambitu reperiuntur. Inde procul dubio pendet ratio originis inflammationum & ulcerum illorum, narium pituitariam & faucium membranam obſidentium.

§. XXXVII. Mirabilis hujus veneni in corpore effectus omnino notatu dignus eſt. Vidi aliquos ægros, quibus ab impuro concubitu parva,

(*b*) Hos ſinus *Euſtachius* olim perſpectos jam habuit, uti tabulæ ejus, octavo poſt mortem ſuam editæ, docent; ſed melius omnino eos deſcripſit, & depinxit *Illuſt. Morgagnius* in adverſariorum Anatom. Tab. IV. fig. 4. ita, ut re vera fas ſit, hos ſinus ſuo nomine morgagnianos appellare.

(*c*) Vid. magnum *Hallerum* in Compend. Phyſiolog. pag. 422. §. 785.

va, ſed cancroſa ulcuſcula retro penis coronam nata fuerant, quæ, cum ſtatim decoctis ex ligno ſancto, ſaſſafras & mercurio dulci paratis, occurrerem, aliaque præterea remedia, ad depuranda ulcera imponi juberem, mox evanuerunt, ſed brevi in faucibus in conſpectum venerunt, his ſimili ratione delectis, ad priſtinam ſedem malum iterum rediit, quod tamdiu contigit, donec a ſufficiente mercurii uſu omnis hujus veneni vis iners plane reddita fuerit.

§. XXXVIII. Licet nobis plerumque fere contagiorum natura, quæ tot & tam ſtupendos ſæpenumero effectus in corpore noſtro producit, penitus, vel magna ſaltem ex parte ſit incognita, haud obſcura tamen manſit via illa, per quam internas partes adeunt: nulla enim datur alia, niſi per vaſa reſorbentia, quæ non ſolum in omni externo corporis ſpatio, ſed in internis etiam partibus illis maxima reperiuntur copia, quæ ad ſuſcipiendum præſertim cibum potumque deſtinata ſunt. Hujusmodi ergo partes ſunt, oris interna cavitas, faucium, œſophagi, ventriculi, & inteſtinorum omnium; præſertim quidem tenuium, (*d*) in quibus certe vim innumerabilem vaſorum reſorbentium eſſe oportet, quorum nonnulla oculis conſpici queunt, alia, quippe minora per varia experimenta demonſtrantur. Si quis in ore ſpiritum vini, aut alium quemcunque potum ſpirituoſum diu continuerit, ſpecie quadam ebrietatis corripitur, ipſa ſanguinis circulatio auctior ei redditur, & vires univerſi corporis in debilibus exinde valde refocillantur, manifeſto ſatis argumento, volatilem horum liquidorum partem in ſanguinem reſorberi. Non male hoc utimur adminiculo in praxi medica, quando ſubito amiſſæ in corpore vires inſtaurandæ ſunt. Longe major eſt numerus vaſorum reſorbentium in cavitate ventriculi & inteſtinorum, quæ omnis potus libere & intra pauciſſima ſæpe minuta ad ſanguinem tranſit, nam in ſtatu ſano vix guttula per anum effunditur & ſi magna liquidorum copia, ſub uſu ex. gr. acidularum mineralium, epota fuit.

§. XXXIX. Diverſa eſt contagiorum omnium in corpore noſtro indoles: alia enim unice fere fauces affligunt, uti rabies canina: alia ſub epidermide ſtigmata varia producunt, qualia a morbillorum contagio & petechiarum quarundam fiunt: alia in cute inflammationes excitant, quæ mox in ſuppurationem abeunt, quemadmodum hoc videre nobis licet in contagio vero varioloſo: alia præ nimio ſudore corpus fere conſumunt, uti in ſudore anglico: alia in glandulis quibusdam ſuam injuriam exerunt, & partes muſculoſas deſtruunt, uti in peſte: alia iterum aliter atque aliter ſeſe produnt. Sed quænam cauſæ ſint, cur unum contagium

Nnnn 3 magis

(*d*) In inteſtinis tenuibus nullum plane dubium eſt, quin multa ſimilia adſint vaſa reſorbentia. Non ſemel ea injecit magnus & pie mihi venerandus *Hallerus* per venam ſcilicet meſentericam, in quam, & duodenalem dextram confluunt. Vid. Comp. Phyſiol. pag. 390. §. 712. *Ruyſchii* Adverſ. Dec. II. pag. 18. & Adv. Dec. III. pag. 23.

magis hoc modo & non alio in corpore agat, & cur in hac vel illa tantum parte adeo mirabiles producat effectus, id quidem, ut lubenter confiteor, plane me fugit. Theoreticis haud adeo difficile erit, pro lubitu varias hic detegere cauſas; ſed invenire cauſas, quæ veritati & naturæ horum contagiorum reſpondent, res erit, omnibus difficillima. Quis enim unquam hominis, rabie canina aut peſte vera conſumpti cadaver, ad examinandas interne affectas partes ſollicite ſecuit, cum conſtet, ab unico ſæpe attactu funeſtum in ſe ipſum morbum tranſire poſſe. (*e*) Interim fas eſt, reliquos hic etiam paucis conſiderare morbos, & affectus, qui ad vaſorum conſenſum referri optime queunt.

§. XL. Diximus (§. XXI.) ad vaſorum conſenſum varias excretiones pertinere, & evacuationes ſanguinis, reliquorumque liquidorum. Earum hæc præcipue notatu digna eſt, quæ a terrore ſubito in inteſtinis, ſub nomine diarhœæ accidit. Hujus excretionis prima cauſa pendet ſine dubio a nimia nervorum relaxatione, & a debili ſpirituum animalium ad cor & arterias determinatione, uti ex variis phænomenis hic occurrentibus, ſatis apparet. Omnia enim plane relaxata ſunt, ipſum cor vix tanta vi gaudet, ut ſanguinem debito modo per omnes arterias expellere poſſit. Hinc multi, maxime quidem homines debiliores in animi deliquiis cadunt, quæ nil niſi quies cordis ſunt, & eandem ob cauſam frequenter in meticuloſis cordis & arteriarum polypi reperiuntur. *Rivinus*, *Pechlinus*, aliique clariſſimi *viri* obſervarunt, graſſante peſte, neminem niſi timidos, & eos, qui infecta corpora tangunt aut cum hominibus infectis vivunt, hunc morbum contrahere. In timidis enim tota cutis, omnesque vaſorum ſphincteres relaxati aerem corruptum & infectum magis ad interiora transmittunt. Manifeſtum hujus rei exemplum nobis ſuppeditant medici illi Monſpelienſes, a rege olim Maſſiliam miſſi, ubi peſtis contagium multa jam millia hominum interfecerat, qui tamen deleto omni contagio, ſani atque incolumes domum redierunt. Certum igitur eſt, nullam aliam hujus diarrhœæ cauſam eſſe, quam nimiam nervorum omnium relaxationem, præſertim autem illorum, qui laquei inſtar arterias includunt. (*f*) Unde, deſtru-

(*e*) Vidit *Boerhaavius* Leydæ medicinæ ſtudioſum, qui, cum canem rabie ſua exſtinctum, inſcius aperiret, & diſſecaret, in eundem incidit morbum quo poſtea conſumtus eſt. Alius inſtrumento leniter vulneratus, quo antea canem rabioſum diſſecuerat, ſimili morbo correptus, brevi poſt, miſerrimo modo vitam amiſit.

(*f*) Sane ad intelligendam hujus affectus & reliquorum omnium mirabilium ſymptomatum, effectuum, & phænomenorum, cauſam, oportet, nos antea ſatis perſpectum habere *magni & æternum* mihi *venerandi præceptoris* hac de re novum ſyſtema, quod in propria diſſertatione anno 1744. Gottingæ in publicum edidit. Verum *Williſius* in *Libr. de Anatom cerebri* primus ni fallor, & qui eum hac in re ſecuti ſunt, *Vieuſſenius*, & *Bianchi*, &c. aliquam de modo, quo nervi circulationem ſanguinis dirigunt, conjecturam propoſuit. Sed imperfecta tamen omnis noſtra manſiſſet cognitio, niſi optimus *præceptor* pro ſua in anatomicis præſertim experientia ſumma, plurima

ſtructo hoc nervorum cum vaſis vinculo naturali, liquor omnis tenuis liberius & majori quantitate per ductus excretorios inteſtinorum in eorum cavum effunditur. Non ſemel hoc ſpectaculum magnus *præceptor* in itineribus ſuis botanicis, quæ per altiſſimos Helvetiæ montes ſuſcepit, aliis, quos ſecum duxerat, contingere obſervavit, cum ex eminentiſſimis rupibus ſubito oculos in remotiſſimam terræ planitiem dirigerent: cum aliis vertigo, aliis tremor artuum, aliis pene deliquium, aliis demum diarrhœa, alioquin in metu non raro moleſta incumberet.

§. XLI. Triſtitia ratione ſuorum ſymptomatum a timore vix differt: franguntur enim cordis & reliquæ corporis vires, quod in mœrore lente fit & ſenſim, oriuntur diarrhϾ ſimiles, appetitus diminuitur, quod illi optime experiuntur, qui in conviviis triſti nuncio afficiuntur: pallor naſcitur in facie a diminuto ſcilicet ſanguinis motu in ſubcutanea cutis faciei vaſa ſanguifera: diſpoſitiones fiunt in cachexiam, ob deficiens ventriculi in ingeſtis coquendis & ſubigendis robur: impeditur pariter ſanguinis per pulmones tranſitus, quia cordis vires, quas a nervis uti reliqui etiam muſculi omnes, acquirit, ita debilitantur, ut non niſi imbecilli vi ſuperſtite, munere ſuo in expellendo quippe accepto ſanguine, fungantur, quæ certa hic eſt ratio, cur in triſtitia diu durante lachrymas fundamus, cum ſanguis libere ex capite per venas jugulares in venas ſubclavias ſeſe evacuare non poſſit, quia & hæc nimio jam ſanguine turgent.

§. XLII. Triſtitiæ oppoſitus affectus ira eſt, quam ob notabilia, & ad conſenſum noſtrum pertinentia phænomena, merito a nobis conſiderari hic oportet. Iram igitur appellamus eum animi affectum

rima, quæ huc pertinent, detexiſſet, eaque ſimul in hanc ſyſtematis elegantiſſimam formam redegiſſet. Ipſe *Carteſius* Lib. de affectibus animi, & *Meyerus* noſtris temporibus, hos effectus explicare conati ſunt, de mechaniſmo autem, cujus ope omnes hi effectus in corpore noſtro producuntur, nihil plane attigerunt. Ut ſciamus igitur, quanam in re hoc ſiſtema conſiſtat, neceſſe erit, ut pauca adjiciam verba. Invenit *illuſt.* & pie *venerandus Hallerus* in diſſectionibus ſuis, quod plerisque in corpore locis arteriis nervi circumjaceant, uti inſtar laquei in animi affectibus validis eas, venasque conſtringere poſſint: ſic arteria aorta, ut breviter dicam, a nervo recurrente octavi paris includitur; uti etiam ab intercoſtali arteria ſubclavia, & brachialis præſertim a quinque illis plexubus brachiorum. In abdomine nullus fere truncus notabilis ex arteria aorta proficiſcitur, quin ſimili ſemper ratione ab uno alterove plexu nervi intercoſtalis involvatur. In minoribus ramis arterioſis non diſpar eſt ratio: arteria e. gr. meningea ex arteria maxillari interna oriunda, duobus illaqueatur ramis nervi temporalis ſuperficialis, a ramo deſcendente tertii quinti paris provenientis, quorum ſuperior trans arteriam dictam, inferior autem retro eam migrant ad truncum ſuum, cui ſeſe inſerunt. (Vid. *ill. Halleri Diſſ. de Nerv. imperio in arterias*, §. 14. *Clariſſimum* atque *erudiſſimum dominum Meckelium* amicum meum ſuaviſſimum in Diſſ. ſua inaug. de quinto pare nervorum cerebri: *Winslowi Expoſit. anatomic. traité des nerfs.* §. 58. 59.) Quo accuratius neglecta hactenus anatomes nervorum excolitur, eo plura horum laqueorum ſpecimina deteguntur. His igitur rite inter ſe conſideratis, omnium phænomenorum & ſymptomatum affectuum animi cauſam inſpicere merito fas erit.

affectum, qui a malo jam præſente primo in anima noſtra excitatur, quod, mediante corpore ſubito avertere aut mutare conatur. Eam etiam ob cauſam fit, ut eo tempore corpus hominis irati robuſtiſſimum reddatur, præſertim autem muſculi, qui ſtatim in actionem rapiuntur: cor ita incitatur, ut circulatio intra minutum primum ſæpe ad viginti quinque pulſus aucta viſa fuerit. Hinc tantum vulneratis imminet malum, ſi quocunque modo ad iram incitantur, incrudeſcunt enim iterum eorum vulnera, quæ a ſanatione & coalitu parum diſtabant. Tota etiam facies rubicunda apparet, quod clarum omnino ſignum eſt, ſanguinem auctiori copia ad caput determinari. Haud mirum inde videri debet, quod in hominibus iratis tam frequentes fiant narium hœmorrhagiæ, apoplexiæ & ſubita nonnunquam mors. Sed ex principibus phænomenis, quæ ira in corpore noſtro excitat, & illud ſine dubio ſcitu valde dignum, quod in bile obſervatur. Scimus enim, bilis ſecretionem inſigniter tunc augeri, cujus in brevi tempore tanta copia per ductum choledochum in inteſtinum duodenum effunditur, ut in ipſum ventriculum adſcendat, ubi vomitu bilioſo, nauſeaque ſeſe prodit. Imo, ſi per reſorbentia ventriculi vaſa copioſiſſima bilis ad ſanguinem tranſit, peculiaris inde naſcitur febris, vulgari febrium acutarum aut intermittentium curandi methodo haud ſanabilis. Præter hæc autem iræ phænomena, quæ corporis ſanitati adverſa, & valde inimica eſſe ſolent, alia adhuc obſervantur, quorum ope pertinaciſſimi ſæpenumero morbi, nulla arte edomabiles, penitus victi fuerunt, paralyſes v. gr. arthritides, podagra, aliaque a lenta debilique humorum circulatione oborta mala ira non raro ſubito ſanavit.

§. XLIII. Terror, lætitia, gaudiumque nimium, multa cum ira communia habent, etſi horum affectuum prima cauſa plane diverſa eſt. Terror enim naſcitur, dum ſubito grave & improviſum malum animæ noſtræ offertur: unde effectus, qui hoc tempore vario modo in corpore noſtro ludunt, vix, niſi vehementiori ſaltem gradu ab illis differunt, quos ira excitare ſolet. Incitatur hic etiam ſanguinis circulatio, (*g*) ſed magis, quam in iratis, cor palpitat, ob immodicum ſanguinis in cor influxum, quam ob cauſam lege conſueta ſeſe evacuare in arterias non poteſt. Salubris plerumque habetur hic animi affectus, maxime quidem pro iis, quibus lente in corpore humores circulantur. Sic in paralyſi haud minus quam ira prodeſſe viſus eſt. Manifeſtiſſimum hujus rei exemplum nobis offert *Crœſi* filius mutus, uti teſtatur antiquitas: qui cum in prælio cum rege patre ſuo contra Perſarum victorem exercitum dimicaret, nudato gladio militem ad occidendum patrem ſuum appropinquare, vidit, quo facto filius ſumma incitatus ira & terrore, ſubito exclamavit, parce miles, rex eſt, quem occidis. Multi homines terrore ſanati ſunt, qui per annos neque pedibus incedere, neque ex lecto ſurgere

(*g*) Vid. *Will.* de cereb. pag. 177.

gere potuerunt; & ab incendiis, quæ in vicinia oborta fuerant, non pauci artuum uſum recuperaverunt. Omnia hæc abunde demonſtrant, maximam tum temporis fieri ſpirituum ad cor & partes reliquas determinationem, & ab hac denique ſanguinis, reliquorumque corporis humorum per omnia vaſa incitatiorem, quæ non raro certe funeſtos etiam eventus producit. Mirabilia hac de re exempla exſtant apud *Petitum* chirurgum Pariſinum celeberrimum. Vidit hominem, qui a ſolo aſpectu nudatorum per inflictum vulnus manus ſuæ tendinum, terrore ſubito exſtinctus eſt. Similes terroris effectus vidit *illuſt.* & quoad vixero, nunquam mihi ſatis devenerandus *præceptor* in canibus, quos *Hambergeri* incredulitatis, aut ut recte loquar, ejus in anatomicis præſertim ignorantiæ, & nefarii ingenii cauſa toties diſſecare coactus fuit, qui, dum vinculis adſtringuntur, ne guttula quidem ſanguinis effuſa, & ne mucronem quidem cultri experti, præ ſolo metu non raro exſpiraſſe viſi ſunt. Legimus porro in Bibliis ſacris Lib. I. Samuelis Cap. 4. Eli Pontificis Judæorum maximi funeſtam hiſtoriam, qui nonageſimo ætatis ſuæ anno, cum ab hoſtibus Judæorum exercitum profligatum eſſe audiret, captamque cum ſacerdotibus arcam, terrore exſtinctus eſt. Infantes debiles & teneri, quibus non raro ab ancillis, aliisque feminis ſpectra finguntur, tanto ſæpe convelluntur terrore, ut, vel ipſam aliquoties vitam amittant, aut epilepici per totum reliquum vitæ tempus evadant, aut in alium gravem morbum incidant, uti in apoplexiam, quæ conſueta ſine dubio eſt cauſa mortis eorum, qui terrore vehementi occiduntur.

§. XLIV. Lætitia, gaudium, & amor, ratione effectuum illorum, quos producunt, ab ira, nimioque terrore vix differunt. Cor ſanguinem, quando præter naturam frequentius conſtringitur, per totum corpus auctiori & incitatiori celeritate diſtribuit. Hinc perſpiratio libera, & expedita: hinc, ob majorem liquidi gaſtrici in ventriculum effuſi, major appetitus: hinc in facie rubor, & apoplexia tandem lethalis, quam gaudium nimium producere viſum eſt, cujus rei memorabile habemus exemplum in *Leibnizii* nepte, quæ Hannoveræ vixit. Eam *Leibnizius* poſt mortem ſuam omnium bonorum ſuorum hæredem reliquit, quorum inopinato aſpectu, & cum præterea in arca viri theſaurum multorum millium imperialium inveniret, nimio gaudio & lætitia conſternata, vitam amiſit. Cæſo, ad Thraſymenum lacum ab *Hannibale*, cum *C. Flaminio* toto fere Romanorum exercitu, tanta ubique Romæ nata eſt animorum perturbatio, ut matres, quæ filios, quos occiſos putabant, cum incolumes reciperent, præ nimio gaudio exſpiraverint, uti *Livius* rem deſcribit. (*b*) Inde varios (ait) vultus digredientium ab nunciis cerneres, ut

(*b*) Vid. *T. Livii Patav.* Hiſtor. Roman. Tom. II. pag. 99. *Plinii Secundi* natural. hiſt. part. I. pag. 173. ubi in *Chilone*, *Sophocle*, & *Dionyſio* Siciliæ tyranno ſimilia exempla leguntur.

ut cuique aut læta aut triſtia nunciabantur, gratulantesque aut conſolantes redeuntibus domos circumfuſos. Feminarum præcipue & gaudia inſignia erant & luctus. Unam in ipſa porta ſoſpiti filio repente oblatam in conſpectu ejus exſpiraſſe ferunt, alteram cui mors filii falſo nunciata erat, mœſtam ſedentem domi ad primum conſpectum redeuntis filii gaudio nimio exanimatam.

§. XLV. Ad intelligendam igitur cauſam omnium horum phænomenorum & effectuum, nil aliud opus eſſe arbitror, quam, ut ſciamus, ab auctiori ſpirituum per fibrillas nerveas determinatione majus corpori robur conciliari, & e contrario ab impedita ea determinatione diminui. Priori ſub ſtatu omnes nervoſi laquei arteriis circumducti aliquam eis inferunt vim, quoties laquei illi (not. f.) arterias ſtringunt, & tranſeuntem ſanguinem celerius movent, uti in ira, terrore, & lætitia fit. Altero autem ſub ſtatu, ubi vix aliqua ſpirituum determinatio ſupereſt, nullam ejusmodi vim nervi poſſident, unde priori oppoſitus effectus in circulatione ſanguinis producitur, qualis in timore, triſtitia, aliisque hujus generis animi affectibus obſervari ſolet, in quibus nulla vi nervorum ſuperſtite, ſoli cordi circulatio committitur, & præterea ipſum cor, fracta vi nervea, debilitatur. Falſum eſt, quod nonnullis de his phænomenis proferre placuit; animam nempe noſtram immediate operari in cor, & arterias. Ex aliis enim obſervationibus ſatis conſtat, animi affectus neque in cor, neque in arterias, ſed unice in ſiſtema nervoſum agere? Quid enim ſunt animi affectus, niſi modo aucti, modo autem imminuti ſpirituum per nervos motus, qui deinceps ea ratione, quam diximus, in circulatione ſanguinis aliquas mutationes producunt. Hæc ita ſe habere, evincit opii actio, quod minima copia, quæ pulſum non mutat, non in ſanguine, nam calidum eſt, & incitans motum, ſed in nervoſo ſyſtemate vim ſuam exercet, qua motus hyſterici convulſivi ſubito tolluntur, quorum immanes effectus totum corpus ſenſerat.

§. XLVI. Hæc ex hiſtoria conſenſus vaſorum adferre mihi licuit: multa autem hic nobis conſideranda adhuc ſuperſunt, quæ tamen, perſpectis enarratis omnibus, ſponte ſua nemini non intellectu unquam erunt difficilia. Multa etiam ex induſtria ſilentio hic mihi prætcrire oportet, quum ob ſimilitudinem quandam ſuarum partium ad ultimum conſenſum magis pertinere videantur.

§. XLVII. Ex his nunc nemini mirum videri poteſt; cur tot morbi, tot effectus, & tam mirabilia phænomena unice per vaſorum corporis humani conſenſum oriri queant. Tanta enim ejus per univerſum corpus expanſio eſt, ut nullum omnino viſcus, nulla membrana, nullus muſculus, nullaque fere cerebri pars, &c. inveniri unquam poſſit, quin earum ſemper cum reliquis etiam partibus omnibus elegantiſſimam harmoniam detegeres, cujus ope cerebrum v. gr. cum imis conſentit;

ſentit pedibus, cum brachiis, & viceverſa. (*b*) Exemplum evidentiſſimum eſt in curationibus deliriorum, capitisque dolorum, febrium quarundam acutarum, ubi maxima ſanguinis copia in cerebrum pulſa, redire libere non poteſt: liberato autem a nimio ſanguine cerebro, quod pediluviis, phœnigmis, & repetitis venæ ſectionibus, in pedibus inſtitutis, commode obtineri poteſt, æger continuo ad priſtinam ſanam mentem reducitur. Sed cur derivant pediluvia, phænigmaque ſanguinem in cerebro abundantem ad inferiores ejusmodi partes? Nempe pedum vaſa omnia ſenſim ab aqua calida incipiunt incaleſcere, ſe expandere, ut ab ea irritatione major ſpirituum & ſanguinis ſimul ad irritatas pedis partes adfluxus fiat, quæ ob dilatatam vaſorum diametrum ad recipiendam majorem liquidorum copiam nunc longe quam antea capaciores ſunt factæ.

SECTIO III.

De conſenſu nervorum.

§. XLVIII.

Vaſorum hiſtoriæ ſuccedit nervorum ampliſſimus conſenſus, qui, ut mox videbimus, per totum corpus pariter late regnat, & cui magnum omnino cum vaſis eſt commercium, quod præſertim ex omnibus ſupra recenſitis animi affectibus patet, qui vix rite intelligi queunt, niſi certam prius nobis formaverimus ideam illorum, quæ ad nervoſum ſyſtema merito referri deberent.

§. XLIX. Priusquam autem hujus conſenſus morbos, affectusque varios adgredi liceat, operæ pretium fore arbitror, ut de nervorum antea fabrica, proprietate, & ſpirituum in eos influxu pauca verba præmittamus.

§. L. Quid nervus ſit, omni tempore inter auctores veteres & recentiores in lite fuit: alii enim ajunt, faſciculum eſſe fibrarum ſolidarum, ſecundum longitudinem ſibi adcumbentium, & inter ſe ope telæ celluloſæ tenerrimæ conjunctarum: alii autem negant, fibras has ſolidas eſſe, quod multis veriſimilibus & probabiliſſimis defendunt ratiociniis, & experimentis. Aſſumimus ergo nervos nihil aliud eſſe, quam fibras medulloſas

(*b*) Vid. in illuſt. *Præceptoris* Diſſert. Anatom. Select. Vol II. *Vateri* Diſſ. de conſenſu partium corporis humani. Theſ. V. de cordis cum toto corpore conſenſu. *Buchneri* Diſſert. Inaug. med. de conſenſu morborum capitis & ventriculi. pag. 4. §. 11.

dulloſas cavas, ſibi parallelas, telæ celuloſæ ope inter ſe cohærentes, piaque membrana collectas, & validiſſima membrana illa, quæ vulgo ab anatomicis dura mater apellatur, vel continua cum dura membrana valida celluloſa tela, in faſciculos quaſi formatas. Ipſam cerebri medulloſam ſubſtantiam ſimilibus ex fibris fabrefactam eſſe, anatome non uno loco manifeſte ſatis teſtatur; verum hoc, neque in junioribus corpuſculis, quorum cerebra molliſſimæ adhuc & tenerrimæ ſunt ſubſtantiæ, neque, in adultorum toto cerebro, demonſtrari commode poteſt. In corpore vero calloſo, corporibus ſtriatis, atque thalamis opticis, ſolis oculis infinitæ ejusmodi fibræ parallelæ ſecundum longitudinem, varieque decurrentes, optime diſcerni queunt, ne dicam de animalium quorundam cerebro, præſertim quidem piſcium, quorum tota medulloſa cerebri pars inſtar pectinis infinitas ejusmodi fibras refert, quæ in nervos continuantur. Mirabilis ſane cerebri horum piſcium figura eſt, quæ ex quatuor collibus componitur, quorum duo priores nervos olfactorios conſtituunt, reliqui duo nervos opticos. Et ex hac medulloſa cerebri parte nervos omnes in corpore componi, variorum nervorum origo, uti quarti, quinti, & ſeptimi, ſatis omnino probat, (*g*) quin imo medullam ſpinalem ipſam, quæ mera eſt continuatio medullæ oblongatæ, hujus eſſe fabricæ, nemini non ignotum eſſe, puto. In animalibus enim, & cadaveribus hominum quibusdam morbis conſumtorum per totam hujus medullæ longitudinem ſimiles fibræ longitudinales apparent, quæ in hydrope e. g. ubi aqua ſeſe eis interponit, a ſe invicem diducuntur & ſeparantur.

§. LI. Fas erit, tot experimenta & toties a multis clariſſimis viris iterum repetita, intacta hic relinquere. Neminem enim ſupereſſe credo, qui dubitaret, nervorum fibrillas cavas eſſe. Tranſit per has fibras liquidum aliquod inviſibile ſub nomine ſpirituum animalium notum, quod omne corpori robur conciliat, & quod omnem in corpore motum producit. Nemo hucusque certam nobis formavit ideam de natura hujus liquidi, licet omnino multæ hac de re natæ ſint ſententiæ & controverſiæ; nulla enim earum tanta gaudet probabilitate, cui non poſſit non multum & quidem juſtiſſimo modo objici. (*h*) Albuminoſa, aquoſa ſanguinis pars qualis perſpirabile ſanctorianum, & in cerebri ventriculos, pectoris, atque abdominis cavum exhalans liquidum eſt, ad liquidum nerveum translata eſt a *Boerhaavio*, & multi ante & poſt eum ſpiritus hujus naturæ eſſe crediderunt. Verum parum probabile eſt, liquorem ejusmodi tam ſtupendos effectus producere. An materiem autem electri-

(*g*) Vid. *illuſt. præceptorem* in Comp. Phiſiol. pag. 197. §. 385.

(*h*) Teſtantur *Bellinus* & *Malpighius*, ſeſe liquidum hoc nerveum ex extremitatibus diſſectorum magnorum nervorum exſtillare, vidiſſe: ſed hoc liquidum, revera non eſt liquidum, nerveum, neque exſtillat ex nervis, ſed ex tenui illa nervearum fibrillarum, faſciculis interpoſita tela celluloſa, & inprimis ex medullæ ſpinalis ſacco ultimo, ubi ſimile, quale in ventriculis cerebri, liquidum colligitur.

electricam, aut magneticam ſpiritus noſtros componere, perinde dubito: aerem multi ſpiritus efficere arbitrati ſunt, quibus minus credo, quia aditus in corpus omni aeri penitus impervius eſt, & quia ejus in corpore præſentia non poteſt non omni tempore inimica & noxia valde eſſe. Quibusnam autem ex principiis elementalibus ſanguinis mirabilis hæc materies componatur, id certe debilem meam cognitionem fugit.

§. LII. Ab influxu incogniti hujus liquidi per nervos omnes in corpore motus, tam voluntarii quam involuntarii excitantur, & prout alicujus nervi irritatio vel major, aut minor eſt, ſecernitur vel major vel minor etiam ex communi ſenſorio ſpirituum animalium copia, ad locum præſertim irritatum: hinc idea doloris ab idea voluptatis non niſi gradu irritationis differt, ſi in trunco ex quo aliquot rami nervei cum aliis ramis ex diverſo trunco oriundis, in hoc vel illo ganglio conveniunt, aliqua irritatio excitatur, ſimilis fere & in his ipſis alieni trunci unice connexis nervis effectus producitur, nihilo ſecius, quam ſi prima irritatio in iis ipſis contigiſſet. Inde explicatur, cur in nephritide vomitus, ſtupor, ſenſusque moleſtus in crure & teſte proximo oriatur? Cur in malo hyſterico, a vitio uteri producto, hinc & inde in corpore tam mirabilia phænomena excitentur? Cur in hernia incarcerata vomitus? Cur affecto uno oculo, alter brevi etiam moleſte afficiatur. &c.

§. LIII. Quia de plerisque nephritidis ſymptomatibus, quæ ad conſenſum præcipue nervorum pertinent, dicere hic mihi animus eſt, haud ſupervacaneum fore, arbitror, ſi generalem hujus morbi deſcriptionem præmiſerimus.

§. LIV. Nephritis in genere ſignificat renum inflammationem, hærentem in ultimis arteriæ renalis finibus, cujus origo multiplex & varia omnino eſſe poteſt. Ulcera aut vulnera e. gr. renibus inflicta, talem fere ſemper inflammationem excitant: ita etiam a retropulſa materie podagrica: a nixu vehementi hominis, qui nimia pondera elevare conatur, ubi ſanguis, dum anima retinetur, in uriniferos ductulos urgetur, renes facile inflammari ſolent. Ipſi calculi ſæpenumero, præſertim autem aſperi atque tuberoſi, quando corpus quocunque modo valide exercetur, ſimile renibus damnum inferunt. Hanc inflammationem comitatur more ſolito febris acuta, quæ pro gradu inflammationis, ratione vehementiæ differt. Ex affectibus, qui plerumque hic occurrunt, facile hoc malum agnoſcitur; læſa eſt diureſis, nam urina non niſi exigua copia redditur, quæ ſimul aquoſa, pellucida & absque ullo ſedimento eſt. Hinc olim *Hippocrati* ejusmodi urina aquoſa & tenuis mala habita eſt, quoties ſpiſſa antea & craſſa reddita fuerat. Ad effectus porro nephritidis merito numerantur mirabiles illi motus ſpaſmodici, qui ſub inflammationis ſtadio in œſophago, ventriculo & inteſtinis ſtatim percipiuntur. (*i*)

(*i*) Vid. *Lommii* Obſervat. Medic. pag. 205. *Aretæum* Lib. II. De Morb. Acutis. Cap. 9. litt. D. *Boerhaav.* Aphoris. pag. 225.

§. LV. Ad demonſtrandam veritatem propoſitæ §. LIV. ſententiæ, oportet oſtendere, renum nervos cum iis aliquod habere commercium, qui ventriculum, inteſtina, & teſtes adeunt. Renibus natura multos, ſed parvos dedit nervos, quod ex anatomicis optime conſtat: hinc renes vix acutum, ſed obtuſum magis in vulneribus, exulcerationibus, & plerisque irritationibus dolorem excitant. Poſſunt enim ſæpenumero calculi, ſatis magni & aſperi, diu ſine adeo magno dolore vel incommodo in rene circumferri. Videbimus nunc primo, unde renum nervi proveniant, & ſecundo, quibusnam cum nervis & plexibus anaſtomoſes habeant.

§. LVI. Renes nervos ſuos accipiunt, tam dextro quam ſiniſtro in latere a plexubus illis magnis ſemilunaribus, quos trunci illi valde magni *ſplanchnici*, ex ipſo nervo intercoſtali ex thorace provenientes, conſtituunt. (*k*) Hi trunci, priusquam ſuperiorem lateralem muſculi inferioris ſepti transverſi partem perforant, a quinque diverſis, quos nervus intercoſtalis in thorace producit, ramis componuntur. Plexus hi ſemilunares ante aortam poſiti, communicant inter ſe, & cum intermedio nervo ſtomachico poſteriori, qui ante & circa originem arteriæ cæliacæ plexum format. (*l*) Plexus ſemilunares producunt ex convexitate ſua multos ſatisque notabiles ramos, quorum aliqui conjunctim cum primis gangliis lumbalibus plexus renales conſtituunt, a quibus principes omnino nervi renum proveniunt, qui cum arteria & vena renali ſimul per ſinum renalem in eorum ſubſtantiam diſtribuuntur. Ex hoc renali plexu multi oriuntur rami, qui partim ad teſtes, partim autem ad plexum meſentericum medium abeunt, qui magna ex parte ex his ramis efficitur. Notandum porro hic eſt, renes etiam cum ventriculo per nervorum anaſtomoſes aliquod commercium habere; non quod ventriculus immediate a plexu renali aliquos ramos accipiat, ſed quod plexus coronarius ſtomachicus maximis ramis cum ganglio magno ſemilunari communicet, a quo nervi renales proveniunt. Ex his ipſis ſatis apparet, cur inflammato uno alterove rene, cardialgiæ, vomitusque ſtatim ſubſequantur, & cur ad proximum teſtem dolor ſtuporque oriantur? ſumme certe probabile eſt, materiem illam ſpirituoſam primo ad locum irritatum perveniſſe, & abhinc per communicationes nervorum ad ventriculum & teſtes iviſſe, quibus per ſe, ob ſummam nervorum copiam, maxima ſenſibilitas eſt.

§. LVII. In explicandis reliquis omnibus ſupra recenſitis ſymptomatibus & morbis hujus conſenſus, nulla certe alia, quam hac nobis opus erit methodo. Non diſpar enim eſt ratio vomitus e. gr. illius & cardialgiæ, quæ in affectibus hyſtericis plerumque incidit, ab illa, quæ in nephritide excitari ſolet,

§. LVIII.

(*k*) Vid. *venerandum* atque *illuſt. Præceptorem* in comp. Phyſiol. pag. 414. §. 750. nec non in comment. Boerhaav. Tom. III pag. 218. not. m.

(*l*) *Winslowi* Traité du Bas Ventre. pag. 162. §. 390. §. 78. 79.

§. LVIII. Tranſimus nunc ad hiſtoriam affectuum hyſtericorum, quorum tanta vis eſt, ut vix alio in morbo amplitudo hujus conſenſus melius intelligi, & inſpici poſſit, quam in paſſione hac hyſterica. Omittimus autem omnia hujus morbi ſymptomata, quæ ad vaſorum præcipue conſenſum pertinent: dolorem exempli gartia capitis, quando menſtruorum fluxus, aut ad parvam aliquam quantitatem diu imminutus, aut plane abolitus, & interceptus, paſſionem hyſtericam producit. Nulla fere datur in corpore fæminino notabilis pars, in qua malum hyſtericum non peculiares & conſtantes aliquos affectus excitaverit. Caput enim æque afficitur ac collum, abdomem, & extremitates tam ſuperiores quam inferiores. Quare, in exponenda horum omnium, vel ſaltem ad conſenſum noſtrum pertinentium affectuum ratione, maxima omnino opera danda eſt, ut quoad mihi ob exiguam & vix ullam in praxi medica cognitionem fas erit, aliquem hic ordinem ſervem. Recenſendi igitur primo nobis erunt capitis affectus.

§. LIX. Præter generalem illum capitis dolorem, & vaſorum ſine dubio conſenſum unice reſpicientem, aliæ adhuc dolorum capitis ſpecies hic ab auctoribus obſervari ſolent, quæ plerumque unam alteramve tantum capitis partem occupant, aut inſtar clavi infixi ægrotæ caput moleſte afficiunt, cum alternis tenſivis & veris ſpasmodicis motubus, ad usque verticem ſeſe exporrigentibus. Eodem hoc tempore alia ſymptomata obſervantur in interno capite, deliria nempe, ab ipſa cerebri medullosa ſubſtantia irritata, & vellicata, producta: obliviones: animi affectus, uti ira, triſtitia, metusque, &c.: ipſi oculi omnem ſæpenumero videndi facultatem amittunt, (*m*) in vertiginem incidunt, lachrimasque fundunt; nares frequentiſſime ſternutant: in auribus ægrotæ moleſtum quendam ſentiunt tinnitus aut campanarum quaſi ſonantium ſenſum, aut penitus, ſed pro tempore, quo paroxyſmus ſævit, ſurdæ redduntur. Interne deliquia animi perfecta multarum horarum, & urinæ ſuppreſſiones decem & duodecim dierum *illuſt. Hallerus* vidit.

§. LX. Haud exigui etiam momenti ſunt, quæ, durante paroxysmo in organis reſpirationis atque deglutitionis accidere ſolent. Ajunt enim fæminæ ejusmodi hyſtericæ, adſcendere ſibi dolorem quendam obtuſum a ſynchondroſi oſſium pubis ſecundum totam illam muſculorum rectorum abdominis directionem, inſtar adſcendentis cujusdam glomeris vel nodi verſus os hyoides, aut paulo altius, ibique ſubſiſtere, & in omni deglu-

(*m*) Verum, haud miror tales in hyſtericis affectus, ſi *Illuſt. Morgagnii*, aliorumque magnorum virorum mirabiles plane hac de re obſervationes perpendeo. Vidit *Morgagnius* in fæminis hyſtericis perfectas cæcitates uno alterove aliquoties ſuperveniſſe oculo, a ſolo nimirum, de quo antea vehementiſſime querebantur, colico dolore. Vid. *Morgag.* Epiſt. Anat. XVIII. pag. 310. Ejusmodi caſus etiam deſcribit *Michael* Adolph in Act. Nat. Cur. Vol. 2. Obſ. 887. & Nebelius in Ephem. Nat. Cur. Dec. 3. 4. Obſerv. 81.

glutitione difficultatem parere; hinc mulierculis hyſtericis, quæ huic ſymptomati obnoxiæ ſunt, neſcio, quæ cauſa perſuadet, uterum ad fauces adſcendere. Tam vehemens ſæpe hic in faucibus dolor eſt, ut brevi, ſuffocatione ſeſe morituras eſſe, putent.

§. LXI. Neque immunes ſubſiſtunt ab hoc malo partes in pectore abſconditæ, & muſculi, qui pectoris latera cingunt, reſpirationique inſerviunt, tentantur enim ſpaſmis, præſertim autem pectorales. Sanguis, ob conſtrictas ab irritatis nervis arterias pulmonales difficulter, lenteque per pulmones trajicitur, unde anxietates tunc temporis valde crudeles, & palpitationes cordis naſcuntur; imo non infrequens eſt, ut in animi deliquia incidant, quemadmodum jam monitum eſt, aut moleſta tuſſi laborent.

§. LXII. In abdomine maxime afficiuntur ventriculus, renes, & aliqua etiam inteſtinorum pars. In ventriculo cardialgiæ, vomitusque excitantur: in renibus ejusmodi ſæpe fit conſtrictio, ut urinæ tranſitus in ureteres claudatur, ſæpe etiam, ut a nimia hic generata irritatione vomitus cieatur, uti in nephritide, quod *Sydenhamus* jamdudum obſervavit: moniti enim ſunt a *Sydenhamo* medici, ne fæminas hyſtericas nephritide laborare crederent, quando de dolore circa regionem vertebrarum lumborum inter ultimam coſtam ſpuriam & os ilium ſæviente, queruntur, & eadem fere ac in nephritide adſunt ſymptomata, vomitus v. g. cardialgia, & læſa diureſis. In inteſtinis borborygmi, teneſmi, dolores in inteſtino præſertim colo, ſæpe laborant obſtructione alvina ſatis pertinaci. Brachia atque pedes convulſivo quodam motu huc & illuc jactitant.

§. LXIII. Et hæc conſuetiſſima ſunt ſymptomata & affectus, qui in paſſione hyſterica a plerisque ſcriptoribus obſervati, & memoriæ ita proditi ſunt. Inquirenda & examinanda nunc erit horum omnium origo, quæ maxima ex parte ab anaſtomoſibus nervorum, uti ſupra jam diximus, pendere videtur. Verum autem, uterus, fons omnium horum malorum, nullos ejusmodi habet nervos, qui immediate cum muſculis v. gr. laryngis, aut cum ventriculo cohærent, quos motubus ſpasmodicis afficere poſſet, ſed ex eodem tamen proveniunt trunco, a quo & uterus & reliquæ partes omnes, quæ in hoc malo afficiuntur, nervos ſuos accipiunt. Hic truncus, uti notiſſimum eſt, eſt nervus intercoſtalis, qui per totum thoracem, abdomen ad pelvim usque decurrit. Neque opus eſſe credo, ut de omnibus ramis & anaſtomoſibus, quas cum aliis nervis habet, multa hic verba faciam, ſufficit autem, illos tantum conſideraſſe ramos & anaſtomoſes, quarum ope propoſiti morbi affectus rite intelligi queunt.

§. LXIV. Prima hujus morbi cauſa, omniumque illorum affectuum, qui tunc temporis in remotiſſimis partibus excitantur, origo, in irritatione quadam nervorum uteri conſiſtit, quæ per communicationes nervorum ad omnes illas partes propagatur, quæ ab hoc morbo patiun-

tur,

tur. Oportet igitur has partes ex uno eodemque trunco nervos ſuos accipere, ex quo uteri nervi proveniunt. Hæc res facilis omnino demonſtratu erit.

§. LXV. Poteſt autem ſenſus illius irritationis ex infimo meſenterico plexu ad ſequentem, & ex hoc ad ſupremum facile propagari, quia inter ſe varias ſatiſque conſpicuas anaſtomoſes habent. Plexus autem meſentericus ſupremus non paucos etiam ramos mittit ad plexum renalem, uti viciſſim accipit a plexu ſtomachico, quod ſupra jam, ubi de vomitu nephriticorum dictum eſt, vidimus: patet igitur, irritationem illam hyſtericam, quæ ad renales plexus adſcendit, ſimili via ad ventriculum pervenire, qua pervenit irritatio nephritica.

§. LXXII. Plexus ſemilunares conſtituunt una cum ramulis quibusdam primorum nervorum lumborum plexus renales, quorum dexter cum plexu hepatico, ſiniſter autem cum plexu ſplenico, & coronario ſtomachico ope ejuſdem magni ganglii communicat. Plexus ſemilunares, uti §. LVI. vidimus, originem ſuam debent ramis quibuſdam nervi intercoſtalis, qui ex thorace in abdomen deſcendunt. Nullum ergo dubium eſt, quin per varias has anaſtomoſes omnis illa in utero primo excitata irritatio ad has partes pervenire poſſit. Sed neque hic penitus ſubſiſtit ſenſus irritationis, ubi nervus intercoſtalis enarratos illos, plexus ſemilunares conſtituentes, ramos producit, nihil enim impedit, quin per reliquam etiam nervi intercoſtalis partem, varioſque ejus ramos ad reliquas partes omnes excurrat, varioſque illos in eis effectus producat.

§. LXVIII. In pectore pleræque fere partes a nervo intercoſtali nervos accipiunt. Cor enim magnam nervorum copiam habet, quorum principes merito hic enarrandi ſunt, quia feminarum hyſtericarum animi deliquia ab his nervis unice oriri videntur. Ganglion cervicale ſupremum, factum, ex trunco nervi intercoſtalis per foramen caroticum retro arteriam carotidem ad primam vertebram colli deſcendente, & ex primo, ſecundo, & tertio nervo cervicali, multos dat ramos & ſurculos pharyngi & laryngi, & muſculis præſertim deſtinatos, qui ut omnino probabile eſt, ſenſum adſcendentis illius nodi & glomeris in his muſculis generant. Idem hoc ganglion primos cordis nervos generat, qui aucti ramis & ab octavi paris pharyngeo plexu, & a nervis cervicis, & a trunco intercoſtali, ſecundum aſperam arteriam per collum in pectus deſcendunt, ſecundum primo ad arteriam thyreoideam ganglion faciunt, ex quo denuo nervi orti alii cor adeunt abſque medio, alii ganglion cervicale imum efficiunt, quod & ipſum inſignes cordi nervos mittit, auctum a cervicalibus imis. Hi nervi ad ſedem dextram ductus arterioſi, retro aortam plexum faciunt, ex quo tres nervorum faſciculi cor adeunt, quorum anterior ad coronariam arteriam dextram, medius ad ſiniſtram, poſtremus ad ſinum ſiniſtrum ramos ſuos mittunt. Hi cordis nervi varie augentur a recurrente nervo, ſibi multis modis innexo, a quo arteria

aſpera non paucas fibrillas accipit: unde tuſſes illæ & affectus ahſtmatici, qui quidem irritatis, & mox dicendis pulmonum nervis multum ſimul etiam debent.

§. L X V I I I I. Sic ganglion cervicale medium generat interim truncum nervi intercoſtalis, qui haud procul abhinc in duos quaſi dividitur ramos, quorum unus magis ſuperficialis eſt, alter autem profundus. Ramus ſuperficialis deſcendit verſus arteriam ſubclaviam, ubi circumeuns circa arteriam, retro eam in ganglion iterum recipitur, quod a ramo profundo conficitur. Vidit præterea *Clariſſimus Winslowus* ramum, qui cum nervo recurrente anaſtomoſi facta, propaginem generat, una cum octavi paris nervis in pulmonem diſtributis.

§. L X X. Sed nervo intercoſtali aliquod etiam omnino commercium eſt cum nervis, qui externas cranii partes adeunt, quarum aliquot in malo hyſterico afficiuntur, & cum nervis brachii, & pedum. Omnia enim paria nervorum cervicis manifeſtiſſime uno alterove ramo communicant cum nervo intercoſtali, de quibus autem nunc paulo fuſius nobis dicendum erit.

§. L X X I. De primo, ſecundo, & tertio nervo cervicis ex §. L X X V I I I jam conſtat, quod maxima ex parte ganglion illud cervicale ſupremum ſimul cum trunco nervi intercoſtalis conſtituant. Horum ramorum quilibet ſæpe major eſt, quam ipſe truncus intercoſtalis ex cerebro deſcendens. Ramus poſterior primi nervi cervicis unice fere muſculis rectis & obliquis capitis deſtinatus eſt.

§. L X X I I. Nervus *intercoſtalis* communicat etiam, ut nemo ignorat, cum nervis brachii, quos quartum, quintum, ſextum, & ſeptimum colli par, primumque & alterum dorſi, conſtituunt: quam ob rem facile intelligi poteſt, cur in malo hyſterico brachia toties convulſivo motu agitentur, uti in præcedentibus annotatum eſt. Ob ſimilem etiam anaſtomoſin nervi intercoſtalis cum duobus ultimis nervis lumborum, & cum nervis ſacris, qui multum omnino conferunt, ad conſtituendum maximum illum nervum ſciaticum, pedes ſpaſmis corripiuntur.

§. L X X I I I. Propoſitis, quæ de malo hyſterico ratione conſenſus nervorum dicenda erant, ad alium affectum tranſimus, qui in hominibus hernia incarcerata laborantibus, obſervatu non adeo infrequens eſt: contingit enim, ut, elapſa aliqua inteſtinorum præcipue tenuium parte, aut in ſcrotum per anulum abdominalem, aut ad inguina, haud diu poſt id infortunium, vomitus quippe ingentes, & ſtercoris ejectiones per os ſuccedant.

§. L X X I V. Triplex hujus vomitus cauſa eſt, quam nemo non optime intelligit: alia fit a tractione quadam membranarum, quæ adeo ad continuationem membranarum pertinet: alia, ſi elapſis in ſcrotum inteſtinis multum atque indurati ineſt ſtercoris, quod naturali via diſcedere haud poteſt, ob conſtrictum illorum exitum & mutatum naturalem ſitum: tertia

tertia denique cauſa ad conſenſum nervorum proprie pertinere videtur, qui plerumque ob excitatam in incluſa inteſtinorum parte inflammationem fit, qua nervi partis incluſæ aliquam irritationem patiuntur, quæ ut ſupra vidimus, per communicationes nervorum ad uſque ventriculum & œſophagum propagatur. Oportet igitur, ut in hunc conſenſum inquiramus, ne incerti hic aliquid remaneat.

§. LXXV. Inteſtina tenuia nervos ſuos accipiunt a plexu præſertim meſenterico ſupremo, qui arteriæ meſentericæ ſuperiori circumjacet, & cum ea magna omnino ex parte ad inteſtinum colon, & inteſtina tenuia abit, quibus, & glandulis meſentericis, infinitos certe ramos largitur, a quibus ſumma illa inteſtinorum ſenſibilitas pendet: a purgantibus enim vix aliquid patiuntur linguæ atque faucium nervi, ſed inteſtina ne quidem mercurium dulcem diu ſuſtinent, qui linguæ papillas nerveas grata quadam dulcedine afficit. *Williſius* hunc plexum meſentericum ſupremum ganglion vocat ſolare, a ſimilitudine quadam radiorum quos prodeuntes ex hoc plexu rami referunt. Proveniunt ab eo plexu & renali aliqui ſurculi, qui ad originem meſenterii deſcendunt, ad arteriam meſentericam inferiorem, ubi medium producunt plexum meſentericum, cui truncus ipſe intercoſtalis nonnullos ramos addit. Reliqua, quæ hic occurrunt, dictis §. LVI. ſimillima ſunt.

§. LXXVI. Neque magis ſpecialiores quoſdam hic partium quarundam ope nervorum interſe conſenſus omittere licet, quos a *Williſio* præcipue annotatos video. Ita (*m*) ventriculus cum aſpera arteria & larynge conſentit, quod ex tuſſi illa ſcitur, quæ unice a vitiato, magnaque pituitæ quantitate obſeſſo ventriculo, ſæpe producitur: ſic ventriculo aliquis etiam eſt conſenſus cum corde: & uni oculo cum altero (*n*).

§. LXXVII. Ventriculus conſentit cum arteria aſpera, & larynge, nec non cum corde ipſo, ope nervi vagi, ſive octavi paris, quod ex tribus diverſis truncis componitur. Primus acceſſorius eſſe videtur, oriturque a ſeptem ramulis nervorum cervicis, qui in unum quaſi truncum concurrunt. Is truncus in cerebrum adſcendit, ubi innumeri ex medulla oblongata prodeuntes ramuli ei inſeruntur, quibus auctus, exit de cranio cum octavo pare, & muſculum adit trapezium, cui unice deſtinatus eſt. Secundus octavi paris truncus eſt nervus pharyngeus, qui pharyngem præſertim & linguæ baſin adit: anaſtomoſes etiam quaſdam habet cum nervis mollibus intercoſtalis. Tertius denique truncus omnium eſt maximus, & de quo præcipue dicendi hic nobis erit ſcopus, truncus nempe octavi paris. Primi hujus nervi rami veniunt ad laryngem, ubi cum nervo recurrente varie communicant: deſcendit autem truncus, datis his ramis, cum vena jugulari in thoracis cavum, generatque ibi locorum, ubi

(*m*) Vid. *Williſ.* de Cerebro. pag. 178.

(*n*) *Illuſt.* atque *æternum venerandum Præceptorem* in Comp. Pyſiol. pag. 300. §. 555.

ubi bronchia pulmones ſubeunt, nervum recurrentem, qui ſiniſtro in latere circa arteriam aortam ſurſum flectitur, in dextro autem circa arteriam ſubclaviam, unde nomen nervi recurrentis natum eſt. Is recurrens nervus, facta hac in utroque latere mirabili flexura, aliquod ad cor ramos mittit, adſcenditque ſecundum œſophagum verſus laryngem, ubi cum nervis laryngeis ſuperioribus varias anaſtomoſes habet; in toto hoc autem itinere non paucos certe œſophago dat ramos. Pulmonum plexus notiſſimos ipſe truncus efficit; haud magni ſunt, quod natura horum viſcerum optime demonſtrat, nam vix aliquem exulcerati in phthiſicis pulmones dolorem excitant, ſi anxietates illas ſummas excipis, quas tranſeuns per compreſſa pulmonis vaſa ſanguis parit. Sed uterque tandem plexus mutatur in plexus alios, quorum ſiniſter œſophageus anterior & minor vocatur, dexter major, œſophageus poſterior: prior deſcendit cum œſophago ad anteriorem ventriculi ſuperficiem, ubi in multos ramos & ſurculos dividitur, qui cauſa ſunt ſummæ ſiniſtri orificii ſenſibilitatis, plexus poſterior per totam curvaturam minorem ventriculi expanditur, variosque dat ramos hepati vicino, cum ramis ganglii magni hepar adeuntibus, commiſtos.

§. LXXVIII. Ex iſtis nunc ratio patet, cur a vitiato ventriculo tuſſis, & vice verſa, a tuſſi vomitus & cardialgiæ toties naſcantur, uti in malo hypochondriaco inveterato ſæpe fit, dum crudi & haud facile digerendi cibi debili ventriculo ingeruntur.

§. LXXVIIII. Quomodo autem oculi inter ſe conſentiant, ut affecto uno oculo, alter etiam male afficiatur, nunc inquirendum. Nemo ſine dubio ignorat, hunc mirabilem conſenſum latere in conjunctione illa notiſſima thalamorum opticorum, qui magna certe ex parte nervos opticos, tanquam principes oculorum nervos, generant. Si nunc in uno alterove oculo vel a cauſis quibusdam externis, vel internis etiam, notabilis aliqua irritatio excitatur, in utroque ſtatim oculo unus fere idemque producitur effectus, quia propagato ſenſu irritationis illius ad irritati nervi originem, altera priori adnexa, ſimilem irritationem percipit; hinc per utrumque æquali vi ſpiritus ad oculos determinantur (o).

§. LXXX. Infinita ſimilium obſervationum & ſymptomatum exempla ennarranda nobis adhuc reſtant, ſed, cum pleraque eorum ab aliis jam expoſita ſint, haud opus erit, ut ſpeciatim omnia iterum proponam. Digna erunt perſpectu, varia illa ſymptomata, quæ ope anaſtomoſium quarundam nervi duri cum nervis maxillæ tam ſuperioris quam inferioris & ramis quibuſdam nervi intercoſtalis ſæpe producuntur.

§. LXXXI. Quando parietes calce obducti unguibus vel corpore aliquo ſcindente raduntur, ingratus aliquis producitur ſonus, qui dentes moleſte afficit: aliis hominibus ſimilis in dentibus ſtridor naſcitur, quando

(o) Vid. l'Anatom. d'Heiſter &c. p. 792.

quando charta, aut lingna dura raduntur. Omnia hæc ſola fieri communicatione nervi duri cum ramis maxillaribus & dentalibus nervi quinti, docet Anatome. Truncus nervi duri, egrediens ex cerebro per proprium foramen, quod ſtylomaſtoideum vulgo dicunt, deinde, perforata glandula parotide, ad angulum maxillæ inferioris in conſpectum venit, ubi in duos ramos dividitur, quorum unus *inferior* eſt, alter autem *ſuperior*. Hic major duorum eſt, atque in ſeptem aut octo plerumque ramos diſtribuitur, qui fere omnes in lateralem capitis partem ad faciem excurrunt, & ſpeciem plexus formant, qui ab Anatomicis Gallis *pes anſerinus* appellatur. Ab hoc nunc ſuperiori ramo veniunt duo vel tres circiter ſurculi, qui ſupra tendineam muſculi temporalis partem ante venam temporalem cum nervo maxillari communicant; & ab ejuſdem aliis ramis inſignes ſurculi producuntur, qui tranſverſim faciem perrepunt, & plexum cum infraorbitali ramo nervi maxillaris ſuperioris inſignem faciunt (*p*). Idem ramus ſuperior ſurculos habet, qui cum nervi tertii quinti ramo buccinatorio uniuntur. Inferior nervi duri ramus æque ac ſuperior variis in locis cum nervis maxillæ inferioris & cervicis communicat: diſtribuitur enim ad angulum maxillæ inferioris in multos ramos, qui partim ad faciem & partes vicinas, partim autem ad collum diſtribuuntur, inter quos hic præcipue memorabilis eſt, qui ad marginem maxillæ inferioris longo itinere verſus muſculum labii inferioris migrat, quo perforato, cum nervo ex maxillæ inferioris foramine prodeunte, communicat.

§. LXXXII. De ſpecialiori & magis compoſito nervorum inter ſe conſenſu, cujus ope multi Clar. Viri mirabiles certe effectus & ſymptomata explicant, nihil hic dicam: imo, neque de hoc nervorum conſenſu aliquid attingam, qui a ſola fit cohæſione nervorum, mediante interpoſita tenerrima tela celluloſa, quum vix aliquid auctoritatis vel certi eis inſit.

§. LXXXIII. Omnia hæc recenſita ſymptomata graviora fieri, & ſenſim alia producere facile queunt, quotieſcunque irritatio ad certum quendam gradum augetur: ſi inteſtina, verbi gratia, infantum ab aceſcente lacte materno irritantur, non raro eodem tempore in toto corpore convulſivi motus excitantur. Senſus igitur hujus irritationis, ſi ad nervorum originem pervenerit, totam fere medulloſam cerebri ſubſtantiam in conſenſum rapit, ex qua univerſali irritatione ad omnes partes major ſpirituum naſcitur determinatio. Hoc fieri, manifeſte apparet in motu muſculari, qui citra animæ voluntatem in omnibus fere corporis muſculis maximus in convulſione fit: flexores vehementius & citius, quam in ſtatu naturali contrahuntur, & idem extenſoribus contingit. Ab ejuſmodi mutua quaſi muſculorum contractione & extenſione pendet convulſionum

 idea.

(*p*) Vid. *Winslow.* Traite des Nerfs. Tom. III. pag. 235. 237. Edit. Paris.

idea. Variæ ſunt cauſæ, quarum ope convulſivi in corpore motus excitari queunt: vulnera exempli gratia valde magna, & productæ per ea hæmorhagiæ notabiles, vel quæcunque liquidorum evacuationes nimiæ: nervi ex parte tantum diſſecti: & generatim nervorum irritationes ſummæ.

§. LXXXIV. Vidimus hactenus irritati nervi effectus, variaque, ob communicationes nervorum inter ſe, ſymptomata: ſed fas erit, ut oppoſitum etiam nervorum his conſideremus ſtatum, qui fit, ſi aliqua cerebri pars, vel nervorum origines, aut truncus aliquis ita comprimitur, ut per eum truncum nulla amplius ſpirituum fiat determinatio ad partes deſtinatas. Ejuſmodi ſtatum obſervamus in apoplexia, morbisque omnibus, ab ea oriundis.

§. LXXXV. Apoplexia in genere conſiderata, eſt ſenſuum & functionum plerarumque partium corporis humani ſubita quædam abolitio (*q*), inſtar hominis ſumme ebrii & fatigati, dum in profundiſſimo jacet ſomno: plerumque tamen ſuperſtes manet cordis & reſpirationis officium; manifeſto ſatis argumento, nihil pati cordis nervos, licet effuſus in cerebri ventriculos ſanguis ipſum cerebellum premat, a quo multi *Celeberrimi viri* cordis nervos venire crediderunt.

§. LXXXVI. Producta ab effuſo in cerebri ventriculos ſanguine apoplexia, haud longo ab ea calamitate tempore aliis morbis originem præbet; minime enim rarum eſt, ut, ſanata apoplexia, hi vel illi muſculi paralytici evadant. Hinc, ſi omnes unius lateris muſculi tali laborant paralyſi, *hemiplegia* vulgo dicitur: *paraplegia* autem, quando omnes partes, cervici ſuppoſitæ, ita affectæ ſunt. Sed, quænam horum effectuum cauſa ſit, dici oportet. Quærenda certe erit in conjunctione & communicatione omnium cerebri ventriculorum, & libera ex ultimo in medullam ſpinalem via, per quam ſanguis effuſus ad origines nervorum ſpinalium deſcendit, quas ſuo pondere ita premit, ut per eas liquidi nervei ſecretio penitus, vel ex parte ſaltem aboleatur. Sanguinem hoc modo ex ventriculo quarto ad medullam ſpinalem facile deſcendere poſſe, docet ſpinæ bifidæ in fetubus origo.

§. LXXXVII. Priusquam autem apoplexiæ effectus conſiderare nobis licet, oportet, ut antea rite intelligamus ipſas apoplexiæ ab effuſo ſanguine natæ cauſas & rationes: an forte ventriculis aliquid ineſt, quod, ſi ab effuſo comprimeretur ſanguine, tales in toto fere corpore effectus producere poſſet, nempe abolitionem ſenſuum & functionum omnium ſæpe partium, excepto corde, & aliqua pulmonum parte, cujus integritas a ramis trunci nervi intercoſtalis pendet.

§. LXXXVIII. In anteriori ventriculorum anteriorum parte duo eminent colliculi (*r*), qui ab anatomicis *corpora ſtriata* vocantur, quorum

(*q*) Vid. *Boerhaav.* Aphoris. pag. 232. §. 1008.

(*r*) Vid. *Venerandum* atque *Illuſt. Præceptorem* in Comp. Phyſ. pag. 281. §. 362. &c.

rum ſubſtantia externa corticalis eſt, molliſſima pia matre obducta, interna autem media pars medullaris & corticalis ſimul eſt, atque in ſtrias diſtinctas diſpoſita. *Vieuſſenius* tria diverſis nominibus ejuſmodi corpora deſcripſit, ſed unicum eſt utrimque, cujus diverſas regiones *Vir Clar.* diverſis nominibus inſignivit. Hæc corpora principem atque nobiliſſimam totius cerebri partem eſſe, docent obſervationes practicæ: nam abſceſſus, hydatides, ſanguis effuſus, vel quidquid aliquam in corpora hæc ſtriata preſſionem exercet, graviſſima in toto corpore ſymptomata producit, uti epilepſiam, apoplexiam, & mortem ſæpe ipſam. Haud miror autem, tanta exinde mala oriri, quando conſidero, ab his corporibus maximam crurum cerebri partem oriri.

§. LXXXIX. In poſteriori vel media horum ventriculorum parte alii duo apparent colliculi, *thalami* nervorum opticorum vulgo appellati. Externa eorum ſubſtantia medullaris eſt, interna autem ſtriis corticalibus mixta, quæ melius in animalibus quibusdam, uti in vitulo, quam in hominibus conſpici queunt. Hi thalami, dum retrorſum eunt, cerebri crura ingrediuntur, quæ una cum corporibus ſtriatis nervos opticos generant. Inter thalamos reperitur ſtria medulloſa, *geminum centrum* a *Vieuſſenio* nominata, quod centrum a dextro in ſiniſtrum latus tranſverſali quaſi nervo conjungitur, quam cohæſionem Anatomici vocant commiſſuram cerebri anteriorem. Intervallo illo, quod eſt inter thalamos nervorum opticorum, & corpora ſtriata ſedet *ſeptum lucidum*, quod tenerrima eſt lamina medullaris, pia matre obducta: ad anteriorem hujus ſepti finem adſcendunt plexus choroidei, ubi in unum coëunt, adſcendunt inquam cum thalamis opticis ex baſi cranii, ubi originem ſuam ducunt a plicata pia matre, numeroſis vaſis rubris picta; arteriolæ ejus inferiores a carotide veniunt & vertebrali: venæ confluunt in venam Galeni. Exhalat perpetuo ex his plexubus vapor aliquis, ventriculos replens, qui mox autem per venas reſorbentes reſorberi ſolet, alias idem hic contingeret, ac in pectore & abdomine, hydrops ſcilicet naſceretur, a quo corpora ſtriata facile comprimerentur.

§. XC. In ventriculo tertio itidem variæ reperiuntur eminentiæ, & colliculi: inter quos illi notatu maxime digni ſunt, qui a Veteribus *nates teſtesque* vocabantur, nunc autem a *Winslowio* eminentiæ anteriores & poſteriores dicuntur. Hæ eminentiæ ab intermedia illa ſtria craſſa medullari dextrum & ſiniſtrum cerebri lobum poſteriorem inter ſe conjungente, in quatuor hos colliculos figuratæ ſunt: anteriores nates, & poſteriores teſtes vocantur: anteriores partim corticales & partim medullares ſunt. Hæ quatuor eminentiæ inter ſe efficiunt intervallum, quod glandula pinealis replet (*s*), cui plexus choroideus medius ſuper expanſus eſt.

§. XCI.

(*s*) Glandula hæc pinealis non raro oſſea, lapideaque reperitur, & argumentum ſatis firmum contra *Carteſium* & reliquos præbet, qui hanc glandulam animæ noſtræ receptaculum eſſe crediderunt.

§. XCI. Sanguis ex ventriculo tertio in quartum immiſſus, non pauca & hic etiam nocere poteſt, quando pons Varolii & cerebellum aliquam injuriam patitur. Negat equidem *Vieuſſenius*, ſanguinem aut aliud liquidum ex tertio ventriculo ad quartum venire, ob valvulam nempe illam cerebelli, qui in anteriori & ſuperiori hujus ventriculi parte reperitur. Verum ea valvula ventriculum quartum non excludit ab aquæductu, ſed unice poſterius a cranii camera ſeparat. Naturalis autem via ex ventriculo tertio in quartum, eſt aquæductus *Sylvii* de le *Boe*: hoc nomen non male certe a ſimilitudine quadam canalium illorum, qui abſconditi ſub terra aquam ad deſtinata loca vehunt, deſumtum eſt; deſcendit enim aquæductus ille ſub natibus in calamum; ſive poſteriorem medullæ ſpinalis ſulcum, inſtar aquæductus cujuſdam veri, dum in locum ſuum terminatur.

§. XCII. Quotieſcunque igitur ab effuſo in hos ventriculos ſanguine, vel a nimia exhalantis aquæ copia, hæ partes aut omnes, aut earum principes ita comprimuntur, ut earum deſtruatur integritas, a qua omnium quinque tam externorum, quam internorum, actio pendet, apoplexia naſcitur. Quando vero ſanguis ex ventriculo quarto in medullam ſpinalem ſenſim deſcendit, diſparent mox pleraque apoplexiæ ſymptomata, quibus alia, & ſæpe ſubito funeſta ſuperveniunt: paraplegia exempli gratia, hemiplegia, aut paralyſes hujus illiuſve tantum membri, vel muſculi.

§. XCIII. De paraplegia in genere notandum eſt, reſolvi in ea maximam tunc temporis partium illarum partem, quæ a ramis nervorum medullæ ſpinalis liquidum nerveum accipiunt, ne dicam de iis partibus, quibus nulli alii ſunt nervi, quam ii, qui ex medulla ſpinali veniunt: comprimuntur igitur hic plerique ex utroque medullæ ſpinalis latere oriundi nervi. In hemiplegia autem deſtructio unius tantum fit lateris, quia ſine dubio illius tantum lateris nervi a deſcendente ſanguine premuntur, remanente interim altero incolumi.

§. XCIV. In ſummo illi vitæ periculo verſantur, quibus, uti olim jam *Hippocrates* obſervavit, poſt apoplexiam paraplegia contingit. Cur hæc autem tantopere timenda ſit, quivis optime ſane intelliget, dummodo ſibi animo revocaverit, cordis principes nervos non a cerebro, ſed ex ipſa medulla ſpinali proficiſci, &, his compreſſis, in corde non niſi imbecillem, liquida ſua expellendi, vim remanere, qualem pauciſſimi, uti ſupra abunde vidimus, octavi paris nervuli, & primus ille a capite nervi intercoſtalis perveniens trunculus, præſtare poſſunt.

§. XCV. In paraplegia multum non ſolum externa membra patiuntur, muſculique pectus & abdomen cingentes, ſed & interna pleraque fere viſcera, quæ a trunco intercoſtali ramos accipiunt. Ratio ex præcedentibus ſatis patet: truncus enim intercoſtalis maxima ex parte ex ramis nervorum ſpinalium efficitur, quorum quilibet, excepto tamen pare tertio, quarto

quarto & quinto, ramo ſuo anteriori nervum intercoſtalem adit. Non repeto autem quæ de hoc nervo ſupra paſſim expoſita ſunt.

§. XCVI. De ſpina bifida ejuſque origine, quæ nemini, perſpectis iis, quæ de apoplexia, hujuſque effectubus dicta ſunt, obſcura videri poteſt, haud multa enarranda mihi ſuperſunt. Hoc malum non infrequens eſt infantibus, quibus in capite hydrocephalus a quacunque cauſa natus eſt. In fœtubus non raro ejusmodi hydrocephalus ſive congeries aquæ illius exhalantis (§. LXXXVI.) in ipſo utero naſcitur, quæ cum temporis progreſſu cerebro circumpoſitas membranas, ipſaque nullis adhuc ſuturis inter ſe connexa oſſa ita ſenſim diſtendit, ut hiatum amplum efficiant, ex quo dilatatæ membranæ cerebri inſtar ſacci vel aqua repletæ veſicæ, ſupra faciem, vel capitis latera propendent. Quando hæc aqua in cerebri ventriculos effunditur, brevi dicta (§. LXXXVII.) via in medullam ſpinalem pervenit, & ubi dura mater ad os ſacrum cum reliquis ſimul membranis in ſpeciem ſacci cujuſdam formatur, ſenſim ſenſimque ad tantam augetur copiam, ut proprio tandem pondere & nixu ultimarum vertebrarum lumborum corpora, quæ eo tempore nondum tanta ac in adultis duritie gaudent, diſtendat, atque rumpat (*t*).

§. XCVII. Finito denique & hoc nervorum ampliſſimo certe conſenſu, de quo non niſi generalia, & quæ ſcitu nobis quam maxime neceſſaria erant, proferre licuit, ad ſequentem & priori ex parte analogum conſenſum tranſire omnino fas erit, qui in continuatione latet membranarum & cohæſione inter ſe.

SECTIO IV.

De conſenſu Membranarum.

§. XCVIII.

Generalis hujus conſenſus idea pendet ab irritatione membranarum, quæ ob cohæſionem mutuam in parte non irritata ſimiles ac in irritata effectus producit.

§. XCIX. Ut clariora & certiora hæc omnia videantur, oportet proponere ſymptomata ab ejusmodi irritatione excitata. Ita pruritus in glande penis a latente in veſica urinaria calculo vel materie tophacea excitatus, ſine dubio fit per continuationem membranarum veſicæ cum membranis urethræ (*u*), quæ ad penis glandem continuantur. Cum autem veſica

(*t*) Vid. *Tulpii* Obſervat. Medic. lib. III. pag. 235.

(*u*) Vid. magnum atque æternum mihi Venerandum Præceptorem in Comp. Phyſiol. pag. 300. §. DLV.

veſica urinaria ex variis, uti notiſſimum eſt, membranis, & interpoſitis ſibi tunicis cellulofis conſtet, neceſſe erit, ut inquiramus, quænam ex his membranis & telis, cum urethra continua ſit.

§. C. Fabrica veſicæ urinariæ ſane haud multum differt ab inteſtinorum aut ventriculi fabrica. Primum involucrum præſtat peritonæum, quod apici & anteriori veſicæ parti ad conjunctionem oſſium pubis inſidet; non tota autem anterior pars peritonæo tegitur, ſed dimidiam circiter tegit cellulofa. quæ eſt inter veſicæ partem anteriorem & faciem internam oſſium pubis. Hæc igitur tantilla peritonæi pars ſupremam veſicæ partem tegens, minime pro involucro habenda eſt: verum ſub hac cellulofa prima jacet muſculoſa tunica, ex multis, varieque huc & illuc tendentibus ſtratis & faſciculis compoſita, qui in nullum perfectum ordinem redigi aut diſponi queunt. Princeps, maximumque harum fibrarum ſtratum incipit a proſtatæ glandulæ facie anteriori, a qua per totam veſicæ partem anteriorem ad uſque urachi originem adſcendit: inde per poſteriorem veſicæ partem deſcendit ad proſtatæ faciem poſteriorem. Hæ fibræ conſiderandæ ſunt, tanquam veſicæ urinariæ muſculus depreſſor, quemadmodum *Cowperus* eas ita nominavit (*v*). Præter has fibras autem, aliæ adhuc obſervantur, quæ ad omnes fere partes excurrunt abſque ullo ordine. Earum multæ a prioribus veniunt, ſed haud longum per intervallum conjunctim migrant, partim etiam a proſtatæ facie anteriori ſupra veſicam ad faciem poſteriorem procedunt, ubi a priori teguntur ſtrato. Nulla ex his fibris continuatur in urethram, neque cellulofa illa huic membranæ circumpoſita, aut ſequens inflabilis, quæ eſt inter tunicam muſculoſam & proximam nerveam: nervea autem & villoſæ ſimilis intima membrana, quibus veſica non caret, utique in urethram continuatur, eſtque vera continuatio cutis & epidermidis, ex quibus tota urethra manifeſte componitur (*x*). Nullum ergo ſupereſt dubium, quin pruritus ille per ſolam continuationem tunicæ nerveæ veſicæ, & villoſæ, ad glandem penis propagetur.

§. CI. Similem ob cauſam excitatur in naribus infantum pruritus a vermibus in inteſtinorum cavo hærentibus. Narium cavitatem inveſtiens membrana ab Auctore Schneideriana dicta, manifeſtiſſime per os, fauces, œſophagum, totumque inteſtinorum tractum ad anum uſque continuatur, & in toto hoc itinere nuſquam interrupta continuatione nomen ejus mutatur. In inteſtinis & ventriculo villoſa appellatur: in faucibus & ore ſimpliciter membrana oris: & in naribus Schneideriana. Non ſemel

(*v*) Vid. Magnum Præceptorem in Comp. Phys. p. 420.

(*x*) Winslow. Expoſit. Anat. Traité du bas-ventre pag. 222. §. 531. ubi his verbis utitur. Il n'eſt d'abord qu'un canal membraneux, produit par l'ouverture anterieure de la veſſie à l'endroit, qu'on appelle communement le col de la veſſie &c.

mel examinavit Ill. *Winslowus* (*y*) hujus membranæ ſtructuram, quam non ubique æqualem invenit: ad marginem cavitatum narium vidit, eam cuti & epidermidi faciei continuam eſſe, ſed paulo interius pulpoſiorem, poroſiorem, mollioremque fieri: ope hujus membranæ efficitur magna veli mobilis palati pars, ibique etiam in membranam faucium continuatur. Hoc uti verum eſt, nihil de reliquis dubitandum ſupereſt: œſophagi enim interna membrana, quæ ob continuationem villoſæ tunicæ ventriculi & inteſtinorum villoſa etiam nominari ſolet, ejuſdem fere eſt fabricæ & ſtructuræ, quæ in faucibus eſt, pulpoſa nempe, glabra, & abſque villis. Oportet igitur, & ventriculum hanc membranam accipere. cum ventriculus vera continuatio ſit, quod in canibus præſertim apparet. Hujus villoſæ tunicæ integra aliquoties fruſta ob deglutitos fervidos potus aut cibos ſeceſſiſſe viſa ſunt (*z*), unde ingens excitatur dolor, quod in cute externa etiam fieri ſolet, quando epidermis quocunque modo deſtruitur. Similia ſæpe contingunt in diarrhœis, uti ex practicis obſervationibus ſatis conſtat.

§. CII. Ob continuationem hujus membranæ per nares, fauces, œſophagum, atque inteſtina omnia, facilia explicatu erunt, quomodo nempe a diarrhœis ſurditates ſæpenumero tollantur. Nihil ergo ad demonſtrandam hujus rei veritatem opus eſſe credo, quam ut demonſtremus, tubæ Euſtachianæ membranam internam a faucium ſpongioſa membrana oriri, vel cum hac ſaltem continuam eſſe.

§. CIII. Nemo ignorat, tubam Euſtachianam, male a multis Auctoribus pro *Fallopii* aquæductu habitam, ejuſmodi canalem eſſe, cujus pars una intra cranium, altera autem extra cranium ponatur. Prior pars irregularem quendam canalem repreſentat, qui orificio ſuo in tympani cavitatem hiat, cui etiam perfecte adaptatur: pars altera non male figuram tubæ muſicæ, unde nomen traxiſſe videtur, exprimit, libera enim eſt hæc pars, & faucium cavitatem prominet, ubi membranam ſuam a faucibus recipit, quæ ad alterum orificium uſque extenditur. Hæc membrana priori ſimillima eſt, poroſa ſcilicet, multis cryptis & excretoriis ductulis plena, ex quibus mucus aliquis ſecernitur, qui tympani cavitatem, ipſumque tympanum oblinit, ne aer per fauces in hanc tubam veniens, tympano aliquid damni inferat: nullum enim plane dubium eſt, quin & per hanc etiam viam aer externus ad tympanum perveniat, nam, aperto ore, auditus acui poteſt; viciſſim, quando nimia fit aeris per fauces inſpiratio, tota fere audiendi facultas perit, quod in oſcitationibus præſertim obſervamus, id fit, quando aer ea copia per orificium tubæ anterius ſubit,

(*y*) Traité de la Tête §. 336.

(*z*) Datur in America peculiare quoddam genus animalium, in quibus quotannis tota hæc tunica villoſa per alvum ejicitur, quod *D. de la Peyronie* in Catto moſchato americano obſervavit.

bit, ut aeri per meatus auditorios advenienti reſiſtat, & contrarios in aure fluctus excitet.

§. CIV. Si mucus ille, qui ex cryptis exſtillat, quos diximus, in tympani & tubæ cavitatem, tanta augetur copia, ut ab ea aeris in tympano tremores ſuffocentur, ſpecies quædam ſurditatis naſcitur: hinc, ſi in ventriculi & inteſtinorum tunica villoſa, quæ tubæ Euſtachianæ membranæ continua eſt, tanta irritatio excitatur, quanta ſine dubio in diarrhœis adeſſe oportet, omnis ſanguis, ejuſque tenuiora liquida ad irritata excretoria inteſtinorum vaſa majori determinantur celeritate, & copia, quæ adhærentem villoſæ tunicæ mucum naturalem abſtergit, & per anum educit. Sed, quia eadem hæc villoſa tunica in tubam Euſtachianam continuatur, & irritationis ſenſus in eam facillime propagari poteſt, neceſſe eſt, ut & ibi ſimilis effectus producatur. Diluitur ergo ab adveniente liquido tenui per ductulos illos mucus inhærens inſpiſſatus, qui excerni antea haud potuit (*a*).

§. CV. In tractatione conſenſus vaſorum & nervorum, ubi de cauſis vomitus in hernia incarcerata contingentis, aliquid jam dictum eſt, principem hujus phænomeni cauſam omiſimus, quæ ad hunc unice conſenſum membranarum pertinet.

§. CVI. Omnia inteſtina, dum in ſtatu naturali ſunt, totum abdominis cavum exactiſſime ubique replent. Id fit, partim ab æquali muſculorum abdominis reſiſtentia: partim autem a variis illis peritonæi productionibus, quarum ope pleraque inteſtina firmantur. Elapſa autem per dilatatum quocunque modo anulum abdominalem, aut viam aliam, aliqua inteſtinorum tenuium parte, extra peritonei cavitatem, mox aliquod ibi locorum relinquitur ſpatium, quod elapſum nunc antea occupavit inteſtinum. Sed in hujus locum deſcendit vicina ſuperior pars, quæ ſimile etiam ſpatium relinquit. Elapſo denique inteſtino colo ex ſitu ſuo naturali, deorſum ſimul trahitur ventriculus, qui colo tranſverſo, ut nemo ignorat, ope omenti gaſtrocolici adhæret. Excitantur igitur tunc temporis, dum tot nervi valde diſtrahuntur & irritantur, vomitus ingentes, & ventriculi dolores acerbiſſimi.

§. CVII. Ultimus tandem partium corporis humani conſenſus, cujus hiſtoriam paucis adhuc adgredimur, a ſimilitudine fit duarum partium inter ſe.

(*a*) Ait *Hippocrates* Coac. Prænot. Sect. II. p. 147. *κωματώδεας, κοπιώδεας, κεκωφωμένυς, κοιλίης, κατέῤῥωγύης ἐρ'θρὰ, διελθόντα περὶαρίσιν, ὠφελέει.*

SEC-

SECTIO V.

De conſenſu partium quarundam ſimilium.

§. CVIII.

SAne haud minoris eſt momenti hic conſenſus, quam reliqui jam expoſiti: multa etiam ei communia ſunt cum vaſorum conſenſu, imo, ſi dicendum, quod res eſt, tota hujus conſenſus idea a ſola pendet ſimilitudine vaſorum & glandularum.

§. CIX. Ad hunc conſenſum primo referimus mirabilem illam mammarum muliebrium mutationem, quæ ſub tempore pubertatis, ubi prima nimirum menſtruorum fit eruptio, obſervari ſolet. Incipiunt enim tunc temporis efflorefcere mammæ, , quod recte ab *Ariſtotele* jam obſervatum video, licet ejus obſervatio non penitus hujus rei veritati reſpondeat: quotieſcunque enim (ait) mammarum altitudo, duorum circiter digitorum eſt, prodire menſes. Verum certum eſt, ſæpe prodire, licet nulla plane adhuc mammarum tumeſcentia appareat.

CX. Multi ſunt, qui hujus phænomeni cauſam ab anaſtomoſibus illis arteriarum mammariarum, & epigaſtricarum deducunt: & dantur utique ejuſmodi anaſtomoſes inter has arterias, quod ex anatomicis ſatis patet. Sed quid eis fidendum, aut tribuendum ſit, nemo non facile videt; nam arteria utraque epigaſtrica ita eſt diſpoſita, ut plerumque nullum omnino ipſi cum uteri & pelvis arteriis commercium ſit, quas ſolus fere truncus hypogaſtricus generat. Deinde mammis exiguæ ſunt eæ anaſtomoſes, quas toties in muſculo recto vidimus gracilibus & capillaribus ſurculis fieri, neque magis epigaſtricæ cum mammariis conſentire, quam cum lumbalibus, aut intercoſtalibus, aut quæcumque in corpore arteriæ cum vicinis arteriis ſolent.

§. CXI. Si utriuſque partis, mammæ ſcilicet atque uteri ſecretos liquores paulo accuratius examinaverimus, nullam aliam hujus phænomeni eſſe cauſam, quam adfinitatem ſecreti humoris, reperiemus, cujus adfinitatis cauſam in fabricæ ſubtilis ſimilitudine poni neceſſe eſt.

§. CXII. In virginibus ſæpe vix aliqua datur differentia inter liquidum, quod in mammis præparatur, & illud, quod in uterum effunditur: utrumque enim ſeroſum eſt & lacteum. Lac ipſum non raro a multis magnis Viris in uteri cavitate repertum, & ex ea exſtillare viſum eſt (*b*). Oportet igitur ſummam eſſe analogiam inter uteri vaſa ſecreto-

Qqqq 3 ria

(*b*) In vacccarum & ovium utero verum lac invenit *magnus Praeceptor* & *Ruyſchius* in feminis quibusdam lochia alba vidit.

ria & mammarum ductulos excretorios: nam, ſi ſecretoria vaſa multum in mamma & utero differrent, nunquam tanta foret ſimilitudo in his liquidis. Horum vaſorum analogia autem reſpicit ſine dubio unice proportionem illam æqualem, quæ eſt inter uteri excretoria vaſa ad arterias ſuas rubras, & mammarum ductulos excretorios ad arterias ſuas rubras. Et ex his nunc colligimus, illum ſanguinis nixum, qui menſtrua excitat, majorem etiam liquidi feroſi quantitatem in mammis ſecernere: nam hic ſanguinis nixus nihil eſt, niſi nimia ſanguinis copia ad uterum delati pro portione reſiſtentiæ vaſculorum uteri, quæ omnia fere vaſa ſenſim ſenſimque magis dilatat.

§. CXII. Mammas conſentire cum utero, docent variæ obſervationes practicæ: nihil enim inauditum eſt, reſecta una alterave cancro obſeſſa mamma, in ipſo utero idem malum generari, quod aliquoties olim obſervavit *Boerhaavius*.

§. CXIII. Mirabile porro hujus conſenſus argumentum eſt diarrhœa illa, quam tranſpiratio a frigore ſuppreſſa excitat. Ponimus ex præcedentibus, in tota corporis ſuperficie infinita adeſſe vaſcula exhalantia, quæ omni fere tempore liquidum aliquod tenue, aquoſum, ab igne & alcohole nullo modo coagulabile, tranſpirabile ſanctorianum vulgo appellatum, tranſmittunt. Hoc liquidum exhalat ex vaſculis tenerrimis, arteriis rubris continuis, quæ apertis oſculis in cute aperiuntur: hæc vaſcula hanc habent proprietatem, ut, adſpirante aere frigidiuſculo ſeſe conſtringere, & calore aperire facile poſſint. Quamdiu ita conſtricta ſunt, tamdiu nihil plane liquidi per ea tranſit: hinc omnis reliqua hujus liquidi a ſanguine veniens portio, priuſquam ad exhalantia vaſa perveniat, ubi ab incluſo & retento jam liquido obſtaculum invenit, cogitur reliquas tranſire arteriolas, quæ cum venis mutuo communicant, & per has denique lege circulationis ad cor movetur, ex hoc iterum in arterias & harum ultimos ſurculos, quibus aliquam cum exhalantibus cutis vaſculis analogiam eſſe oportet. Horum vaſculorum magna certe copia in toto tam tenuium quam craſſorum inteſtinorum tractu reperitur, quin etiam in arteria aſpera, ubi a ſuppreſſa tranſpiratione, ſi liquidum hoc perſpirabile in excretorios hujus arteriæ aſperæ ductulos urgetur, tuſſis moleſta, pulmonum catarrhus, & ſimilia mala oriuntur.

§. CXIV. Inteſtinorum vaſa excretoria videntur aliquid diverſi habere a cutis vaſculis exhalantibus, quum in ſtatu naturali mucum quendam effundant, ad lubricandam internam inteſtinorum tunicam, ab anatomicis *villoſam* nominatam, quemadmodum ſupra jam vidimus: ſed hoc diſcrimen nihil omnino impedit, tota enim horum vaſculorum differentia unice in eo conſiſtit, quod exhalantia inteſtinorum vaſa paulo ampliorem diametrum habeant, quam cutis vaſcula exhalantia. Utriuſque vero partis vaſa & arteriolis rubris continua ſunt, & tranſeunt nerveam & villoſam inteſtinorum tunicam, quæ cuti & epidermidi ſimiles plane ſunt.

§. CXV.

§. CXV. Supereſt, ut de glandularum ſimilitudine, quæ in conglobatis præſertim valde evidens eſt, aliquid diſſeram. Non infrequens certe eſt, ut, obſtructa una alterave, a cauſis quibusdam internis, ex hoc genere glandula, mox reliquæ omnes, vel magna ſaltem pars, impervia reddatur.

§. CXVI. Glandulas autem conglobatas vocamus omnes ejuſmodi in corpore glandulas, quæ globoſam aliquam figuram exprimunt. Harum glandularum ſedes eſt tunica celluloſa laxa, in qua leniter firmatæ ſunt: hinc tanta gaudent mobilitate, ut digitis, ſi ſub cute percipiuntur, huc & illuc ſine damno commode moveri queant. Hoc non fugit pleroſque Chirurgos, dum tumores cyſticos, qui deſtructæ & induratæ ſunt glandulæ, digitis extrahunt, vel, ut eis placet, enucleant.

§. CXVII. Primæ harum glandularum ſedent in ſuprema glandulæ parotidis parte ſub jugo, inde deſcendunt verſus inferiorem hujus glandulæ partem, ubi nonnullæ circa marginem maxillæ inferioris diſperguntur (*c*). Princeps autem agmen deſcendit cum vicina carotide & jugulari vena per totum collum, uſque ad inſertionem venæ jugularis in venam ſubclaviam, ubi in duo quaſi agmina ſive ſtrata dividuntur, quorum primum venæ ſubclaviæ directionem & partem adhuc aliquam venæ brachialis ſequitur: hinc primæ ob viciniam venæ ſubclaviæ glandulæ ſubclaviæ, reliquæ axillares appellantur, quæ glandulæ axillares in peſte in abſceſſus ſive bubones mutantur. Muſculo bicipiti aliquot etiam glandulæ inſident, ſed in reliqua brachii parte & manubus ne veſtigium quidem earum adeſt, unde nulla etiam hic conſpicua ſunt vaſa lymphatica, nam, ubi adſunt glandulæ conglobatæ, ibi perpetuo adſunt vaſa lymphatica.

§. CXVIII. Alterum harum glandularum agmen in ipſam deſcendit thoracis cavitatem, ſub nomine glandularum bronchialium, ſed male omnino: harum pars una migrat cum vena cava ad tranſitum ſuum per alam dextram ſepti tranſverſi; altera ſupra pericardium diſpergitur: eas glandulas optimus *Lanciſius* tanquam fontes certos ſcaturientis in cavum pericardii aquæ & halitus, poſt mortem maxime ibi reperiundi, deſcripſit; ſane hic error non tam Illuſtri, & in altioribus negotiis occupato Viro *Lanciſio*, quam Chirurgo Romano *Caietano Petroli* tribuendus eſt, qui Lanciſio has deſcriptiones propoſuit; ipſe enim *Lanciſius* haud potuit tunc temporis, ob illuſtre, quo fungebatur, officium, cum apud Clementem XI. Pontificis Archiatri munus obiret, proprias inſtituere diſſectiones.

§. CXIX. Non exigua eſt copia glandularum conglobatarum, quæ ductum thoracicum, & arteriam aortam per totum thoracem ſequuntur, ſub nomine glandularum dorſalium, ex quibus nonnulli Clari Viri non firma ſuſpicione uſi, liquidum ventriculi provenire ſcripſerunt.

CXV.

(*c*) Vid. *magnum Præceptorem* in Comp. Phyſ. pag. 86. §. 183.

§. CXX. Similibus glandulis neque abdominis cavum caret: magna enim & hic earum eſt vis, quæ cum ductu thoracico & vicina arteria aorta huc pervenit. Vocantur hic glandulæ lumbales; quæ cum vaſis autem iliacis ad inguina deſcendunt, inguinales. In pelvi multæ etiam ſedent circa nervum obturatorium, & vaſa ejuſdem nominis: aliæ ludunt retro & circa inteſtinum rectum, cum quo iterum in abdomen adſcendunt, ubi denique in meſenterii & meſocoli duplicaturam late diſperguntur, quod aliquoties obſervavit Illuſtris & æternum mihi venerandus Præceptor. Circa abdominis vaſa magna coacervantur ſæpe in agmina: circa venam v. gr. portarum, truncum arteriæ cœliacæ, & hujus ramos, lienalem, & illos, qui curvaturam minorem ventriculi adeunt.

§. CXXI. Inter omnes fere corporis humani partes nulla certe mutationibus tam facile obnoxia eſſe videtur, quam glandulæ hæ conglobatæ; aliam enim habent figuram in recens natis, & junioribus corpuſculis, quam in adultis, ibi enim rubellæ ſunt, ſubpallidæ, & attactu molliſſimæ, liquidum in ſe continent ſublacteum, album, & ſeroſum; hic autem, in adultis quippe, & ætate provectioribus, cæruleæ quaſi aut nigræ penitus ſunt; attactuque longe duriores, neque ea qua in junioribus copia ſuperſunt, plurimæ enim evaneſcunt, & ita indurantur, ut liquidum nullum tranſmittant, quod in ſenectute ſumma in ſe ipſo olim optimus *Ruyſchius* obſervavit. In ultima nempe ætate meſenterii præſertim glandulas induratas & ad tranſmittendum chylum inutiles plane eſſe. Earum officio tunc funguntur reſorbentes illæ venulæ meſaraicæ inteſtinorum (*d*).

§. CXXII. Summam eſſe analogiam inter has glandulas docet non ſolum Anatome, ſed variæ obſervationes practicæ. Nam infantulis, quibus collum ſcrophulis ſive induratis ejuſmodi glandulis obſeſſum fuit, pleræque internæ poſt mortem ſimul obſtructæ & induratæ repertæ ſunt. Non poteſt certe valde magna inter has glandulas adeſſe differentia, quia omnes ſimile liquidum continent, albidum ſeroſum.

§. CXXIII. Et hæc ſunt, B. L. quæ de conſenſu partium corporis humani proferre mihi licuit. Multa ſine dubio hic invenies, quæ tuam attentionem omnino haud merentur, hæc autem, ſi placet, exiguis meis tribue viribus.

(*d*) Vid. Magnum Præceptorem in Comp. Phyſiolog. p. 39. I. §. 712.

CCXXI.

CCXXI.

SAMUEL SEELMATTER,

MORBI CIRCA TOBINIUM FAMILIARES CUM CASIBUS NONNULLIS *ET* OBSERVATIONIBUS RARIORIBUS

Baſileæ 28 Maii 1751.

§. I.

JAm ferme annus elapſus eſt, ex quo meditabar diſſertationem de aquis mineralibus & Soteriis, pro conſequendo in arte medica gradu doctoris, luci tradere. Eaque propter ſæpius anceps hærebam, an particularis cujuſdam fontis, an plurium & præcipuorum ſimul, quibus *Illuſtris Bernatum* ditio abundat, indagationem ex principiis chimico-phyſicis in me ſuſcepturus eſſem? At cito perſpexi, arduum nimis & maximi momenti fore hoc cæptum, cui tyro in arte aſclepiadea non ſufficeret, & cujus ſolidam elaborationem plurium annorum ſeries non exhauriret. Decrevi itaque cautius mercari & hunc laborem non niſi partitis vicibus & ſucceſſu temporis majore cum commoditate peragere, quando ſcilic. occaſio oblata fuerit unumquemque iſtorum fontium ſeorſim in loco per ſufficientia experimenta examinandi, probe gnarus, quantum temporis ac induſtriæ hujus generis materies requirat. Cum autem vitæ ſtudiorumque meorum ratio nunc abs me poſtulet cœpta negotia impr. practica perſequi, aliam brevioremque viam calcare in animum induxi, ſuppeditaturus faſciculum de morbis quibuſdam patriæ noſtræ civitatis & locorum prope adjacentium; argumentum quidem ſatis difficile atque arduum, quod tamen B. L. temerario & juvenili auſui eapropter non adſcribet, cum pleraque contenta jam inde ab aliquo tempore vel ex ore ipſorum ægrorum, vel ex praxi optimi parentis, immo non raro ex ipſis, de quibus nunc agitur, locis haurire abunde mihi licuerit. Spero etiam non inſuave fore hoc qualecunque tentamen, cum plures ſatis curioſas & attentione dignas obſervationes ex circulo trium miliarium diſtantiam fere non exſuperante, quam breviſſime potero, divulgare conſtituerim. Ventilavit quidem jam ante decennium ex parte hanc materiam Experientiſſimus D. Dr. & Phyſicus Aulæ Gothæ-Saxonum J. Caſp. Sulzerus, Vitodurenſis, honoratiſſimus & amantiſſimus agnatus meus, in diſſertatione ſua de morbis quibuſdam Helvet. endemiis. Cum vero nos ſpecialiori & multum diverſa methodo iis fere tantum morbis & caſibus inhæſuri ſimus, qui limitatæ noſtræ ſphærulæ præ reliquis Helvetiæ locis familiares ſunt; facile judicabit æquus Lector, me non actum agere, aut falcem in alienam immittere meſſem.

§. II.

Tobinium præ reliquis municipiis & locis proxime circum jacentibus aëre gaudet fere ſemper ſaluberrimo. Mirum profecto, quod, cum gelu hybernum ſæpe jam a principio menſis Novembris ſuam ordiatur telam,

eamque aduſque principium vel medium Maii extendat, parciores tamen nobis naſcantur morbi. At magis mirum, quod hujus anni conſtitutio, variante indies fere tempeſtate, ex frigida & ſicca in humidam pluvioſam & ventoſam, divini numinis clementia, aut nullos aut pauciſſimos intra mœnia noſtra produxerit morbos; ſolis variolis, mitius tamen & parcius graſſantibus, exceptis. Mirum, quod febres intermittentes, tertianæ, quartanæ, oppido raræ exiſtant, & quod conſtanti experientia teſte omnes, qui hactenus in urbe noſtra hiſce morbis decubuerunt, eoſdem ex aliis & minus ſalubribus locis ſibi conquiſiverint; unico (quouſque memini) excepto exemplo, quod cum rationibus phyſicis inferius ſiſtemus. Mirum morbos quoſcunque ordinario facilius ac alibi locorum medelam admittere, omniaque ſymptomata mitiori incedere gradu. Nec minus attentione dignum eſt, neminem hactenus pu[illegible]ra alba laboraſſe, paucos rubra, ſi chronicam excipiamus; & tria modo ſubjecta febre petechiali vera, uni fatali, non tam ex morbi hujus genio & ſævitia, quam quod ad ipſam uſque febris ἀκμὴν æger infauſto ſidere epoto vino medicato valide purgante inflammationem ventriculi & inteſtinorum lethalem ſibi contraxerit.

§. III.

At ſi ex antitheſi quædam Tobinio prope contigua loca conſideremus, longe aliam & plane immutatam deprehendemus morborum faciem. Sic vicini noſtri Lucernenſes in pagis necdum miliari ab urbe diſtantibus longe plures & ſævioris indolis patiuntur morbos; præcipue illi qui valles depreſſas undiquaque montibus & collibus, aut lucis cinctas, aut auſtro & favonio fere ſolis perſpirabiles, & loca aquoſa, paludoſa, ſtagna inhabitant. Cœlum ibi continuis fere nebulis gravem ſpirantibus odorem, tectum & obfuſcatum, aër vappidus, craſſus, infectis & rebus putreſcentibus, ſulphureis, fœtidis impregnatus; unde lerna malorum & morborum producitur. Hinc quovis fere tempore ibi locorum graſſantur febres intermittentes pertinaciſſimæ, anomalæ, putres, petechizantes & veræ petechiales, anginæ, peripneumoniæ, pleuritides veræ, nothæ, aliæque plures, quæ vulgo malignarum nomine veniunt; immo quævis fere anni conſtitutio, ratio aëris, victus, aquæ, novas & particulares morborum irregularium ſiſtunt hiſtorias. Sic, parcat. B. L. digreſſioni, memini aliquando dimidiam partem incolarum pagi Triengen, ditionis Lucernenſis, febris inflammatoriæ ſpecie cum immani cœphalalgia, capite ultra modum tumente, decubuiſſe; ſervatos tamen abſque remediis, qui ſex ſeptimanas ſupervixerunt. Cauſa mali deprehenſa fuit in fonte, quem biberunt, aqua nivali & cœno putrido infecto. Ceſſabat enim epidemium malum ſtatim ac aquam coctam ejus loco biberunt; ægrique dein paucis remediis diluentibus & antiphlogiſticis feliciter reſtituebantur.

Nec

Nec minus memorabilis eſt caſus, qui hacce hyeme infauſto omine ſe obtulit in pago Reiden ejuſdem ditionis; ubi integra familia cum illis, qui hanc inviſebant, febre inflammatoria correpta fere tota diem ſupremum obiit, ex potu inſalubrium, uti tum judicabatur, aquarum, quarum tamen depravata indoles ad oculum non patuit.

§. IV.

Par fere ratio obtinet circa alia multa Tobinio vicina loca, ubi morbi quicunque gravioribus procedunt ſymptomatibus, quorum ratio phyſica, præter victum & regimen, non minus ab aëre, aqua & ſoli ſitu petenda. Sic pagum Moos Lerb dit. Bern. & loca adjacentia quotannis morbis malignioribus, febribus inflammatoriis, anginis, hac hyeme diarrhæa inflammatoria, quam falſo dyſenteriam exiſtimabant incolæ, aliiſque ejus generis morbis, ob ſtagnorum frequentiam infeſtata fuiſſe & infeſtari adhuc, omnibus compertum eſt; idem obſervatur in pago Roggwyl dit. Bern. Cincta nimirum infelici ſidere villa eſt luco, qui Boreæ & Euri perſpirationem intercipit, & quem aſcendentes e locis paludoſis nebulæ defædant. In medio autem, licet eminus multum elevata videatur, ſitus ejus depreſſior obſervatur, undequaque ſtagnis & cæno circumductus. Eadem fere fata ratione aëris & ſtagnorum experitur pagus Savenwyl, ſalubrior tamen, licet ejuſdem ſitus priori longe depreſſior; id quod flamini ventorum Euri & Boreæ liberiori, Favonii autem a parte oppoſita interceptiori adſcribendum eſſe exiſtimo. Obſervantur deſuper plurimæ nobis proximæ villæ, inter quas Winiken, Mooſen ditionis Lucernenſis, quæ quidem locis paludoſis minus vicinæ, pluribus tamen rivis ſæpe exundantibus alluuntur; hinc ſalubriores quidem memoratis exiſtunt. Nihilominus propter copioſas exhalationes multæ ibi generantur febres catharrales, intermittentes, rheumatiſmi, coryzæ, anginæ, aliique morbi, qui interceptæ tranſpirationi ſuam debent originem; id quod præcipue hujus anni conſtitutio probat, ubi v. g. in pago Wittwyl quadraginta circiter ſubjecta ſimul febre catharrali correpta fuere, ex quibus tamen non niſi unus & alter ſenex Libitinæ tributum exſolvit; cujus ratio phyſica montibus ab utraque parte pago adjacentibus frequentius nebulis tectis, aquis vallem alluentibus, hinc exhalantibus, & forſan auſtro hunc tractum tunc perſpiranti, attribuenda videtur. Liceat huic paragrapho addere, quod in loco non procul ab hoc pago diſſito, eodem fere tempore, trium quatuorve caſularum familia ex febre quadam inflammatoria inter paucos a morbo incipiente dies fere tota emortua fuerit. An funeſta hæc cataſtrophe aëris inclementiæ, an fonti inſalubri nimium frigido, quem bibere (uti perhibebant accolæ) debeatur, ob mancam, quam obtinui, relationem, in medio relinquo? Conſtat autem mihi pro certo, quod ex aquis frigidiſſimis, recenter ex petra

ad radicem arcis cujuſdam diſſitioris, effoſſis, epotis tres equi quam breviſſimo tempore ſublati, ſervuſque de inſigni inventi commodo glorians ex earundem hauſtu violentiſſima colica tantum non enectus fuerit; quæ an ab aquæ frigiditate, an contentis noxiis, contigerint, ob inſufficientem experientiam decidere non audeo. Coronidis loco apponere lubet obſervationem quandam perquam curioſam, ſed frequenti experientia confirmatam, ex ore & relatione Rev. Dn. Parochi de Niderwyl hauſtam, pluribuſque Parochiæ loci membris compertam: exſurgere nempe, præprimis tempore verno non raro nebulam aut exhalationem ſub nebulæ ſpecie, circa baſin montis dicti Engelberg 5000. mille paſſibus circiter ab hac villa ad Septentrionem & in Orientem diſſiti, coloris ex cinericio viridefcentis prodromum infallibilem varii generis morborum, febrium malignarum, anomalarum, tam intermittentium quam continuarum; idem denuo rogatus affirmat de eodem phænomeno, ſi ad radicem montis Loſtorfienſis, verſus ſeptentrionem duobus a pago miliaribus diſtantis, appareat. Admonuit ſæpe Rev. D. D. Parochus Parentem meum de hujus meteori apparitione, & illud excipient. talibus morbis; quin reminiſcimur, aliquando poſt idem phænomenon in ſupra memorato pago Niderwyl graſſatum fuiſſe morbum oppido rarum, quem Cel. Fr. Hoffmannus ex Plinio Zoſterem ſive Zonam vocabat, nemini tamen, quod ſcio, fatalem, & blandis diaphoreticis cum diluentibus feliciter diſcuſſum.

§. V.

Plura adhuc circa pagorum & villarum nobis contiguarum ſalubritatem & inſalubritatem in medium proferri poſſent, quæ tanquam ex ſitu locorum, aëre, aqua, ſtagnis, nebulis, montibus, collibus, ſylvis &c. eruenda forent, ex quibus ad oculum pateret diſtantiam mille paſſuum non raro maximum momentum proſperæ aut adverſæ valetudinis efficere. Cum autem ultra cancellos diſſertationis exploratoriæ excurrerem, ſi omnes & ſingulos tractus ſeorſim ſub incudem revocare vellem; conſtitui tantum paucis demonſtrare, quod reliquæ nobis vicinæ civitates & municipia, licet pluribus villis ſalubriora, nihilominus pluribus & pertinacioribus infeſtentur morbis quam Tobinium noſtrum. Veritati primo conſtans aſſentitur experientia, neminemque latet, febres intermittentes, tertianas, quotidianas, quartanas, certis anni temporibus ibi locorum graſſari, cum harum pauciſſima apud nos proſtent exempla. Nec minus experientia & obſervationibus plurimis confirmatum, v. gr. Arburgi, Oltæ, variolas, morbillos, febres continuas, pleuritides veras, nothas, rheumatiſmos, affectus catharrales aliaſque multas ægritudines periculoſius ac ſævius quam apud nos graſſari. Similiter febres petechiales, petechizantes, bilioſas, diarrhoeas torminoſas, aliaque ejus generis incom-

commoda Aroviæ & Brugis frequenter obſervant. Ratio phyſica haud dubie plurima ex parte quærenda ex Arola haſce urbes præterlabente, ex adverſo montibus cincta, cujus propterea effluvia jugiter in aërem elevantur, & modo ſub exhalationum ſubtiliorum, modo ſub nebularum ſpecie corpora incolarum afficiunt. Ejuſmodi enim nebulæ circa montes vicinos fere continuo aſcendunt. Quid autem & quantum ad procreandos morbos valeant effluvia & exhalationes, docent pluviæ tam autumnales quam vernales; & poſteriores quidem ea propter maligniores, quod earundem exhalationes ſimul cum materia putredinoſa ut plurimum in aërem evehantur. At utraſque fere ſtatim comitantur morbi epidemici. Hinc patet etiam ratio, cur Lenzburgenſium civitas morbis epidemicis citius & gravius Tobinio afficiatur? Licet eandem grandiores fluvii non affluant. Nimirum ſitus loci obſervatur humilis & depreſſior, planiorque. Quo autem depreſſior planiorque locus eſt reſpectu adjacentium, eo major tempore pluviali defluet aquarum copia, eoque minus cito inde derivabitur, ſed ſtagnabit, & demum in vapores reſoluta graviores & plures producet morbos. Accedit, ob eandem rationem, quod frequentiores ibi obſerventur nebulæ. Quodſi jam ſitum ſupra memoratarum urbium cum Patria noſtra comparare liceat, deprehendemus ſitum ejus præ reliquarum multo elevatiorem eſſe, Aquiloni apertiorem, circa reliquas plagas collibus quidem cinctum, at ita, ut ab Euro & Zephyro liberius, ab auſtro autem ob præeminentes colliculos obliquius modo perflari poſſit. Ex his patere puto, quare morbis præprimis epidemicis minus obnoxia ſit patria noſtra civitas.

§. VI.

Nollem ex ſupra allegatis B. L. exiſtimet, me ex Tobinio Utopiam effingere voluiſſe. Nulla regula eſt ſine exceptione. Non deſtituitur Tobinienſis civitas morbis quandoque epidemicis, multo minus endemiis. Nec me latet epidemica anni, ni fallor, 1738. conſtitutio, quæ ſolo menſe Januarii intra anguſta noſtra mœnia, exemplo non audito, triginta & ultra decrepitos ſenes ad charontis cymbam deduxit, affectibus ſoporoſis, apoplecticis, paralyticis, catharrhis ſuffocativis plerumque intra triduum e vivis ſublatos. Ludebatur quidem tum temporis eadem tragœdia cum quibuſdam civibus Arburgi, Aroviæ, aliorumque adjacentium pagorum habitatoribus. Flabat tum, quod attentione omnino dignum cenſeo, per totum menſis Januarii decurſum, inde a media nocte aut hora ſecunda matutina, uſque ad meridiem aut horam ſecundam pomeridianam acer & frigidiſſimus a canis Lucernatum & quinque pagorum alpibus auſter, ſuccedente cum madidis copioſiſſimiſque imbribus Zephyro. Nec dubitandum hanc Silicerniorum ſtragem natalia ſua tam ſubitæ & frequenti ventorum & aëris frigidiſſimi in humidiorem &

cali-

calidiorem mutationi præcipue debere; ſtringendo quippe & relaxando alternatim impotentiores jam ſenum nervos uſque dum ſoluti fuerint, ſanguineque & humoribus ſimul hac ſub viciſſitudine retropulſis ad corporis interiora, præcipue caput, ibique expanſis aut effuſis. Nec reticendum illud epidemicum malum, quod anno 1743.... Sub febris catarrhalis larva multas regiones Helvetiæ & Germaniæ infeſtavit, ex qua dimidia civium noſtrorum pars ægra decubuit. Sed & tertio aut quarto a morbo die plurimi reconvaluere ex uſu leniſſimorum alexipharmacorum cum nitroſis temperatorum, blandorum item diaphoreticorum & infuſione herbarum reſolventium. Mortuus tum temporis nemo, niſi unus & alter ſenex, ocyſſime apoplexia lethali quaſi fulmine tactus. Morbis endemiis, qui Tobinium etiam invaſerunt, merito adnumero dyſenteriam, quæ noviſſime elapſa æſtate & autumno tot feralibus ſtragibus, præprimis circa infantes in ditione Illuſtr. Reipublicæ Bernenſis inclaruit. Mortui hac lue intra mœnia noſtra unus adultus & quatuor aut quinque infantes; ægri 20 ad 25. Morbus hic Arburgi paucos; Aroviæ, Brugis & in ditione Lucern. neminem fere, quoad ſcio, & in comitatu Lenzburgenſi ſolam villam Attelwyl aggreſſus eſt.

§. VII.

Sunt etiam Tobinio noſtro & locis adjacentibus quidam morbi endemii, licet iidem plurimis Helvetiæ plagis communes ſint, in hac urbe autem utplurimum mitiores, niſi qui ſenibus ſuperveniunt. Ex horum cenſu primum agmen ducunt morbi & affectus cerebri & nervorum. Cum enim, uti ſuperius jam meminimus, gelu hyemale menſe Novembri jam canam ſuam ordiatur telam, eamque multoties uſque ad Majum protrahat, non poteſt non debile corpus humanum & præcipue ſyſtema nervoſum multifariam inde affici. A frigore conſtringuntur fibræ, vaſa, nervi, & ſpiſſantur fluida, & quo magis & diutius hæc conſtrictio durat, eo major poſtea eorundem ſubſequitur atonia & debilitas; & hæc conſtrictio profecto plurium morborum mater eſt. Nam conſtrictis a frigore poris cutaneis ſufflaminatur tranſpiratio inſenſibilis, ſudor, & ſic partes inutiles excrementitiæ in venas & ſanguinem reſorbentur, quantitate & qualitate æquali & libero circulo obicem ponunt, ſanguini & humoribus lentorem, viſciditatem, & torporem inducunt, eundemve partibus ſalinis, ſulphureis, oleoſis aut volatilibus nimis onerant & conſpurcant. Hinc ſi talibus partibus fœtus, aut ſpiſſus ſanguis cum impetu quodam ad caput rapiatur, quam facillime ibidem ſtagnare, immo ruptis aut infarctis vaſis apoplexiam lethalem, hemiplexiam, affectus ſoporoſos, febrem inflammatoriam, deliria &c. producere poteſt; ſi ad pectus, pleuritides, peripneumonias; ad hypochondria, omnis generis infarctus & obſtructiones. Pari modo a virtute frigoris conſtrictiva quam plu-

plurimi exurgunt morbi ſeroſi vel lymphatici, tumores glandularum, parotidum, amygdalarum, uvulæ &c. nam ſtrictis gelu fibris impediuntur motus humorum, ſe & excretiones, lympha denſatur, corrumpitur; hinc tempore hyemali tam frequentes ſunt tuſſes, coryzæ, defluxiones & febres catarrhales. A corruptione autem lymphæ ſuccedunt in infantibus achores, tineæ, ſcabies, quandoque ulcera cacoëthea. Obſervandum autem frigus morbificum ſuum effectum non ſemper manifeſtare, quamdiu intenſe durat, ſed demum, cum jam paulum deſævierit; ſuccedente nimirum tempeſtate pluvioſa, ventoſa; & idem fere contingere ex frequentibus nimium mutationibus aëris, ex frigido in humidum, pluvioſum. Tum enim generantur potiſſimum varii affectus rheumatici, cœphalalgiæ, otalgiæ, odontalgiæ, dolores artuum varii, ruſticis nomine *der geſüchten* venientes; alii demum propullulant ſole jam magis calente, & tempore, quo plantæ arboreſque vireſcere, ac germinare incipiunt, morbi nempe cutanei varii, purpura chronica &c. (cujus tamen prima natalitia non frigori, ſed victus rationi adſcribo) aliæque effloreſcentiæ, a ſanguine ſalibus vitioſis referto originem trahentes.

§. VIII.

Hæc de effectu aëris frigidi & humidi; at a calido & ſicco pauciores patitur ſphærula noſtra morbos, licet & nobis Syrius ardeat, æſtuſque ſub exeuntem Julium & principium Auguſti quandoque eodem fere gradu torreat ac Taurini in Pedemontio, aſſeverantibus id nobis ejus loci atque urbis mercatoribus. Ex oppoſito non defuere nobis ut aliis æſtates, ubi Junius & Julius admodum algidos ſe nobis ſiſtebant, concomitantibus hoſce menſes ventis acrioribus vel ſiccis vel pluviis. Obſervantur communiter circa inſignes æſtus febres bilioſæ, tormina, morbi inflammatorii, & ſi diurnis æſtubus ſuccedant noctes frigidiuſculæ, dyſenteria. Morborum bilioſorum & febrium cholericarum exempla nobis non deſunt; quin etiam obſervavimus aliquando diarrhœas inflammatorias peſſimi moris, & ex quibus unus & alter e vivis ſublatus fuit; ſunt tamen hi morbi apud nos longe rariores ac alibi locorum, & tantum non ſemper a nimia copia frigidæ corpori æſtuanti ingeſtæ, producti. Sic proſtant talia exempla, ubi meſſores poſt avidiſſimum frigidæ potum ſubito mortui in terram procidebant. Nec me fugit caſus ſex militum, qui poſtquam poſt ſtrenuas operas ruſticanas, corpore inſigniter calente gelidam potarunt, ſinguli ocyus inflammatione cum ſubſequente phthiſi pulmonali corripiebantur, cum fatali omnibus intra ſex hebdomadas exitu. Obſervamus ſæpius meſſores tormina & inflammationes a nimio frigidæ potu ſibi contrahere. Levantur autem breviſſime, ſi juſcula ex cumino cum oleo olivarum vel lini ſuperpotent; at ſi ad placandam ſitim gelidam denuo gelidæ ſuper affundunt, non raro enecantur.

§. IX.

Morbis viciniæ noſtræ, immo toti fere Helvetiæ familiaribus & certo reſpectu endemiis, non immerito adnumeramus hydropem, ejuſque varias ſpecies, leucophlegmatiam, anaſarcam, aſciten, hydropem pectoris, ovarii; ſic etiam œdemata, cachexiam dictam ſcorbuticam. Affectus hic non ſine ratione temperiei aëris frigidiori & humidiori ex parte adſcribendi. Verum facile dijudicabit æquus Lector, plures cauſas phyſicas & naturales hic ſimul cooperari. Sic indies obſervamus, procreari tales morbos a mala diæta, ſiniſtro regimine, perverſa medicatione, potu frigidæ poſt æſtum, ſubitanea refrigeratione; longe ſæpius autem a nimio vini, præprimis autem ſpiritus vini & liquorum ſpirituoſorum abuſu, qui peſſimæ notæ mos ingentem hominum multitudinem peſſundat & quotannis ferales ſiſtit tragœdias; præcipue ex eo tempore, ubi vina cariori & plebejorum fortunam exſuperante ſtant pretio. Deleterius autem liquorum iſtorum effectus in eo conſiſtit, quod fibras ſtringant, corrugent, exſiccent, lymphæ & ſanguini lentorem, acorem, coagulum inducant humoreſque corrumpant; hinc obſtructiones viſcerum, præcipue hepatis, efforment, ſtagnationes, ſcirrhos, vel & inflammationes producant. Unde pro vario horum effectu, locoque affecto etiam variæ hydropis ſpecies contrahuntur. Cumque plures ex vicinis noſtris Helvetis ſanguinem alant ſpiſſum &, ut ita dicam, fibroſum, non raro ex hac S. conſtitutione generantur ſenſim circa vaſa cordis polypi, qui dum ſanguinis undarum liberum tranſitum & circulationem per vaſa cordis impediunt, alibi locorum, uti in hepate, ſtagnationes ſanguinis, immo diſruptiones vaſculorum lymphaticorum & ſic hydropem efformant; non ſecus ac hydrops pectoris, ſenibus admodum familiaris, qui diſtentis in pectore a ſanguine vaſis (in ſenibus forſan etiam pulmones accretos pleuræ habentibus) ſua debet incunabula, tunc equidem, ut videtur, curabilis, ſi nonniſi ab exhalantis per parietes aut fines vaſorum lymphæ collectione proveniat, at non item, ſi diſruptis a fortiori ſtagnatione & obſtructione, ad exteriorem pulmonum ſuperficiem vaſis lymphaticis, ubi quippe lympha continuo in cavum pectoris & ſuper diaphragma depluit, ex jugi motu pulmonum, calore, fotu, & reniſu diaphragmatis quantocius alteratur, acreſcit, putreſcit, & tam inſignibus angoribus cum difficillima reſpiratione ægros ad mortem uſque excruciat, nec medelam admittit facile, niſi, quod rariſſimum eſt, quandoque naturæ viribus, forte etiam caſu diſrupta hæc vaſcula cum pleura coaleſcant. Obtulit ſe ſic Parenti aliquando caſus analogus ex occaſione aſcitis ſponte ceſſantis, dum filiam 30 annorum ex cholera a ſuperingurgitata horrenda frigidæ quantitate emortuam, ob ſuſpicionem propinati veneni, cultro anatomico ſubjicere mandabatur; ubi inter alia hepatis extremitates

tates ad duos pollices quam firmiſſime lieni connatas deprehendit, roganſque quibuſcum morbis conflictata fuiſſet defuncta, ex matre ejuſdem percipiebat, illam ante decennium inſigni hydrope laboraſſe, ſponte tamen hunc morbum evanuiſſe. Sed, ut in viam redeamus, inter morbos endemios etiam recenſere licet œdemata & tumores pedum, ſexui ſequiori, præprimis a partubus admodum frequentes & toto fere vitæ curriculo perdurantes. Affectum hunc cum Boerhaavio a fibra nimis laxa in ſexu fœminino provenire, nemo facile negabit. Sed cur non maritatæ, vel quæ non peperere eidem vel rariſſime, vel non obnoxiæ? Ratio phyſica hinc potius petenda videtur, ex præmaturis ſcil. partus laboribus, quibus non raro peſſimo more exercentur miſellæ, nec minus a lochiis poſt partum non rite ſuccedentibus, ex abuſu vini cocti, placentarum, paſtarum aliarumque, quæ fluxum hunc ſiſtere, aut minuere valent. Tumores pedum ſi ultimis graviditatis menſibus superveniant, & varices quoque appareant, utplurimum compreſſionem vaſorum iliacorum, ſicque impeditum ſanguinis ex inferior. part. refluxum pro cauſa habent. Cachexia ſcorbutica jam auctiorem tumoris gradum præ œdemate ſiſtit, & leucophlegmatia eo minus curabilem, quod plerumque inſignem ſanguinis & humorum dyſcraſiam & corruptionem non raro cum labe viſceris nobilioris pro fundamento agnoſcat. Cum leucophlegmatia non niſi in viſcoſitate lymphæ & humorum conſiſtat & partes externas potiſſimum occupet, genti ruſticæ ideo magis familiaris, quæ frequenter cibis viſcoſis, ut radicibus Solani tuberoſi eſculenti C. B. T. lacte, caſeo, paſtillis, paſſim etiam quibuſdam fungis nutritur; cum ex oppoſito cachexia ſcorbutica non raro a vini meracioris, ſpirituoſioris, ejus ſpiritus, carnis ſuillæ, ſalitæ, aromatum, abuſui ſuam debeat originem. Hydropis ovarii, immo & molæ, licet proprie non tanquam aëris productum ſpectari queant, niſi in quantum a ſpiſſiori ſanguine derivandæ ſunt, non adeo infrequentes heicce locorum ſunt, hæ tamen hydrope hoc frequentiores & multivariis ex cauſis oriuntur; præcipue catameniorum poſt iram, terrorem, potum frigidorum, acetaria, placentas immoderate comeſtas &c. ſubſiſtens fluxus conſiderandus hic eſt.

§. X.

Jure merito etiam inter morbos noſtros familiares recenſemus mala hypochondriaca, hyſterica, melancholias, omneſque affectus, qui cum iiſdem certam quandam analogiam & communicationem habent. Mirum profecto, at non minus certum videri poteſt, ſi affirmamus, affectus hoſce non modo civitati noſtræ & vicinis, ſed & circumhabitantibus ruſticis, præcipue iſtis, qui corpus durioribus laboribus fatigant, non adeo infrequentes eſſe. Non incongrue malum hypochondriacum a motu

periſtaltico inverſo deducit, Cl. Frid. Hoffmannus, exempla citans, ab unico potu aquæ frigidæ ſubinde hoc malum conquiſitum fuiſſe; & ſic indies obſervamus in hypochondriacis ſanguinem verſus ſuperiora & ventriculum regurgitare, cum ejuſdem inflatione, moleſta circa præcordia tenſione, cardialgia, flatuum & aciditatum copia &c. At, quod pace tanti viri dictum velim, manet tamen primum quæſitum. Stagnare ſanguinem ab nimio hauſtu frigidæ, & niſi reſolvatur ſtagnatio, generari inflammationem, l. infarctum, nemo dubitat, ſi vero reſolvatur, præcipue ante inflammationem, tollentur ſymptomata ſtagnationem comitantia. Taceo quod hac ratione omnes fere ruſtici malo hypochondriaco laborarent, nam fere omnes, quocunque tempore, immo etiam æſtuante corpore frigidam ultra modum potant. Nolo indagare, quam proteiformis ſit hic morbus? Quomodo & cur ſub diverſis larvis ludat & ſæpe eludat medicos? At certo certius obſervabimus rudimenta illius tantum non ſemper conſiſtere in ſpiſſitudine nimia ſanguinis, torpore, viſciditate, inertia, difficillima circa vaſa venæ portarum, progreſſu, ſubſequente hunc ex nimia vaſorum extenſione compreſſione nervorum circumjacentium & motu anomalo; non ſecus atque in malo hyſterico obſervamus vaſa uteri nimium tenſa & repleta, reſtagnante hinc verſus partes ſuperiores ſanguine. Demonſtrat hoc aſſertum mali hypochondriaci gradus auctior, melancholia hypochondriaca; demonſtrat eductus per V. S. cruor, ſero ut plurimum privatus niger, aut viſcidus. Nec fere cum centeſimo quoque hypochondriaco aliter res ſe habebunt, niſi quum in hoc malo per nimios motus ſpaſticos & paroxyſmos hypochondriacos adeo corruptus & alteratus fuerit ſanguis, ut aliam prorſus, immo adhuc pejorem induerit naturam. Hinc tanti uſus ſunt in hoc malo debellando diluentia, aperitiva, lenia carminativa, antiſpaſmodica, extracta amara, ſucci & herbæ antiſcorbuticæ, & ante omnia motus ſuccuſſatorius per equitationem & vecturam. Patet ex his quoque ratio phyſica, cur Helvetii & præprimis montium accolæ rigori ventorum expoſiti, ipſique inter duros labores ruſtici frequentius his malis afficiantur, & ad ea diſponantur ex cohibita tranſpiratione, ſudoreque, hincque generata ſanguinis ſpiſſitudine & inde male affectis nervis, uti ſuperius dictum. Nolo propterea plures & omnes alias cauſſas cooperantes hinc excludere. Sic malum hypochondriacum eſſe morbum eruditorum, vitam ſedentariam degentium, noctes atque dies meditationibus incumbentium, libriſque impalleſcentium, omnes norunt. Sic animi affectus, triſtitiam, pavores, terrores, protracta & intenſa animi deſideria hanc paſſionem provocare poſſe nemo dubitabit. Sed quid quæſo progignitur ab hiſce aliud, nempe a vita deſide & motus experte, quid a diuturno mœrore, terroribus &c. niſi ſanguinis ſpiſſitudo, inertia, turbata perſpiratio, debilitas nervorum? Quid aliud a cibo & potu craſſiore & fæculento? Quemadmodum nunc in ſexu maſculino frequentius occurrunt pathe-

pathemata hypochondriaca, ita in fœminino longe frequentiora ſunt hyſterica. De differentia horum affectuum merentur legi, quæ Hoffmannus aliique fuſius tradunt. Nos tantummodo allegabimus, tam frequentem apud nos eſſe hunc affectum, ut nulla fere fœmina gloriari poſſit, ſe per longum vitæ tempus ab illo immunem vixiſſe. Sanguinem copioſius in mulieribus generari omnes norunt, hinc quandocunque extra graviditatis & lactationis tempus catamenia ſubſiſtunt, aut impeditius fluunt, jam exſurgent talia pathemata modo mitiora, modo ſæviora. Inclinant in hunc affectum tanto magis mulieres, ob tortuoſum vaſorum in utero decurſum, forte etiam ob abſentiam valvularum in venis uterinis; hinc etiam ad ſtagnationes ſanguinis naturaliter magis diſponuntur; cum arctiſſimus uteri non modo cum ventriculo, pectore & capite ſit conſenſus, ſed etiam cum veſica urinaria, parte maxime ſenſibili & nervoſa; unde facile patet, cur hæc mala hypochondriaco ſint frequentiora & ſæviora?

§. XI.

Lubet hic attingere quædam de arthritide & podagra tanquam morbis, qui frequentius hanc noſtram infeſtant ſphærulam. Arthritis in vagam & fixam diſtinguitur; hæc poſterior ægrum ſæpe per duos aut 3. integros menſes inſigniter excruciat, & ſanguini ſpiſſiori & humoribus lentioribus circa articulos hærentibus, ſuam debet originem; cum in vaga ſanguis quidem depravatus & ſalibus nimiis aut heterogeneis refertus, ſed tenuior ſimul obſervetur. Sic novi exemplum honeſtiſſimæ Matronæ, quæ quotannis fere hac arthritide excruciata ſanguinem mere ſeroſum & acrem nutriebat. Novi etiam hunc morbum progenitum fuiſſe a nimio potu theæ indicæ inter plurima ſaccharata, cum vita ſedentaria. Patet hinc ratio, cur hæ duæ arthritidis ſpecies diverſam expoſcant medendi methodum; vaga quidem, ea quæ humorum acrimoniam obtundunt & corrigunt, ſubjungendo quæ ſanguini virtutem ſic dictam balſamicam & conſiſtentiam conciliant; fixa, quæ tenaces & viſcidos reſolvunt humores: utraque autem appropriata ſibi diluentia. Ad hoſce affectus producendos contribuit ſanguinis & humorum hæreditaria diſpoſitio, aër frigidus aut humidus, victus ratio perverſa, ſubitum a calore refrigerium, immo ipſa animi pathemata, præcipue ira & excandeſcentia. Podagram cum arthritide congenerem eſſe affectum docent plurimi Authores & ſcholæ medicæ, id quod certo reſpectu nemo inficiari poteſt, nam uti arthritis articulos totius corporis cum ſymptomatibus multum ſimilibus occupat, ita podagra incipiens quidem pedes, increſcens autem etiam alios articulos, aliaſque partes invadit, nomine tunc mutato, ſed cauſa eadem. Licet autem inſignem inter hos morbos deprehendere differentiam eoſdem paulo attentius conſideraturo. Ob-

ſervamus in interſtitiis digitorum pedum, præcipue cum ſudent, ſecerni naturaliter ex glandulis cryptis ſive folliculis materiem quandam tophaceam (ſi exſiccetur & indureſcat) cum unctuoſo humore, ne nimirum digiti pedum valido affrictu lædantur, non ſecus ac in aliis corporis humani partibus per glandulas alias diverſi indole, ſe & excernuntur humores. Hæc materia tophacea in quibuſdam, & ſpecialiter in illis, qui vina tartarea, ſive calcarea bibunt, copioſior, in aliis paucior generatur. Quamdiu jam materia tranſpirationis inſenſibilis, copioſe, ſatis, libere & abſque impedimento ſecernitur, corpus & pedes valent. Cum vero hi pori ſ. colatorii occludantur, materia iſta tophacea circa & intra partes tendinoſas obhæret, immo & quandoque reſorbetur in ſanguinem; ſimulque ibi retinentur particulæ hæ craſſiores excernendæ, ubi jam accumulata ea nova metaſtaſi, præcipue verſus æquinoctium vernale, quo tempore ordinario ſanguinis undæ orgaſmum patiuntur, ad pedes & articulos fertur, & mole jam aucta, partes nervoſas, intra quas conſtringitur, vellicat, cum dolore irritat, & ob ſanguinis copioſiorem & celeriorem a tergo appulſum, tumorem, calorem, ruborem demum, affectumque podagræ nomine venientem efformat. Comprobat hoc aſſertum ſuo exemplo Experientiſſ. olim in vicinia noſtra medicus, cui nulla ad podagram hæreditaria, aut naturalis diſpoſitio, qui nec vina, nec potus ſpirituoſos bibebat, nec cibis ullis ad hunc morbum diſponentibus utebatur, optimæ diætæ ſtrenuus obſervator, & tamen derepente podagra afficiebatur, cum fervida æſtate per medium rivum equo vectus extremos pedes frigidis rivi undis allui paſſus fuiſſet. Idem porro demonſtrari poteſt ex ipſa materiæ hujus tophaceæ inter digitorum pedum interſtitia præſentia apud quoſcunque, iis forte except. quibus malo omine pedes ſemper frigent. Elucet quoque ex eo, quod ipſa hæc taliſve materies ſæpius poſt fortiorem tranſpirationem, aut ſudorem circa juncturas & partes tendinoſas in extrema cute obhæreat; quod in podagra jam fere conſumtis in magna copia inter tendines & membranas nervoſas coacervetur, & tophos ſic dictos podagricos efformet; quod tophi iſti ejuſdem ſint indolis, ac materia calculoſa, unde etiam podagrici frequenter in affectus calculoſos prolabuntur; præterea tandem quod materia podagrica iiſdem torqueat doloribus in partibus internis quas obſidet, ac in externis, quas deſeruit. Sic ad inteſtina delata quam atrociſſimos ſuſcitat dolores colicos, inflammatorios; ad pectus inſignes anxietates cum metu ſuffocationis; ad ventriculum frequentiſſimos & moleſtiſſimos vomitus; ad caput immanibus cum inflammatione ſævit doloribus, ſæpe etiam deliriis, quæ quidem ſymptomata illico ceſſant, revocata ad partes exteriores podagra. Elucere denique videtur rei hujus veritas ex iis medicaminibus cum conveniente diæta, quibus podagrici inſigniter levantur; immo plures reſtituerentur, ſi juxta naturæ leges convenienter vivere amarent. Ex prioribus præſtantiſſima ſunt

ſaiſa-

ſarſaparilla, china, polypodium, quæ materiam morbificam non modo corrigunt, verum etiam per ſudorem & copioſiorem tranſpirationem educunt, ſi longo tempore extra acceſſus uſurpantur. Ratione Diætæ ii podagrici quam maxime levantur, qui frequenti gaudent motu, & corpus perſpirabile ſervant, qui carnes alcaleſcentes ferinas evitant, ſola vitulina, aut ſimili contenti, oleraceis & fructubus parum acidis nutriuntur, remoto vino & quovis potu generoſiore. Notum eſt plures podagricos ex uſu lacticiniorum ab omnibus inſultibus liberos manſiſſe, quamdiu huicce methodo inſiſterent, at revocatam ilico priſtinam tragœdiam, cum vel minimam vini portionem bibiſſent; quæ tamen medicacatio non omnibus æque convenit, quod fuſius explicari poſſet, ſi modo limites paginularum noſtrarum id permitterent; merentur legi de his Car. Piſo, Dower Legs d'un ancien médecin, nec minus tract. med. Anglorum de calculo & podagra.

§. XII.

Morbis Helvetiorum endemiis jure merito adnumerat cum laude iterum memorandus Experientiſſ. D. D. J. Caſp. Sulzerus, varii generis hernias, quem morbum non minus dextre quam judicioſe, ratione quippe & experientia ſuffultus paulo fuſius pertractavit; ſtrictius autem ſtrumas, aliaſque hujus generis affectiones. Quoad hernias, hoc tantum brevibus adjicere conſultum duxi, illas nempe non tam lacti, qua lacti, quam aliis pluribus cauſis originem ſuam debere. Notum quidem eſt lac & lacticinia fibras delinire & emollire, at nec minus notum eſt, virtutem lactis præcipue iſtius, quod apud alpicolas colligitur, ob paſcua præſtantiora herbaſque vi aromatica præ cæteris gaudentes, eſſe magis roborantem & confortantem, unde etiam (cæteris paribus) incolæ præ reliquis Helvetiis inſigniori robore pollent. Quodſi igitur morbum propius & ex meris principiis phyſicis contemplemur, facili negotio deprehendemus, effectum hunc præprimis iis cauſis adſcribi debere, quæ lac in ſtomacho & primis viis alterant, coagulant, in peſſimam aciditatem convertunt; non ſecus ac indies obſervamus, quantum etiam a minimo lactis potu lædantur hypochondriaci, utpote cujus uſu aciditates, cardialgiæ, flatus, dolores colici, tenſivi, alvi durities mirum quantum adaugentur. Idem alpicolis infauſto omine evenit, qui potibus magis aut minus ſpirituoſis, acidis, ſpiritui ceraſorum nigrorum, vino aliiſque potulentis & cibis acorem inducentibus inter lacticinia nimium indulgent, animique affectibus frequentibus abripiuntur, per loca acclivia ſub quacunque tempeſtate modo aſcendunt, modo deſcendunt; ita ex prioribus cauſis, torminibus, alvi ſegnitie & flatibus ſæpe multum vexati, abdomine inde frequenter valde extenſo in herniarum diſpoſitionem, aut ipſas hernias conjiciuntur. Quodſi jam ab Alpicolis ad proprias ædes & circum-

cumjacentes revertamur, viſuri quomodo res harum reſpectu ſe habeat, primo intuitu deprehendemus hunc morbum nobis ſatis familiarem, immo & certo reſpectu endemium propterea appellari poſſe. In infantibus, uti mos eſt, vulgo meris lactis vitiis tribuitur, ſi non ad nutricis mores, ingenium, animi pathemata, errores in victu, ingluviem & alia attendamus, unde lac humanum tot tamque diverſis modis corrumpi poteſt. Sic a lacte pinguioris conſiſtentiæ infans ultra corporis neceſſitatem & commodum nutritur; ventriculus, reliquæ primæ viæ, immo meſenterium materia cruda, viſcida onerantur, ceu plurium morborum pabulo. Ab acriori in convulſiones rapitur, ab acidiori inflatus & tormina, a bile turgeſcente in affectus bilioſos, diarrhæas torminoſas, convulſiones &c. Immo ipſa dentitio diffic. lac quodcunque ſymptomatibus ſpaſtico-convulſivis peſſime alterat, variaſque morborum perículoſiſſimorum ſpecies producit? At quot quantoſque etiam morbos circa lactis vaccini & caprilli uſum quotidie cum peſſimis tenellorum rebus obſervamus, dum aut frigidum aut frigida permiſtum, aut nimis pingue, aut a vaccis, herbis recentibus inter gelu & quaſcunque immites tempeſtates foris paſtis, propinatur? Quæ quidem omnia non tam lacti, quam inexcuſabili circa propriam propaginem incuriæ humanæ rectius adſcribenda puto. Jam ex antedictis facile colligi poteſt, cur noſtri & vicinorum infantes frequentius herniis infeſtentur? At nec adulti ab hoc malo liberi (loquor de illis, quorum infantilis ætas hoc malum non ad virilem aut conſiſtentem tranſmiſit) ſed ſi attentius quod res eſt conſideremus, videbimus illos numero eſſe pauciores, nec plures quam in alii mundi plagis. Videmus enim urbium incolas, & deſidem vitam agentes ad minimum æque frequenter hoc morbo corripi, ac ruricolas. Videmus inſuper urbicolis hanc labem non a lacte, utpote a quo plurimi abhorrent, ſed a vino, cibis potibuſque fermenteſcibilibus, acidis, crudis, flatulentis, ingluvie, ira, violentia quadam externa, in mulieribus non raro a partu difficiliori, laboribus in partu præmaturis, aut difficillimis aliiſque ſimilibus cauſis contractam fuiſſe. Attentione propterea quam maxime dignum eſt, quod ex vicinis noſtris ruſticanis, & quidem ex iis, qui duriſſimis defatigantur laboribus, quique ob opum penuriam fere meris lacticiniis veſcuntur, quam pauciſſimi hernias ſibi conquirant, niſi externæ ſimul concurrant inter duriores operas violentiæ. At longe plures ex his, quorum res domi lautiores occaſionem ſuppeditant vina acida, ſpirituoſa aliaque noxia liberalius ingerendi. Commendandum hinc pro ſcopo prophylactico, ut omnia illa ſedulo evitentur, quæ tam in tenellis, quam adultis hanc tædioſæ aleæ plenam labem corpori humano inducere valent. Præſentem autem manus chirurgica, quantum poteſt, levabit. Conſultius augetur cum tenellis, quorum nutrices iracundiores, ſocordiores, intemperantes, ſi ipſis ſtatim cum lacte vaccino infuſum fl. til. primul. ver. aut mera hæc infuſio, aut denique aqua fabarienſis tepida propinetur.

§. XIII.

§. XIII.

Strumæ nobis non ſunt endemiæ, rariſſimæ ſaltem obſervantur. Debemus hoc, uti exiſtimo inſigni aquarum noſtrarum ſalubritati. Memorabile autem, quod ante annos circiter 30. plures ſtrumoſi, ſcrophuloſi, ſurdi & muti & imbecillæ mentis homines in duobus nobis proxime contiguis pagis, Ill. Ditionis Lucernatum, Adelboden & Wikon reperti fuerint, non tam a pravo victu, quam aquis tophaceis, ſabuloſis incolarum campos undique alluentibus, & inde abundanter ſcaturientibus, quas etiam pro potu ordinario hauriebant. Affectus hi hodienum tantum non ex toto evanuere, ex quo puriorum ſcaturiginum aqua detecta, prioresque multa induſtria melius ſervatæ & interceptæ ſeorſim ad fontes conducuntur peculiares. Obſervatur quidem & apud nos & alibi locorum in Helvetia affectus ſtrumis analogus, conſiſtens in colli quadam inflatione & intumeſcentia; morbus virginibus parcius menſtruatis, aut quibus catamenia primo erumpere deberent, immo & quibuſdam hypochondriacis familiaris, ſanguinis reſtagnationi, ſpaſmis & flatulentiis ſua debens incunabula, in quo mirum, quantum lædantur a pulveribus ſtrumalibus ægri. In medela autem elixiria ſtomachica, aperitiva, carminativa, cum emplaſtro ſtrumali & ungulis bubulis combuſtis, luna decreſcente, ſi non interdiu, ſaltem noctu applicatis omnem abſolvunt paginam. At ex ſupra memoratis lactis vel potius nutricum erroribus & vitiis in diæta & regimine, ſæpe etiam ex diſpoſitione hæreditaria, aëriſque injuriis, generantur heic locorum infantibus, pueris & puellis morbi quidam ſatis familiares, quales ſunt infarctus glandularum parotidum, colli, meſenterii, atrophiæ, exoſtoſes, rachitis &c. Tenerioribus pauca exhiberi poſſunt medicamenta, & rarius cum indulgentia matrum, rariſſime cum diæta, moribus & regimine nutricum conveniet, ut ipſæ idonea pharmaca epotent. Hinc præter pulverem rad. Ir. flor. chin. epilept. March. Magneſ. nitr. ſacch. lact. aut vulgare, fere omnia reſpuunt. At cum iis, qui 6. vel 7. annos egreſſi, jam melius res ſe habent. In iis trageæ aperitivæ, alvum bis vel ter de die moventes, cum ſero lactis dulcificato ad methodum Fr. Hoffmanni præparatæ non contemnendam præbebunt opem; & ſi mala hæc pertinaciora, uti in exoſtoſi, rachitide incipiente, ſcrophulis, loco modo memorati ſeri lactis, deſtillata per fermentationem cum lacte præparata ex herbis antiſcorbuticis, aperitivis, antatrophicis conducunt. Effectum certe eximium horum medicaminum expertus eſt Nobilis quidam Helvetius, annum ætatis tum agens 14-mum; qui quamplurimis incaſſum tentatis remediis ex uſu hujus ſeri lactis, cum tragæa aperitiva & diſcutiente non modo ex diuturniore & pertinaciſſima ophtalmia, ſed ſimul etiam ex rachitide feliciſſime convaluit, ſuccedente decoro & venuſto cum incremento corporis habitu. Eundem ſucceſſum ab

 uſu

uſu horum percepit aliquando, in graviſſima meſenterii obſtructione & ſtatu atrophico, filius illuſtris olim Senatoris Reipublicæ Bernenſis, in quo oculi antea concavi & luridi, primum vivacem & vere dein ſplendidum induerunt colorem. Eodem modo ſanatus fuit anno ætatis undecimo, ab ulcere inveterato cacoëtheo, ſeroſo, acri, depluente inter tertiam, ni fallor, & quartam coſtam veram dextræ partis, ſtrenuus nunc copiarum Regis vicini quidam Centurio; quibus plures adhuc hiſce analogi caſus, tam circa adultos, quam juniores, adnecti poſſent, ſi temporis ratio permitteret.

§. XIV.

Verum ſi quidam morbi nobis familiares, uti modo memorati, convenientibus remediis facile debellari poſſunt, licet non raro primo intuitu funeſtam præ ſe ferant faciem; non deſtituimur aliis, qui licet vulgo parvi momenti videantur, & forſan eandem ob rationem in primordiis ſuis negligantur, omnem reſpuunt medelam. Tales ſunt affectus quidam hepatis, qui nullo dolore, nulla febre, nullo fere gravitatis aut moleſtiæ ſenſu, ſed exigua tantum quadam externa duritie, aut tenſione in hypochondrio dextro ad hepatis ſitum ſe manifeſtant, tarde ad feralem exitum procedunt, niſi incongrua medela, aut diætæ vitiis præmature exaſperentur. Increſcit interea lento pede hæc durities, abdomen ſenſim magis magiſque intumeſcit, facies ſublava fit, decreſcunt carnes, primum ab humeris ad cubitos & manus, & demum per totum corpus; hoc decrementum ſequitur ſenſim tumor pedum, calor febrilis, ſitis, anorexia, cardialgia, reſpiratio difficilis, urina intenſe rubicunda, cum ſedimento copioſo roſeo, quandoque verus aſcites, & tandem ſideratio & ultima linea rerum mors. Attentionem meretur hic morbus ex eo, quod hepatis viſcus ſit molle, indolentius, parvis in ſubſtantia ſua interiori munitum nervis; quod ſit officina bilis mediante concurſu venæ meſentericæ, hæmorrhoidalis & ſplenicæ, quæ venæ portarum truncum conſtituunt; quod inſignis illa vena portarum pulſu & valvulis careat &c. unde ſanguinis regreſſus per venam cavam ad cor ſæpius admodum impedite & tarde procedit, ut in febribus intermittentibus pertinacioribus & morbis hypochondriacis, in quibus tenſiones ad hypochondria & moleſtiæ ſupra memoratæ, obſervantur. Et ex his evidentius patet, quare hoc viſcus præ cæteris ad obſtructiones pronius ſit. Cæterum hic morbus ex multivariis producitur cauſis. Plura mihi nota exempla, ubi a frigida, corpori æſtuanti ingeſta, ſtatim ſubſequutus fuit hic affectus, uti etiam a ſpiritu vitrioli ad ſitim reſtinguendam immodice potui ordinario commiſto; a vinis acidis, meracis, nimio ſpiritus vini & ſpirituoſorum uſu. Ita etiam ſæpius obſervatum eſt, quod ii, qui a prima juventute vina generoſiora, ex regionibus Ditionis Reipubl. Bernenſis, dictis *la*

Côte

Côte & *la Vaux* biberunt, in conſiſtente autem ætate hunc potum cum vinis acidis & minus ſpirituoſis Ærgovienſium commutaverunt, brevi tempore omnes hoc morbo perierint. Producitur etiam ab iracundia & adſtringentibus, cortice peruviano intempeſtive & ante febris deſpumationem oblato, nec non a martialibus. Notum mihi exemplum honeſtiſſimi cujuſdam Senatoris Municipii vicini, qui triginta ante obitum annis, ad arthritidem, qua laboraverat, curandam, uti tum moris erat, limatura ferri copioſe uſus fuit. Fugata hinc tandem arthritis, at ſupra memorata durities in regione hepatis ſubſequuta, cum reſpiratione indies difficiliori, reliquiſque jam allegatis ſymptomatibus, quæ, licet exactiſſimam obſervaret diætam, ægrum tamen uſque ad mortem comitabantur. In ſuperioribus jam mentionem fecimus de morbis quibuſdam meſenterii, ejuſque glandularum obſtructionibus, ætati juniori præcipue familiaribus. Nunc paucis deſcribemus alium ejuſdem morbum atrocem & ſatis periculoſum, rariorem quidem viſum, ſed forſan minus rarum, ſi morbi hujus viſceris penitius cogniti eſſent. Incipit ut plurimum cum febre inflammatoria, & poſt aliquot dies in abſceſſum terminatur, feliciori quidem ſed non minus ominoſo cum eventu, cum abſceſſus circa inoſculationes vaſorum lacteorum primi generis in inteſtina, diſruptus fuerit; tum enim aliquando materia purulenta coloris cineritii per inteſtina & alvum educitur; infeliciori autem ſi abſceſſus in meditullio meſenterii delitеſcat; tum enim partes vicinas exedit, brevi fatalem ludens cataſtrophen. In parte affectus nullus manifeſtus perſentitur dolor, & ob mollitiem nulla alia ſe produnt ſigna, ſecus ac in affectibus hepatis aliorumque viſcerum. Cognitu hinc admodum difficilis eſt hic morbus, & inde ſolum, ut mihi videtur, dijudicandus, ſi in reliquis viſceribus nihil mali deprehendatur. Curatus aliquando fuit hic morbus, modo nominatis ſymptomatibus ſtipatus, ſecedente per alvum materia purulenta, aliquibus in locis ſtriis ſanguineis tincta, in Parocho Ditionis Lucernatum, herbis aperitivis, diſcutientibus leniter vulnerariis, forma inſuſ. propinatis; durante febre temperantibus, diluentibus, & blandioribus cardiacis. At poſt tres quatuorve annos ob debilem conſtitutionem, multos jam annos ante hunc affectum, perpeſſos graviſſimos morbos, phthiſi pulmonali corripiebatur æger, cui utcunque tractatæ ſucceſſit tandem inſanabilis aſcites cum vitæ & miſeriarum fine. Eadem aliquando obſervata fuere in fœmina juniore; cum autem morbus & morbi genius latuiſſent medicos, morbuſque ideo forſan non convenientibus remediis oppugnatus fuiſſet, brevi poſt hypogaſtria inſigniter & cum duritie intumuerunt. Liberata autem ad tempus ægra ex prudentiſſimo conſilio & remediis percelebris atque experientiſſ. nunc defuncti D. D. Euſebii *Chriſtiani* Protophyſici Bernenſis, licet poſt duorum aut ſeſquianni inducias hæc ſymptomata cum lethali exitu repullularint. Fatalis idem morbus, exonerato licet feliciter abſceſſu, fuit puerperæ ſexto a partu die.

§. XV.

Liceat nunc etiam quædam adjungere circa affectus pulmonum. De infarctu videantur paſſim Authores. Circa hæmoptoën autem id modo annectemus: quod medelam per adſtringentia tentatam fere ſemper infelici omine ſucceſſiſſe, aut malum adauctum, aut obſtructiones immo ipſam phthiſin pulmonalem obortas fuiſſe viderimus. Tutius autem curatur in plethoricis V. Sne,. antiſpaſmodicis, temperantibus, diaphoreticis fixioribus, potu infuſi veronicæ, manus & pedes balneo tepido fovendo, ut ad partes exteriores alliciantur ſanguinis undæ, proſpiciendo ſimul, ut alvus libera & laxior ſervetur, & diæta ſit ex tenuioribus ſalubrioribuſque in cibo & potu. Phthiſis pulmonalis uti vario incedit greſſu, ita etiam a diverſis producitur cauſſis. Progignitur, uti allegatum fuit, ſæpius ab hæmophthiſi, a peripneumonia, cum pulmones a pure non probe repurgati fuerint, a peculiari humorum ad pectus depluentium acrimonia, a fumis metallicis argenti vivi in aurifabris, arſenici & mercurii ſublimati in tinctoribus & iis, qui arſenicum ſublimant, a polypis ſanguini circulanti obicem ponentibus, & retrocedente ſcabie, morbillis, ulceribus manantibus exſiccatis, ab ingurgitatione gelidæ corpore æſtuante, ab emanſione & ſuppreſſione menſium, plurimiſque aliis cauſis, quæ paſſim apud obſervatores legi poſſunt. Longum nimis foret hanc telam integre pertexere. Monebimus ſaltem phthiſin raro aut non curari poſſe, ſi a menſium diuturna ſuppreſſione proveniat, ſi vomicæ ulceratæ ſoboles ſit, ſi a copia hauſtæ frigidæ contracta, ſi cum polypis concomitata in vaſis pulmonalibus aut a ſanato intempeſtive ulcere manante (exemplo civis Arburgenſis, qui ſanato effluxu ſeroſo in pede, licet a cauſa violenta conquiſito, in phthiſin immedicabilem & lethalem prolapſus fuit) ſi denique pulmones obſideantur ſcirrhis cum materia quadam ſebacea, ſteatomatoſa, ſi ſcirrhus jam carcinomatis naturam induerit, ſi unus aut alter lobus jam ſit exeſus, pure, ichore, aut alio acri. At uti quævis phthiſeos cauſa peculiarem fere expoſcit medendi methodum, nos pro more non niſi generalia quædam remedia cum uno vel altero caſu adjiciamus, id adhuc prius monentes, quod forſan in libris medicis non adeo obvium eſt; ſæpe nempe obſtructiones hepatis phthiſin præcedere, &, ſi omnino nil ad phthiſin conferant (quod tamen vix ſemper valere poterit) illam tamen tum concomitari; illiſque reſolutis felicior ſemper expectanda morbi curatio. Dijudicantur hæc ex colore faciei ex flavo fuſco, non raro cum connexis pathematibus hypochondriacis. Obtulit ſe talis caſus in Eccleſiaſtico civitatis cujuſdam vicinæ, ſubjecto admodum plethorico, temperamenti cholerico-ſanguinei. Non tam emaciatus fuit æger, quam moleſtiſſima affectus tuſſi, modo ſicca, modo humida, & purulenta, cum ſumma reſpirandi difficultate. Vultus ex flavo fuſcus

fuſcus erat. Poſt mille undiquaque conquiſita & epota pharmaca convaluit tandem ex uſu ſeri lactis dulcis & gelatinæ antiphthiſicæ D. D. Wepferi, cum tragæa aperitiva, hepatica, leniter bilem ducente, intra breve tempus. Liceat huic caſui alium adjungere, ægri in eodem loco aliquando commorantis Ord. R. R. D. D. Capucin. Is phthiſin ſibi contraxit ab inſigni & eminenti humorum acredine. Miteſcebat malum remediis, adeo ut etiam aliquoties devictum putaretur. Verum poſt quatuordecim dies ſemper priſtinam redordiebatur telam; donec tandem ex tuſa alternis diebus per ſex integras ſeptimanas vena, qua ſingulis vicibus unciæ ſex ſanguinis educebantur, & ſubjuncta pro victu ſola ſorbitione juſculorum ex gelatinis pedum vitulinorum & gallinarum, perfecte reſtitutus fuerit. Sic plura alia exempla allegare poſſemus illorum, qui ex potu aquarum Selteranarum cum lacte aſinino, convaluere; plurium, qui ex uſu notiſſimarum circum nos naſcentium plantarum; aliorum denique, qui ex revocata ad partes corporis exteriores ſcabie, decocto raſ. C. C. & rad. juniperi, ſanitatem recuperabant.

§. XVI.

Peripneumonia, pleuritis vera & ſpuria ſunt affectus in urbe noſtra rariores, adeo ut per totum hujus hyemis decurſum neminem civium his decubuiſſe obſervaverimus, niſi forſan quis pleuritidem ſpuriam exceperit. At licet priorum ſpecierum exemplis non careamus, ruri tamen frequentiora ea eſſe animadvertimus, ubi non raro undiquaque circa urbem noſtram epidemice graſſantur. Definitionibus horum morborum aliorumque multorum in hoc faſciculo recenſitorum, ſuperſedeo, tum ne nimis increſcat volumen, tum quod in iis a noviſſimis Authoribus non diſſentiam, eæque abunde ex illis legi poſſint & ſatis alias notæ ſint). Pleuritis peripneumonia frequentior eſt in confiniis noſtris. Originem debent hi morbi inſigni ſanguinis ſpiſſitudini ad pectus congeſtæ; hinc hyeme & circa principium veris maxime graſſantur. Non raro a potu frigidæ, nec minus a ſubita refrigeratione poſt inſignem laborem & exæſtuationem producuntur. Frequentiores ſunt illis, qui ſanguinem alunt tenacem, ſpiſſum, ſic dictum phlogiſticum, & qui aſſuetas venæſectiones negligunt; & quo frigidior hyems, eo fere facilius ac frequentius generantur. Sic rigidiſſima aliquando hyeme pleuritidem non modo acriter in pagis quibuſdam nobis vicinis, Gondenſchwyl, Reinach aliiſque ſæviiſſe, ſed & plurium mortibus inclaruiſſe meminimus; non quidem æque ex morbi genio & natura, ac ex perverſa diæta & peſſimo regimine. Obſervatum quippe fuit, mercantes tunc & itinerantes ruſticos primam horroris & frigoris ſenſationem vino & ſpiritu vini ſupprimere voluiſſe, poſtea vero potu frigidæ, cum poſt frigus & horrores calor & ſitis febrilis urgerent; moriebantur autem omnes intra triduum, qui hac infelici

utebantur methodo, evadebant autem poſtea fere omnes alii auxilio medico, & conveniente methodo ſecundum probe obſervatas diætæ & regiminis regulas tractati. Licet vero periculoſæ aleæ pleni ſint hi morbi, reminiſcimur tamen certis annorum conſtitutionibus inter centenos ægros, ex iis, qui methodo conveniente tractabantur, vix unum & alterum e vivis ſublatum fuiſſe. Plethorici ſtatim in principio morbi a V. S. etiam reiterata, multum levantur. Dantur autem epidemicæ pleur. ubi non profuiſſe certo obſervatum eſt. Cum etiam extra urbem degentes auxilium medicum communiter non expoſcant niſi quarta aut quinta poſt morbi invaſionem die, ubi ſputa jam cruenta ſuccedunt, in plurimis venæſectio non amplius imperari poteſt. In principio morbi nihil magis convenit noſtratibus, quam blanda infuſa pectoralia & diſcutientia in largiori doſi, cum diluentibus; in progreſſu autem ad facilitandum, ſi opus ſit, ſcreatum, ſperma ceti cum conſervis pectoralibus, idque eo magis, quod nervorum, ſolidorumque ſyſtema ob aërem acriorem, rigidius heic quam alibi locorum, præſertim in duris ruſticorum corporibus obſervetur. In pleuritide conveniunt etiam impr. ab initio diaphoretica fixiora, cum nitroſis, acidis, reſolventibus &c. Cum autem methodus hæc a conſueta parum abludat, adjungam adhuc aliquas obſervationes, quas non admodum inutil. vel injucundas B. L. fore, ſpero. Memoriæ adhuc inhæret fatalis caſus famuli, die ſolis vehementiſſima vixdum correpti pleuritide, cum jam certiſſimam circa proximæ diei veneris meridiem ſibi inſtare mortem præſagiit, repetendo idem præſagium, quandocunque remittebant deliria. Nec dies, qui a morbo erat ſextus, nec hora fefellit miſerum, nam accurate præfixo ſibi tempore naturæ tributum exſolvit. Memoratu dignus quoque eſt caſus adoleſcentis 20. tum circiter annorum jam ſexta die gravi peripneumonia laborantis, ob deficiens ſputum ſpiritum ægerrime & nonniſi inter luctuoſos anhelitus trahentis, cui electuarium unciarum quatuor, ex conſervis pectoralibus cum uncia dimidia ſpermatis ceti aliiſque præſcriptum, cum infuſi herbarum conſimilium mens. I. At ille ad ſignaturam parum attendens, circa veſperam electuarium integrum deglutiit, ſuperpotando calide integrum infuſum. Mane ſemimortuus in lecto deprehenſus; obſervatumque fuit materiam purulentam inſigni quantitate cum remediis *ανω* & *κατω* rejectam; refectus juſculo optime habuit, nec febrem, nec tuſſim nec quidquam reſidui morboſi, præter debilitatem, perſenſit, immo inſequenti die ſoſpes & ſanus lectica ad ſuos tranſportatus fuit. Quibus nunc addi poteſt, quod tales febres quandoque in primo aggreſſu jugulari poſſint, ubi ſcil. a primo ſtatim morbi invaſu remedia copioſe exhibentur. Sic in ancilla juvencula vehementiſſimis cum ſymptomatibus pleuritis intra 18. horarum ſpatium diſcuſſa fuit ex ſola infuſione herbarum reſolventium, ſed in tam exiguo temporis intervallo ad ℔. 18. & ultra calide potat. Idem effectus, quod mirum, ſed ideo non minus verum, obſervatus fuit ex pulveribus

Hei-

Heideggerianis, ex regulo antimonii fixato, ☉ & ☽ conflatis, in duobus ex noſtris civibus, quorum cuique tres doſes exhibitæ; prima ſtatim a principio morbi, altera binas poſt horas, & ſic tertia. Sic ambo intra ſex horarum ſpatium feliciter a truculento morbo liberati ſunt. Cum pleuritis ſpuria ſpeciem quandam rheumatiſmi ſiſtat, cum febre, in conſueto eſt venam tundere, ſi ſubjectum ſit plethoricum, & tum diaphoreticis fixioribus, temperantibus & reſolventibus morbum diſcutere.

§. XVII.

Ex morbis, noſtratibus admodum familiaribus, omni modo endemiis, & qui plures ad cymbam Charontis comitantur, ſunt apoplexia & hydrops. De priori hoc §pho mentionem faciemus. Si apoplexia a diſruptione vaſculi, effuſioneque ſanguinis in cerebrum provenit, actum eſt de vita ægri, immo ſæpe ſubito ad terram mortuus concidit; ſi ab obſtructione vaſorum, vel levatur morbus, vel in hemiplegiam tranſit. Communis medendi methodus eſt in larga, etiam repetita V. S. remediis derivantibus, revellentibus, clyſteribus acrioribus purgantibus, antiſpaſmodicis, confortantibus, diſcutientibus, veſicatoriis & iis, quæ motum reſuſcitant. Nos ſimpliciter aſſerimus, ſtatim in principio vix tutius & efficacius ad hunc morbum debellandum, dari poſſe remedium, quam jam dictos pulveres Heidegger. quippe quibus ſæpius ab unica doſi intra quartam horæ partem diſcuſſus fuit inſultus, uti numeroſa hujus affectus poſſemus allegare exempla. Conveniunt etiam hi pulveres in affectu quodam rariore, qui forſan aliquoties pro vera cerebri apoplexia habitus fuit, ab ea autem differt, quod in cerebro neque ſtagnationes, neque effuſiones in mortuis, anatomico examine deprehendantur, in vivis autem oculi nec rigidi; nec vitrei obſerventur; a ſyncope, quod oculi non clauſi, & animus ad mortis punctum ſit præſens; oritur, uti ſuſpicamur a nervorum reſolutione ſubita, & ſtagnante motu ſanguinis in corde, aut circa præcordia, in quibuſdam forſan cum polypis. Tale exemplum nobis ſiſtit caſus Sereniſſ. cujuſdam Ducis & Principis Germaniæ. Sic aliquando obiit in urbe noſtra ocyus fæmina quædam obeſa, phlegmatica, in qua malum cum paralyſi pedum ſubito ſurſum verſa incipiebat. Lenzburgi eodem fere modo unus ex civibus noſtris ſubitiſſime e vivis ſublatus, ad quem nuncium magno terrore perculſa uxor, eadem fere cum ſumma virium dejectione & leni ſenſu oppreſſorio circa pectus ſymptomata perſenſit, apertis cæterum, nec ullo modo rigidis oculis. Liberata tamen a duabus pulverum ſupra memoratorum doſ. & frictione pectoris cum aqua Reginæ Hungariæ. Binos adhuc circa apoplexiam adjungere lubet caſus, ut pateat B. L. quam diverſa ſæpe in medendo ſit calcanda via? Reſtituta eſt aliquando fæmina decrepita, temperamenti robuſtiſſimi, duriſſimis & craſſiſſimis cibis veſci ſueta, cui jam excrementa

menta involuntariæ ſecedebant, ab uſu unc. dimidiæ ſpirit. ſal. armon. aniſ. & liq. C. C. ſuccin. ex aquis cœphal. intra XXIV. horarum ſpatium ſucceſſive exhauſtis. Alter caſus ſiſtit apoplexiam in viro gravi, ætatis provectioris, a retrograda, vel potius emanente prodagra, cum ſubſiſtente ſimul fluore conſueto ulceris in pede antea manantis. Fruſtra hic tentatis remediis conſuetis antapoplecticis, quin potius inter horum uſum & pedibus & abdomine cum ſcroto & virga inſigniter intumeſcentibus, verus formabatur aſcites; quam primum autem decoctum ex rad. aperitivis cum rad. chin. ſarſæparill. lign. guajac. & ſale reſolvente bibit, omnia in melius vergere cæperunt. Diſcuſſus intra quatuordecim dies tumor, ulceri priſtinus fluxus conciliatus, fractæ ab apoplexia vires reſtitutæ, cum priſtino memoriæ & judicii, quo ante pollebat, acumine, ſubſequente brevi poſt conſueta podagra.

§. XVIII.

Hydropis ſpecies jam recenſuimus, excepta tympanitide, morbo rariſſimo, cujus tamen verum exemplum & hiſtoriam viri 56. annorum, cum petitione conſilii, cum Experientiſſ. atque Excellentiſſ. D. D. & profeſſore *Joh. Rudolpho Zuingero* communicavit parens m. colend. Morbus hic merito incurabilibus adnumeratur, cum fere ſemper junctam viſcerum labem, aut non minus graves cauſas habeat. At caſus hic ideo memorabilis, quod malum cum toto feralium ſymptomatum agmine uno quaſi ictu ſe in ægro manifeſtaverit; primo quidem ex immodico eſu integri caſeoli ſic dicti caprilli; & ſtatim poſt ſubſequuta hypercatharſi ex uſu purgantis validioris, tridui ſpatio ultra 200. ſedes provocantis. Uti autem diverſæ ſunt hydropis ſpecies, diverſæ cauſæ, diverſa temperamenta ægrorum; diverſa ratio victus, diverſi morbi gradus; ita etiam diverſa requiritur in medendo methodus. Tumores hydropici aliquando ſolis decoctis ex rad. petroſelini, fænicul. chin. pareir. brav. & ſimilibus feliciter diſcutiuntur. Quidam inſignis phlegmaticus hydrope ad crepaturam tumens, uſu ∽ ɛ xci aniſ. & liq. C. C. ſuccin. cum paucis aperitivis in ptiſana ordinaria exhib. perfecte reſtitutus fuit. Alius adhuc pejus habens ſolo Liq. miner. annod. H. cum tinct. tartar. ſanatus, nunc athletice & pancratice vivit; & mirum profecto, quantas aquæ copias tam per urinam, quam per alvum immo & ſudorem eduxerit hoc remedium. Sic non pauci ex ſucco abſynthii & herbarum al. amararum liberati. At nulla fere methodus tutior & efficacior, quam per decocta rad. aperitiv. diuretic ex herbis capillaribus, cum pauco ſale tartari, aut tartaro ſolubili. Sed copioſiori & largiori doſi heic non parcendum. Hac methodo abſque maritatis purgantibus aquæ copioſe, etiam per alvum, evacuantur. Certius autem, præcipue in fortioribus ſubjectis, ſi in hoc, aut ſimili decocto tertia, aut quarta die adhuc infundantur drachmæ duæ v. pl. fol. ſen.

cum

cum drachm. I. rad. mechoacanh. alb. Sic aliquoties intra ſeptimanam aquæ penitus eductæ, in ægris facie jam hippocratica, & cute, miro ſpectaculo, pendula prædit. Aſt intra paucum tempus extractis amaris & roborantibus vires reſtauratæ, ſanitaſque integra reſtituta. Obverſatur adhuc animo caſus viri graviſſimi, qui a decennio, antequam in hydropem incideret, ſæpius ſuſpectis ictericis ſuffuſionibus corripiebatur, levatus tamen idoneis remediis. Cum autem hydropicus factus fuiſſet, aquæ a medicis fortioribus purgantibus evacuabantur, ſed novis ſemper ſuccedentibus undis, uſque dum purgantia nihil amplius efficerent. Reſtitutus tamen fuit conſilio parentis m. uſu elixirii robor. aperit. ex extractis amaris, remiſtis blandioribus & in parca doſi laxantibus balſamicis, ſummo ſimul quovis triduo inter continuatum elixirii uſum, laxante ex ſale Sedliz. rob. ſambuci in aquis petroſel. chærefol. & fl. ſambuc. ſpatio undecim dierum. Alii plures & quidem aſcitici (quorum unus nunc optime valens, ex purpura ab uſu balnei ſaponaceo aluminoſi retropulſa, in hunc morbum incidit) vino medicato ex aperitivis, purgantibus, cum ſquilla liberati.

§. XIX.

Febres intermittentes perquam raras eſſe huic noſtræ civitati & ſemper fere aliunde conquiſitas, unico exemplo excepto, jam ſecundo monuimus paragrapho; eaque propter nunc hunc caſum tertianæ admodum pertinacis paucis recenſere operæ pretium eſſe duximus. Corripiebatur ante aliquot annos hac febre ex improviſo, æſtatis tempore, unus ex Rev. D. noſtris paſtoribus, & paulo poſt, immo ante ipſius reſtitutionem ejus uxor; demum natus trium vel quatuor tunc annorum. In uſum vocabantur ſalia aperitiva, digeſtiva, temperantia, laxantia, etiam amara, pluraque alia, quæ ad febris deſpumationem & ſolutionem alias conducunt; at omnia fruſtra. Inter hæc quoque non raro duplicabatur febris, donec tandem optimus vir ſub finem quintæ aut ſextæ ſeptimanæ, uxor autem paulo citius convaluiſſet. Cum parenti m. experientia compertum fuiſſet, febrem hanc in aliis quatuordecim dierum ſpatio ſemper periodum ſuam abſolviſſe, examinavit tandem quam proxime ad ædes ægrorum ſitas aquas, in quibus ordinarie equi lavabantur, deprehenditque eas, ob impeditum recentis aquæ affluxum & ſublatum effluxum ex alveo, in putridum & graveolens ſtagnum abiiſſe, unde ſimul flante, uti tum accidit, Borea, exhalationes iſtæ noxiæ neceſſario ædibus & cubiculis, quæ inhabitabant, communicatæ fuerunt. Sero nimis in damnum ægrorum hæc obſervata. Quod autem ex his cauſis febris hæc pertinaciſſima prognata fuerit, ex eo manifeſte liquet, quod natus eadem ultimo correptus, poſt unum alterumque paroxyſmum alioſum deportatus ſtatim a febre convaluerit. Memoratu quoque dignum Rev. D. P. poſt fugatam febrem extrema laboraſſe inappetentia, nil quicquam proficientibus ſtomachicis,

roborantibus elixiriis, reſtauratum autem quam breviſſime appetitum ex uſu halecum & caſei ſaliti. Laboraverat etiam aliquando in hac urbe civis quidam per plures annos ſymptomatibus febrem hecticam ſimulantibus, a tertiana olim in Germania citius ſuppreſſa; in quo fruſtra remediis febris revocatio tentata; ſed quem medicina non potuit obtinere effectum, ex improviſo opportuna præſtitit iracundia, a qua febris recidivam paſſus dein juxta artis regul. reſtitutus, jam a pluribus annis optime valet.

§. XX.

Plures adhuc & quidem rariores proferre poſſemus caſus circa podagram, ſed rem, quam pauciſſimis tant. expediamus. Forſan aëris rigor unam ex principalioribus cauſis conſtituit, cur in ſubjectis quibuſdam quam facillime retrogediatur, & quod quoſdam invadat, licet ominoſis ſemper ægrorum rebus, obtuſo tantum cum dolore, nominata inde *das kalte podagra*; quale exemplum obvenit in viro gravi, cujus corpus & articuli poſt tales dolores, materia quippe non diſſlata, tumore aſcitico infeſtabantur, ſublato tamen ab uſu 12. doſium pulv. Heideggeri, una mane, & altera ſub noctem per 6. dies exhibiti. Inter cauſas externas retrocedentis podagræ merito recenſemus illorum peſſimos mores, qui, animo ſanguinem podagricum evacuandi, ſtatim a principio doloris parti affectæ cucurbitulas applicant. Remedium, quo quidem dolores evaneſcunt, at materia peccans in ſanguine uberrime contenta, & indies mole aucta, utplurimum ad pectus transfertur, cum intenſiſſ. ſæpe doloribus & metu ſuffocationis; ubi, ſi quando inflammatio diſcuti & podagra ad partes exteriores revocari poteſt, non modo durante morbo, ſed ſingulis fere diebus aliquoties retrocedit; quale exemplum nobis ſæpius præbuit aliquis ex concivibus noſtris. Quidam, applicatis ad pedes emplaſtris narcoticis cum oleo hyoſcyami malaxatis, dolores in loco affecto conſopiunt; Tum ad interiora recedit nodoſa podagra, ſæpius ad inteſtina & effectus patrat ſupra jam recenſitos; uti in centurione quodam obſervatum fuit, qui hanc tragœdiam in proprii corporis diſpendium ea intentione ludebat, quod, uti perhibuit, a podagra emori non amaret. Non latent me exempla podagræ in veſicam, colon, ſtomachum, pectus, retrogradæ. Sic ſubit animum exemplum viri ætatis profectioris, qui per plurimam anni partem podagricus decumbebat, aut lecto, aut ſellæ ſemper affixus, & cui tum materia podagrica pectori infixa cum immanibus doloribus hærebat, a potu aquæ hippenterorum, ex ſimplici expreſſione fimi equini deſtillatæ, intra biduum curati, ita ut quo vellet exſpatiari, immo equo peregre vehi potuerit. Fuit & exemplum viri, 56. annorum, qui a podagra circa ſtomachum hærente per 15. annos inter cœnam quotidie tribus torquebatur vomitibus, curati tum, ut alii plures, revocata ad pedes podagra, licet ante uſum remediorum ab omnibus agonizans

ſans prædicaretur. Curata ſic eſt podagra retrograda, quæ ante eruptionem in articulos per quatuordecim dies, immo per integrum menſem ſæviſſimis in hypogaſtrio ſiniſtro vexabat ægrum doloribus. Qui evacuantibus mitioribus, ſtomachicis iiſque, quæ tranſpirationem promovent, medicamentis, impr. ſarſarparilla, debita methodo & habito reſpectu ad circumſtantias, temperamentum &c. uti novit, multo profecto præſtabit, ſi non penitus in eradicanda podagrica materia, ſaltem & quidem ad minimum in leniendis doloribus, in minuenda morbi frequentia & duratione. Paucis nunc addamus, quid hujus generis remedia in podagra, ſelecta antiſcorbutica in arthritide fixa præſtent. Tali deſtillato per 6. hebdomades continuato liberatus fuit aliquando R. D. P. Capucinus, qui ex radicata per plures annos contractura nec manus, nec pedes movere potis erat.

§. XXI.

Non deſtituimur præterea pluribus & inſignioris momenti obſervationibus, uti circa variolas, morbillos, morbos infantum, & puerperarum ex malo regimine, caſum perquam rarum de calculis in veſicula fellea innumeris, circa hæmorrhoides veſicæ, albas, vel viſcidas ani & veſicæ, febres lentas, hecticas; inflammatorias per V. S. nono & decimo tertio die curatas, epilepſiam, miras & chronicas convulſiones uterinas, molas, ſcirrhos uteri exulceratos, excretionem vivi & ingentis longitudinis ſerpentis per anum ab oblatione fortuita pulveris Heidegg. in homine, qui octogenarius adhuc vivit, aliaque plura. At cum B. L. patientia ulterius abuti nolimus, ipſaque diſſertatio noſtra jam in prolixius, ac prævidere potuimus, opuſculum excreverit, pauca quædam de rebus 6. non naturalibus, & illis tantum, de quibus in ſuperioribus nullam fecimus mentionem, coronidis loco apponamus.

§. XXII.

De aëris in microcoſmum effectu ſuperius egimus. Cibo & potu gaudemus ſaluberrimo. Aquas ex fontibus vivis Tobinium haurit puriſſimas, limpidiſſimas, leviores, non corruptibile ſponte, ſub quiete & leni tepore nullum contrahentes ingratum odorem, nec ſaporem, nec turbandas, niſi igne ad ebullitionem calefiant, qua, uti ex paucis reagentibus etiam apparet, indicia terræ levioris, albidæ, ſimulque ut videtur homogeneæ, exigua quantitate, deteguntur, quæ in tophos cinericios ſublæves, non admodum graves, in achenis, ubi aqua coquitur, formata adhæret; & terra aluminoſa vulgo vocatur. Chemica & integra analyſis earum, pluraque experimenta inde nondum ſecundum artem plene capta ſunt. Conſtat autem eas ſtomachum non gravare, potas, uti inſalubres & noxiæ aquæ ſæpe ſolent; & lixiviis, ſaponi ſolvendo, operibus che-

micis, pharmaceuticis, technicis optime inſervire. Vina ex gallica Ill. Reipublicæ Bernenſis ditione, optimæ notæ, nobis advehuntur. Cumque lætiſſimis cincti ſimus paſcuis, carnes edules quæcunque ſuavi pollent ſapore, & valde ſucculentæ ſunt; piſces cancroſque nobis ex viciniis undique rivis & aqua recenti puraque, habere licet, ſed rarius indies; cum exteris enim æque commendabiles viſi ſint ac nobis eo, uti in pluribus aliis, res devenit, ut non ſemper æque abunander ac æque commode iis nobis proſpicere poſſimus. Sic aves & ferinæ, magna quamvis ſub venatorum, ſylvarumque copia, minus apud nos venales reperiuntur, eo forte tamen commodo, ne nodoſæ podagræ obnoxii fiamus. Oleraceis tamen, frugibus hortenſibus, & arboreis, leguminibus & re frumentacea non caremus, imo ſæpius abundantem habemus copiam. Felices, immo nimium felices cives, ſi tam divite ſalubriorum penu ad nutritionem, ſuſtentationem immo ad ſatietatem, non vero ad luxuriem perfrui animo conſtituerent. At bone Deus! quantum intra illiacos peccatur muros & extra! quantum gulæ in propriam ſui perniciem adulatur civitas; hinc non mirum, ſi morbis aliquando corripimur, at mirum quod non pluribus. Nec propterea exiſtimandum, luxum & ingluviem noſtra tantum inhabitare mœnia. Certe & ruſticorum caſas & pauperem tuguria eodem ſalutat omine, nam ſi non ferina, alitibus & turdis paſcantur ruſtici, Baccho propterea non minus ſtrenue litant, & pauper cum divite nimium & nocentiſſimum vini & ceraſorum ſpiritum, aliaque multa ſpirituoſa ingurgitant. Hinc cum ad ſenium vergit ætas, eadem cum noſtris ſubeunt fata; ac tuſſim ſiccam, reſpirationem difficilem, hydropem pectoris, hepatis ſcirrhos alioſque mortis & miſeriarum prænuncios patiuntur. Taceamus graves, quas præcipue fœminæ non raro a placentis variis, intempeſtive deglutitis, experiuntur noxas. Cum autem duriora nutriat ilia meſſor, duriores quoque ſuſtineat labores, victum duriorem & copioſiorem abſque noxa perfert. At quid nobiſcum fiet, qui fumoſas urbes inhabitamus, ſub vita deſide, ſi quod peſſimi moris eſt, vixdum lectum egreſſi jentaculo, mox prandio, merenda, & denique non raro lautioribus ſub cœna epulis miſerum & invitum ſtomachum ad nauſeam uſque laceſſimus? Ignorabant avi crapulæ torpidos effectus & forſan nomen; aviæ rem cupedinariam, tot placentas, tot condimenta ſaccharata, aromatiſata, potum coffe aliaque multa, nullos hinc fere morbos utrique perpeſſi, niſi ipſam ſenectam, & ætate magis, quam morbis confecti ſupremum placide obibant diem. Sequioris ſexus homines nec purpura, nec phlyctænis, nec tot malis hyſtericis, rheumatiſmis, cephalalgiis, ſic dictis vaporibus, conſimilibuſque malis torquebantur. Vereor equidem (ſed fallant me præmatura vaticinia) ne brevi puerperæ noſtræ, ut alibi, a prava diætæ & victus ratione inter puerperia funeſtiſſimum & periculo plenum morbum purpuraceum ſibi contracturæ ſint.

§. XXIII.

§. XXIII.

Motu & labore nimio nemo intra mœnia noſtra peccat; inertia & deſidia plures. Non item ruſtici morbos, quos a vita deſide procreari jam ſuperius ex parte indigitavimus, patiuntur. Noto notius eſt hanc vivendi rationem ſanguini, nervis & toti corpori torporem conciliare, & quæ a fibra laxa promanare poſſunt incommoda, ſc. non modo ſanguinis viſciditatem, ſpiſſitudinem, aut & ſeroſitatem, acrimoniam, mala hypochondriaca, hyſterica, alvi duritiem, menſium vitia, verum etiam affectus apoplecticos, ſoporoſos & alia plura. Hinc ſartoribus & netricibus, generi hominum deſidi, ſcabies, alba profluvia & hujus cenſus incommoda non ſine ratione, tanquam morbi familiares adſcribuntur. Plures etiam ex ſomno pot. quam nimiis vigiliis ægritudines ſibi contrahunt, & quidem eaſdem fere, quæ ex vita deſide fluunt. Hinc plerique, qui ſic in diem lethargice & ad mortis imaginem vivunt, ex pinguiori aqualiculo, etiam invito medico ſatis manifeſtant, excreta retentis nullo modo reſpondere, otia hæc non diu duratura, & Hannibalem jam ante portas ſtare.

§. XXIV.

His non obſtantibus cuivis obſervare licet, ſola animi pathemata citius & ſæpius mortales, uti ubique locorum, ita quoque in ſphærula noſtra, tam in inſignes & periculoſas ægritudines conjicere, quam modo memoratos ex rebus non naturalibus errores, ſi forte effectus ex aëris conſtitutione, de quibus ſuperius actum, excipiamus. Sic ab ira choleram, apoplexiam, hemiplexiam, menſium ſuppreſſionem, arthritidem pluraque mala aut oboriri, aut revocari poſſe pluribus exemplis comprobare poſſemus, a terrore animi deliquia, ſyncopen, tremores artuum, menſium ſuppreſſionem, nervorum reſolutiones &c. Quo plures autem & graviores cauſæ concurrunt, eo pejor in corpore humano reſultabit effectus. Qui ex iracundia febrem cholericam incurrunt, non ſine periculo ægrotant; at gravius & longe periculoſius ægrotabunt, qui paulo ante nimio mero aut ſpirituoſis indulſerunt, aut qui ſtatim poſt iracundiam nimiam frigidæ copiam epotant. Ruſtici ſæpe ſæpius inani, ſed non minus gravi & vere panico terrore percelluntur, ſi inter ambulandum ſubito ventorum turbinibus obruantur, aut ſi poſt frigidum aërem ſubito tepidiuſculum hauriant; effectu profecto admodum ſiniſtro, immo ſæpe periculoſiſſimo; nam ſtatim inter horrores & motus febriles, a vano & inani terrore obortos, inſigniter intumeſcit corpus, cum ſumma virium dejectione & laſſitudine. Hinc eſt, cur illorum medicaſtri, ſi cauſam morbi cujuſcunque ignorant, ſtatim audacter pronuntient: *der Krancke iſt in einen böſen Wind gekommen*, immo ſpectris & phantaſmatibus cauſam morbi tribuant, quæ ſoli debetur terrori. A triſtitia affectus melancholicos, hypochondriacos, hyſtericos,

 eoſdem

eoſdem alioſque etiam ex intenſis protractis deſideriis progigni, nemo eſt qui dubitet. Aſt ex gaudio & lætitia morbos apud nos procreatos fuiſſe, nedum ſubitaneam mortem, quale exemplum matris romanæ ex improviſo aſpectu filii, quem in prælio ad Thraſiménum lacum occubuiſſe putarat, præ gaudio ſubito mortuæ tradit Livius, nobis hactenus non patuit.

TANTUM.

GUSTAV.

CCXXII.

GUSTAV. HARMENS

ET

JOAN. FIELLSTROEM

MEDICINA LAPONUM.

Lond. Gothor. 22. April. 1734.

PROOEMIUM.

Quemadmodum hoc verum eſt, omnes in univerſum homines morbis eſſe obnoxios, nec ullas dari nationes ab his plane immunes, licet aliæ minus, aliæ huic, aliæ viciſſim illi morborum generi magis expoſitæ videantur: ſic ex hac inevitabili neceſſitate, & ex philautia illa naturali, qua ad conſervationem vitæ ſuæ quisque ducitur, omnes ſemper in id anxii laboraverunt, ut aliquas ſaltem medendi artes, quamvis non ſemper adæquatas, invenirent, quibus ſanitatem vel tueri vel morbos tollere poſſent. Huc ſpectat non modo medicina illa, quæ inter excultioris ingenii homines, a medicis cordatis & rationalibus exercetur quotidie, verum etiam empirica iſta medendi ars, quæ intra vulgus, imo quæ intra gentes barbaras minusque excultas uſu recepta viget. Hæ enim quamquam medicis & medicina, proprie dicta ſint deſtitutæ, conſiliis tamen & remediis ſuis domeſticis ſibi invicem ſuccurrere ægrotosque ſublevare quacunque ratione conantur. Hujus indolis (ſi quæ ulla) certe medicina eſt Lapponum, cujus adumbrationem in hac qualicunque diſſertatione ſiſtere mihi mens eſt. Argumentum autem hoc eo arriſit magis, quo majorem ejus occaſionem mihi dederint exempla clariſſimorum medicorum, qui ad locupletandam hiſtoriam medicam ſedulis obſervationibus patefecerunt medendi methodum certis etiam nationibus præ ceteris conſuetam, nec non remediorum genera his familiaria, eademque vel noxia vel utilia. Equidem fateri non erubeſcam, me ſummorum medicorum veſtigia non poſſe vel premere vel digne ſequi; interim tamen hos, quantum gigantes pygmæus, æmulaturus; hoc jam ſuſcepi laboris, ut breviſſime quidem & pro virili exponam morbos medicinamque Lapponum, idque partim ſecundum ea, quæ mihi, licet puero, per biennium fere inter ipſos obſervare licuerit; partim etiam ſecundum relationes, quas deinde per iteratas ſæpe literas ab amicis, & imprimis a fratre Germano (qui ipſe jam aliquot annis in Uma Lappmark moratus eſt) mihi colligere contigit. Benevolum autem lectorem ut his conatibus, lineamenta potius, quam completam hiſtoriam repræſentantibus faveat, obſecramus. Plura forſan in futurum, ſi Deus vitam facultatesque benigne largitus fuerit, ſpondemus.

§. I.

NEminem latere exiſtimamus, ſitum obtinuiſſe Lapponiam polo admodum vicinum, unde per ſe liquet qualis heic cœli temperies, ſcilicet jam frigidiſſima, jam iterum calidiſſima ſecundum anni viciſſitudines. Frigus hybernum prorſus eſt ingens & acerrimum, nec tolerabile, niſi iis, qui a teneris perferre didicerunt. Unicum adducam exemplum, unde fas ſit concludere, quanta ibidem frigoris vis. Obſervavi nempe hyberno tempore, quomodo arbores imprimis abietes & pini, quæ hic frequentes inveniuntur, vi intenſiſſimi frigoris a radicibus usque ad ſumma cuneo quaſi in duas finderentur partes, quod vehementi cum fragore fieri ſæpe ſolet. Æſtivo iterum tempore, quando hi inoccidui per aliquot menſes fruuntur ſolis lumine, calorem ſentiunt non minorem. Aperte hoc teſtatur Schefferus (*a*) præeunte Joh. Tornæo, *tempore*, inquit *æſtivo*, *quando ſol ingreditur cancrum, ingens exoritur calor*, *cujus ſine dubio cauſa ex eo eſt*; *quia ſol nunquam occidit*, *ſed tota nocte lucet clariſſime*, *atque ita nec calor quidem ceſſare poteſt, verum durat tempore æque nocturno ſicuti diurno.* Huic æſtivi caloris exceſſui merito debetur etiam præcox illa feſtinatio, qua terra hæc alias gelida ſatis, brevi admodum ſuos ad maturitatem perducat fructus, gramina atque herbas, quod miraculi inſtar ſemper habitum fuit peregrinis (*b*). Neque ſilentio prætereundum prorſus exiſtimo, quod plerique, qui hic ſpirant venti terreſtres, ſicciores ſint, & pro mundi plagæ; annique tempeſtatis diverſitate nimio aut frigore aut æſtu adurant, præter unicum illum, qui ab occaſu venit, nebuloſum, & quoniam in tranſitu oceanum lambit continuo, humidiorem; ſed quoque rariorem; nec diu durantem. Hunc certe ventum indicare videtur Schefferus (*c*) dicendo: *unum genus eſt*, *uti teſtati ſunt mihi*, *qui viderunt*, *ſurgens a mari, quod cum ſpirare incipit*; *denſas craſſasque media æſtate dieque creat nebulas, quibus longior omnibus proſpectus intercipitur. Hyberno autem tempore tantam nivium dejicit vim atque copiam*, *ut ſi quem deprehendat in campis*, *illi non aliud ſuperſit remedium*, *quam ut projectus in terram*, *veſte ſe operiat*, *obruique ſinat nivibus*, *donec tempeſtas deſiverit.*

§. II.

Aëris hæc temperies, modo frigida, modo ſicca & utraque in exceſſu, non poteſt

(*a*) *Confer. Lappon. Illuſtr. Cap. III.*
(*b*) *Confer. Bilberg de refract. Sol. inoccid. p.* 78; *Item Scheff. Lapp. Illuſtr. Cap. III p.* 20.
(*c*) *Vid. Lappon. Illuſtr. Cap. III. p.* 18.

poteſt non liquidiſſima expellendo condenſare humores, ſolidasque partes efficere rigidiores, unde endemicum & quaſi univerſale ſurget Lapponibus temperamentum ad melancholicum proxime accedens, hoc etiam ipſis maxime competere dilucide ſatis oſtendunt, tam eorum corporis habitus, quam animi mores. Prius enim quod attinet, ſunt Lappones, ſtatura corporis mediocres, ut plurimum vero breves, at non cubitales, ut quidem voluerunt (*d*), nec membris contortis inconcinni adeo, quemadmodum eos facit Iſac Voſſius (*e*); membra etenim illi omnino habent exacta proportione ſibi mutuo accommodata & optime convenientia, unde & ſumma in ipſis agilitas & pedum velocitas. Habitus corporis admodum eſt conſtrictus denſus atque ſiccus, qui manifeſtam præ ſe fert macilentiam. Nec mirum hoc quia frigus quod non ſinit eos pervenire ad proceritatem aliquam, non poteſt non ſuccum etiam naturalem ipſis denegando, reliquam molem minuere. Recte ergo Schefferus Cap. Cit. *ſicuti Lapones ſunt breves, ſic etiam macilenti, eſtque res prorſus rara inter ipſos homo obeſus.* Color corporis ex lurido ſubfuſcus eſt; capillos habent nigros atque ſpiſſos, idque præ reliquis ſeptentrionalibus magis commune, teſtatur & idem de ipſis Joh. Tornæus, dicens, ſe nunquam vidiſſe *præter unicum Lapponem capillis flavis.* Pectus habent latum, inque membris vis & robur tantum, quod longe ſuperare videtur ipſius corporis molem. Unde etiam Damiamus Goës ipſos appellavit nervoſos, quemadmodum & illud annotavit Schefferus eodem Cap. V. *Longe validiores*, inquit Petrus Claudii *ſunt hi, quam homines vulgo alii, quod ex ipſorum colligitur arcubus, quos Norwegus quis vix ad dimidium intendere poteſt, quod ipſi faciunt:* (*f*) addimus & hoc quod hujus gentis corpora aſpera & dura non facile alterentur ad injurias aëris, hincque labores quosvis diutius ſuſtinere poſſunt quam multi alii. Præclare ergo Polypius Lib. 4. *Ita natura comparatum eſt, ut cœli habitationis conſimiles evadamus.*

§. III.

Corpore quamvis ſatis ſint robuſti Lappones, fortitudo tamen in ipſis nulla, ſed meticuloſitas & timiditas ſumma, quod jam pridem de ipſis notarunt varii autores; Olaus ſcil. magnus, Petrus Claudis, Paulus Jovius, quorum teſtimonia ſecutus Schefferus hiſce uſus eſt verbis: *gens Lapponum, ſupra quam quis credat, meticuloſa eſt & imbellis.* Ex hac meticuloſitate illud provenit, quod ſumma in ipſis deprehendatur promtitudo ad ſuſpiciones omnes & ocultas machinationes; ſtudent quippe declinare malum quod ſibi imminere ſuſpicantur cum damno, interdum etiam cum exitio ejus a quo ſibi metuunt. Animo quidem videntur tranquilli,

 ſed

(*d*) *Conf. Scheff. Cap. V. p.* 28.
(*e*) *Conf. Scheff. Lapp. Illuſtr. Cap. V.*
(*f*) *Conf. Autor. in Norweg. Deſcript. Cap.* 27. *Item Scheffer. Loc. citato.*

ſed ſi ſemel ad iram fuerint commoti ad reconciliationem deinde minus ſunt proni; imo oſorem ſuum perpetuo proſequuntur odio, cujus notabile exemplum exſtat apud Schefferum Cap. V. p. 33. Quod dominante illo melancolicorum vitio; avaritia laborent, ſatis eorum pecunias corradendi cupido & deſiderium denotat; ſi ergo dolo aliquem in commerciis circumvenerit, ipſum quoque ultro deridebit. De ſalacitate Lapponum præeunte Joh. Tornæo teſtatur etiam Schefferus, cujus hæc ſunt verba; *ſunt Lappones ad alia propenſi vitia magna; ſed peculiari modo ad libidinem*: vid. Cap. V. p. 38. & ulterius ex Heberſtenio; *Lappi ait quamvis ſale & pane aliisque gulæ irritamentis careant; multum tamen proni in libidinem eſſe perhibentur.* Ex omnibus hiſce facile apparere exiſtimo, temperamentum eorum præcipue eſſe melancholicum; licet negare non velim, idem aliorum temperamentorum miſcelas ratione parentum, educationis, & reliquarum circumſtantiarum admittere, quæ utique temperamentorum unicuique ſingulare non minus hic quam alibi efficiunt.

§. IV.

Victus Laponum quamvis ſimpliciſſimus, tamen ejusmodi eſt, qui optimum dat nutrimentum, atque multum bonumque generat ſanguinem. Utuntur vero alimentis non aliis, quam quæ ipſum natale ſolum & proxima ejus vicinia ſuppeditat, quorumque uſus & conſuetudo a longo tempore apud ipſos invaluit. Et ut paucis me expediam, communis inter ipſos in victu eſt uſus carnium urſorum, leporum, rangiferorum domeſticorum & ferorum, nec non ſylveſtrium & aquatilium avium ferarum, anſerum puta, anatum, knipanum, tetraonum, majorum minorumque. (*Kiädeae ock Orrar*) attaginum, lagopodum (*Ripor*) & aliorum ejusmodi animalium, quæ æſtate ſimul ac hyeme in tanta hic aluntur copia, ut non ſolum captura horum vivant ipſi; verum mercatoribus etiam vili ſatis vendant pretio. Horum animalium carnes recentes; aere vel fumo induratas lixando, interdum aſſando in uſum paratas comedunt Lappones ſine pane interdum etiam ſine ſale. Pari modo ab iis, præſertim a Lapponibus ſilveſtribus (Sveth. *Gran Lappar*) qui magis ex venatione & piſcatura victitant, piſces conſumuntur varii generis; his vero induratis & aſſatis non (ut vulgo creditur) loco fruuntur panis, ſed & obſonii & panis inſtar. Ex lacte rangiferorum caſeos conficiunt, quos in hyemem aſſervant. Lac vero ultima collectum æſtate; miſcent cum vacciniis rubris & chamætaxi baccis, quo facto maſſam hanc pulti formem viſceribus includunt rangiferorum, ſtomacho puta, vel aliis inteſtinis craſſioribus, ſicque frigori congelandum exponunt. Cum hoc deinde juſcula ſua condiunt hyeme, quo gratiora reddantur. Interdum etiam congelatum hoc absque prævia aliqua ſolutione comedunt; quemadmodum ipſe non ſemel obſervavi. Poſt confectionem caſei ex ſero lactis, pulmenta

menta parant, ubi loco farinæ, quam ipſi non habent nec deſiderant, ſumunt turiones pini contuſos, vel intimum liberum ejusdem arboris, quem aere exſiccatum ope piſtilli lignei in minutiſſimas contundunt partes; habetur vero utrumque hoc cibi genus ſumme ſalutare, hincque in vitiis ventriculi frigidis, inque morbis pectoris commendatur. Alterum modum, quo liberos pini arboris Lappones utuntur, his tradidit verbis Schefferus, teſte Samuele Reeng: *pinos proceras decorticare, præſertim ea parte, quæ vicina ſoli eſt, conſueverunt, & interiores capere liberos, inque tenuiſſimas membranulas chartæ inſtar, diviſas bene purgare, hos poſtea exponunt ſoli, ut fiunt aridi, tum eas in minutiſſimas lacerant particulas, quas conjiciunt in capſas majuſculas, confectas ex corticibus arborum. Capſulas repletas, ſic defodiunt in terra, ſabulo opertas vel arena, atque ita die integro ſinunt macerari ſuo calore. Deinde ſuperne ubi capſulæ ſunt defoſſæ magnum excitant ignem, per congeſtos caudices ſtipiteſque arborum, ita ſub terra liberi illi cocti colorem nanciſcuntur rubrum, ſaporem vero gratiſſime dulcem. Hoc ipſis condimenti loco in frequenti uſu eſt.* Forſan etiam pulmenta hinc conficiunt haud ſecus ac ex fructibus chamæmori Norvagici, quorum præparandi modus idem eſt, nec magis diſcrepat quam quod hos, pauca aquæ portione addita, primum leni macerant igne, ſicque cum ſuis vaſculis terræ demandant. Acetoſam vulgarem æſtate collectam in aqua decoquunt ad formam pultaceam, cui deinde refrigerato lac admiſcent rangiferinum atque ligneis capſulis ſervant; pulmenta hinc quoties lubet, parant vel juſcula ſua carnium eo condiunt. Quæ alia ſunt fercula peculiaria, brevitati ſtudens jam hic omitto, addita tantum mentione potus. Potus communis & ordinarius eſt aqua, quam etiam habent puriſſimam, fluvialem nempe & fontanam, adeoque ſaluberrimam; tempore vero hyberno, dum gelu condenſata jacent omnia, & ex hac ratione aliam habere non poſſunt; ex nive liquefactam hauriunt ejus loco. Ne autem ventriticulus vitium inde contrahat, fruſtulum interdum caſei eidem injiciunt aquæ ſub liquatione ad ignem. Spiritus vini quamvis Lappones ſint aviddiſſimi; optime tamen eo carere poſſunt. Utuntur vero hoc potus genere præſertim in conviviis ſuis & nuptiis, quas circa tempus nundinale potiſſimum celebrant, quo tum ſimul pocula hilaritatis pleno gutture hauriant ſupini. Herbæ tabaci denique adeo ſunt avidi, ut ejus acquirendi cauſa periculoſiſſima ſœpe & multorum milliarium itinera absque hæſitatione inſtituant. Nec ſemel obſervavi ipſe, quomodo Lappones crumenas ipſas, herbæ repoſitoria, dilacerantes, partem unam poſt alteram maſticabant, usque dum ſaporis aliquid hujus aromatis iſti ineſſet.

Xxxx 3 §. V.

(g) *Vid. Lapp. ejusd. Illuſt. Cap. XVIII. p. 218.*

§. V.

Data jam aliquali adumbratione ſitus, loci, temperamenti, atque vitæ generis Lapponum, ordo tandem poſtulat, ut propius accedamus ad conſiderationem morborum, qui inter ipſos vigent. Sicuti autem ſanitas conſiſtit potiſſimum in motu æquali & moderato ſanguinis, legitima craſi & qualitate gaudentis, ita morbus fit a ſanguinis & humorum motu impedito, inæquali, aucto, atque turbata naturali mixtura, ob quantitatem excedentem non modo humorum per ſe utilium, ſed etiam deficientem, eorundemque qualitatem quacunque ratione depravatam. Sanitatis ergo firmatæ idæa petenda eſt ex proportione inter movens ſive vires motrices, quæ ſunt in nervis, & inter ſanguinem, & humores contentos in vaſis. Ex hac enim proportione læſa, omnis exſurgit fons morborum materialis. Ad producendam autem tam plethoram, quam cacochymiam, non tantum multitudo ciborum major, quam corpus ferre poteſt, ſed etiam laborum intermiſſio confert. Dici quoniam vix poteſt, quam ſanitati ſit amicus moderatus corporis motus & membrorum exercitatio. Ex hac ratione robuſta corpora, in quibus validus celebratur motus, ciborum copiam bene poſſunt ferre, digerere, ſuperflua ejicere citra ſanitatis diſpendium; imbecilla vero, quibus parum motus & vigoris ineſt, iisdem non ſine damno utuntur; ob defectum enim digeſtionis & egeſtionis, copia ſeri & ſanguinis impuri in venis progignitur, quorum utrumque amplus eſt fons morborum, tam chronicorum, quam acutorum. Tria ergo ſunt quæ ad malam concurrunt diætam: primo major ciborum multitudo quam corpus ferre poteſt; ſecundo laborum intermiſſio; & tertio ciborum multa varietas. Aſſertionem hanc veram eſſe Lapponum victus ratio ſatis oſtendit. Nam hi robuſta habent corpora, quæ non facile alterantur ab aeris injuria. Victu etiam, quamvis gaudeant ſimplici, aqua ſcilicet, caſeo, lacte & carne ſub motu corporis continuo, ſanitate longe præſtant iis, qui delicatis variis in otio fruuntur cupediis; vividiores hi obſervantur in provecta ætate, quam alii in juventutis fine. Nec inſolens eſt inter ipſos videre, qui centeſimum ſuperavit annum, plerique vero ſeptuagenarii & nonagenarii alacres adhuc permanent adeo, ut negotia ſua domi foriſque promte expedire poſſint. Morbos, qui humorum putrefactionem conſequi ſolent, omnino ignorant. Febres continentes malignæ, petechizantes & epidemicæ, ab aeris malignitate propullulantes, nunquam illos infeſtant. Nec ſcorbutus, lues venerea, lepra aut alii ejusmodi affectus fœdi ipſis adhuc innotuere; febribus intermittentibus raro, rarius adhuc variolis & morbillis laborant. Recte itaque Schefferus Cap. 27. *Lappones*, inquit, *tametſi aſpere duriterque vivant, tamen commodiſſima fruuntur valetudine. Morbos ignorant pleroſque, nec iis quidem infeſtantur, qui alias totas gentes ſolent populari. Febres ardentes nullæ, nulla peſtis inter ipſos.* Præterea quod hic de peſte aſſerit, illud

etiam

etiam mox confirmat ex teſtimonio Olai Petr. Niurenii Cap. 9. cujus hæc verba. *Ante aliquot annos peſtilens lues ſecuta eſt cannabim in Lapplandiam, ſed præter fœminas nendo eam maſticantes neminem interemit*; rationem quoque ſufficientem addit dicendo, *frigus enim ſeptentrionale facile venenoſum halitum diſſipat.* Et ſane ex eadem hac ratione cæteros quoque borealis plagæ inhabitatores, ab hiſce morbis contagioſis immunes judicandi ſunt. De Ferrœenſibus hoc verum eſſe, jam dudum notavit Thom. Bartholinus: *peſtilentia*, inquit, *nulla incolas inficit nec febris, propter ventos varios*; *quibus purgatur aer. De febribus obſervatum, quæ alibi medicamentis curari non potuerunt*, *huc delatas ſine remediis aliis exſtinctas fuiſſe.* Conf. Act. Med. Haff. Tom. I. pag. 86.

§. VI.

Morbi vero Lapponibus familiares ſunt dolores arthritici, rheumatici, iſchiadici, pleuritides, peripneumoniæ, nec non alii catarrhoſi affectus, cum vel ſine febricula quadam moleſtantes. Originem hi ducere videntur a diſſipata per aeris injurias liquidiſſima ſanguinis portione, & inde proveniente reliquorum humorum impedita magis circulatione; cui ſi accedat major fibrarum contractio a frigore externe vaſis incumbente, humores in corpus retrogredi neceſſum eſt, & hinc paſſim ſtaſes, congeſtiones & ſpaſmi oriuntur, quales in pleuritide, peripneumonia & febribus catarrhalibus &c. quotidie obſervamus. His autem morbis Lappones eſſe obnoxios cordatorum virorum teſtimonia ſecutus Schefferus (*b*), paucis indicat verbis, *frequentiores eorum morbi ſunt pleuritides*, *dolores in dorſo & pectore*, *capitisque vertigines.* De oculorum etiam morbis idem auctor, ex teſtimonio Ol. Petri Neurenii: *morbus*, inquit, *frequentiſſimus unus eſt ophthalmia & lippitudo oculorum*, *unde non raro in ſenectute cæcitas.* Quando vero ab ignis aſpectu & a fumo, quibus tuguria eorum quotidie ſunt repleta originem mali deducit, eam nos non agnoſcimus ſolam; nam ſi hoc verum eſſet, utique fœminæ, domi & in tuguriis ſemper verſantes, præ viris, qui magis frigori ſe exponunt, morbo hoc frequentius laborarent, ſed contrarium ſemper obſervatur. Seroſos ergo hos affectus potius ex aeris injuria ejusque rigiditate nimia derivandos eſſe, duximus.

§. VII.

Quamquam præterea tuſſes, raucedines, febres catarrhales, qui morbi circa autumnale & vernale tempus non minus hic quam alibi frequentiores quoque obſervantur, ab humida tum & frigida ſimul aeris conſtitutione accidere videmus; inficias tamen ire non poſſumus, Lappones perverſo

(*b*) *Conf. Lappon. Illuſtr. Cap.* XXVII.

verſo ſuo vivendi more, dum terra ſcilicet nive obducta & vigente hyeme, nudis curſu certare ſolent pedibus, morbos hos & ejusmodi alios ſæpius contrahere, quam ſolo aeris vitio. Idem etiam verum eſt de pleuritide, quæ media etiam æſtate invadit ſœpe; licet enim exceſſus frigoris, nec non caloris, quem utrumque climati Lapponum proprium demonſtravi, id habeant commune, ut diſſipatis liquidiſſimis, & inde aucto humorum attritu ad vaſa, inflammatorios morbos producant, frequentiores tamen occurrunt ex alio Lapponum imprudentiæ documento, quatenus hi nempe lotione æſtate delectantes, præ ſudore diffluentia membra, ſubito aquæ frigidiſſimæ immergant. Quid ergo mirum ſi ex ſubitanea hac mutatione in motu humorum tam progreſſivo, quam inteſtino magnæ alterationes & anomaliæ oriantur, hincque excretionis negotium turbetur inſigniter.

§. VIII.

Quemadmodum itaque Lappones præ multis aliis optima gaudent valetudine, nec periculoſis multis laborant morbis, ſic pauciſſimis utuntur remediis. Gens etiam cum ſit barbara, illiterata & incondita plane, certos non habet medicos, quos nationes plerumque aliæ; ſed unaquæque hic mater familias, quando neceſſitas poſtulat ſuæ domus & familiæ eſt medicatrix. De medicamentis etiam non ſollicitæ ſunt aliis, quam quæ ſibi ex regno ſuo vegetabili vel animali facili negotio acquirere poſſunt, & quorum uſum medicum multorum annorum experientia comprobarunt. Verbo tota hæc ars, quæ pauciſſimis abſolvitur, mere eſt empirica, & pro fundamento nihil agnoſcit, præter traditionem majorum longo uſu confirmatam. Inter medicamenta ergo interna uſitatiſſima primum locum jam mereri videtur angelica ſativa major C. B. quæ Islandica & Norvagica Dodon. & Tabernæmontano, atque ſcandiaca aliis quoque dicitur. Creſcit hæc ibi montanis uliginoſisque locis ſponte, neque cultura opus habet ulla, vid. ſis Sim. Paul. Flor. Dan. pag. 164. a vulgari officinarum vix differt. Radix enim eſt rugoſa oblonga, ſed minor ſativæ, ſaporis eſt ſuaviter amaricantis & aromatici odorisque fragrantis. Caules qui duplici conſtant ſubſtantia, medullari ſcil. & lignoſa, quando ad juſtam pervenerit magnitudinem planta, cubitales vel etiam bicubitales florent ultimo Junii. Herbam hanc Lappones, quia ſummopere ea delectantur etiam in cibis, ſuam dicunt vocabulo *Samigiærd*, quod ſignificat herba Lapponum; nomine vero peculiari & proprio magis ipſam appellant *Posko*. In uſu apud ipſos eſt non radix ſola, verum etiam caules, ac inprimis flores tenelli nondum explicati, ſed calyce ſuo tanquam nodo incluſi. Quorum uſus & præparandi ratio ex iis quæ jam ſequuntur, patebit.

§. IX.

§. IX.

Primo nempe flores teneros, in quibus totius plantæ virtus concentrata quaſi latet, prima æſtate, & antequam e ſua vagina eruperint, colligunt, collectos ſtatim excipiunt ſero lactis rangiferino & decoquunt, donec conſiſtentiam extracti cujusdam ſpiſſioris nanciſcatur, quod uſui ſervant. Eſt quidem extractum hoc ſaporis ſubamari, non tamen ingrati quod non ſemel ipſe expertus teſtari poſſum. Uſus vero medicus hic eſt. Admiſcent extractum hoc larga doſi jusculis carnium recentium, quo facto, ægrotis, interdictis pro re nata aliis alimentis, menſuras aliquot hujus juſculi medicati ſubinde calide hauriendas præbent; & quando jam hic copioſi ſubſequantur ſudores, illos pro bono habent ſigno, unde ſpes recuperandi ſanitatem ipſis affulgere videtur. Hæc methodus medendi conſueta eſt ipſis in febribus inflammatoriis catarrhalibus, nec non aliis affectibus ſeroſis quibuscunque. Præterea cum inſigne ipſis habetur ſtomachicum & tonicum, fluxu quando laborant alvi cum torminibus vel ejus conſtipatione, extractum hoc lacti admiſcent rangiferino cocto, ſicque ſub forma electuarii vel pultis larga doſi aſſumunt. In defectu vero lactis idem faciunt cum caſeo rangiferino in aqua ad pultaceam conſiſtentiam prius ſoluto atque cocto. Quoniam ſanitati adeo conducere exiſtimant extractum hoc, eadem ratio quoque videtur, quod juſcula ſua carnium, in uſum quotidianum parata eo ſæpe, ceu ſalutari condiant aromate, haud ſecus ac ſuperius monui de uſu fructus Chamæmori Norvagici atque acetoſæ. An vero medicamenti loco acetoſa aliquando utantur, hoc neque propria experientia neque aliena auctoritate affirmare poſſum. Omne vero quod dictum eſt, de florum uſu, idem de caulium recentium non decorticatorum intelligendum, quorum præparandi modus ex Scheffero, teſte *Sam. Reen* ſequens eſt, *caulem*, inquit, *qui nunc incipit velle ſemen proferre abſcindunt, eumque coquunt cum ſero lactis per diem integrum donec colorem ſanguinis referat.* Confer. Cap. XVIII. pag. 222. Jam ulterius etiam de caulium uſu hæc pauca ſubjungere juvat. Recipiunt eodem tempore, quo flores colligunt, interiorem molliorem & ſucculentam caulium angelicæ ſubſtantiam, quam ſecundum longitudinem in tenuiſſima diſſectam filamenta aeri exſiccandam exponunt, quo facto, ipſis vocatur *Fathno*, Weſtrobotnienſibus vero *angelikæ-græs* item *Lapp-Græs* quod bene diſtinguendum eſt a *Lappsko-Græs*, quo calceis & chirothecis immiſſo, Lappones muniunt pedes manusque contra frigoris inclementiam vid. ſis Scheffer. Cap. 31. p. 363. Nec hoc iterum confundendum cum planta, quæ dicitur calceolus Mariæ, & ob ſimilitudinem quandam cum calceolo Lapponico. *Lappsko-Græs.* Sed ut redeamus. Ex Fathno hoc Lappones iisdem in pectoris morbis pulmenta parant lacte, juſculis item carnium coctum, non aliter ac ſuperius dictum eſt de uſu extracti ex caulibus vel floribus parati, immiſcent. Neque in victu quoti-

diano hæc pulmenta omittunt, quippe quæ dulcis admodum ſunt ſaporis optimeque nutriunt. Mulierculæ vero Lapponum hoc Fathno tanquam bellariis ſapidiſſimis maxime delectantur. Unde nulla urgente neceſſitate illud maſticatum deglutiunt. Ad itinera etiam ſe parantes crumenis ſuis hoc proſpiciunt ſemper; ſuntque non minus illæ hujus avidæ, quam viri Tabaci, quo nunquam carere poſſunt. Æſtate ſi quando tuſſi, raucedine, aliisque pectoris affectibus corripiantur, præſentiſſimum remedium ipſis ſunt caules recentes, hos enim tum ſub cineribus fervidis, leniſſimo ſuperinpoſito igne aſſatos, & poſtea a corticali ſubſtantia liberatos, non ſine optato effectu comedunt. Referuntur & hi caules aſſati inter ipſorum delicias. Radices quoque colligunt juſto tempore & in aere exſiccatos contra catarrhoſos affectus maſticando & ſubinde deglutiendo uſurpant, absque ullo vehiculo. Torminibus item ventriculi vel diarrhæa laborantes, in defectu extracti hujus herbæ, radices contuſas & cum juſculis carnium vel piſcium coctas, addito interdum fruſtulo caſei, hauriunt. Ad deſiderium tandem tabaci fraudendum, in defectu ejus, has radices maſticant Lappones, deperdito autem ſapore, iterum rejiciunt, aliumque renovant bolum. Ex dictis ſatis apparet, quod Lappones hujus herbæ virtutes fere omnes non minus uſu ſibi cognitas habeant, quam medici, qui uno quaſi ore dicunt herbam hanc eſſe alexipharmacam, reſolventem, aperientem, attenuantem & ſudorificam. Circa uſum etiam non multum errant, niſi forſan in eo, quod medici cordatiores dicant eam minus eſſe tutam, ubi inſigniores adſunt motus febriles: humores enim exagitando calorem auget.

§. X.

Alterum anticatarrhale & cephalicum ſimul eſt muſcus quidam f. ſpecies lichenis, de cujus uſu ſic accepi a fratre meo. „Naſcitur hic muſcus „quidam, quem Lappones in lacte coctum uſurpant non ſolum in victu „quotidiano, verum etiam in morbis pectoris capitisque dolore. Muſcus „certe hic idem eſt, quem Schefferus deſcribit: „ Cap. 27. *in omnibus*, inquit, *morbis internis uſurpant radicem muſci alicujus*, *quam ipſi vocant Jerth*, *vel in defectu ejus*, *caulem angelicæ*. Confirmatur adhuc magis noſtra ſententia ex alio ejusdem auctoris teſtimonio ubi de muſcis in Laponia: *oblatus eſt nobis* quintus (muſcus) *foliis latioribus longioribusque*, *quem Lappones Fathna vocare putantur*, *contra animi deliquium conducens*, *ſi juſculis bibatur contuſus* (*i*) Cum vero auctor ipſe exiſtimet, hunc non pertinere ad muſcos, ſed potius eſſe tenuiter ſectæ angelicæ particulas, obſervandum eſt, eum hæſitaſſe circa vocabulum *Fathna*, quod proprie ſignificat caulem angelicæ exſiccatum, male autem a relatore muſco huic indito.

(*i*) *Vid. Cap. XXXI. Lappon. Illuſtrat.*

indito. Ablato enim hoc ſcrupulo res clara evadit. Sed objiciat adhuc quis, muſcum hunc non eundem eſſe cum ſuperiori Lapponum *Jerth*, quem Schefferus non muſcum, ſed radicem muſci vocat; at reſpondemus, facili negotio hoc conciliari poſſe, ſi modo attendamus auctorem hic quoque commiſiſſe errorem mali narrati: quis enim rei botanices paululum peritus neſcit, Lichenes ſeu muſcos radicibus proprie ſic dictis deſtitui; fibrillasque tantum tenuiſſimas habere, per quas a terra ſuccum accipiant nutritium. Hiſce ergo conciliatis, locus tandem natalis & virtutes datæ aperte oſtendunt, τὸ Lapponum *Jerth* eſſe eundem muſcum, quem inter innumera fere alia exotica, pariter ac indigena rariora ex omni mundi angulo curioſe conquiſita, in Herbario ſuo vivo ex Norlandia allatum ſervat celeber. Vir naturæque ſagaciſſimus myſta, archiater regius & profeſſ. D. D. Kil. *Stobæus.* Hunc enim mihi, pro ſummo, quo me ſemper proſecutus eſt favore, communicavit ſub titulo Lichenis S. Muſci Islandici eſculenti & pulmonaris; & quidem cum hac definitione. *Muſcus eſt latifolius membranaceus & ramoſus, foliis lactucæ criſpæ quodam modo ſimilis, ſemine & flore carens. Invenitur in Islandia, Lapponia, nec non reliquis regionibus ſeptentrionalibus.* Virtutes pariter ejus enumerantur his verbis: *quoniam optime nutrit, tabe confectis commendatur, populi etiam ſeptentrionales non tantum panes inde coquunt, verum etiam pulmenta cum lacte conficiunt.* Nec alium credimus muſcum catharticum Islandorum, de quo Thom. Barthol. in Act. Med. Hafn. Tom. I. pag. 126. *Fert Islandia*, inquit, *muſcum, nulli hactenus botanicorum cognitum, quo inſulæ coloni primo vere utuntur ad expurgandos humores corporis noxios; reliquo vero æſtatis ſiccatum in farinam comminuunt & pulmentariis admiſcent, exſpirante demum vi purgatrice & ſuccedente alimentaria.* Ex manuſcripto quodam gratioſiſſime mihi Carolin. noſtræ Rect. Magnif. maxime Reverend. S. S. Theol. Doct. Henr. Benzelius communicavit modum, quo Norlandi pulmenta ex hoc conficiunt, qui talis eſt: *muſcum a ſordibus bene purgatum injicias aquæ calidæ, quam poſt unam alteramve ebullitionem iterum decantes & abjicias, ſuperinfuſa deinde frigida eum aliquoties laves, quo facto, muſcum minutiſſime conciſum in lacte per horulæ quadrantem decoquas, addito ſub fine parum ſalis, ſi placet parum quoque cinnamomi.* Curioſe & circumſpecte non adeo Lappones ſua inde parant pulmenta, negligunt enim hi præviam lotionem, interdum etiam ſal, multo magis aroma iſtud, cujus nulla ipſis cognitio. Cibarium vero hoc dulcis quidem & grati ſaporis eſt, optimeque nutrit; verum cum multis conſtet particulis pinguibus & oleoſis, diu comeſtum tædium aliquando parit. Num Lapponibus cognita ſit vis illa purgandi, qua recens hic muſcus gaudet prima æſtate, certo affirmare non audeo, veroſimile quidem videtur.

Yyyy 2 §. XI.

§. XI.

Inter medicamenta pectoralia apud Lappones etiam venit reſina abietis, qua hac ratione utuntur: hanc æſtate, quando liquida exſudat ex arboribus, colligunt; urgente deinde neceſſitate, commiſcent cum pinguedine iſta, quæ olei ſimilis ex caſeo rangiferino toſto exprimitur, ſicque eam in aſthmate, tuſſi & raucedine calide hauriunt, adjuncto pro vehiculo carnium juſculo; externe vero idem hoc remedium adhibent contra perniones & ad tumores duros emolliendos & reſolvendos, idque cum ſucceſſu optato. In vulneribus ſordidis non minus quam recentibus eandem hanc reſinam ſubactam cum ſevo rangiferino emplaſtri vel unguenti loco applicant. Schefferus itaque hujus remedii compoſitionem neſciens: *vulnera*, inquit, *non alio curant unguento, quam reſina ex arboribus exſudante.* Item ex relatione Plantini. *Reſinam emplaſtri loco adhibent, quando ictu vulnerantur.* Globulos pariter vel pilulas piſi majoris magnitudine inde formant, quorum duos, tres, aut plures ſucceſſive devorant dyſuria vel ſtranguria laborantes. Veriſimile videtur uſum hujus reſinæ didiciſſe Lappones a vicinis Norvegis: nam idem fere de ipſis commemorat Thom. Bartholinus in Act. Med. Haff. Tom. I. p. 41. *In Norvegia*, inquit, *picem liquidam ex abiete incolæ propinant cum cerevisia in febribus malignis magno cum ſucceſſu. In vulneribus ſordidis periculoſiſſimis pulvere iſtius ligni & muſco quoque utuntur.* Reſinæ iterum pini arboris quamquam non adeo frequens eſt uſus in medicina, mulierculæ tamen Lapponum ob gratum, quem inde percipiunt ſaporem, maſticando ea maxime delectantur. Id autem commodi eas hinc habere credimus, quod reſina hæc balſamica ſua virtute fœtorem oris & gingivarum laxitatem præcaveat, quin imo dentes a carie conſervet, reddatque albiſſimos. Et forſan hæc ratio eſt quare mulierculæ hæ raro laborent odontalgia. Quicquid ſit, nos tamen ſatis mirari non poſſumus, qua ratione barbara hæc & illiterata plane gens exhaurire potuerit virtutes balſamicas, diſcutientes, & reſolventes, quæ communi medicorum conſenſu ejusmodi arborum reſinis tribuuntur.

§. XII.

Unicum adhuc adducam exemplum medicamenti interni ex regno vegetabili deſumti, cujus mentionem facit frater meus his verbis. Creſ„cit hic in Lapponia quibusdam in locis arbor quædam foliis frangulæ „quodammodo ſimilis. Baccas habet ſubnigras, quæ interne aſſumta „ingentem adeo excitant calorem, ut quo ſe vertat patiens neſciat. Vir„tutes harum in eo conſiſtunt inprimis, quod ranas, quæ caſu in ho„mines

(†) *Lapp. Illuſtr. Cap. XXVII. pag.* 310.

„mines irrepſerunt, enecare valeant; duos homines hoc malo laboran-„tes baccarum ope reſtitutos pro certo dicunt.„ Quamquam ex deſcriptione quæ ſatis eſt manca, æquum non adeo videtur concludere, quænam hæc ſit arbor; tamen ex baccarum definitione, earumque effectu facile apparere exiſtimo, arborem vel fruticem hanc eſſe Thymilæam C. B. ſeu Laureolam fœminam officinarum. Nam creſcit hæc non tantum in hortis culta, ſed etiam in montibus & collibus ſilvoſis foliis lauri deciduis. Baccas quoque profert rotundas pipere majores, unde etiam piper audit germanicum; primo quidem baccæ hujus arboris rubeſcunt, mox vero per maturitatem ad nigredinem accedunt. Proſtant etiam hæ in officinis noſtris venales vocanturque grana cocci gnidii vel. Mezerei. Svet. *keller Halls.* item *keller hals Bär:* & ſub eo nomine ruſticis quoque noſtris notiſſima, qui tribus interdum granis deglutitis febrem intermittentem vel hydropem non ſine vitæ diſcrimine curare conantur. Ex hac itaque plebejorum conſuetudine, qui vel heroica ſemper quærunt remedia, vel etiam contraria ſtudent, crederem Lappones æque ac noſtras agricolas hiſce uti baccis non tantum iisdem in morbis, ſed etiam in malo melancholico & hyſterico, quando ſimul perverſa illa phantaſia luctantes credunt, ſe ranas vel alia animalcula viva intra corpus fovere; quorum exemplis praxis noſtra clinica quotidie fere augetur. Jam obſervamus ergo fabuloſam illam traditionem de animalculorum irreptione in homines penes omnes nationes & populos fide eſſe receptam. Quod autem in vulgus non adeo eſt mirandum, cum dentur medici ipſi, qui, neſcio quibus argumentis innixi, fabulam pro vero ſibi & aliis obtrudere ſatagunt.

§. XIII.

Qualitates illas emollientes, diſcutientes & reſolventes, quæ communiter omni caſeo ex cujuscunque animalis lacte parato tribuitur, quando externe applicatur, Lappones quoque in ſuo rangiferino deprehenderunt; quod teſtatur uſus ejus medicus frequentiſſimus. Nam primo oleo illo, quod ex caſeo exprimitur aſſato, contra tumores quosvis externe utuntur, hincque præſentiſſimum remedium contra perniones, de quo Schefferus (*l*): *quando membra*, inquit, *frigore adurantur*, *medicinam ipſis præſentiſſimam exhibet caſeus rangiferinus*, *cui ferrum candefactum intrudunt*, *& quod mox*, *educto illo*, *exſtillat veluti olei*, *illud illinunt læſo membro ſucceſſu & virtute incredibili.* Idem hoc comprobat teſtimonio Olai Petri, cujus hæc verba. *Si aliquando membrum frigore lædi contigerit; caſeus ille inſtar laminæ ſeu folii calefactus & applicatus medetur optime.* Pari modo hunc caſeum aſſatum ad tumores duros reſolvendos mammis applicant lactantium non ſine euphoria. Externe quoque imponunt pectori-

(*l*) *Vid. Lappon. Illuſtr. Cap. XXVII. pag.* 310.

ctoribus infantum, non aliter ac mulierculæ noſtræ faciunt cum ſevo hircino, quando parvuli tuſſi corripiuntur gravi. In eodem hoc pectoris affectu caſeum iterum lacte rangiferino coctum ſub forma pultis vel pulmenti, non ſine optato effectu tam infantibus, quam adultioribus præbent. Teſtimonio Schefferi hoc probatur ulterius ubi ſic; *idem caſeus*, inquit, *lacte coctus, tuſſim levat & quæ alia pulmonum pectorisve vitia ex frigore oriantur.* Præterea calefacientem in caſeo deprehendentes virtutem, ſtomacho eum valde prodeſſe crediderunt; hinc ſæpe juſcula ſua carnium, quæ ipſis vocantur *Lebma* caſeo hoc condiunt, non tantum, quo gratiora inde reddantur, ſed ut hoc pacto ſimul frigida ventriculi vitia corrigantur. Ex eadem hac ratione, qui ditiores ſunt inter ipſos, fruſtulum caſei decoquunt in aqua, quæ pro potu ordinario haurienda eſt, quod inprimis faciunt hyeme cum aqua nivali, uti ſupra dictum eſt. Hunc potus parandi modum certe fama accepiſſe videtur Olaus Petri ubi hæc: *ſtomachum, ne perdatur continuo aquæ potu caſeus ille præſervat.* Comprobant ergo Lappones ea, quæ in encomium caſei ſchola loquitur Salernitana:

Ignari medici me dicunt eſſe nocivum,
Sed tamen ignorant, cur nocumenta feram,
Experto reor eſſe ratum, qua commoditate,
Languenti ſtomacho caſeus addat opem.

Eſt autem caſeus hic rangiferinus grati ſaporis, quo etiam maxime accedit ad eum, quam noſtræ mulierculæ conficiunt ex lacte ovili, pinguior tamen iſto, unde paulo diutius aſſatus fere in oleum abit, quod a frigore non condenſatur magis, quam oleum olivarum.

§. XVI.

Fel urſi cum noſtrorum & reliquorum populorum ſeptentrionalium ſit quaſi theriaca & panacea, de uſu equidem ejus ſingulare quid notandum nunc occurrit: utuntur enim hoc Lappones interne contra omnes morbos promiſcue, inprimis vero quando torminibus & colica flatulenta vexantur, ubi methodus adhibendi eſt vel cum juſculis carnium vel cum ſpiritu frumenti ſolutum. An etiam felle hoc externe utantur in ulceribus ſordidis abſtergendis, illud ut minus cognitum intactum relinquo. Satis vero ipſis cognita eſt facultas illa calefaciendi, roborandi, reſolvendi, emolliendi & diſcutiendi, quæ communiter pinguedini adſcribitur urſi. Nam utuntur hac unguenti loco in doloribus arthriticis, iſchiadicis, nephriticis, ipſaque adeo paralyſi & aridura. Hujus rei fidem his verbis facit frater meus: „contra dolores quosvis externarum partium, „ſive ſint brachiorum, ſive lumborum, dorſi vel crurum, cum aliqua „nervorum tenſione inungunt ſe Lappones pinguedine urſi vel caſtoris.„ Medicamentum hoc locum habere in allatis morbis quis negare poteſt; conſtans

conſtant enim pinguedines horum animalium, præter oleoſas particulas, ex ſale volatili copioſo adeoque penetrantiſſimæ ſunt virtutis, præſertim ad roborandos nervos in paralyſi, unde etiam non pauca ingrediuntur unguenta nervina. Uſum caſtorei internum & externum fere negligunt Lappones ipſi; qua ratione hoc fiat neſcio, vix equidem credo ex ignorantia virtutis, potius vero ex deſiderio lucri, quod vendito illo ſe capturos ſperant. Magis autem notatu dignum videtur remedium ex cauda caſtoris paratum; de quo amicus quidam oculatus equidem teſtis hæc, quæ ſequuntur narrabat: „ ſumunt Lappones caudam caſtoris, hanc per quam adipoſam, in minutiſſimas diſſecant partes, inque ſartagine lento„ calore frigunt, haud aliter ac in olei ovorum præparatione fieri ſolet, „ quod hic jam redit olei, id exprimunt fortiter & cochleatim hauriunt vel„ per ſe vel cum ſpiritu frumenti, interdum etiam cum juſculis carnium.„ Fertur hoc præſentiſſimum eſſe remedium ad promovendam ſuppurationem & eruptionem abſceſſus, angina ſi quando laborent.

§. XV.

De remediis tandem ophthalmicis hoc tenendum; quod in omnibus oculorum morbis unguenti loco Lappones adhibeant fel cygni, aquilæ, aut lupi; habetur etiam hoc ipſis remedium probatiſſimum, quemadmodum illud accepi a fratre meo. Quamquam vero rationem reddere non poſſumus, quare Lappones horum animalium fella præprimis ſeligant, nihilominus notitiam ſuam medicam in hoc quoque morborum genere non inepte prorſus produnt, quod etiam eo magis eſt mirandum, quoniam in hoc conveniunt cum medicis nonnullis, qui non tantum pro ſcopo abſtergente in ulceribus ſordidis, ſed præcipue etiam in oculorum affectibus commendant fella animalium. Etenim dantur paſſim apud medicos formulæ remediorum ophthalmicorum ex fellibus animalium paratorum. Sic ver. gr. Valent. Kræuterman, præmiſſis præmittendis, in leucomate vel albugine ſequentem commendat formulam. Rſ. Aq. fœnicul. Unc. iii. Fell. Anguill. inſpiſſati drach. un. & S. Sacch. Canth drach. i. M. F. Collyrium D. Sr. *Man tüncket eine Feder ein*, *und rühret damit die* albuginem *des Tages zweymahl.* Ulterius aqua fellis deſtillata locum invenit non tantum in hebetudine auditus, ſed etiam in ungue, nebula, & oculorum cicatricibus delendis, quæ etiam viſum acutiorem reddere perhibetur. Eſſentia iterum fellis bovini inſpiſſati cum ſp. vin. parata, præter uſum coſmeticum ad poliendam cutim, lentigines & maculas hepaticas tollendas, propter alcali volatile egregiæ habetur virtutis in oculorum morbis, ubi nimia peccat ſeroſitas. Sed in genere vero de medicamentis ex animalium felle confectis notandum eſt, quod, quicquid de illis prædicant nonnulli, cum grana ſalis in praxi accipiendum ſit; nam medicamentum cum valde ſit acre larga manu adhibitum ſeroſos affectus

affectus ſi non in inflammatorios transmutet, tamen dolores exacerbare poteſt, quemadmodum practici obſervarunt celebriores. Solent etiam Lappones hos ſeroſos oculorum morbos hac ratione curare; ſumunt nempe lapidem ſelenitidem, quem, facta leni calcinatione, in pulverem redigunt ſubtiliſſimum, humoresque exſorbendi gratia oculis aſpergunt non ſine optato effectu.

§. XVI.

Abſoluta ſic hiſtoria medicamentorum, quibus Lappones interne vel externe utuntur; pauca tandem addere lubet de operationibus eorundem chirurgicis. Inter operationes chirurgicas, quarum nos aliquam habere potuimus cognitionem notiſſima eſt illa, quæ inurendo inſtituitur per ipſorum *Duxulet*; attentione autem eo magis digna videtur hæc operatio, quoniam qua uſum & encheireſin adeo convenit cum Ægyptiorum Goſſipio ignito & Sinenſium moxa (cujus applicationem Moxiburium vocat *Bæchler*. Cynoſ. Med. Tom. II. pag. m. 584.) ut vix ullo modo differre videatur, unde etiam pene diceret aliquis, noſtros artem hanc ab his didiciſſe. Methodus jam hæc medendi, ut clara percipiatur magis, operæ forſan pretium erit hic rurſum inferre omnia momenta, quæ huc faciunt. Primum itaque quod Lapponum refert *Duxulet*, illud eſt fomes, Suet. *Tunder*, ſubſtantia fungo igniario durior, friabilis, coloris ex flavo rubeſcentis, ad ignem concipiendum aptiſſimus. Deſumitur hic ex Agarico Betulino, qui pedis equini figuram utcunque referens truncis harum arborum adnaſcitur, inprimis ex ea parte, quæ meridiem ſpectat, quia melioris habetur virtutis in medicina. Volentes jam inurere aliquam partem corporis ex fomite hoc conum ſibi formant, cujus longitudo ſolet eſſe ſemi uncialis, latitudo vero baſeos trium linearum vel paulo ultra. Faſtigio hujus admota ſcintilla loco imponunt amburendo, quo facto brevi mora depaſcitur; cremato jam hoc ejusdem magnitudinis alterum eodem in loco inſtaurant, comburique permittunt; poſt hunc ſubinde etiam tertium, donec ſatis factum judicaverit aut is, qui inuſtionem patitur, aut qui eam dirigit. Nonnulli unicum tantum in quavis operatione applicant conum, qui tum in ſua proportione eſt major, ſed methodum hanc rejiciunt plurimi, quia fonticulus ſuſcitatus fit juſto major, hincque ſubſequens exulceratio moleſta magis: ſub ipſa inuſtione partes circumjacentes undique comprimunt (haud ſecus quam Ægyptiorum (*n*) Pyroſophiſtæ) annulo ferreo forcipis vel clavis cujusdam, hocque faciunt eum in finem, ne dolor ex igne ſentiatur valde, ne conus accenſus de loco dimoveatur ſuo, neve calor ignis vi ſua expanſoria in ſuperficiem & peripheriam late magis, quam in ipſam carnoſam ſubſtantiam, quod deſiderant, agat profunde. Ajunt etiam ſe in anteceſſum & ſub ipſo uſtionis

(*n*) *Vid. Proſp. Alpin. de Medic. Ægypt. L.* 3. *C.* 12.

nis actu prædicere poſſe, an operatio hæc in ægrotantis levamen ſuccedat, nec ne. Bonæ prognoſeos ſigna ſunt ſequentia. Imo. Si fungus ignitus ſuperficiem cutis tangens, emiſſis ſcintillis, de loco ſuo deſilire conetur. 2do Si cineres combuſti albeſcant. 3tio Si locus uſtus intumeſcat cum rubedine, carneque depaſta, mox ſubſequatur exulceratio cum materia ſeroſa & purulenta. Contrarii vero eventus ſigna ſunt; quando dictus conus perſiſtens in ſuo loco, ſine ſtrepitu ullo deflagret, cineresque ad nigredinem magis accedant. Imo quod magis eſt; quando cauterium hoc actuale vim ſuam cauſticam perdidiſſe videatur, quod carnem fere intactam relinquendo, cutim ſaltem in ſuperficie corruget, aut in cruſtam duram elevet absque ſupuratione ulla. Operatio hæc ipſis vocatur *Duæuli* hoc eſt (ut ita dicam fungiburium) Item *Boldi-Duæuli*, *Pæja-Duæuli*, quod ſignificat, inuſtionem pati, vel inſtituere cum fungo tali ignito.

§. XVII.

Si jam quæris, quibus in morbis locum habeat uſtio, reſpondetur, in omnibus promiſcue, in quibus in certo loco humores detenti dolores & actionis læſionem pariant, quo pacto pene omnes morbos, quos unquam Sinenſes aut Ægyptii uſtione curare conantur, Lappones etiam per ſuum *Duæulet* tentant. Laborantes enim arthritide, malo iſchiadico, lumbagine, rheumatiſmo, cephalalgia, odontalgia &c. irritis aliis remediis, ad uſtionem quaſi certiſſimum confugere videntur. Nec aliud certe indicare videntur verba „ fratris mei, quando ſic: cura per inuſtionem „ Lapponibus res eſt notiſſima & frequentiſſimi uſus contra quosvis dolo „ res, ſive ſint capitis, ſive dorſi, ſive brachiorum, lumborum, cru- „ rum, pedum &c. vel ubicunpue demum dolores & cruciatus in exterio „ ribus partibus ſentiantur". Locum etiam certum non minus quam Ægyptiorum & Sinenſium pyroſophiſtæ in ſingulis morbis hi obſervant, quod patet ex dictis Schefferi, quando eandem hanc medendi methodum his verbis delineavit: *ſi quos ſentiunt dolores in membris, loco affecto imponunt fomitem ignitum, ut ulcus extrahat humores vitioſos & ſic mitigetur dolor.* Clarius adhuc præeunte Plantino, paucis totam ſiſtit operationem: *vulgare hoc apud ipſos*, inquit, *remedium quod capiant fomitem, ſive fungum arboribus betulinis placentæ inſtar adhærentem, eumque accenſum igne imponunt eo loco ubi ſentiunt dolorem atque cruciatus quem ſi recte tetigerint, ultro deinde fungus ignitus reſilit, dolorque tollitur per exulcerationem ſubſequentem.* Si ergo locus variari debeat pro morborum diverſitate & dolorum ſenſatione, utique nulla pars fere corporis ab inuſtione eſt libera. Hinc etiam eſt, quod ego in Lapponia cum eſſem, memini me vidiſſe plurium incolarum faciem igneis cicatricibus fædatam, curam quoque aliquoties in brachiis, ſcapulis & cruribus inſtitutam vidi, quam-

 vis

vis tum temporis puer exacte habere non potui cognitionem morborum. Nec ſane exteris plane ignota videtur hujus cauterii Lapponibus uſitati applicatio; certe celeb. artis noſtræ magiſter D. G. E. Stahl (*m*) curam hanc innuere voluit, quando de fungo pyrophoro ſic: *ſo weit hat ſich der Vorwitz der Menſchen erſtrecket, das ſie auch zu Linderung de Schmertzen den äuſerlichen Anſehen nach gantz ungereimte Dinge erwehlet. Hiervon zeuget unter andern der Gebrauch* Moxæ; *an deren Stelle aber füglich ein ſtückgen Zunder - Schwamm genommen, der ſchmertzhaffte Theil damit gebrennet, und alſo Schmertzen mit Schmertz vertriebet werden kan.* Quid ex hac cura ſolatii, ipſi jam videant, credo equidem eos per dolorificam & crudelem operationem nihil efficere magis, quam ut dolores, hoc pacto paululum ſedatos in futurum cum fœnore & duplici invitent acceſſu.

§. XVIII.

An præſervative, an vero curative venæſectionem inſtituant Lappones, incertum eſt, prius quidem affirmarem ex dictis fratris mei ubi ſic: „venam ſibi ſecare permittunt Lappones chirurgo, qui fere ſemel quovis anno eam ob cauſam in Lapponiam proficiſcitur. Quando vero „chirurgus non adfuerit, venæſectionem ſibi invicem inſtituunt ipſi, ubi „loco lanceolæ utuntur cultello acutioris cuſpidis vel acu quadam, quæ „ipſis vocatur *ajme*, cuſpide trigona.

Modum applicandi cucurbitulas eundem fere retinent Lappones cum accolis ſuis bothnicis, qui talis eſt: ſumunt cornu quoddam bovinum duplici præditum orificio latiori ſcil. & anguſtiori; baſin hujus imponunt loco ſcarificando; anguſtius autem foramen ore excipientes aerem ſuctione attrahunt, quousque cucurbitula corpori adhæreat firmiter, quo facto, orificium hoc artificioſe claudunt vel digito, vel veſica madefacta, quam etiam ſub ipſa aeris attractione orificio ope linguæ aptant; elevatam jam hinc cutim cuſpide ſauciant cultelli, moxque iterum ſuper impoſito cornu, ſugendo ſanguinem iteratis vicibus, eliciunt. Eſt etiam methodus hæc adeo conveniens cum ea, quam *Proſper Alpinus.* Lib. II. Cap. 13, apud Ægyptios uſitatam tradit ut vix differat qua modum applicandi. Nec tandem ſilentio præterire potui ſingularem illam operationem chirurgicam, quæ Lapponibus inter arcana quaſi habetur, quamque inſtituunt laborantes tuſſi ferina, aſthmate humido, aut reliquis opplectionibus pectoris gravioribus. Tota hæc ars in eo conſiſtit, quod in his affectibus, aliis fruſtra adhibitis, extremitatem tandem uvulæ forcipe ſauciant ad copioſam usque ſanguinis profuſionem. Hoc autem arcanum nos ipſis relinquimus lubentes. Et hæc jam ſunt ea quæ in compendio de medicina Lapponum tradere volui. Cœtera enim minus adhuc cognita in futurum differre cogor.

FINIS.

EBER-

CCXXIII.

EBERHARDI ROSEN,

ET

LAURENTII MONTIN,

MEDICINA LAPPONUM LULENSIUM.

Londini Gothor. 29. Junii 1751.

§. I.

CUicunque regioni ſuam eſſe vivendi rationem, ſuam diætam & medendi artem domeſticam, ſaltim in nonnullis rebus, propriam & a circumjacentium diſtinctam, experientia convincuntur peregrinatores curioſi quotidiana. Cum vero neminem, in materia medica, vel paullo verſatum, quantum ab euporiſtis barbarorum & vulgi illa ceperit incrementi, fugiat; non mirum eſt ejuſmodi res perquirere literiſque ſedulo mandare, plurimis, maxime quidem medicis, ſuis ſub itineribus curæ cordique fuiſſe. Eodem ex fundamento in noſtra etiam patria, remedia morborum certis uſitata provinciis, adtento oculo intueri adgreſſi ſunt viri eruditi & de republica literaria optime meriti, qui & ubique quædam ſingulis familiaria invenere. In Lapponia autem, remotiſſima regni Sviogothici provincia, ignotam ſepultamque eſſe omnem Machaonis artem, multi, niſi libris & ſcriptis (*a*) tam olim, quam noſtro etiam ævo, editis de meliori fuiſſent edocti, facile ſibi perſuaderent. Magnorum, qui indefeſſam Lapponiæ dilucidationi impenderunt operam, virorum hac de re diſquiſitiones cum omnem in genere provinciam reſpiciant, in aliis atque aliis illius provinciæ locis haut raro diverſam; nobis unius tantum tractus, qui nomine *Lapponiæ Lulenſis* (*b*) vulgo venit *Medicinam*, (*c*) qualem partim oculis vidimus, partim relationibus conſentientibus accepimus, (*d*) in chartam calamo quantumvis feſtinanti conjicere, inutilis non viſa opera fuit.

§. II

Cognito corporis noſtri vivi & ſani, quam ſub *Phyſiologiæ* nomine ut partem artis ſalutaris primam ſalutarunt ſummi viri; ad maximam partem haut aliter ac anatomia huic ignota eſt genti. Etenim quid ſibi velint actiones vitales, immo quid pleræque (*e*) tam naturales quam anima-

(*a*) Quorum præcipua memoratu digna ſunt *Schefferi Lapponia illuſtrata*, *Linnæi Flora Lapponica* *Högſtröms Lappmarks beſkrifning*, & tandem *Fjellſtröms Diſſert. de medicina Lapponum.* Omnibus tamen hac in re facile palmam præripit flora lapponica, cum nobiliſſimus autor & hanc ſcientiam calluerit, & pleraſque Lapponias peragraverit, tandemque ſummo ſtudio res curioſas collegerit.

(*b*) Situm ejus ſupra urbem Luleam, ut res poſtulat deſignaſſe, noſtri quidem hoc tempore non eſt inſtituti.

(*c*) Ne mireris itaque, *L. B.* quod in hanc opellam quædam aut aliorum ſententiis contraria, aut antea profus non audita intrent, & alia, aliis locis magis convenientia, prorſus excludantur.

(*d*) Dum terram illam ad littora uſque maris Norvegici ante biennium fere pervagatus ſum

(*e*) Sciunt quidem, quamquam ruditer, corpus nutriri cibo, inutilia excretionibus alvi, urina & ſudoribus eliminari, procreationem ſobolis mediante genitura fieri, infantum nutritioni lac, organa ſenſoria ſenſationibus certis, ſomnumque viribus reficiendis eſſe dicata. Quo autem modo & quibus mediantibus inſtrumentis peragantur, non percipiunt.

males, ne minimum quidem cogitant. De ſanitate vero judicaturi, alacritatem vultus (*f*) corporiſque vigorem, agilitatem (*g*) & robur (*h*) examini ſubjiciunt. Staturam proceram (*i*) & membra ſucci plena populo, qui ut vix ſibi congruentia vili pendet, denegavit vehementiſſimum per hiemem frigus, denegavit copia ſpiritus frumenti a pueris (*k*) ingurgitata, denegavit tandem potus aquæ nimis frigidæ; unde maraſmum nullo contraherent negotio, niſi ſomnus diutiſſime protractus (*l*) fibras laxando medelam huic adferret malo. Exceſſus caloris æſtivi (*m*) quo jure locum inter cauſſas enumeratas mereatur primum, vitam penſitanti Lapponum opulentiorum quietam & inertem, quam ſuis ſub tentoriis die nocteque ſomno, & adſumtione cibi a phœbi urentis injuriis tuti tranſigunt, non difficulter patebit; ut reticeam aërem alpinum ſæpius humidum. Quemadmodum autem ſic, dum licet, in otio vitam tranſigunt, neceſſitate tamen preſſos quævis adgredi poſſe negotia maxime laborioſa, (*n*) edoctus ſum experientia. Strigoſa autem ut eorum corpora eiſe diximus, ſic color totius fuſco luridus eſt & crines nigricantes. Facies vero ſuperne lata, infra continuo adtenuata, malis collapſis, deſinens in mentum longum acuminato obtuſum, pleroſque Lappones Lulenſes (*o*) a Suecorum pleriſque diſtinguit.

§. III.

Diæta, ſeu *modus ſanitatem conſervandi præſentem*, huic hominum generi eſt ſimpliciſſima nullisque ſuperſtructa ſanitatis fundamentis, ſed conſuetudini a majoribus jure tanquam hæreditario acceptæ. Qua tamen ratione

(*f*) Lappones alpini omnes in univerſum, niſi morbis correpti, hilares ſunt, quin. & multi ex ſilveſtribus. Unde miror doct. *Fjellſtröm Diſſert. de Med. Lapp. p.* 4. §. 2. temperamentum cunctis deſignaſſe melancholicum.

(*g*) Teſtimonium hujus adferunt longa eorum itinera pedeſtria, dum una ſæpe die ſeptem ad octo milliaria emetiri pedibus poſſunt.

(*h*) In quo conveniebant omnes, qui certaminibus robur eorum ſunt experti, cives Lulenſes. Teſtantur hoc quoque Hö*Gſtr. Lapp. beſkr. Cap.* 8. §. 2. & *Fjellſtr. de med. Lapp. p.* 5. §. 2.

(*i*) Fatendum tamen erit, me ſemel, & quidem in alpibus, vidiſſe Lapponem trium ulnarum longitudinem ſuperantem; quod etiam haud ita raro evenire adfirmat Hö*Gſtr. Lapp. beſkr. p.* 142. §, 1.

(*k*) Parentes liberis, dum vix biennium adtigerunt, hunc porrigere liquorem ſæpius comperi ſub itinere Lapponico, dum per duos menſes intra illius terræ limites ſum vagatus.

(*l*) Æſtate ab hora nona veſpertina ad ſextam matutinam; deinde a decima ante meridiem ad quintam vel ſextam veſpertinam plerumque ſecure dormiunt.

(*m*) Ut contendit doct. *Fjellſtröm Diſſ. de Med. Lapp:* §. 2.

(*n*) Quod quoque commemorat *HöGſtröm Lapp. beſkr. Cap.* 8. §. 2. *Fjellſtr. de Med. Lapp. p.* 5. §. 2.

(*o*) Omnes fere mulieres magis adtenuatma faciem habere, obſervatu dignum videtur.

tione utuntur ſex rebus non naturalibus me conſiderare ordo jubet. Multum vitæ valetudiniſque tutelæ vel deſtructioni tribuere *aërem*; liberum nempe, purum mitemque priori; poſteriori vero ſtagnantem, heterogeneis inquinatum & haut temperatum, nemo non videt. Hinc Lappones alpini (*p*), dum æſtate in ſummorum montium convallibus habitant, vitam, longe ſalubriorem degunt, quam ceteri, qui vel pecoribus vel piſcatura victitant inque ſilvis remanent. Quemadmodum autem ut ab injuriis aëris corpus fieret immune, varia variis gentibus veſtimenta temperiei cœli adcommodata uſu venere; ſic quoque noſtri Lappones veſtitu gaudent proprio, (*q*) qui laxus & nullibi fere membra premens tanto magis naturæ videtur adaptatus, quo longius ab aliorum regni Sueciæ incolarum recedit. Tempore enim hiberno a corpore vim frigoris ingentem arcet tunica lanea, (*r*) collari (*ſ*) ejuſdem materiæ ſubjecto, medium cruris adtingens, cui alteram, immo ſæpiſſime pro ratione frigoris binas, e pellibus rangiferorum confectas ſuperaddunt; quas omnes leviter cingulo circa regionem hypogaſtricam conſtringunt. (*t*) Femoralibus laneis vel pelliceis utuntur anguſtis, longis ad talos extenſis; quibus calcei calce carentes factitio & ſicca interius veſtiti carice (*u*), adligantur hirſuti. Caput ſæpiſſime æque ac manus, tegmine (*x*) munitur pelleo pilis gaudente. Ita neceſſitate coacti, a feris rangiferiſque corpus pellibus, latere hirſuto aëri ſemper oppoſito, ſoſpes incolumeque in tanto frigore, ubi alias omnis ſuccus ſanguiſque humanus cito congelaſceret, ſervare didicerunt; cum eorum tentoria (*y*) huic inſervire uſui mini-

(*p*) Lappones, ſaltem Lulenſes diſpeſcuntur in *alpinos*, qui quovis vere alpes conſcendentes legitimas occupant habitationes, & *Silveſtres*, quibus territoria in ſilvis adſignata hoc interdicunt iter. Utrique conſiderandi erunt vel ut *Divites*, quibus magna ſuppetit copia rangiferorum, vel ut *pauperes*, dum piſcatura & venatione vitam ſuſtentare coguntur. Quod non obſervavit *Scheff. Lapp. ill p.* 215. *nec HoGſtr. Lapp. beſkr. Cap.* 4. §. 8.

(*q*) Illum deſcribit *Scheff. Lapp. ill. cap.* 17. *HöGſtr. Lapp. beſkr. Caſ.* 8. §. §. 4. *ad* 9. Et quamquam ab utroque diverſus diverſo ſexui tribuitur; tam parvam tamen haut raro inveni differentiam ut viros a feminis vix diſtinguere poſſem

(*r*) Qua induſii linei loco illos uti mihi videtur.

(*ſ*) Semper etiam viri hoc habent, & ad ſolemnitates argenteis lamellis fere obductum; quod *Scheff.* ignotum fuit. *Cfr. Lapp. ill. p.* 211.

(*t*) Viri ſemper ſupra cingulum elevant ſuas togas, ne infra genua pendeant, quod non mulieres.

(*u*) Interdum pectine parata, *Cfr. Linn. Fl. Lapp. n.* 328. *β.* interdum autem non; nunquam autem electa. ut habet *Scheff. Lapp. ill. p.* 267.

(*x*) Etiam alia adfert. *Scheff*, *Lapp. ill. p.* 209. ſed minus uſitata in hac Lapponia.

(*y*) Quorum deſcriptionem habet *Scheff. Lapp. ill. p.* 106. & 107. *Linn. Fl. Lapp. p.* 269. *HöGſtr Lapp. beſkr. Cap.* 5. §. 10. Poſterior *Scheff.* contradicit, quum hic Lappones piſcatores caſas habere tabulis ligneis, vel anguſtis trabibus ceſpitibus tectis dicat; poſterior tamen modus per omnem ſilveſtrem Lapponiam Lulenſem locum habere vidi; licet prior, cum aſſeribus, ſalius omnino ſit.

minime valerent. Hunc veſtitum, æſtate adpropinquante, retento tantummodo laneo, ſenſim deponunt, & calceos nominatos cum coriaceis (*z*) integumentumque capitis cum cucullo commutant laneo. Cubile (*a*) tandem calidum magis, quam molle ſemper quærunt, ubi denudati cubitum eunt in pelles rangiferinas, quibus ſubſtrati ſunt rami betulæ eisque imponunt tegumenta lanea pelliceaque a Rangiferis vel feris (*b*) deſumta, ut tempus ſomno otioque, (*c*) nulla obſtante neceſſitate graviori, terant.

§. IV.

Parcimoniæ *victus* æque laudabili ſanitatique proficuæ deditus eſt hic populus. Satietatem enim unum (*d*) raro duo, bis de die, mane nempe & veſperi, (*e*) adſumta, illis adferunt fercula. Et non hoc modo; verum quod memoratu inſuper dignum judico, per dimidium fere anni unico contenti ſunt cibi genere, eodemque ſimplici ſæpiusque levi. Etenim Lappones ditiores a vere ingruente, dum partum edunt vaccæ rangiferinæ, ad hujus loci autumnum lacte (*f*) illorum pecorum, ſerove, (*g*) quod ſæpius fit, caſei cum pauca quantitate lactis ſemper concocto, victitant. (*h*) Reliquo anni tempore carnibus avium, generis tetraonis (*i*) &

(*z*) In quo unico cum veſtitu Weſtrobotnienſi conveniunt

(*a*) Deſcribunt hoc *Scheff. Lapp. ill. p.* 212. & 213. *Linn. Fl. Lapp. p.* 269. *HöGſtr. Lapp. beſkr. Cap.* 8. §. 10.

(*b*) Fateor quidem, tegmina e pellibus ovinis vel leporinis, quod olim *Scheſferus*, nuper vero *HöGſtröm* loc. cit. contendunt, a me per alpes vagantem nunquam fuiſſe viſa, novaccolis autem cunctis obſervaſſe propria.

(*c*) Artes nonnullas, quas exercent, rudiores quidem enumerat *HöGſtr. Lapp. beſk. Cap.* 4. §. 11. tamen ad uſus ſolum quotidianos & inevitabiles; adeo ut meliori jure me ejus verbis §. *praced* de illis prolatis uti debere exiſtimem: *De äro ond djur ock late bukar.* & *Cap.* 9. §. 7. hoc iterum adſtruit.

(*d*) Quod etiam *Nob. Linn. Fl. Lap. pag.* 269. felicem eorum vitam elegantiſſime depingens, teſtatur.

(*e*) Tempore æſtivo hora circiter 9. matutina, 7. vero vel 8. veſpertina.

(*f*) Huic ante coctionem adjiciunt unam tertiam partem aquæ, conſiſtentia tamen mediocris pulmenti permanente poſt ebullitionem. Quod tamen ferculis, quæ hoſpitibus offerunt, annumeratur pretioſioribus. Interdum quoque ipſum lac coagulatum, comminutum ac cum dimidia parte aquæ concoctum edunt.

(*g*) Eſt, quod obſervetur, dignum, omne in caſeum abire lac; adeoque quantum ſeri habere velint, tantum neceſſario adjiciant aquæ.

(*h*) Caſeo quoque, ſed parciſſime, nec quotidie, veſcuntur, lacte acetolato, quod tamen heri plerumque, ut cibum ſervorum, vili habent; corticeque intimo molli tam betulæ, quam pini, quem in palati potius oblectamentum, ac latrantis ſtomachi ſolatium, adſumunt. Corticem vero duriorem pini, terra maceratum, deglutire, ut vult *Scheff. Lapp. ill. p.* 218. ſi olim unquam, noſtris ſaltem temporibus apud illos non contingit.

(*i*) Tetraonem, qui grygallus minor *Geſneri*, pervagari omnes Weſtrobotniæ ſilvas, nihilo tamen minus fines vix unquam Lapponniæ intrare, res videtur curioſa.

& anatis, leporum, Urſorum, in primis vero rangiferorum, (*k*) qui totius eorum, quibus raro ulla eſt venationis cura, œconomiæ ſunt fundamentum, coctis (*l*) vitam alunt; quibus aquam, in qua caro elixa fuit, ſuperbibunt calidam. Menſam ſecundam interdum illis præbent caſeus rangiferorum, medulla, lac mixtum vel acetoſa Lapponica, vel umbellis angelicæ ſativæ vix expanſis, forma edendum liquida, & denique ipſum lac cremorve ſeri ebullientis ſive purum, ſive cum baccis vel rubi humilis, vel chamæmori norvegicæ, vel fragariæ, vel myrtilli minoris, vel vitis idææ, vel denique empetri (*m*) injectis ſervatum (*n*) ſæpiſſime forma ſicca. Pulmentum de ſanguine quod *Schefferus* & *Hogſtrom* (*o*) commemorant, nunquam vidi; de veritate tamen dubitare non audeo. Pauperes e contrario totum per annum cibum piſcatura & venatione comparare neceſſum habent ſemper plerumque unum eundemque; quamvis mutationem interdum permittat tantilla lactis ſupellex (*p*). Genera condimentorum fere innumera, gulæ iſta blandimenta, quibus nolentes etiam ad ingluviem perducantur, Lapponibus inuſitata ſunt atque ignota. Sal tamen facile hic exceperis, quod cuivis ſub coctione cibo manu ſemper addidere tam larga, ut ſæpe meo non placuerit palato. Panem, a noverca illorum cerere denegatum, avide, dum offertur, devorant; ejus tamen loco non edunt piſces exſiccatos. (*q*) Adeo autem illis non diſplicet panis, ut eundem non fermentatum, (*r*) ſupra lapides toſtum calidos, deliciarum inſtar, infantibus porrigere, vice plus ſimplici comperi. Natura demum, quæ iſtos ſua eſſe contentos ſorte juſſit, alium eis non deſ-

(*k*) Etiam aliorum pecorum, ut boum, ovium & etiam ſuum; ultimorum tamen caro exſiccanda abſque ſale impenſas lapponum, vermibus cum cito ſcateat, irritas reddit.

(*l*) Omnem cibum, etiam carneum, diu & ſufficienter coquunt, ut hoc quoque monet *HöGſtr. Lapp. beſkr*, *cap.* 6. §. 10. Hinc relationem de contrario falſam habet *Scheff. Lapp. ill. p.* 213.

(*m*) Modos pleroſque enumeratos, quibus lac ad futuros præparatur uſus, pluribus circumſtantiis deſcriptos habet in primis *Nob. Linn. Fl. Lapp.* ſub unaquaque planta.

(*n*) Vaſorum illis loco inſerviunt ventriculi & inteſtina rangiferina; in quæ, donec impleantur, loco infundibuli, ore abſumtum liquidum inſpuunt, fruſtulis tamen caſeoſis, ſi quæ lacti inſint, dentibus antea probe comminutis. Hoc in caſa ſuſpenſum fumo & calore exſiccatur, & caſeo exacte ſimile fit, quod ad ſaporem attinet.

(*o*) *Scheff. Lapp. ill. p.* 217. *HöGſtr. Lapp. beſkr. p.* 121. §. 7.

(*p*) Habent enim nonnullos rangiferos, quibus utuntur in itineribus hiemalibus.

(*q*) Ut habet *Scheff. Lapp. ill. p.* 218. Quod etiam refellit *Nob Linn. Fl. Lapp. p.* 251.

(*r*) Evidens hinc omnino eſt, farinacea quæ ſunt, a Lapponibus noſtris deſiderari; aliter quamvis viſum olim fuerit *Exper. D. Fjelſtrom in diſſ. de Med. Lapp ad calcem p.* 7. *& initio octavæ.*

deſtinavit potum, quam aquam (s) puram ac cryſtallo clariorem. Cum itaque Lapponum victus abſque condimentis & magna mixtione ſit paratus, ſæpiſſime celeriter digeratur, ac chylum producat laudabilem; quid mirum, ſanitate præ cæteris Septentrionis gentibus illos gaudere inconcuſſa? Quæ, me ſaltim judice, firmior longe foret, niſi hauſtus ſpiritus frumenti & uſus Nicotianæ (t) ferme effrenus corpus eorum redderent debilius.

§. V.

Quæ noſtrum intrant corpus, nunquam ad omnem ſuam molem illi adſimilari ſunt apta, ſed a machina microcosmica artificioſiſſime conſtructa modis eliminantur inutilia variis; quæ, ſi remanerent, acrimonia & putredine increſcente, corpus deſtruerent. Ideoque *excretiones* Lapponum non minus, ac ingeſta, perpendi debent. Communiſſima, quæ per alvum fit, ſemel haud quoque raro bis de die peragitur. Cum autem illam neque nimis liquidam, nec adeo eſſe duram conſenſu ipſi Lappones Lulenſes adfirmarint unanimo; ad hanc quidem gentem endemium putatum malum alvum adſtrictam, nullo jure referri poſſe palam eſt. (u) Adeoque aliis cauſſis ſpirtis, (x) a calore (y) corpora eorum exſiccante nimio, derivare illud velle, minime e re erit. Ipſum enim quod adtinet malum multis Weſtrobotnienſibus adeo familiare, a cibis ſiccatis crudis, (z) quos ſæpe ſine ullis liquidis coctis per plures dies edunt, ortum ad magnam partem ducit; id quod tamen æſtate apud Lappones inauditum vivendi genus eſt. Calor iterum aëris apud homines otium, ut ſummum bonum, quærentes vix ſudorem elicere, neque ex eo fundamento corpus exſuccum alvumque ſegnem reddere valet. Hinc a morbo iſto omni ratione ſunt immunes. Licet quidem omnes peregrinatores, Lapponiam intrantes ac inter ſolos degentes Lappones, initio adgrediatur tarditas alvi; longe tamen aliam agnoſcit ſui rationem, inſuetum nempe lac rangiferinum;

(s) In ſilvis fontes frigidi, in alpibus nix liqueſcens aquam Lapponibus præbet; quam eo meliorem, quo frigidior obtineatur, æſtimant. Hinc in jugis montium proficiſcentes eam cum nive mixtam ſemper potant. Injiciunt ei interdum fruſtum caſei, tempore hiberno, ut refert *Fielſtr. Med. lapp. p.* 9. § 4. Potum e baccis juniperi parari dicit *Mundius Bioxrbet p.* 554. ſed cum valide refellit *Linn. Fl. lapp. p.* 301, &c

(t) Hanc herbam viri nec non mulieres, ſenes juveneſque & maſticant, & fumigant, & pulverem ejus naribus excipiunt. Longa etiam itinera ad Norvegiam ejus cauſa adgrediuntur; ut confirmat hoc *Fieljſtr. Med. Lapp. p.* 9. §. 4.

(u) *Exper. Kalmeter in Diſſert: de communi ad ſeptemtrionem per æſtatem degentium malo, alvo adſtricta* §. 1. & 4. commemorat quoque Lappones.

(x) *Diſſert. cit.* §. §. 3, 4, 5, 6.

(y) *Diſſert. ejuſd.* §. 7.

(z) Hanc cauſſam in *Diſſert. cit.* §. 4. prolatam refellere tentat autor; utrum vero felici ſucceſſu, non percipio.

num, quod hac eſſe præditum vi, & propria & aliorum experientia mihi perſuadet. Urina propter copiam aquæ hauſtam eſt plerumque larga. Verum pro tempore anni valde differt tranſpiratio inſenſibilis; quæ, ſævo graſſante frigore, multum ſubprimitur, iterumque incrementa capit veri & æſtati æqualia, ut inſigniter tandem adaucta eo felicius acredinem, fomitem multorum morborum, per hiemem contractam expellat. De purgationibus mulierum ſolitis ſciſcitanti mihi reſponſo ſatisfacere noluerunt; teſte tamen Nob. D:no Arch. *Linnæo*, (*a*) frequenter inveniuntur, quæ ſuppreſſis illis laborent. De *motu* & *quiete* ut nunc tractarem, ordo me ducit; quoniam autem hæc in ſuperioribus (*b*) leviter tetigi, ad *adfectus* eorum dominantes conſiderandos pedem promoveo. Nullos autem vehementius deſtructionem corporis moliri, quam qui, vaſa minima contrahendo, ſanguinem violenter ad interiora pellunt; ut metus & terror palam eſt. Ambobus hiſce adeo obnoxii ſunt noſtri Lappones, ut a cauſſis, quamvis lævioribus, modo improviſis (*c*) & inſuetis (*d*) valide commoveantur; quod a tenſione nimia fibrarum, unde facilis ſpaſmus exteriorum, minimeque a laxitate erit derivandum. Nec has enumeraſſe commotiones animi ſufficit; felix enim alias iſta gens iracunda inſuper eſt (*e*) atque libidinoſa, (*f*) & quidem non raro in ſummo gradu. Qui omnes valetudini firmæ ita ſunt infenſi adfectus, ut unicus (*g*) forſan certa ibi graſſantia mala corporis progignere potis ſit.

§. VI.

Ut nonnulla quoque, etſi pauciſſima, de *functionibus corporis læſis*, ac *modo, illas certis cognoſcendi ſignis*, qui nomine pathologiæ vulgo venit, jam proferam, e re eſſe videtur. Sciendum autem erit, morbos per hanc ter-

(*a*) *Fl. Lapp. n* 4 15. *i.* ubi quoque dicit, ſe inveniſſe illas, quibus catamenia fluebant æſtate ſolum & non hieme. Quod ſi perpetuum eſſet, tranſpirationem inſenſibilem æſtate quam hieme minorem eſſe, facile quis crederet; contra, quam viſum fuit autori *cit. Diſſert.*

(*b*) §. 2. *lit. g.* & *n.* § 3. *lit. c.* §. 4. ubi de pauperum modo victum adquirendi agitur.

(*c*) Huic opinioni calculum addit *Nob. Linn. Fl. Lapp. p.* 262. *k* eoſque a tonitruante jove valde perterritos refugium ſub umbra betulæ capere inquit. *Ho Gſtrom* quoque *Lapp. beſckr: cap.* 9. §. 8. *Fielſtr. Med. Lapp.* §. 3.

(*d*) Sic gladio nudato metum per multos dies remanentem illis injicere potui, bombarda vero nunquam; quum poſteriori ſint adſueti. Zelotypia eorum teſtimonii loco adferri etiam meretur.

(*e*) Confirmat id *Hogstr. Lapp. beskr. cap.* 9. §. 4. etiam *Fielſtr. Med. Lapp.* p. 6. § 3.

(*f*) *Hogstr loc. cit.* §. 5. *Fielſtr loc. cit.* cauſſa omnino eſt vita quieta & alimentum nutrimento laudabili plenum. Quod poſterius male negat *Hebenſtr. Scheff. Lapp. ill. p.* 38.

(*g*) Nonne metus vel terror, ad morbos producendos rheumaticos quandoque ſufficit, ſi, per repentinum ſpaſmum producta ingenti vel ſanguinis, vel ſeri. Ut adeo quidem neceſſe non ſit, cunctas huc ſemper collineare cauſſas quas recenſet *D. Fielſtr. in de Med. Lapp.* 12. §. 6.

ram eo pauciores occurrere, quo minora incolis irritamenta gulæ conceſſerit natura. Adeoque morbis, (*h*) uno alterove cujuſque ſequentis claſſis excepto, nec febrilibus, ſive continentibus, ſive continuis, ſive demum intermittentibus; nec exanthematicis, ut peſte, petechiis, purpura, lepra & variolis, (*i*) nec deformantibus; quibus adnumerantur cachexia, ſcorbutus, hydrops & ſiphilis, neque rigidis & ſpaſticis, quorum peſſimi ſunt apoplexia & epilepſia, ut multa alia mala ſalubri populo incognita ſicco prætercam pede, vexantur Lappones noſtri. Qui vero ubique fere heic ſunt obvii, parvum non excedunt numerum, nec admodum funeſti habentur; ſi morbi infantum, quos videre mihi ſors non obtulit, excludantur. Incredibile enim quantum gentem hi devaſtent; ita ut partem dimidiam morientium conſtituant infantes tenelli, (*k*) qui primum vitæ annum non ſuperarunt. Tantæ autem ſtragis cauſſa in educatione recens natorum dura & fere crudeli, dum eos ſummo ſub frigore intra manus tenent nudos; (*l*) immo tempore vernali e balneo exceptos in lacum aut fluvium (*m*) demittunt, nullo negotio invenitur. Valetudini ſobolis hoc modo ingens addi robur ſibi perſuadent, errore quodam populari decepti parentes. Quibus enim huic tentamini reſiſtendi vires vitæ ſufficiant, firmiores quidem evadunt; reliqui vero, qui alias per plures annos in vivis eſſe potuiſſent, exſtirpantur. Adultiorum morbi præcipue ſunt phlogiſtici (*n*) & catarrhales; (*o*) qui ſui originem ingurgitationi aquæ nimium frigidæ, (*p*) ut opinor, debent. Præterea colica vel cum ſimplicibus torminibus, vel ſpaſmis violentis (*q*) conjuncta, fluor alvi, cephalalgia, ophthalmia, otalgia, odontalgia & perniones hanc affligunt gentem. (*r*) Morbos hoſce fere omnes a parte ſanguinis fluidiſſima diſſipata cum relictorum

(*h*) Recenſet plurimos ſequentium *Fielſtr. Med. Lapp. p.* 11. §. 5. Conferri quoque poteſt *Linn. Fl. Lapp. p.* 94. & etiam *HoGſtr. Lapp. beſkr. cap.* 10. §. 4.

(*i*) A Weſtrobotnienſibus unus alterve contagio hoc inficitur; quod tamen late non divagatur. *Cfr. HoGſtr Lapp. beskr. loc. nuper cit.* Sæpe æque rari ſunt morbilli.

(*k*) Nonne heic potius quam in alia ulla re latet vera ratio vix unquam increſcentis numeri hujus gentis?

(*l*) *Cfr. HoGſtr. Lapp. beskr. cap.* 7. §. 10. anno enim integro tenelli in incunabulis ſervantur, nullis induti veſtimentis, ſed undique Sphagno involuti. *Linn. Fl. Lapp. n.* 415. *lit.* δ. *Quo ſub numero hunc quoque deſcribit modum laudatus Autor.*

(*m*) Ut prope juga alpium vidi; ubi aqua erat frigidiſſima ob adfluxum a jugis conglaciatis.

(*n*) Pleuritis inprimis & peripneumonia; quod etiam habet *Fiellſtr. Med. Lapp. p.* 11. §. 6.

(*o*) Quos enumerat *Doct. Fiellſtr. Med. Lapp* §§. 6, 7. Raucedinem nimirum, tuſſim, rheumatiſmum, iſchiadem & amphimerinam catarrhalem.

(*p*) Non curſui nudis pedibus in nive, & lotioni, ut vult *Doct. Fiellſtr. Med. lapp.* § 7. nam rariſſime accidunt.

(*q*) Depingit eam vivis coloribus *Nob. Linn. Fl. lapp. pag.* 69. ε.

(*r*) Proxime ſuperiores omnes paſſim etiam commemorat *Doct Fielſtr. in Diſſ. de Med. Lapp.* dum in eorum occupatus eſt medendi ratione oſtendenda.

rum humorum circulatione impeditiori; unice derivare D: no Doct. *Fyellſtrom* [*s*] placuit; cum tamen longe quoque aliæ [*t*] revera dentur, quarum haut infrequenter unica talem producere effectum valet. Quum numerus morborum adlatorum tam arctis coërceatur limitibus; nemo non facile crederet, eos a Lapponibus exactius dignoſci, quam re ipſa fit. Verum enim vero nulla eis ſuppetit mechaniſmi corporis idea, nec ulla ab actionibus vel vitalibus; vel naturalibus; vel animalibus ſigna diagnoſtica; ſed ut a relatione ægri imperfecta cuncta dependeat res, neceſſe eſt. Hæc autem cum caſibus ſimilibus collata cognitionem dat maxime ſuperficiariam & vacillantem.

§. VII.

Qui tandem modus; & quæ leges medendi morbos ſupra dictos apud Lappones illos Lulenſes in uſu ſunt; nunc exponere meo conveniens eſt propoſito. Medicamenta e regno vegetabili & animali [*u*] depromta, in duas ſponte diviſa claſſes; pauca & ea ſimpliciſſima fere occurrunt omnia; quoniam medelam æque, ac cibum, e pluribus compoſitam gens ſimpliciſſima odit. Inter *vegetabilia* igitur, conſideratu digna, primum vere meretur locum angelica ſativa; [*x*] quæ; ut ejus uſus eſt vere inſignis, nonnullis in malis Lapponibus multum inſervit. Radix primi anni cruda vel ſecundi anni caulis; ad ſtimulandum ventriculum inertem, & motus colicæ ſpaſticæ [*y*] ſedan-

(*s*) *Diſſert. cit.* §. 6. licet non adeo conveniat cum hypotheſi *ſequentis* §. ubi cauſſas dat ſupra in lit. (p) adductas.

(*t*) Unicam tantum, *D: no Doct. Fiellſt.* ignotam, proferre ſatis mihi erit. Gordius, vermis ille, ruſticis ſub nomine, *onda bettet*, ſat cognitus, eſt vera cauſſa colicæ ſpaſmodicæ; ut in Lapponia obſervavi; quodque omnibus fere Lapponibus eſt res notiſſima. Cfr. *Diſſert. meam de Splachno p. 2. lit.* ε. Nec me erraſſe credo, ſi omnes morbos arthriticos in Lapponia ſævientes hinc deducerem. Nemo enim non novit, vermem iſtum perterebrare & carnem & membranas craſſiores; adeoque, dum periostium adtigit, & ſyſtema læſit nervoſum, ejuſmodi ſymptomata facile excitare poſſe. Præſertim, cum ſtaſibus vel depoſitionibus materiæ terreæ non adeo obnoxii ſint humores eorum aqua valde diluti. Tormina colica, a tænia excitata, apud paſtorem loci *Moden*, verbo tantum tetigiſſe ſufficiat.

(*u*) Regnum minerale ne unicum quidem medicamentum hiſce Lapponibus porrigit; nam ſelenitidem, quam pulveriſatam in ſeroſis oculis adhiberi profert *Doct. Fiellſtr. Med. Lapp. p.* 26. §. 15. in hiſce montibus rariſſimam ne vidi unquam, multo minus de ejus utilitate quidquam audivi.

(*x*) *Linn Fl ſv.* 233. In *Fl. Lapp. p.* 68. γ. adſerit Nob. Autor, Lapponum *Urtas*, *Fatno & Posko* eſſe proventum unius ejuſdemque plantæ; Hœgſtrœm, vero diſtinguit angelicam & Posko, *Lapp. beskr. cap.* 6. §. 2. in duas diverſas plantas; ſed valde erravit. Oſtendi ambas plus viginti Lapponibus, qui omnes eadem nomina eis imponebant; cum deinde non mei, ſed rei botanices ignari, erat, de horum nomine botanico dubitare.

(*y*) Cfr. *Linn. Fl. Lapp. p.* 68. ε.

ſedandos comeditur. Maſticatur (z) etiam non minus, ac ſelini radix, in defectu nicotianæ tam a viris, [a] quam mulieribus, ſalivæ provocandæ ergo. Cum lacte deinde concoquitur caulis aut flores nondum explicati; quod pulmentum in morbis catarrhalibus inflammationibus internis & diarrhœa ægrotis propinant. [b] Utrum vero caules aſſentur ad tuſſis compeſcendam, [c] nec ne, mihi omnino eſt ignotum. Dolendum valde eſt, Lappones ſilveſtres vitam, dum ſalubri hac planta conſervare ſtudent, lethali frequenter deſtruere cicuta. [d] Sequitur ſonchus Lapponicus; [e] cujus caule raro, niſi angelica careant, ad orexin excitandam fruuntur; quum & guſtui minus obſervetur gratus. In medicina Lapponica locum quoque adquiſivit nicotiana. Oleum [f] enim in colica ſpaſtica interne adhibetur. Pulverem autem nicotianæ cum una tertia parte favillæ juniperi, quam deflagratione partium extremarum rami recentis ſupra lapidem lævem parant, ut eo coryzam ſolvant & levent capitis dolores, uſurpant. Daphnidis [g] baccas duas, ad maximum tres, a laborantibus inflammatione vel vomica œſophagi, ut prior matureſcat, poſterior vero rumpatur, integre deglutiri, nonnulli dixerunt Lappones; quod periculum tamen ſæpius in Veſtrobotnia fieri, narrationibus mercatorum Lulenſium ſum convictus. Medicamen non tutius illis præbet ſtrychnidis ſemen; [h] cujus partem dimidiam probe diſſectam cum aqua vel ſpiritu frumenti adſumunt & Lappones & novaccolæ colica infeſtati. Hanc aliter quoque curari vidi: Salicis [i] corticem, epidermide abraſa, ſpatio aliquot horarum aqua coquebant, & decocti bene decantati libras circiter duas hauriebant cum inſuper devorata quantitate ſalis muriatici larga. Si porro illos dyſenteria, quod rariſſime accidit, adoriatur; hanc a Weſtrobotnienſibus edocti ſubprimunt aqua cinerum betulæ (k) una die & nocte frigide elixata, filtrata, ad libram vero ſemis quavis tertia hora epota. Ex ejuſdem betulæ, antiquæ tamen, excreſcentiis corticalibus ſuam moxam, ſeu conos igne infectos, panaceam illam plurimorum morborum dolorificorum egregiam deſumunt; quos parti admovent morboſæ, &, uno combuſto, ſecundum tertiumque adplicant,

(z) Confirmat *Nobil. Linn loc cit.* §.

(a) Aliter ac *D: nus Doct. Fielſtr.* qui *Diſſ. de Med. Lapp. p.* 16. de mulieribus tantum loquitur

(b) Ut etiam *D: nus Doct. Fiellſtr.* ſatis oſtendit *Med. Lapp.* §. 9.

(c) Quod habet *Idem p.* 16. §. 9

(d) Pro certo mihi retulit paſtor loci. *D: nus Moden*, Multos Lapponum ſilveſtrium in territorio Sockiock hoc modo perire

(e) *Linn. Fl. ſv.* 644. Uſus ejus mentionem injicit *Vir Nob Fl. Lapp. p.* 232, γ.

(f) De quo etiam, quaſi in tranſitu, narrat *Linn Fl. Lapp. p.* 69. ε.

(g) Quæ Pharmacopœis eſt *Coccus Gnidius* vel *Laureola.*

(h) A Pharmacopœis vocatum *Nux Vomica.*

(i) *Linn. Fl. ſv. n* 811.

(k) *Linn. Fl. ſv. n.* 776

eant. (*l*) Præter hæc emplaſtrum quoque ſuum (*m*) vulgare ad vulnera & ulcera, cujuſque demum ſint indolis, e cortice betulino tenuiori uſto & maſticato, quo vulgus per Sueciam auſtralem ad vaſa conglutinanda fictilia utitur, habent. Lichenes tandem filamentoſi (*n*) pedes excoriatos vel ſanant, vel ſiccando levamen ſaltim adferunt. Nullius autem lichenis, ne muſci quidem Islandici, (*o*) in hac Lapponia uſus invenitur internus.

§. VIII.

Vegetabilis ſic regni explanata medicina, ad *animale*, ut, quæ inde deſumantur, auxilia adumbrem, me ultimum converto. Inter uſitatiora venit fel urſinum, [*p*] quod in Lapponia Lulenſi ſacra quaſi eſt anchora; quo etiam membra ungunt dolentia. Æquale pretium habet caſtoreum liquidum; [*q*] quod quoque in omni fere inteſtinorum adfectu uſurpant. Sed & caudæ ejuſdem animalis pinguedinem adhibent; quam ad inflammationes maturandas cochleatim ægroto propinant. [*r*] Duram ſane gentique aptam medelam iſchuriæ de adipe phocarum cocto, filtrato & ad cochlearia duo vel tria iteratis vicibus hauſto, rariſſime ſumunt; quam per Weſtrobotniam vetulis (*s*) notiorem inveni. Oleum caſei rangiferini, quod ad ignem elicitur, quanta in inflammationibus externis tam mammarum, (*t*) quam aliarum partium [*u*] reſolvendis, in pernionibus [*x*] discutiendis, atque in reſtituenda cute excoriata [*y*] polleat virtute, neminem horum Lap-

(*l*) Moxæ hujus præparationem, adplicationem & uſum eleganter deſcribunt *Nob. Linn. Fl. Lapp. p.* 264. ϛ. *Doct. Fielſtr. Med. Lapp.* §§. 16 & 17. *Hogſtr. Lapp besk. cap* 10. §. 6.

(*m*) De quo agit *Nob. Linn. Fl. Lapp. p.* 265. ϛ. Alterum, quod e reſina abietis (botaniſis pini) & oleo caſei confectum interne in tuſſi & cæteris morbis adſumi commemorat *Doct. Fielſtr. Med. Lapp. p.* 19 §. 11 aut rariſſime, aut prorſus nunquam; apud Lappones Lulenſes in uſu venit. Sed reſina veræ abietis maſticatur. *Cfr. Linn. Fl. Lapp. p.* 278. ζ. & *Fielſtr. Med. Lapp. p.* 20.

(*n*) *Nob. Linn. Fl. Lapp. n.* 457. β. dicit iſtam ſpeciem adplicari, quæ eſt in *Fl. ſv.* 984.

(*o*) Ut vult *Doct. Fielliſtröm de Med. Lapp.* §. 10. ubi etiam cunctam in medium profert præparationem.

(*p*) De quo etiam mentionem injicit *Doct. Fiellſtr. Med. Lapp* §. 14

(*q*) Ad colicam ſpaſmodicam leniendam, ut verbo commemorat *Nob. Linn. Fl. Lapp. p.* 69. ε.

(*r*) Tradit quoque hoc *doct. Fiellſtröm med. Lapp. p.* 24. Ideoque ejuſmodi caudas a Lapponibus ſat care vendi non raro comperi.

(*ſ*) Hoc curavit vetula quædam chiliarcham Weſtrobotnienſium, *Nob. Dinum Widemeier*, laborantem graviſſima iſchuria, relictumque a chirurgis Tornoënſibus.

(*t*) Quod confirmat *Doct. Fiellſtr. Med. Lapp. p.* 22. §. 13.

(*u*) Ut faciei tumeſcentia cum inflammatione magna quam in duobus Lapponibus, hac medela ſanatis intra tres dies, vidi.

(*x*) Cfr. *Linn. Fl. Lapp. n.* 328. δ. *Fiellſtr. Med. Lapp. p.* 22. §. 13. & *HöGſtr. Lapp. beſkr. cap.* 10. §. 5.

(*y*) *HöGſtr. loc. cit.*

Lapponum latet. In morbis oculorum linimentum inhabitatoribus ſilvarum præbet fel aquilæ vel cygni. [z] Ex ordine avium etiam axungia urogalli majoris, (a) ſanando fracturas oſſium, populo huic multum inſervit. Nec heic ſilentio prætereunda ſunt vitella ovorum, e volatilium corporibus ante incruſtationem exemta, ſiccata, maſticata & aduſtis impoſita; quorum uſus valde proficuus ab omnibus hujus terræ Lapponibus laudem promeruit. Axungia porro viperina, pectori inuncta, inflammationibus ejus partis internis laborantibus ſolatium adferri, quamvis integre non tollantur, profeſſi ſunt multi. Immo cutis viperarum ut purgans præſtantiſſimum celebratur; quam ad magnitudinem unguis, [b] probe comminutam tam puerperis, quam aliis utriuſque ſexus hominibus, in obſtructione alvi cum aqua propinant. De operationibus chirurgicis, ut raſione interni lateris palpebrarum, [c] ſectione venæ, (d) cucurbitis [e] & ſauciatione uvulæ (f) forcipe facta, quæ in uſu eſſe, ab aliis putantur, cum nihil certi mihi conſtet; illas in medio relinquens, duas tantum adferam. Prior eſt cauta, ne quid ſit reliquum, eductio gordii, dum aliquam ſui partem extra cutem oſtendit; & poſterior tractio valida crinium circum totum caput in cephalalgia a crapulis, (g) vel alia quacunque cauſſa, quam maxime utilem venditant. Tandem Lappones hoſce ægrotos ſagas conſulere, (h) ſacrificia ſuis diis promittere, [i] vulgoque nomina in ſacro accepta lavacro commutare, [k] ne illos in poſterum cognoſcat ſummus Deus, verbo ſolum dixiſſe ſatis eſt mihi properanti ad diſſertatiunculæ hujus feſtinationem poſtulantis

(z) Cujus quoque mentionem facit *Fielſtr. Med. Lapp. p.* 25. §. 15. & *HöGſtr. Lapp. beſkr. cap.* 10. §. 4. Oleum autem Juniperi, de quo ibidem loquitur *HöGſtröm*, ut ophthalmico; non uſurpatur heic loci.

(a) Cfr. *HöGſtröms Lapp. beſkr. cap.* 10. §. 5.

(b) In maiori doſi adſumta habetur lethalis, inprimis puerperis, cum teſte eorum praxi, motus producat convulſivos.

(c) *Hœgſtr. Lapp. beſkr. cap.* 10. §. 5.

(d) *Fielſtr. Med. Lapp. p.* 30. §. 18.

(e) *Ibidem.*

(f) *Idem p.* 31.

(g) *Nob. Linnæus Fl. Lapp. p.* 278. *n.* narrat hanc etiam curari calefactione capitis ad ignem.

(h) Quod etiam confirmat *HöGſtröm Lapp. beſkr. cap.* 10. §. 8.

(i) *Idem cap.* 11. §. 18.

(k) *Idem cap.* 7. §. 12. Et non ſolum infantum, verum etiam adultorum nomina mutari, teſtatus eſt Paſtor loci *Modéen.*

F I N E M.

J. HERM.

CCXXIV.

J. HERM. FURSTENAU,

ET

JOAN. PHILIPPI PAXMANN,

SPICILEGIUM OBSERVATIONUM

DE

INDORUM MORBIS ET MEDICINA.

Rintellii 31. Mart. 1735.

OBSERVATIO I.

Spicilegium poſt meſſem inſtituere, uti in omni diſciplinarum genere, ita in arte cumprimis ſalutari juvat.

Scholion.

Amplam poſt meſſem rerum in omni doctrina pulcherrimarum, obviarum, reconditarum, utilium, neceſſariarum, jucundarum, æquo & induſtrio rerum ſcrutatori ſpicilegium uſque relictum eſſe, intelligentibus conſtat. Neque vero, id ut planum ſingulis & manifeſtum fiat, vel falcem in alienam mittendo meſſem, vel per varia ſcientiarum argumenta errando, inductionis ope, probationem aggredi neceſſarium erit, cum vel ſola ſervandorum hominum diſciplina, quod agamus, quod dicamus, ſcribamuſque, abunde ſuggerat. Ea vero, uti ex ſanioris philoſophiæ, qua naturam ejuſque affectiones mutationeſque ſcrutatur, fontibus originem trahens, obſervationibus ſedulo factis incrementum debet, ita earum non neglecta applicatione uſuque continuato adoleſcit magis, ſenſimque ad majus indies perfectionis faſtigium adſpirat. Hiſce vero circumſpecte adornandis erectioris viri ingenii nullo non tempore inſudarunt, & quæ circa corporum naturalium inque primis humani indolem, conditionem, varietatem ſenſuum miniſterio, viſuſque præſertim annotarunt, editis eam in rem anatomici, phyſici, medici, pathologici, ſemiotici, therapeutici argumenti haud contemnendis obſervationibus, cum erudito communicarunt orbe. Ingens equidem hic notatur diſcrimen, obvia nonnullis & ex trivio petita, vera, falſa, certa, incerta, viſu an auditu cognita corradentibus, aliis non niſi ſingularia, rariora, admiranda, & felici beata ſucceſſu enarrantibus, adverſos vero & funeſtos præſidiorum effectus aſtute celantibus; ſelecta denique, & veram ſpondentia utilitatem, triſtia pariter & læta, obvia ſimul & rariora, ſed vera utrinque & certa, ita ut eorum quæ ad rem pertinent, nihil temere omittatur, eleganti & concinna ratione tradentibus aliis. Ac licet iis, quæ ab integris collegiis & ſocietatibus litterarum ac ſcientiæ inprimis naturalis incremento dicatis, & ſeculo ſuperiori ac præſenti in Gallia, Britannia, Italia, Ruſſia & Germania paſſim erectis, hodieque vigentibus, eorumque membris & ſociis ſunt profecta obſervata, palma præ reliquis a multis tribuatur; re tamen penitus expenſa fatendum omnino eſt, in actis, ut communiter vocantur, in ephemeridibus, in annalibus, in miſcellaneis iſtis obſervationibus, annuo vel menſtruo ſpatio edi ſolitis vera non raro falſis, incertis certa, utilia minus talibus, rarioribus & ſelectis proletaria & ubivis obvia, malis miſceri bona. Mirum ut non ſit, tantam

tam poſt obſervationum meſſem, alios inter, doctiſſimorum Bigæ Medicorum, *Theodoro Kerkringio*, & *Franciſco Hildesheimio*, illi quidem anatomicum huic vero pragmaticum conficiendi ſpicilegium relictam eſſe provinciam. Neque vero etiamnum, neque inpoſterum inventis, dictis, enarratis, obſervatis aliquid addendi deerit occaſio. „ Multum enim, verba „ ſunt *Senecæ:* egerunt, qui ante nos fuerunt, ſed non peregerunt, mul„ tum adhuc reſtat operis reſtabitque multum. Natura enim, ſtudio quaſi „ quærentem fugit, & occultat, quod oſtendat reviſenti. Veniet tempus, „ quo iſta quæ nunc latent in lucem dies extrahat, & longioris ævi „ diligentia ".

OBSERVATIO II.

In hiſtoria naturali & medica Indiæ orientalis non deficit ſpicas poſt meſſem colligendi materies.

SCHOLION.

Illos inter, qui de aëre, aquis & locis Indiæ orientalis id quod ſenſibus uſurparunt, litterarum monumentis comprehenſum memoriæ prodiderunt, *Joſephus* a *Coſta*, *Jacobus Bontius*, *Wilhelmus Ten Rhyne*, *Andreas Cleyerus*, *Georgius Eberhardus Rumphius*, *Herbertus de Jäger*, *Engelbertus Kæmpferus*, ut reliquos, & qui botanica ſigillatim tradiderunt, *Chriſtophorum* a *Coſta*, *Carolum Cluſium*, *Garcium ab Horto* & ſimiles taceamus, nec ſine elogio commemorandi veniunt. Neque vero itinerum illuc a variis factorum relationes his prorſus ſunt negligendæ. Non pauca enim apud *A. Olearium*, *J. A.* de *Mandeslo*, *J. B. Tavernierium*, *J. Thevenotium*, *J. Sponium*, *Dellonium* alioſque occurrunt ſcopo noſtro apprime inſervientia. Sed uti hæc talia vaſtis plerumque operibus diſperſa non ſine labore plerumque colliguntur; ita poſt laudatiſſimos priorum in hoc opere conatus, & ſtudia indefeſſa illud diſſimulandum non eſt, inter multa egregia, uno ore adſerta & confirmata non pauca occurrere, quæ lectorem in illa autorum diſſenſione & repugnantia dubium dimittunt, id quod doctiſſimi *Kæmpferi* obſervationes exoticas, quibus complures veritates antea abſconditas in aprico poſuit, cum reliquis conferenti ad oculum patebit. „ Enim vero illuſtris Societas Indiæ orientalis Belgica, ut *M. B.* „ *Valentini* fidem facit, non ſine laudabili cautela legatos illos, aut, ut „ vulgo audiunt, commiſſarios ad plantationes ſuas alioſque locos tranſmit„ tendos primum ſacro jurisjurandi vinculo adſtringit, ut in relationibus „ ſuis nil niſi veritatem illibatam proferant, quibus ea de cauſa major „ ſemper fides adhibenda eſt. Quandoquidem vero & hi tales rerum natu„ ralium prorſus ſint ignari, atque de iis, quæ ad res mercatorias magis faciunt,

„ faciunt, ſolliciti tantum ſint: hinc tutius ab eruditis & curioſis in locis „ Indiæ viventibus ea, quæ ſtudium naturæ artiſque medicæ concernunt, „ & ab iis curatius & perfectius explorari poſſunt expetere atque expe- „ ctare poſſumus. Quem in finem tot membra S. R. I. Academiæ Na- „ turæ Curioſorum in Germania, Volckamerus ſcilicet, Schrœckius, „ Mentzelius (a Potentiſſimo Boruſſiæ Rege hunc in finem lautiſſimo ſti- „ pendio donatus) Schefferus, ut & inclytus Ludolphus aliique cum eru- „ ditis in orientali India, Cleyero, Jägero, Rumphio, ten Rhyne, ſimili- „ buſque commercium litterarium aluerunt, quorum obſervationes & epi- „ ſtolæ jam ex parte in Miſcellaneis curioſis occurrunt. Majorem vero „ lucem illæ nobis litteræ atque ſcripta fœnerari poſſunt, quæ poſterio- „ res in India ipſa orientali inter ſe reciprocarunt, quibus ſe mutuo æ- „ mulando, & in multis contradicendo ſe ad uberiorem & curatiorem „ inquiſitionem excitarunt, & ſtimulum non inutilem addiderunt: quo „ fieri non potuit, quæ alioquin in abſcondito manſiſſent, in apricum de- „ ducta fuerint". Sed cum & hi vel præjudiciis forſan occupati, vel relatio- nibus aliorum nimium confiſi fallere & falli potuerint, integrum nobis erit, quid veri falſique hiſce relationibus inſit, quoad per autopſiam mi- hi, Reſpondenti innotuit, per lancem quaſi laturam oſtendere, non eum quidem in finem, ut, quæ in locis remotiſſimis congrua deprehen- duntur, ſanitatis præſidia ad noſtra corpora imprudenter applicemus, ſed ut ex ſollicita omnium, quæ hic occurrunt circumſtantiarum collatione judicium acuatur, cujus maximam in languentium medela vim depre- hendimus.

OBSERVATIO III.

Aëris conditio in moderanda Indorum valetudine maximam obtinet efficaciam.

SCHOLION.

Aëris quænam ſit in India orientali ratio, ex ſitu ejus verſus ſolem diſcimus. Cum enim æquatori vel proxime ſubjaceat, vel ſaltem non adeo procul ab eodem diſtet quicquid orientalis nomine Indiæ venit, pro- no inde fluit alvo, id quod autopſia conſtat, perpetuum ibi æquino- ctium, regionum tamen diverſitate & majori vel minori ab æquatore di- ſtantia, quam latitudinem locorum, vel & elevationem poli appellare Geo- graphi ſolent, hic neutiquam neglecta, aſſiduum adeoque ver, vel ſi mavis, autumnum, ſummamque aëris amœnitatem, optatamque tempe- riem matutinis præſertim & veſpertinis horis, ſed circa meridiem per ali-

quot horas æſtum vix tolerandum, noctu vero frigus ſat notabile non raro obſervari, veraque & illa *Horatii* deprehendi:

Matutina parum cautos jam frigora mordent.

Unde quid de aëris Indici ſalubritate habendum ſit, facile patet. „ Ex „ tempeſtatibus, *A. C. Celſo* judice, peſſimæ, quæ maxime variant. „ Quo fit, ut autumnus plurimos opprimat. Nam fere meridianis tem- „ poribus calor: nocturnis atque matutinis, ſimulque etiam veſpertinis „ frigus eſt. Corpus ergo & æſtate & ſubinde meridianis caloribus re- „ laxatum ſubito frigore excipitur. Sed ut eo tempore id maxime fit, „ quandocumque evenit, noxium eſt. Videlicet, ut *Ovidius* autor eſt:

Cum modo frigoribus premimur, modo ſolvimur æſtu,
Tempore non certo corpora languor habet.

Appoſite hiſce, & ſi quæ ſunt aliæ aëris æquinoctialis qualitates ad Indiarum regionem applicat, eumque argumentis non contemnendis minime ſiccum, ſed humidum valde in circumjacentibus inſulis non ſolum, ſed & in continentis regionibus deprehendi, *Jacobus* oſtendit *Bontius*, qui de aëre, qui circa Bataviam occurrit, ſigillatim ſequentem loquitur in modum: „ Aër in circum vicina regione non admodum ſalubris exiſtit, „ tum, quod calor & humiditas putredinis effectrices & genitrices phyſi- „ cis dicantur, tum propter ſtagna & loca paludoſa hic frequentia, dum „ enim venti e montibus ſpirant, fœtidos & craſſos, ne dicam, propter „ multitudinem inſectorum venenatos vapores ſupra urbem noſtram adi- „ gunt, ac ita aërem inficiunt, itaque ventus e continenti oriundus ſe- „ rio nobis cavendus eſt, atque is præcipue qui poſt gallicinium e mon- „ tibus ſpirat, ob primarum vigiliarum tepidum calorem ac aperta inde in „ homine ſudaria, ſeu corporis poros, vehementius propter ſubtilem & „ penetrantem qualitatem corpus afficiunt, quam vel frigidiſſimus Bo- „ reas media hyeme in patria ". Quo eodem loco duo anni tempora, æſtatem pluvioſam & hyemen ſiccam, calore ob ſolem a linea æquinoctiali non longe recedentem plerumque ſemper æquali exiſtente in Indiis, his quæ ſequuntur verbis conſtituit, fuſiusque deſcribit: „ Æſtas incipit, „ ubi perpetuæ pluviæ cadere incipiunt: nam tum ſol propior æqua- „ tori e directo nos feriens, ac e mari, paludibus & ſtagnis nubes in „ altum cogit, incipitque hæc tempeſtas a Novembris initio ac uſque „ initium Maji excurrit, cœlo tum temporis tam irriguo, ac tam pluvi- „ oſo, tum cadentibus tam continuis pluviis, ut inſolitis merito ſecun- „ dum Deucalionis diluvium metuatur. E contra a Maji initio uſque „ ad Octobris exitum ſiccus plane & ſerenus eſt aër, vix pluvia toto ſex „ menſium intervallo decidente contrario plane modo, quam in patria „ noſtra, ubi recedente ſole pluvioſus fit aër, appropinquante vero ſole „ ſiccior evadit". Et de anni quidem temporibus pluviiſque in India cadentibus diverſæ occurrunt, & repugnantes invicem relationes. Idem quod *J. Bontius* modo de Java ſua, *J. H. Seyfried* de Cambaja & littori-

bus

bus Malabaricis affirmat, ſed mox addit eo, quo hyemalis in dictis littoribus occurrit, id vero eſt pluvioſa tempeſtas, in littoribus Coromandel æſtatem ſiccam vigere, utroque, ut ipſe *Lindſchotti* utrinque fide nixus, addit, loco ſub eadem poli elevatione ſitis, & vix 30. 40. 50, aut 70. milliaribus invicem diſtantibus. Suratæ vero tres anni partes *J. A.* de *Mandelslo*, calidam, Februario, Martio, Aprili & Majo, pluvioſam Junio, Julio, Auguſto & Septembri, frigidam denique Octobri, Novembri, Decembri & Januario menſibus notavit; cujus quidem rei veritatem ego, Reſpondens, per integros novem annos in Bengala, eadem fere cum Surata latitudine gaudente commoratus, toties deprehendi, hoc tamen adjuncto diſcrimine, quod æſtus initium Martium, ejusque finem Junium, pluviarum initium Julium, finemque Octobrem, frigoris vero qualiſcunque initium Novembrem finemque Februarium menſes, ventoſque illic ex oriente & meridie, iſtic ex occidente, hic vero ex ſeptentrione plerumque ſpirantes videre mihi licuerit. Reliquas quod attinet regiones, illud notatu videtur dignum, quod eo, quo in Bengala & vicinis regionibus pluviæ deſinunt, tempore, in Java initium capiant, Novembris nempe initio, & uſque ad Februarii finem menſis continuent, reliquis octo menſibus perpetuam æſtatem referentibus; eo vero, quo hic pluviæ deſinunt tempore, Martii nempe initio menſis in oris Coromandel illæ iterum cadere incipiant, & uſque ad Junii finem perdurent, reliquis octo menſibus perpetua iterum æſtatis temperie, æſtu & ſiccitate conſpicuis. Quæ ſi recte æſtimentur, ut autopſia mihi conſtant, ea, quæ ſupra ex aliis ſunt citata, non parum illuſtrabunt. An vero *Lindſchotti* & *Seyfriedi*, tempeſtates in Malabariæ & Coromandel oris eadem latitudine gaudentibus, & non multum ab invicem remotis, ſibi e diametro contrarias adſerentium fides in dubium vocari debeat? affirmare non audeo, qui Coromandel, non autem Malabariæ oras viſitavi, ſed ſi per analogiam argumentari licet, ſimile quid in Java & Sumatra inſulis mihi deprehendere viſus ſum; hæc enim cum æquatori ſit proxime ſubjecta, perpetuis fere pluviis integro anno madet; illa vero ſex gradibus ab æquatore remota, ſed magis ad orientem vergens non niſi per quatuor menſes pluviis, per reliquos octo menſes ſiccitate gaudet. Simile prorſus exemplum infra de America occurrit.

OBSERVATIO IV.

Victus ratio Indis familiaris & vitæ genus valetudini ipſorum non parum velificatur.

SCHOLION.

Alimentorum ex animali & vegetabili regno profectorum, omnis generis carnium, volatilium, domeſticarum, ferinarum, quadrupedum, piſcium,

piſcium, olerum, plantarum, radicum, & aromatum inprimis Indiam orientalem eſſe feraciſſimam, neque potulentis ſaporis ſuavitate & virtutis præſtantia, conſpicuis deſtitui, tum aliunde conſtat, tum a *Bontio* iterum docemur, qui pleriſque & alimentis & condimentis, & potulentis, in India uſitatis fuſe enarratis, „ Quid, pergit, jam poſtremo tibi memorem „ mala aurea, citrea, granata, & cæteros ſimiles fructus, quorum ſumma „ eſt copia, cum iſta in noſtra Europa notiſſima ſunt. — Vites taceo, „ quæ ſi diligentem putatorem & cultorem nanciſcantur, quater in anno „ maturos ſuos fructus proferunt. Itaque, ſi diurnus calor non adſit, „ propter perpetuum virorem ſemper hic ver, ac veri heſperidum horti ". Sed ut pagani Indiarum indigenæ vaccarum adorant ſimulacra, quin &, ut *J. A.* de *Mandelslo* fidem facit, vitulis nuptias ingentibus non raro ſumptibus parant, rati, animas propinquorum facto e corpore exceſſu in hæc forſan animantia per metempſychoſin quandam Pythagoricam tranſiiſſe, cujus quidem philoſophiæ rudera in Indiis hodieque ſupereſſe, laudatus modo *Bontius* eo confirmat, quod Indi etiamnum abſtineant fabis rubris, & quicquid inter herbas rubrum colorem obtinet. Ita a butyro, vaccina, vitulina quin & omni carne ſunt abſtemii, vita exiſtimantes animantia, quam illis non conceſſerant, neutiquam privanda eſſe, paucis oleribus, ſalis & olei momento additis, lacte, pane ex arbore ſagwera parato, & præter piſciculos paucos, varii generis fructibus, inque primis oryza cum aqua ſimplici, quæ ipſis cibi potuſque loco ſufficit, contenti. Olerum vero & fructuum cum varia admodum genera in Indiis proveniant pro varia eorum qualitate, uſu & abuſu vario varios expectandos eſſe effectus, in aprico eſt. Hæc vero ut de paganis & plebejis Indiarum incolis inprimis valent; ita & Æthiopes, qui rerum ibidem potiti ſunt, & advenæ Europæi eo lautius vitæ genus plerumque ſectantur, vino peregre advecto, aromatibus ibidem maxima in copia provenientibus, omnis generis carnibus, pennatis inprimis, ferinis & domeſticis, varii generis piſcibus, fructibus, oleribuſque diverſis, quin & pane ex tritico, Japonia & Surata advecto, & cereviſia ex illo frumenti genere, quod Belgis mout vocatur, paratis, ut *Bontius* iterum refert, menſas inſtruunt, imo comeſſationes & compotationes quotidianas inſtituunt, theæ ex China allatæ, granorum Coffée partim ſponte ibi provenientium, partim ex Natolia & Japonia advectorum, & nicotianæ ſacharique, utriuſque indigeni, partim ex occidentali India advecti uſu abunde delectati. Ex hiſce invicem collatis ſatis, opinor, patet, ſanitate Indos minime perfecta & conſtanti gaudere, & ævi plerumque brevioris eſſe, quod utrumque communis rerum uſus & attenta confirmat obſervatio. Præterquam enim, quod aëris varia conditio ſingulis propediem diebus ibidem obvia maximum ſanitati detrimentum inferat, æſtuſque circa meridiem maximus vel ideo valetudini ſit noxius, quod pori corporis nimium aperti, accedente veſpertino & nocturno frigore & rore noxio corpori minus

probe

probe tecto matutino tempore illabente importune claudantur, ſimili propemodum modo ac de aëre Hungarico de die exquiſite calido imo fervido, noctu vero ultra modum frigido, utriuſque vero noxis elegantes admodum obſervationes penes *Tobiam Coberum* legere licet; cum ex adverſo Septentrionales populi, aëre horrido & gelido utentes, inque iis Lappones tametſi aſpere duriterque vivant, tamen commodiſſima utantur valetudine, ut medicos nec habeant, nec iis ſe indigere exiſtiment, ut a *Jo. Scheffero* fuſius relatum extat: alimenta Indis uſitata ſanitati non æque conducunt. Licet enim victus ſimpliciſſimus omnium conſenſu ſit optimus, oryzam tamen, calidam inprimis adſumtam non ſolum noxiam eſſe ventriculo, verum cerebro ac univerſo nervorum generi, ut a vaporibus craſſis & ſiccis ex hoc cibo in cerebrum elevatis nervi optici ſæpe in tantum obſtruantur, ut cæcitas inde oriatur, alios inter, rerum uſu id confirmante, præclare iterum *Bontius* oſtendit. Famigeratum vero potus genus, Arac, quod e liquore nuce Indica contento, ac ex ipſa arbore deſtillato cum oryza conficitur, vel ob mangonii ſuſpicionem caute uſurpandum eſſe, patet, cum Chinenſes avariſſimi ſimul & aſtutiſſimi bipedum illud in India mixtis holothuriis in mari fluctuantibus parant, quæ excrementa maris Belgæ quallen vocant, eaque tam exurentis ſunt caloris, ut ſolo attactu veſicas in cute excitent, ut idem Cl. Autor fidem facit. Cereviſiæ vero ex oryza a Japonibus confectæ, & Sakki vocatæ, adque vini Hiſpanici vigorem & indolem coctæ proprietates & noxas uti in proprio expertus eſt corpore, ita graphice *Engelbertus* deſcripſit *Kæmpferus*. Ac ſicut de potu, Sagouer dicto, qui deſtillat ex arbore non abſimili palmæ Indicæ, *Jacobus* affirmat *Bontius*, illum, ut & reliquos potus naturalis ſpecies ex nucis Indicæ cavitate, & floribus elicitis frigida qualitate excellere, ac proinde nervis eſſe infeſtos, ſi quis nimia quantitate iis abutatur, præſertim corpore per exercitium aut ſolis ardorem excalefacto, indeque malum corporis habitum, fœdum ac luteum corporis colorem, ipſamque paralyſin derivat, quæ quidem omnia rerum uſu edoctus veriſſima comperi, ita de pane quem ex arbore Sagowera confici, ſupra commemoravi, pariter mihi innotuit, illum particulis nutritiis paucioribus inſtructum eſſe. Olerum & fructuum in Indiis provenientium ingens equidem eſt diſcrimen, pleraque tamen frigidiori ſunt qualitate prædita, quibus affatim æſtuante corpore ingeſtis, & notabili aquæ frigidæ, aut alius prædicti potus quantitate affuſa, non mirum, ſi diarrhœæ, dyſenteriæ, dolores colici, febres ſimiliaque oriantur mala. Præ ceteris Ananas fructus, ut ſaporis ſuavitate & eminentia reliquos fere omnes, ita & nocendi energia ſuperare deprehendi, utpote a cujus abuſu commemorata modo & plura alia proficiſci vitia, expertus novi. Inter fructus vero ſalubres & unde ſolatium aliquod male habentes ſibi queunt promittere cum areca cardamomis & calce viva folia betele miſta, mundandis dentibus maſticatorii loco inſervientia, fructus manges, piſanque, & cy-

cydonia Bengalenſia, bambus ſeu mambu Sakar, *Bontio* laudata, & analepticorum claſſi merito inferenda, tum fructus inprimis poley, & ferre everrendis urinariis viis idonea, & inter reliquas dapes apponi ſolita, nemini, quod ſciam, commemorata neutiquam reticenda duxi; tabaci vero fumum, in locis iſtis orientalibus plus ſatis familiarem, cujus uſus laudem, crimen abuſus habet, vel idcirco tangendum putavi; quod non per fiſtulas paſſim uſitatas, ſed per peculiares machinas, alios inter a *Kæmpfero* deſcriptas & iconibus expreſſas ita hauriatur, ut oleum quod in nicotiana latet fœtidum, & narcotica vi præditum ab aqua interjacente abſorbeatur. Reliquum vitæ genus Indis familiare quod attinet, nudi fere omnes incedunt, & pauco eoque miſero per dicta victu utentes, & pluviis vix non immerſi labores ſub dio plerumque peragunt, idque non niſi neceſſitate coacti, cum de mediis vitæ ſuſtentandæ vel in proximum diem ſufficientibus ſecuri otium labori præferant; ignaviaque torpeſcant. Præterea admodum juvenes, & vix quartum, quintum, ſextum, ſeptimum, octavum, decimum & duodecimum ætatis annum ingreſſi, utriuſque ſexus homunculi matrimonia contrahunt, & quamprimum per ætatem licet, veneri litant, liberiſque dant operam, quod ne ſolus dixiſſe, aut fabulas narraſſe videar, en teſtem iterum luculentum *J. A.* de *Mandeslo*, hæc talia diſertis confirmantem verbis. Hæc vero omnia quantum perſpirationem impediendo, vires frangendo, & maturam accerſendo ſenectutem valetudini ſint fraudi, non attinet pluribus evincere. *Cornelius* certe *Tacitus* de priſcis ſuis germanis longe commemorat alia, in quibus ſeram juvenum venerem & ſeptam pudicitiam, eoque inexhauſtam pubertatem, & quod virgines non feſtinentur, eandem juventam, ſimilemque proceritatem ex merito laudat, unde & quod pares validis miſceantur, robora parentum liberi referant. Indorum vero plurimos vix trigeſimum agentes ætatis annum, quem ex arborum forte obviarum, hoc vel illo tempore ſatarum collatione computare ſolent, ſenilem referre canitiem, & vix quadrageſimum annum vivendo ſuperare, non uno documento certior factus ſum.

OBSERVATIO V.

Peſtilentia vera in Indiis fere nunquam eſt viſa; febres vero acutæ continuæ, exanthematicæ, peſtilentiales eo ſunt frequentiores, intermittentes oppido raræ.

SCHOLION.

Ex peſtis abſentia ſummam aëris Indici puritatem & ſalubritatem colligunt nonnulli: aſt poſtea quam curatiori facta cauſarum peſtem producentium

centium indagine innotuit, peſtem non niſi contagio propagari, penes omnes in confeſſo eſt, in aëre quoque puriſſimo peſtis contagium longe lateque graſſari, & ſtragem maximam edere poſſe. Febres vero intermittentes in Indiis rariſſimas eſſe, *J. Bontius* iterum confirmat, præter unam & alteram quartanam, eamque cum ægro e patria delatam, quæ miſerrime in hydropem, & inde certiſſimam mortem deſierit, quæ certam ſervaret periodum, cum intermiſſione ſeu ἀπυρεξία febrem vix ſe meminiſſe, affirmans. Cujus quidem rei cauſa vel in victu Indorum parco, vel in perſpiratione aucta, vel in utroque quærenda videtur momento. Harum vero defectum febrium, continuæ acutæ malignæ, largo fœnore reſarciunt, quæ eodem teſte Cl. *Bontio* plerumque cum tanto furore invadunt, ut tanquam attonitos de ratione mentis ſtatim dejiciant, & ſæpe intra pauciſſimos dies imo aliquando horas cum phrenitide & continuo delirio ægros e vita rapiant. Adſunt perpetuæ vigiliæ, vomitus varii coloris præcipue viridis & æruginoſæ bilis. Externa rigent. Calor interne cum ingenti ſiti vitales & naturales facultates depaſcitur. Præter enim horridam illam & peſtilentialem febrem, quæ 1733. in Batavia decem menſium ſpatio 35. hominum millia rapuit ab aqua marina per canales in civitatem derivata, & æſtus occaſione maris, modo accedente, modo recedente, hoc vero tempore paludum more hic inſignem a cadaveribus aliiſque injectis fœtorem ſpirante ortam, duas inprimis febrium ejuſmodi peſtilentialium ſpecies, quoad in Indiis degi, notare mihi licuit: alteram ad ſinum Bengalæ quotannis frequentem, & Auguſto inprimis menſe pluviarum occaſione affatim cadentium, Gange fluvio exundante, & juxta cum gentilium cadaveribus eidem injectis, & magno numero innatantibus, & putridum exhalantibus fœtorem multis aliis effluviis heterogeneis ſalinis, tartareis, nitroſis vulgo dictis, & ſanitati adeo infeſtis, ut ferro cadente vel & farina fabarum aquam corrigere & potui idoneam reddere ſtudeant, referto revertentem, & pluribus funeſtam, quam mecum *Bontius* cum ſingulis notavit circumſtantiis; alteram, die Ave ſigillatim appellatam, & puſtulis nigris in naſo inprimis conſpicuam. Huic vero poſteriori, ut folia arboris cujuslibet obviæ in turundæ formam coactæ, & cum fœno græco, ſaleque communi miſta opponere, &, ut narium hæmorrhagiam, quam criticam & ſalutarem in hoc morbo noverunt experti, concitent, naribus ingerere ſolent hujus regionis incolæ; ſcarificationem forſan narium Ægyptiacam, Ill. *Stahlio* laudatam imitati, ita in reliquis febrium acutarum ſpeciebus præter univerſalia, V. Sioem & cathartica in principio, ſi opus adhibenda, diaphoreticis & ſudoriferis cum debito regimine adhibitis, negotium omne abſolvendum erit. Quem in finem præter varias radices & herbas alexipharmacas indigenas, lapide bezoardico, & lapide cordiali Indico, Goæ ex variis ſimplicibus ejuſdem commatis confecto Indi, noſtrates vero alexipharmicis quoque uſitatis, volatilibus & temperatis, ex coralliis, cancrorum lapidibus, apri dente, unicornu foſſili, ſuccino,

 cinna-

cinnabari, antimonio diaphoretico, ſcordio, angelica, vincetoxico, ſambuco, ſcorzonera, contrayerva, ſerpentaria virginiana ex Europa vel & America advectis & varia forma adhibitis nec ſine effectu exoptato utuntur: illud vero ſilentio non videtur prætereundum, quod Indi harum rerum periti ægrotos febribus continuis laborantes ventilatione ſollicite inſtituta ſudore per aliquot horas data opera prohibeant, deinde vero ſudori cum εὐφορίᾳ tuto permittant. Quæ quidem medendi ratio, ut empiricæ ſimillima appareat, duplici niti fundamento videtur, impeditura nimirum, ne vel cœlo in Indiis fervente languentes ſudoribus nimium diffluant, vel ſudoribus præmature concitatis, vires nimium proſternantur, vel etiam, ut homines nudo corpore radios ſolares impune & abſque ſudoris colliquativi metu ferre ſoliti, ad ſudorem ejuſmodi ventilationis flabello factæ ſubſidio præparentur ac diſponantur, quam in ſententiam eruditæ *J. H. Schulzii* meditationes conferri merentur. Variolis vero & morbillis laborantes, quorum exanthematum hiſce in locis uberrimus eſt proventus, aqua frigida ſtrenue perfundi, idque ni fiat, vix, qui iisdem laborant evadere, tum ipſe ſæpius vidi, tum *Kœmpferus* in Javæ incolis notavit, idque in æſtuoſo iſto climate non adeo abſurdum putat.

OBSERVATIO VI.

Nervoſi vitia generis, & affectus ſpaſmodici in India orientali frequenter occurrunt.

Scholion.

Hujus quidem cauſam phœnomeni ex aëris vitio vitæque genere Indis uſitato juxta prædicta eruere, haud equidem foret difficile; neque vero peſtem iſtam, ut multis ſolenne eſt, appellandam peculiaribus antidotis tollendam, ſed genuinis quodlibet vitium nominibus indigitandum cenſui. Hæc inter communiſſimum omnium & frequentiſſime obvium, Beriberi dictum, pro paralyſeos ſpecie a *Bontio* aliiſque vulgo habetur, ego vero, hoc ipſo nomine illud delirii genus, quando quis abſque cauſa manifeſta ſibimet ipſi diſplicet, ſolitudinem amat, mœrori indulget, id vero eſt, melancholiam hypochondriacam denotari, experiundo didici, ſimul & diuturno ſtudio vera eſſe deprehendi, quæ idem ille Cl. *Bontius* de ſpaſmo, & tetano cumprimis commemorat; tam repentinum enim & ſubitum eſſe aliquando ejus impetum, novi, ut dicto citius homines rigidi, non ſecus ac ſtatuæ, permaneant: dum vel in anteriorem vel poſteriorem corporis partem muſculi in voluntario motu verſus principium ſuum trahuntur. Hoc malo affecti truculenter admodum aſtantes intuentur præſertim, quod ſæpe fit, interveniente ſpaſmo cynico, ſeu convulſione canina, cum

cum utravis maxilla aures verſus trahitur. Ruber & viridis color ex oculis & facie oritur, dentibus ſtrident, & murmur inauditum, vice vocis humanæ edunt tanquam ii, qui e cella ſubterranea loquuntur: ita ut imperitis vere dæmoniaci appareant. Præterea & varii generis doloribus & ſpaſmis in infimo præſertim ventre ſub colici, hypochondriaci, quin & hyſterici mali nominibus ſcenam ludentibus, una cum Sinenſibus & Japonenſibus miſere non raro Indos excruciari videas, quæ quidem vitia variis ſtipata ſymptomatibus a flatibus ſeu vaporibus derivanda exiſtimant. Quam in rem egregia ſunt, quæ Cl. *Kæmpferus* memoriæ prodidit, digna omnino, quæ hic quoque legantur verba: „ Aſia quouſ„ que ad noſtros antipodes extimumve orbis terminum extenditur tribus „ donata eſt Heliconibus, Arabum, Brahmenum & Sinenſium: ex quibus „ ſcientiarum artiumque promanavit, quidquid eſt inter vaſti orientis po„ pulos. Hi vero cœlo, linguis, moribus, religione diſtincti populi, li„ cet pro diverſo, ex quo oriuntur, Helicone, alia atque diverſa foveant „ artis medicæ (ceteras non attingo) principia, præcepta, materiam & „ medendi methodos, nihilominus tamen, cum in morborum cauſas in„ quiritur, uno ore ſinguli ad tribunal ſubinde, flatus & vapores provo„ cant, ut tantum non videatur cum Coo noſtro L. de Flat. dolores & „ affectus quoſcumque flatibus acceptos referre ". Imo vero ex recentioribus *Domergerio* & *Langio* cuidam idem placuiſſe dogma, D. Præſes pridem oſtendit. Colicæ ſigillatim gentibus hiſce infeſtæ nomine non quemlibet, ſed illum ventris dolorem venire, qui dum inteſtina lancinat, in inguine ſimul motus excitat convulſivos, a *Kæmpfero* iterum docemur: „ Nimirum is eſt hujus colicæ vel gradus vel genius, ut abdominis quo„ que muſculos & membranas vellicet. Si doloris cauſam, vel materiam „ quærimus, ea ex ſententia horum antipodum, cum in præſenti morbo, „ tum in omni cruciatu ventris neutiquam intra inteſtini cavum hoſpi„ tatur, niſi forte in affectu leviori, ſed in ipſa hæret partis alicujus ſub„ ſtantia membranoſa, puta muſculorum abdominis, peritonæi, omenti, „ meſenterii, inteſtinorum: in quibus illa per moram faceſſens in vapo„ rem, vel, ut loquuntur, in ſpiritum ſæpe acerrimum rodit & lancinat. „ Hujus igitur ſpiritus rodentis effracto carcere, ipſoque anguſtiis, quos „ diſtendebat, exſoluto, ceſſabit momento citius acerbiſſimus extenſionis „ ſenſus, quem ut perperam Latini ab inteſtino ſæpius innocenti co„ licam, ſi Gymnoſophiſtæ eum ad Japonum Sinenſiumque mentem ſa„ niori judicio amant ſua lingua vocare ſpaſmum abdominis & inteſtino„ rum. Habet hoc ſingulare patrius morbus Japoniæ, ut ad hyſtericæ „ paſſionis exemplum perſæpe ſuffocationem hoſpiti ſuo machinetur, con„ vellendo totam regionem ab inguine ad uſque coſtas ſpurias, vel mu„ cronem; deficiat vero, ubi diu ſæviit, in tumores hic illic in corpore „ promiſcue naſcentes, nonnumquam epilogum ludat teterrimum.

OBSERVATIO VII.

Alvi fluxus ſimplices & cholerici, hepatici & dyſenterici in Indiis ſunt frequentiſſimi.

Scholion.

Plures inter alios idem mecum notavit *Bontius*, qui dyſenteriam inprimis horribile vocat, & conſuetiſſimum his regionibus malum, quod plures homines necat, quam affectus quiſpiam alius præter naturam. Hoc vitium contrahi exiſtimat, partim ex aëre calido & humido, ſed & fructus ſupra laudatos maximum huic malo fomentum præbere addit, quibus ſi quis cum ſumma cautione non veſcatur, & cum oryza vel pane & pauco ſalis, vix unquam hoc malum effugiet, non ſecus, quam in Gallia & Hiſpania, qui uvas avidius ſine pane vorant, ſtatim diarrhœam vel dyſenteriam incurrunt, præcipuam vero mali cauſam allegat potum arac, mangonio dicta ſupra ratione corruptum. Aëris tamen potiores hic eſſe partes, non tam calidi vel frigidi, humidi vel ſicci, ſed ex calido in frigidum, ex ſicco in humidum ſubito commutati, ex ſimilium indole mutationum aliis quoque in locis notanda, aliarumque analogia regionum concludere licebit; nam & de Pannonia ſua idem affirmat, & hoc præ reliquis malum incolis ejuſdem infeſtum *Tob. Toberus* graphice deſcribit, & cur in illa aliiſque regionibus menſe cumprimis Auguſto epidemica & maligna oriatur dyſenteria, non niſi ſubitæ aëris hactenus fervidi in frigidum mutationi in acceptis ferendum eſſe, tum uſus rerum docet, tum in *Annal. Phyſico-Med. Uratislavienſibus* egregie evictum & demonſtratum eſt. Radicem Bimili patna dictam & laxandi, hinc roborandi virtute præditam huic inprimis malo opponere norunt Indi harum rerum gnari. Primæ nimirum digeſtionis vitio hæc & ſimilia eveniunt mala, affectus mordehi, quo ventriculus depravatus, & mordexin, quo nauſea & vomitus perpetuus denotanrur, ſæpius in India oriuntur. Ciborum vero in ventriculo reſolutionem in aëre ultra modum fervido minus ex voto perfici, indeque temperantia in locis & temporibus æſtuantibus inprimis opus eſſe, *J. A. de Mandeslo* opportune notavit, V. Cl. vero *G. A. Hambergerus* peculiari labore egregie demonſtravit.

OBSER-

OBSERVAIO VIII.

Phtiſis, Hydrops, Icterus, dira illa mala, Indorum plurimis infeſta, multis funeſta ſunt.

SCHOLION.

Hujus rei fidem tot inter alia funera hominum, ut ſupra dictum, præmatura morte defunctorum faciunt: viam quippe ad lethum his ſimilibuſque vitiis ſternentibus. Iſta vero in pulmone, hepate, meſenterio, omento, & reliquis viſceribus derivationi & ſecretioni humorum dicatis radices cum agnoſcant, horum quidem viſcerum inflammationes, exulcerationes, obſtructiones, ut vulgo vocantur, aut alio modo factæ corruptiones ex aëre & victu Indis familiari, vivendique ratione perverſa ſupra pluribus ennarratis derivanda erunt. Et Icterum quidem ſeu regium morbum inter quotidianos in India morbos numerat *Bontius*, qui vel alios morbos, inflammationem, ſcirrhum, apoſtema hepatis comitatur, vel ſequitur, & quia tum ut plurimum ſymptomaticus, & ex violentia morbi ortus, fere ſemper lethalis, ſæpe etiam ita momentaneus eſt, ut intra pauciſſimos dies oriatur & occidat. Diuturnus autem ſæpe delirium & phrenitidem, & neglectus certiſſimum hydropem, quem familiariſſimum in Indiis morbum, ſed facilius ibi quam aliis in locis ſanabilem vocat, infert; phtiſin vero, empyema, hæmoptyſin, & ſimilia pectoris vitia ex aëris conſtitutione calida & humida in corporibus inprimis nudis improvide eidem, aut rori cadenti expoſitis derivanda exiſtimat. Inter reliquas vero mali corporis habitus ſpecies Indis admodum familiares duas cumprimis a Cl. *Kæmpfero* notatas deprehendimus, Andrum & Perical Malabaricæ regioni endemias & communes, quarum illa oſcheohydrocelen, hæ vero pædarthrocacem quandam, ſeu ſpinam ventoſam, vel & hyperſarcoſin pedum ulceroſam denotat; cujuſquidem utriuſque mali cauſam liquoris fundi Malabarici potatoribus eodem jure refert acceptam, quo plica polonica accuſat fontes Ucraniæ, ſtrumas propinat Styria & Tranſylvania, dracunculos ex ſtagnante imbre hauriunt Arabes deſertorum, accolæ ſinus Perſici, & Guineenſis Afri.

OBSERVATIO IX.

Dracunculi non poſtremum pathologiæ animatæ caput apud Arabes, Perſas ipſosque Indos conſtituunt.

SCHOLION.

Singulare lumbricorum genus dracunculi ſunt cum crinonibus, germ. miteſſer, pueris infeſtis, & *M. Etmüllero* laudatis neutiquam confundendi, qui non in inteſtinis, aut alia quadam corporis cavitate, ſed in muſculis per corporis ambitum natales inveniunt. Horum jam *Plutarchus*, & ex eo *H. Mercurialis* meminit. *Jobus* vero *Ludolphus* & *Georgius Hieronymus Velſchius* uberiorem eorum deſcriptionem dederunt. Omnem vero morbi hiſtoriam, una cum cauſis & medendi methodo ita tradidit *E. Kæmpferus*, ut vix quod addi poſſit, inveniatur. Nam & aquarum impurarum & vermiculis ſcatentium uſu minus provido externo pariter & interno malum plerumque contrahitur, nec niſi emplaſtris emollientibus loco affecto applicatis ut lumbricus infixus ſuppuratione ſenſim proliciatur, curari conſuevit. Ac ne quis obvertat, nihil huic lumbrico cum Indis intercedere commercii, alius quippe terræ incolis infeſtum, ibidem ipſe Cl. Autor de patria ejus ſequentem diſſerit in modum: „Non eſt beſtiola hæc ſoli Perſidi vernacula, ſed & Guineæ in Africa, & Rhaſe ac Avicenna teſtibus, „ Choraſmiæ & Aegypto quoque. Medinenſem Arabiæ tractum earum feracem teſtatur ſæpe laudatus Arabs, & morbum ſub hujus patriæ titulo „ ex inſtituto pertractat gemino capite 21 & 22. Lib. Can. 4. Fen. 3. „ Tr. 2. Dracunculorum genitrices quoque offendi pagos mediterraneos „ quosdam terræ Gangeticæ ultra Paliacattam ".

OBSERVATIO X.

Arthritidis & Nephritidis exempla pauciſſima in Indiis reperiuntur.

SCHOLION.

Hujus veritatem obſervati non rectius, quam ſcriptorum ſilentio, autopſia & experientia propria, & quæ contra utramque moveri poterant, dubiorum reſolutione in tuto collocavero. Nimirum, qui contrariam tuentur ſententiam, quid olei cajeputi ex Indiis ad nos delati, & in *Annalibus Vratislavienſibus*, virtute nervina, antopoplectica & antiarthritica paſſim celebrati, quid moxæ, famoſi adeo podagrici a *Bushoſio*, *ten Rhyne*, *Valentini*,

tini, *Kæmpfero*, aliisque pluribus expoſiti virtus, quid folia Acmellæ a *Valentini*, quid Kithie folia ex Indiis allata, & in *Annalibus* iterum *Uratiſlavienſibus*, ceu calculo pellendo idonea præſidia, quid plura alia exotica & quamobrem ad hoſce morbos adeo commendantur, & tantis ornantur elogiis, ſi morborum, quibus opponantur, nulla repeuiuntur in iſtis regionibus veſtigia? quærere ſolent. Aſt dubiis hiſce diluendis unus iterum ſufficit Cl. *Kæmpferus*, qui de Moxa erudito inſtituto ſermone hiſce alia inter verbis uſus eſt: „ Adverſus arthritidem & ejus progeniem podagram „ ſchiaticamque quid valeat moxa, id non ita pridem coloni Batavi in In- „ diis exploraverunt. Frangit hic ignis impacta perioſtio rhenani tartari „ ſpicula"; quæ quidem ſingula & quæ ſequuntur, ad Indos abſtemios neutiquam applicari poſſunt. Quod vero ad nephritidem ſeu calculi attinet hiſtoriam, in iſto hominum genere, qui cereviſiam vernaculam ex oryza coctam, Sinenſibus Sampſu, Japonibus Sakki vocatam in deliciis habent, invenire qui vaga arthritide & ſtranguria laborant, inſolens non eſſe, idem ille doctiſſimus vir autor eſt. Imo vero arthritis vaga plethoræ plerumque ſoboles a fixa multum omnino diſtat, neque qui ſtranguria tentantur, calculo mox ſunt affecti. Ac ſicut apud theæ bibulos Japonenſes & Sinenſes iſto quidem cœlo *Kæmpferus* & *Thevenotus*. ut eſt in *Actis Philoſophicis*, ita & ego penes hydropotas Indos calculoſos & podagricos nunquam inveni. Quod ſi vero in Indiis hiſce malis affecti reperiuntur, ſunt iſti Europæi, & Bacho, aut veneri ultra modum litantes, aut alia propria vel aliena culpa malis hiſce, graviter interdum, mulctati.

OBSERVATIO XI.

Lues venera malum eſt in Indiis frequentiſſimum, lepra vero, quæ vulgo audit, cum lue venerea paria facit.

Scholion.

Luem veneream Indiæ & Javæ ſigillatim inquilinam eſſe, adeo ut febre quolidiana ſit vulgatior *A. Cleyerus* affirmare nullus dubitat, idemque de Goa *J. A.* de *Mandelslo* confirmat, cujus quidem adſerti veritatem ego quidem plus ſatis deprehendi. Iſta vero lues Indica nonnullis vocata, ut veneris vagæ & fœdæ flagellum ab intelligentibus merito appellatur, cujus quidem ſchema a doctiſſimo *J. N. Pechlino* vivis coloribus depictum exſtat; ita malum id eſſe antiquiſſimum & longe ante detectum frequentatamque Indiam, vel occidentalem vel orientalem, in ea morum corruptela, & laſciviæ indies auctæ fomite ubivis fere terrarum radices egiſſe, ac latius ſparſum eſſe, neque adeo cauſam adeſſe, patet, cur primam ejus originem ab eſu ſerpentum Inguanarum, Americanis familiari, vel aliunde

cum *M. Liſtero* derivemus. Ac licet negandum non ſit, per contagium fœdum hoc malum inoncentibus quoque communicari, & longe lateque propagari poſſe, longe tamen hæc rariſſima, omnium vero frequentiſſima eorum eſſe exempla, qui propria culpa & immodico atque impuro concubitu ſibi id accerſiverunt, ſanioribus pridem innotuit. Equidem an *Hippocrati*, *Galeno*, & reliquis, qui ſunt ſuperſtites Autoribus priſcis Græcis & latinis venerea lues hoc ſaltem nomine, cum de re ipſa nullum ſit dubium, innotuerit, non attinet pluribus diſquirere. Neque vero ex ſacris aut profanis ſcriptoribus ad luis antiquitatem venereæ probandam teſtimonia cumulare, præſentis fert ratio inſtituti. Notatu tamen digna videntur hæc *Anonymi* cujuſdam Galli verba „ Il y a tout lieu de croire, „ que ce mal éſt auſſi ancien que le monde, & ſi on lit avec réflexion „ les débauches, & enſuite les douleurs, que Tacite, & Suetone Tranquille attribuent à Tibere; on peut aſſurer, qu'il n'avoit pas le mal de Naples, mais celui de Caprées, lieu de ſes divertiſſements & de ſes plaiſirs „ ordinaires". Quibus cum *Guido Patin*, & *Nicolaus* de *Blegny* prorſus conſentiunt, quorum hic veriſimile etiamnum exiſtimat, lepram confirmatam, cujus tanquam affectus rarioris meminerunt, curationem nequaquam admittentis eandem eſſe cum ea quam nos proprie lepram vocamus: cæteras lepræ ſimplicis ſpecies, quas tanquam admodum vulgares tradiderunt, nihil aliud fuiſſe, quam varias impreſſiones a ſalibus venereis cuti inductis, quandoquidem aſſeclam habebant aut ſequacem maximam partem accidentium luis; eademque de cauſa Indos præ libidine, cui brutorum in morem indulgent, effrænata, lui magis obnoxios eſſe: vehementiam porro æſtus pleraſque illas regiones torrentis, ejus accidentia magis terrifica, & conſpicua proferre, fervore vehementiori ſanguini inducto. Hæc ſi rite examinentur, & ſicut a D. Præſide nuper eſt indigitatum, diverſi inprimis luis gradus, prope attendantur, nullum facile dubium remanebit, quin luem veneream & lepram unum eundemque eſſe affectum, aſſeramus, & elephantiam pariter Javæ novam, a *J. C. Mentzelio C. F.* deſcriptam, & tophos & gummata & ulcerationes in Inſula Amboyna & Moluccis præcipue, amboynſe Pockem dictas *Bontio* notatas, ad luem veneream jure meritoque referri, cum in utriusque hiſtoria morbi, & quæ de lepra vulgo dicta, paſſim occurrunt obſervationibus autores earum diſertis confiteri ſoleant verbis, quod multum utrumque inter morbum commercii intercedat. Opportune hic recordor Reſpondens viri honoratioris Batavi, in ſupremo Indiæ ſenatu aſſeſſoris, cui ob lepræ, cujus accuſabatur, ſuſpicionem, pulvinari, ut fieri ſolet, domum tranſmiſſo locus in curia denegatus eſt, eo vero oculari inſpectioni ad deſiderium proprium ſubjecto, non lepræ, ſed luis ſuſpicionem venereæ juſtam eſſe, innotuit. Præterea & leproſorii recordor Indici, in inſula Purmerent prope Bataviam fundati, non, ut in Europæ variis regionibus fieri amat, leproſis omnibus deſtituti, ſed ægrotis & languentibus quam maxime referti; ſed & curatiori inſti-

tuto

tuto examine innotuit mihi, pleroſque lubentes incurabilium claſſi adſeri, ut nimirum victu & amictu & reliquis neceſſariis vitæ adminiculis otioſi abunde fruantur: nec qui curam eorum gerunt, chirurgi aliam quam palliativam inſtituunt, neglecto fonte rivulos, id eſt, ulcera, tubercula & ſimilia vitia emplaſtris, unguentis aliiſque topicis ſupcficietenus ſaltim tractantes. Ipſam vero quod attinet luem, Indi quidem eam applicato cinnabaris vulgaris factitiæ ſuffitu & pulvere radicis chinæ in ſubſtantia, ut dicitur, adſumpto, ſimilique diæta ſicca eventu ſatis felici expugnare ſolent, penes Æthiopes autem & Europæos, decoctorum ligneorum & mercurialis ope ſalivationis, curam ejus aggredi, ut paſſim alibi, moris eſt, neque niſi errore aliquo ab ægroto vel medente commiſſo, & regimine inprimis calido nimis adhibito, triſtis aut minus felicis in cura ſucceſſus memini.

OBSERVATIO XII.

Noſocomia in Indiis diverſi admodum generis reperiuntur.

Scholion.

Varia admodum ſunt, quæ de Indiæ & regionum vicinarum noſocomiis litterarum monumentis concepta leguntur. Præterquam enim quod brutorum quoque noſocomia illic offendi *Thevenotus* & *Mandelslo* fidem faciunt, *E. Kæmpferus* in deſcribendis Perſarum xenodochiis multam poſuit operam, quibus tamen repetendis eo immorabimur minus, quod non tam noſodochia, quam hoſpitia vulgaria hoc nomine a Cl. Autore indigitari, conſtet, nec quæ de noſocomio Turcico, arci ſanctiori (Serail) incluſo & ægrotis non tam veris quam putatitiis, & Bacho venerique inhiantibus, fruſtra nitente exquiſitiſſimo Imperatoris, ejuſque miniſtrorum rigore refertiſſimis, lectu jucunda apud *J. B. Tavernier* occurrunt, cum ab Indis noſtroque ſcopo ſint remotiora, huc tranſcribemus; quæ vero de Noſocomiis Batavorum in India, & Javæ metropoli Batavia ab eodem autore commemorantur, ſcopum noſtrum propius attingunt, præſertim cum ſatis abjecte de iisdem ſentiat, & viliorem ejus conditionem vivis depingat coloribus, quam eorum, qui curam ejus gerunt, avaritiæ & moroſitati acceptam refert. Quæ quidem omnia, paucas ſi exceperis circumſtantias, veriſſima deprehendi, neque, hic ſaltem cauſam inveni, cur fidem *Tavernierio*, ut ab aliis factum eſſe, penes *M. F. Lochnerum*, & *M. B. Valentini* videre eſt, in dubium vocem. Sed & meliorem longe Bengalenſium conditionem noſocomiorum, quoad victum, & miniſteria ægris neceſſaria, expertus novi. De Goæ vero noſocomio ægrorum commodis ſatis idoneo *J. A.* de *Mandelslo conferri meretur.*

OBSERVATIO XIII.

Medicina in Indiis eſt empirica.

Scholion.

Scholis, litteris, & reliquis eruditionis ſubſidiis deſtituti Indi medendi præcepta ab antiquiſſimis temporibus a majoribus per traducem accepta in poſteros iterum propagarunt, more priſtinis temporibus ſolenni, quibus ars ſalutaris certis familiis quaſi propria adhæſit, unde medicæ ſacris artis initiati medicorum filii procul dubio hodieque appellantur. „ Hi enim homines, quam exercent artem non libera electionis voluntate, „ ſed naſcendi ſorte profitentur, quæ unicuique honores, ſervitutem „ & ſpartam denique, quam hac naſcendi ſparta exornet, neceſſitate plus quam ſtoica diſpenſat, inde eſt, quod per continuos ætatum & generum gradus ac ſucceſſiones parentes liberis quaſi de „ manu in manum tradant, quæcunque ad artis illius, quam nativitatis lex ab ultima temporum memoria huic aut illi generi præſcripſit, perfectionem requiruntnr ", ſicut hæc talia *Henricus van Reede tot Drakenſtein* fuſius perſequitur. Illa vero rudis admodum, omnium eſt conſenſu, paucis herbis, ſimplicibus, decoctis, conſtans. Indorum enim Medicos pleroſque egregios eſſe botanicos, tum ejuſdem, tum *Bontii* fide conſtat. Cauteriis autem & frictionibus ut indulgeant, phlebotomiam tamen abominantur, quam Indi cum Sinenſibus graviſſimum quondam errorem autumarunt, & jejunio potius, aliiſque refrigerantibus, ſanguinem ad debitam temperiem reducere conantur, ajunt enim non ideo quod ferveat in olla, effundendum juſculum, ſed ſi compeſcere velis, ignem ſubducendum, ſicut inſigni empiriæ Indicæ documento ex *Martini Martinii* Hiſtoria Sinica *Simon Pauli* commemoravit. Horum vero ſimplicium ope auxiliorum morbos magna felicitate & brevi tempore, adjuvante ſine dubio cœli benignitate, & incolarum temperantia curari, & gentem inter Chinenſem, ut ſumme induſtrios œconomos, ita & artis uſu ſalutaris inclytos medicos reperiri; & eſſe illis libros antiquiſſimos de natura & virtutibus herbarum, arborum & lapidum, modernoſque illius nationis medicos, non ſecus ac fecerint antiqui, ſcribere de prognoſticis, cauſis, effectibus morborum, ex *Thevenoto* in *Actis Philoſophicis Anglicanis* relatum exſtat, Quæ quidem licet inſignem ſapere videantur theoriam, paria tamen facere videtur cum flatuum & vaporum pathologia, Arabibus, Brahmenis & Sinenſibus propria, ſupra laudata. Eundemque in cenſum venire videtur ſollicita illa, quin ſuperſtitionis & fallaciæ plena pulſum contrectandi ratio, Chinenſibus Indiſque familiaris & plures alios ab *Andrea* inprimis *Cleyero* ſingulari labore expoſita. Quam in rem egre-

egregiam Viri doctiſſimi *D. G. Morhofii* ἐπίκρισιν plane in rem noſtram facientem hic legere juvabit. Poſtquam enim Philoſophiam Chinenſium ad Pythagoricam de numeris, ſimbolis, characteribus, lineis, doctrinam pertinere, oſtendit, ita pergit: „ Similia ſunt illis pene & longe petita in re „ medica principia, ubi omnis anatomes ignari ſuas tamen de venis ob- „ ſervationes omni Medicorum choro inauditas tradunt; de pulſibus ne- „ ſcio quæ meteora comminiſcuntur, quibus tamen mirifice illi, ut fama „ eſt, proficiunt. Nam & ſedes & cauſas morbi ſolo pulſu explorant, ac „ feliciter nonnunquam pronunciant ac medentur, ut vel hinc pateat, de „ Medicis etiam verum eſſe, quod de vatibus nonnemo: omnium optime „ qui conjecerit, hunc vatem perhibeto optimum. Andreas Cleyerus „ aliquis nuper miſteria hæc nobis revelavit, quæ ubi in lucem protracta „ ſunt, riſum potius, quam applauſum merentur, ac merito pudorem „ illis incutiunt, qui Europææ Medicinæ hujus perfectionem objicere „ non ſunt veriti". Quantumvis vero plura empiriæ medicæ Chinenſis exempla paſſim proſtent, non poſtremum tamen videtur, quod ex *Martinio* iterum *Simon Pauli* citat, ejus rei ſequens eſſe documentum: „ Artis „ chymicæ Profeſſores & hic non rari ubique vagantur, non aurum mo- „ do pollicentes, ſed & immortalitatem in hac vita, quorum pene idem, „ qui Europæorum ſcopus eſt, ſplendide mentiri ſcilicet, & nimium cre- „ dulos avaroſque iſtis officiis fallere". Et immortalitatis in hac vita aviдiſſime inhiantes eſſe Indiæ incolas, & ab impoſtoribus alchymiſtis frequentiſſime falli, tum *J. A. de Mandelslo* fidem facit, tum de Chinæ Imperatoribus, immortalitatis poculo moriendi neceſſitatem, licet fruſtra, effugere anniſis Cl. *J. Hübnerus* teſtis eſt.

OBSERVATIO XIV.

Indorum medicinæ multum ineſt ſuperſtitionis.

SCHOLION.

Indos una cum Sinenſibus ideis, numeris, lineis, imaginibus, figuris, & miræ, quam in ſingulis fingunt, poteſtati multum tribuentes pythagorίζειν, cum ſupra ex parte tactum eſt, tum *Morhofius* iterum demonſtrat, qui plures veterum Indorum circa ſcientiam naturalem (ex cujus fontibus medicina orta eſt) ſententias fuiſſe refert, ſed de illis adeo confuſa omnia, ut nihil quippiam diſtincti colligi inde poſſit, niſi etiam, quæ e quorundam auctorum laciniis colliguntur. Id tamen conſtare ex hodiernis itinerariis exiſtimat, aliquid Pythagoricæ doctrinæ ſimile illas habere. Μετεμψύχωσιν enim ſtatuunt eamque ſibi habent perſuaſiſſimam, adeo ut nulla ferme inter illos ſecta ſit, ſunt autem plurimæ, quæ

non pro principio eam ponat. Indos certe in curatione morborum, inque primis epilepſiæ, quem *Hipppcrates*, vel quiſquis illius libelli, inter ſcripta ejus ſuperſtitis, vir *Galeni* judicio memorabilis autor fuerit, Sacrum appellat, quemque expiationibus & incantationibus curari affirmat, admodum eſſe ſuperſtitioſos, & amuletis non tantum, quibus verba minus nota inſcripta ſunt, collo primum apponendis, deinde in Gangem fluvium projiciendis, ſed & verborum murmure pronunciatorum ſuſurris multum tribuere, identidem deprehendi. Hanc autem medicinam amuletariam antiquiſſimam eſſe, & multis retro ſeculis a Sabæis Arabiæ incolis excultam, qui tilſemis & idolis magicis ad horoſcopum fingendis maximam navabant operam, iiſque ad ſanandos morbos & conſequenda alia bona magice utebantur ex Strabone, Agrippa, Gaffarello & Kirchero *Adamus Brendelius* probatum ivit. Cujus quidem rei plura ne accumulem experimenta, virilis facit impotentia, non niſi faſcino vel ligaturis, ut vocant debita, &. non niſi ejuſdem farinæ auxiliis auſcultans. Uno certe plura mihi innotuere eorum exempla, qui virilitatis, quam in India amiſerunt, repetendæ cauſa in eandem altera vice ſuperatis itineris moleſtiis profecti ſunt, cujus quidem rei, omnem, qua patet hiſtoriam, ſub ligaturæ magicæ Macaſſarorum ſive Inſulæ Celebes incolarum elogio penes *E. Kæmpferum* non ſine inſigni animi voluptate legere licet. Huc vero an & iſta ſint referenda, quæ de Circaſſiis Medicis, ingentis libri oſtentatione, & una cum cereæ accenſione candelæ, ægrotantium pectori impoſitione morbos curantibus aut ægros fallentibus, & domeſtica animalia, capras, verveces, boves, vaccas ſoſtri loco expectantibus, ut & de vetulis ructibus ori ægrorum immiſſis morbis medentibus a *J. B. Taverniero* ſatis luculenter ſunt enarrata, & a *W. E. Tentzelio* dialogis menſtruis inſerta, in medio relinquo, & ad ea, quæ dicenda ſuperſunt, pergo.

OBSERVATIO XV.

Chirurgiæ & Chirurgicis auxiliis magnum ſtatuere pretium Indi ſolent.

SCHOLION.

Phlebotomiam ab Indis quondam & Sinenſibus repudiatam eſſe, ſupra vidimus; hodie vero tanta frequentia & felicitate eandem illic adminiſtrari novi, u per luſum & jocum quaſi fragmentis vitri acutis in arterias venaſque mallei ope adactis ſanguinem notabili quantitate emiſſum viderim. Trepanationem vero abſque terebræ adminiculo ſolius inſtrumenti lati & acuti, cuneo quaſi impulſi miniſterio in India exerceri, repetita edoctus ſum autopſia. Præ ceteris tamen, cauteriis, igne actuali inuren-

inurendis magnum ſtatuunt pretium orientis populi. Præterquam enim, quod pertinacem quoque cephalalgiam cauterio actuali ſublatam noverim, lineis inprimis, hepatis, aliorumque viſcerum obſtructioni hoc præſidii genus proprie dicatum volunt. *Engelberto* certe *Kæmpfero*, quod poſt *Wilhelmum ten Rhyne* nemo elegantius hoc expoſuit agrumentum, autore Arabes, Brahmenes, Sinenſes, „ dolores & affectus quoſcunque a flatibus, „ ut putant, ortos, afferunt nunquam tolli poſſe facilius, quam cauteriis, igne actuali inurendis. Igne vero an ferri candentis? Equidem „ junctam vulcani martiſque vim experiri in humana machina ſævitiam „ reputant, uti ſupervacaneam & inutilem, ita vero indignam rationali „ medico, cui urendo non alia debeat eſſe intentio, quam ut impactam „ doloris materiam reſolvat, vel in flatus jam reſolutam excludat & in auras evocet. Malunt igitur tarde gliſcentem, remiſſe uſtulantem, at- „ que ut verbo dicam, ejus indolis ignem adhibere, qui incluſam morbi „ cauſam mediante ſalis aperientis virtute lente tutoque evocet, quam „ qui ſtringente ac rodente armatus vitriolo cutem carnemque crudeli im- „ petu exedat". Et facta Arabum mentione, quæque ab iis adhibetur, urendi materia fuſius explicata, „ Brahmenes, pergit, quos Græcia Gym- „ noſophiſtas vocat, Indorum gentilium Sapientes, Theologi & Medici, „ tum qui ex eorum inſtitutis ſapiunt, gentiles ceteri, non unius, ſed „ varii generis cauteria pro morborum diverſitate parant. Latitantes e- „ nim cauſas, ajunt, & morbi cujuſque indolem non unius eſſe generis; „ proinde unam eandemque ignis materiam affectibus promiſcue omnibus „ nequaquam congruere, eligendam eſſe, quam genio morbi cujuſque „ aptam natam experientia docuerit. Varietatem vero illam exploraſſe, „ peregrino mihi datum non fuit. Clavum quis Herculi prius excuſſerit, „ quam a zelotypis iſtis doctoribus ſecreta artium exploraverit. Et paucis „ interjectis: Trans Gangem progrediens nobiliſſimum ſane omnium & u- „ ſitatiſſimum ignis formitem invenio apud Sinenſes & Japonios. Hoc fo- „ mite referunt ante ipſius medicinæ inventionem, & omnem aliam Chi- „ rurgiæ notitiam temporibus admodum priſcis celebratam cauteriſatio- „ nem fuiſſe, atque uſum ejus per longam ſeculorum ſeriem ad ſe demum „ dimanaſſe. Stupam hanc virtute ac vetuſtate præſtantiſſimam ſub com- „ muni appellatione Moxæ non modo Sina domeſticam habet, ſed omnes „ Sinenſium literis & doctrina eruditæ nationes, Japonii, Coræenſes, Qui- „ namenſes, Luconienſes, Formoſani, Coccincinenſes, Tunkinenſes jam „ olim pro cauteriis ſub eodem nomine adoptarunt". Cujus porro hiſtoriam ibidem magno eruditionis apparatu, & luculentis experientiæ teſtimoniis ibidem traditam legere licet, qua cum *Wilhelmi ten Rhyne*, *M. B. Valentini*, *J. N. Pechlini*, aliorumque de moxa labores conferri merentur. His ſi addas, quæ de Ægyptiorum Chirurgia *Proſper Alpinus* commentatus eſt, hos quidem venæ ſectioni, quin & Arteriotomiæ & Scarificationi plus, quam Indos indulgere, ſed quoad inuſtiones, & cauteria,

quæ

quæ vocant actualia eorumque multiplicem variis in morbis, ut in epilepſia, paralyſi, apoplexia, vertigine, inflammatione oculorum, aurium, dentium, defluxionibus catarrhalibus, pectus occupantibus, hæmoptyſi, phtiſi, ſuppuratione & empyemate pectoris, aſthmate, flatulentia, induratione hepatis atque lienis, in hydrope ſub umbilico, & hypochondrio ſiniſtro, in doloribus dorſi, lumborum, colli, articulorumque, utilitatem, ut & quoad inurendi modum cum iisdem prorſus conſentire, idem Cl. Autor, & ex eodem *A. O. Goelike* fidem faciunt.

OBSERVATIO XVI.

Puerperæ & recens in India nati Chirurgiæ ſubſidiis impune carent.

SCHOLION.

Hæc tamen ut ſint, fœminæ ſaltem puerperæ in Indio nullo indigent embryulcia aut alia manuali operatione in partu difficili; uti plerisque cultioribus, ſicut vocantur, gentibus perſuaſum eſt, alias neceſſaria. Licet enim obſtetricibus non deſtituantur, pleræque tamen partum facilem cœli benignitate, & victus temperantia adjutæ experiuntur, infantes vero recens natos faſciis minime involvunt, ſed ſibi relictos brevi incedere, & quod maxime notatu dignum viſum, recta artuum textura gaudere, minimique claudos & valgos deprehendi, cum in Hollandiam reverſus paucarum intervallo horarum in loco non adeo hominibus referto quadraginta fere claudicantes numerare licuerit. Hujus rei ratio nemini amplius mira videbitur, qui victum ſimpliciſſimum & regimen ſimile eſſe optimum, & valetudini maxime conducere argumento non tam a brutis animantibus, quam vilioris conditionis hominibus, & ruſtica inprimis gente deſumto, quorum vix centeſimus quiſque, imo ne milleſimus quidem morbo quodam organico aut ſontico, niſi ex cauſis plane fortuitis laborat, cum ditiorum, quin & magnatum liberi quo majori ſollicitudine & cura educantur, eo pluribus & gravioribus vitiis expoſiti vivant; quam in rem egregiæ iterum Cl. Viri *J. H. Schulzii* meditationes de puerperarum, & recens natorum regimine commendari merentur. Faſcias autem, quibus teneri infantes involvi ſolent, licet non omni careant utilitate, ſi tamen nimis fuerint arctæ, aut inæquales, artus ultra modum conſtringendo, meatus coarctando, & ligamentorum fibrarumque vim oſcillatoriam refrænando noxias eſſe, indeque tenellorum diſtorſioni oſſium occaſionem dare, hæc vero omnia in ſollicita nimis & curioſa faſciarum applicatione vix evitari poſſe, conſtat.

OBSER.

OBSERVATIO XVI.

Medicamenta ex Indiis adveƈta uti variæ ſunt indolis, ita & diverſam merentur cenſuram.

Scholion.

Quod ſi ea, quæ ex India ſaltem orientali ad nos tranſportantur medicamentorum genera enumerare ſingula, & dignum cuivis pretium ſtatuere animus eſſet, paucarum quod ſuper eſt, plagularum ſpatium ea minime caperet. Omnia fere aromata, in officinis & culinis uſitata, pleraque etiam aromatica ex Indiis originem agnoſcunt. Unde & potiorem eorum partem calida, quæ vocantur, conſtituunt medicamenta. Sunt tamen & cathartica non una ſenna, tamarindi, præter lignum, & ſuccus aloe, mitioris omnia indolis. Sic & opium anodynum, & nitrum refrigerante ac temperante virtute præditum camphora, ſi quid aliud, calida & ſexcenta alia ibi deprehenduntur. Radices, cortices, gummata & reſinas, ut & alimenta & potulenta theam, coffee, ſacharum, oryzam magno cumulo ex Indiis allata ſicco, ut prætereamus pede. Hic vero *Roſini* opportune recordor *Lentilii*, qui mercibus pharmaceuticis Amſtelodamo Stutgardiam allatis luſtrandis occupatus, alia inter ſequentem loquitur in modum: „ oculos, nares, & linguam afficiebant ex Indiis allata rariſſima & curioſiſſima. Qualia ſunt deſtillata in Indiis olea cardamomi, cinamomi ex cortice & foliis, cubebarum, caryophyllorum, galangæ, piperis nigri, zingiberis, ſaſſafras, culilavan, ſantali citrini, terræ Indicæ. Hæc omnia olea longe magis ætherea ſunt & penetrantia, quam quæ ex aromatis apud nos demum deſtillantur": oleum vero cajeputi arthritidi & febri dicatum viro optimo non æque cognitum in *A. N. C.* a *D. Schendo* ad *L. Schröckium* una cum aliis quibuſdam Indiæ rarioribus, ut & in *Annalibus Uratislavienſibus* fuſius deſcriptum occurrit. Inter rariora vero ex Indiis allata ſpolia de pedra quadrata, aureis venis prædito lapide quadrato, quem in calculo partuque difficili pulveris aut infuſi forma, nec ſine fruƈtu adhiberi novi, ego Reſpondens tanto majori gloriari poſſum jure, quod a nemine ejus faƈtam mentionem noverim, niſi quod Cl. *M. F. Lochnerus* ad *L. Schröckium*, ſibi a *D. D. Vackio*, Archiatro Cæſareo, virtutem ejus lithontripticam, quam in proprio corpore expertus erat, laudatam, ut & ex ephemeridibus Venetis, Galleria di Minerva inſcriptis To. V. P. X. p. 271. meminerit. Locum vero ejus natalem, nuſpiam taƈtum novi eſſe Napalam, traƈtum nempe montanum inter Chinam & Tartariæ fines ſitum, ex quo menſe cumprimis Januario, quando locus iſte fumis igneis, quibus alias abundat, eſt vacuus, erui-

tur. Iſta vero, & ſi quæ ſunt alia exoticorum genera medicamentorum cum ab aliis nimiis extollantur encomiis, ab aliis alto contemnantur ſupercilio, nobis ingenioſa placet *Jo. Barclaji* confeſſio, hiſce concepta verbis: „ Permulta in ſolo noſtro nata negligimus, quæ ſi portentoſa ſervaret Ægyptus, aut Græcia miraculorum ferax, ſingula jamdudum luſtraſſemus, „ longinquorum nimis curioſi ". De Malabaricæ regionis medicamentis *Henricus van Reede tot Drakenſtein* ita exponit: „ Vivunt incolæ ad capularem fere ſenectutem, (vid. quæ ſupra de breviori eorum vita ſunt commemorata,) eorumque valetudini proſpiciunt. Indigenæ Medici, qui „ ex aliis regionibus medicamenta non petunt, aut certe quam pauciſſima, „ illis ſolis, quæ ipſorum regio liberaliter ſuppeditat, contenti, quem morem Europæi ibidem locorum feliciſſime imitantur: Belgæ vero, qui ſub „ auſpiciis Societatis orientalis Indiæ morantur, neſcio qua oſcitantia utuntur medicamentis, quæ primum ex illis locis petita per Perſiam Arabiamque in Europam deferuntur, & hinc denuo mari in Indiam referuntur, fere obſoleta & corrupta non ſine ſumma ſumtuum jactura, „ qui huic rei ſine ullo commodo impenduntur ". Hæc vero poſtrema verba veritate non niti, toties expertus, ſimulac in Indiam ventum eſt, remotis priſtinis, obſoletis, nova comparari, præparari, ægrisque propinari, pace autoris affirmare non dubito.

OBSERVATIO XVIII.

Ut venena in India frequentia & valde deleteria occurrunt, ita non deſunt eximiæ virtutis antidota.

SCOLION.

Morſus animantium venenatos vix effugere in Indiis queunt peregrini & indigenæ, cum in viis publicis ſerpentes erecta cervice obvios quosque adoriantur, ſed & fugientes fugiant. Vegetabilia vero toxica hic valde eſſe deleteria, *Engelbertus* iterum *Kæmpferus* notavit his, quæ ſequuntur verbis: „ Aeſtuans inter tropicos ſolaris focus, ut ſalutares rerum „ naturalium virtutes, ita & deleteriam in venenis qualitatem magis intendit & acuit, quam ſub zonis coeli magis algidi ", idque viverræ mungo animantis, a quo uſum radicis mungos edocti creduntur Javæ & Sumatræ incolæ, & veneni inprimis Macaſſarienſis uberiori deſcriptione, quam non ſine voluptate legas licet, ſed & antidoti duplicis, radicis nempe mungos & lap. viperini expoſitione illuſtratum dedit. Huic vero *M. F. Lochneri* opera, qua mungos, animalculum & radicem deſcriptam dedit *M. B. Valentini* Indiæ litteratæ inſerta jungenda erit. Ejus efficatiam antidoti æque ac lapidis viperini, expertus novi virtutes alexipharmacas. Is autem extrinſecus vulnuſculis venenatis admotus tenaciſſime adhæret, donec veneno

neno ex vulnere attracto ſaturatus ſponte decidat, lacte nigricante hinc reddito, abluendo, ut ex indigenarum ore locutus *F. Kæmpferus* fidem facit, qui expoſito applicandi modo, Indis uſitato ita pergit: „ De efficacia hujus lapidis, & quæ indies cum ipſo inſtituuntur in India experimentis multa dicenda, inquirenda, dubitanda venirent. Quicquid ſit, „ ſpondent efficaciæ veritatem quotquot ex Hindoſtanis de lapide quæſivi, „ & innumeros inveni, tum qui experimenta ipſos ſe feciſſe, tum qui „ facta ſuis oculis vidiſſe, mihi per jovem lapidem jurarunt, adeo ut inter Indos de viperini lapidis virtute contra ſerpentis Cabelo morſum „ dubitare execrabilis incredulitatis crimen ſit ". Reliqua inter antidota cocus di Maldiva, nux medica Maldivenſium dicta, in Inſulis Maldivienſibus prope maris littora occurrens, & a coco vulgari cibo potuique Indorum dicato multum diverſa virtute non tantum antepileptica, adque partum facilitandum, ſed & alexipharmaca inſignis commemoranda venit.

OBSERVATIO XIX.

Rei Indorum medicæ cum Sinica, Japonica, Perſica, Æthiopica & Ægyptiaca plurimum analogiæ intercedit.

SCHOLION.

Gentes verſus orientem aut meridiem ſitas ſimilibus fere, quibus Indi, affligi morborum generibus, & ſimili fere medendi ratione curari, ſupra jam paſſim, occaſione varia animadverſum eſt. Non poſſum tamen quin de una Japonia, quæ reliquarum vicem ſupplebit, hæc quæ ſequuntur Cl. *Kæmpferi* verba hic iterum legenda proponam: „ Medicæ artis „ quam (noſtratis) Chirurgiæ gnariores ſunt. Medicamentorum tamen „ farragine ægros non multum fatigant medici: qui morborum radicem, „ quam obſtructionem vocant & doloris materiam (quam occluſos flatus „ ajunt) externa arte, puta acu, fumoque exterminant. Balneorum „ quoque uſu domeſtico, quo indigenæ puritatem corpori quotidie conciliant, innumeros morbos vel circa intentionem profligant; contractos quoque contumaciores noſtratium more ad thermas relegant, quibus ſparſim regio ſcatet efficaciſſimis". Neque vero Indiam thermis plane deſtitui exiſtimandum eſt, quorum decem ex ordine fontes virtute inſigni præditas in regione, quæ Zittecon Pattna appellatur, numerare licet. In univerſum ſolis in regionibus orientalibus & meridionalibus majori fervori, & victui vitæque rationi, quæ plerisque iſtis in locis una eſt, dicta modo analogia accepta ferenda erit.

OBSERVATIO XX.

Indiam inter utramque, orientalem & occidentalem ſeu Americam multa, ſi rem ſpectes naturalem & medicam, occurrunt, quæ ſibi invicem reſpondent.

Scholion.

Aëris hic eadem utrobique in locis æquatori ſubjectis aut certe non longe ab eodem remotis conditio, perpetuum utrobique ver, vel & perpepetuus autumnus, æquinoctium fere perpetuum, ſumma locorum fertilitas, & reliqui effectus ſalutares & noxii in humanum quoque corpus redundantes obſervare licet. Et ſi quod his in locis præſertim magis ad orientem vel occidentem ſitis deprehenditur diſcrimen, illud egregie doctiſſimus *Gulielmus Piſo*, additis ubivis cauſis, notavit, verbis pone ſequentibus: „Tempora anni non niſi duo ſunt, calidum & ſiccum æſtas „dicitur: alterum quod calidum & humidum ac veri Europæo ſimile „brumæ vicem ſupplet. Idque veriſſimum omnibus in Indiis intra u„trumque tropicum deprehenditur. Hiemis enim & æſtatis initium at„que finis licet ob particularia incidentia loci, tum & æquatoris majo„rem vel minorem vicinitatem, non in idem tempus incidant: plerum„que tamen annus ſex fere menſibus ad humidum & totidem ad ſiccum „vergentibus abſolvitur. Adeo ut vel hinc etiam veritas Strabonis dicti „confirmetur, nullum ſcilicet annum in Indiis inveniri utroque tempore „ſine pluviis. Et quidem ea ratione ut hic non, ſicut in multis Africæ „& Aſiæ, ejuſdem nobiſcum latitudinis, oris, maxima exinde intenſio „& remiſſio æſtus, ſed nulla vel exigua ſaltem percipiatur, (ſole li„cet Braſilienſium Zenith menſe octobri & februario tranſeunte, radios„que ſecundum angulos acutiſſimos reflexis feriente terram). Quæ di„verſitas iſtarum regionum incolis ob crebras malacias noxioſque tepo„res interitum: harum contra ob dominatricem auram ſalutem promittit „perpetuam. Unde facile eſt colligere, anni tempeſtates eſſe non tam „immediate ex ſole & aſtris eorumque motu æſtimandas; quam vento„rum ſpecie & diverſitate, regioniſque qualitate ac ſitu peculiari. Ea„dem cauſa ſolennibus illis torridæ ſubſolanis vel favoniis reddi poteſt. „Quin in locis iſtis mediterraneis paulo verſus occidentem noctes non ſo„lum, ſed & dies aliquando ſunt frigidiores, quam in orientalibus litto„ralibus, uſque adeo ut pruina aliquibus quandoque capillos riguiſſe „conſtet. Etenim in Indiis cum multa ſint admiranda, illud tamen vel „inprimis videtur omnium phyſicorum ingenia ſuperare, quod in ea„dem cœli plaga, ſolis acceſſu & receſſu pari, iiſdemque anni menſibus

„ab

„ ab orientali parte quidem circa oceanum æſtas & ſiccitas ſit; ab occi-
„ dentali vero trans juga montium & paludes Braſiliæ hiems, nebulæ &
„ pluvia. Ut in tanta locorum vicinitate, quod ad rationem tempeſta-
„ tum attinet, iidem pene populi ſibi mutuo antipodes videantur eſſe.
„ Parallelum fere exemplum ſupra de India orientali relatum occurrit.
„ Quam miram diſſonamque naturæ varietatem atque alia ejuſcemodi, ſi
„ quis diligentius apud ſe reputet, profecto intelliget, antiquos multa de
„ æquinoctiali circulo & torrida zona falſo opinatos eſſe. Cum contra
„ quam Ariſtoteles & Plinius aliique ſunt arbitrati, non ſolum habitabile
„ hoc clima, ſed & temperatum ac fertile utique reddant tum rores per-
„ petui, tum pluviæ & jucundi a pelago flatus; dum vapores mane ſur-
„ gentes, qui nebulas tempeſtive diſcutiunt, æſtumque meridionalem
„ temperant, ac ſoles puriſſimos & nitidiſſimos reddunt". Ac ſicuti morbos Americæ endemios ſpaſmos, catarrhos, hydropes, diarrhæas, dyſenterias, inque primis luem Indicam ſeu veneream, commemorante *Piſone*, eoſdem fere eſſe deprehendimus, quos in orientali India ſupra notavimus; ita & in medicis & medicamentis Americanis magnam cum orientalis auxiliis Indiæ deprehendimus convenientiam. Illa enim balſamis nativis, tolutano, peruviano, oleis, mellibus non unius generis abundat, herbarumque & radicum medicarum & ad tutandam valetudinem potentium ſerpentariæ virginianæ, contrayervæ, corticis chin. chinæ, radicis chinæ, ſarſaparillæ, pareiræ bravæ, ligni guajaci & ſaſſafras, pluriumque aliorum ferax eſt. „ India autem orientalis atque occidentalis cum medica-
„ mentis omnium generum & ad omnem curandi neceſſitatem inſtructior
„ ſit, quam Medicis Rationalibus, mirum eſſe nulli debet, quod ha-
„ ctenus tam multa inſignium virtutum recondita in ſinu gerat quæ me-
„ rito in lucem protrahantur", uti *Piſo* iterum loquitur, cujus & hæc
„ ſunt verba: „ Experientia, autorumque teſtimoniis conſtat, omnes
„ paſſim Indiarum incolas medicinam facere, & morborum notitiam ex
„ ſymptomatibus venari, ac cauſis neglectis communi quadam animi notio-
„ ne eruere indicationes ex morbis, iisque ſatisfacere contrarium reme-
„ dium opponendo". Et paucis interjectis: „ Quantum vero ſeptentrio-
„ nalium terrarum incolæ Indiarum aromatibus aliiſve medicamentis atque
„ alimentis calefacientibus, ultra quam decet ſunt dediti: tam e contra-
„ rio Indi Aegyptiique nimis ſunt proclives in vehementiora refrigerantia,
„ immemores aut ignorantes, ſi par fuerit utrobique error in exceſſu,
„ hunc majorem vitæ noxam minari. Nec dubium eſt, de Braſilia aliis-
„ que Indiarum locis recte dici, quod de Græcia olim Homerus: ſcilicet
„ habere eam & ſuppeditare Φάρμακα πόλλα μεν ἐσθλὰ, μεμιγμέ-
„ να, πολλὰ δε λυγρὰ. Interim ſeniores & exercitatiores eximii ſunt
„ botanici, facilique negotio omnis generis medicamina ex herbis undi-
„ que in ſilvis conquiſitis conficiunt". Idem vero doctiſſimus autor de vita Americanorum longæva ſequentem loquitur in modum: „ Perquam

„ mature pubeſcunt incolæ: ſeneſcunt tarde, idque ſine canitie aut calv.
„ vitio. Quo fit, quod longe ultra centeſimum ætatis annum viridi ſene-
„ cti, non Americani tantum, ſed & ipſi Europæi fruantur totumque
„ adeo territorium macrobium dici mereatur". Longe ab his diverſa ſu-
pra de Indiæ incolis orientalis propria autopſia edoctus commemoravi, cum
quæ ſequuntur illis per omnia congruant: „ Braſilianorum liberi viva-
„ ciſſimi cum ventre duro ſint & prominulo, ſolidisque toris, quamvis
„ ſubucula tantum leviori induantur, nihilominus injurias cœli ſecure
„ contemnunt. Rident matres ineptam noſtratium in veſtiendis & edu-
„ candis parvulis induſtriam, qua perſpirationem impediri & catarrhos
„ multos generari ajunt. Nulli inter illos ſtrabones, luſcioſi, claudi
„ gibbove deformati inveniuntur: cum tamen infantes nunquam aut lin-
„ teis involvantur, aut involuti faſciis Europæorum more ligentur.
„ Frigida frequenter lavantur. Idem provectioribus uſitatiſſimum eſt: cum
„ ob innatam genti munditiem, tum ob firmandam & tuendam corpo-
„ ris ſanitatem.

OBSERVATIO XXI.

In Nautica, ſeu Claſſiariorum & Navigantium Medicina poſt ſpicilegium meſſis ampla relicta eſt.

SCHOLION,

Indiam qui hodie utramque petunt, itinere maritimo eo plerumque tendunt & quidem ſatis diuturno & moleſto, unde multi morbis correpti medicina indigent. Spicilegium hac in re fecerunt *J. R. Glauberus* & *W. Cockburn*, ſed ſpicilegium tantum. *Glauberus* enim famen & ſitim, ceu præcipuas navigantium moleſtias reſpiciens, utrique medelam, fami ex frumento concentrato & in mellis formam redacto, ſiti vero ex ſalis ſpiritu ſingulari arte confecto parare contendit. *Cockburni* vero libellum futuri tantum operis particulam eſſe, & nonnullas tantum de navigantium morbis obſervationes tradere, ex *eruditorum Actis* diſcimus. In ea vero, quæ Cl. *Chriſtiani Vateri* præſidio a *M. P.* ab *Aſperen* Hafnienſi ventilata proſtat de morbis Claſſiariorum & Navigantium, eorumque remediis diſſertatione, tum horum cauſæ morborum ad liquidum perductæ, tum ſingulorum remedia indigitata ſunt. Sunt autem ex tot cauſarum numero, in mortalium perniciem quaſi conſpirantium oriundi morbi, nauſea inprimis, vomitus, omnis generis febres, ſcorbutus, variis ſtipatus ſymptomatibus, arthritis, oculorum vitia non una, contuſiones, luxationes, fracturæ & ſexcenta alia mala, aëris vel frigidioris, vel calidioris, aut impurioris & inſectis ſcatentis, vel & victus culpa, & aquæ inpri-

inprimis puræ dulcis & recentis defectu miſeris navigantibus infeſta, multis etiam funeſta, adeo ut ex centenis navem in Hollandia ingreſſis vix unum atque alterum, ad caput uſque bonæ ſpei, famoſum illud Africæ promontorium, nedum in Indiam ſalvum atque incolumen perveniſſe, veriſſimaque eſſe deprehenderim, quæ a nemine forſan ſine horrore, ita ut a *J. A.* de *Mandelslo* relata ſunt, leguntur: ſub linea nempe æquinoctiali degentes, & ſolis ardore quaſi exuſtos, aqua pura ſufficienti deſtitutos, marina ſalſa, & ut plerisque cum *Piſone* videtur, infectis repleta utentes: non ſcorbuto tantum, dyſenteria, & febribus malignis corripi, iisdemque confectos fatis cedere, ſed & non paucos furore abreptos, & per læſam imaginationem ſe Reges, Principes, Dæmones exiſtimantes, quin & anabaptiſtas & deſperabundos ſe in mare præcipites dare. Hiſce tot ac tantis malis medelam parare & undiquaque conquirere operæ erit pretium. Hinc *Chriſtianus* Daniæ Rex ſeculi prioris anno quadrageſimo commotus univerſo collegio Medico Hafnienſi clementiſſime injunxit, ut in commune omnes cito & ſtudioſe deliberarent, quomodo tot morbi & inprimis febres periculoſæ & contagioſæ, quæ in Holmia inter naucleros regios tum temporis maxime graſſabantur, curari & præcaveri poſſint, ut *T. Bartholinus* in Ciſta Medica fidem facit. Spiritum vini in regionibus putridis & in ſcorbuto, ubi ſanguis ex nimis ſalſo aëre & cibo aceſcit, ceu præſtantiſſimum cum *J. J. Bechero* commendant plerique auxilium, illum vero noxium atque ex illius uſu vel potius abuſu ſcorbutum ferinum, icterum, hydopiem aliaque mala contraxiſſe nautas, Medici obſervarunt Dani, ut eſt in *Actis Hafnienſibus* fuſius relatum. Quin & in frigidis regionibus nautas, quibus plenus victus & abundantia ſpiritus vini data fuere, omnes ad unum ſubitanea & præmatura morte ſæpe extinctos eſſe, econtrario vero Anglos aliosque caſu ibidem relictos, & ſola aqua miſerrimisque offulis e balnearum reliquiis ſitu & marcore corruptis paratis per novem menſes & amplius vitam ſervaſſe, & integra ſanitate ad ſuos rediiſſe, ex *M. Liſtero C. Vaterus* obſervat. Quare *Friderici Dekkeri* conſilium claſſiariis & navigantibus ſalutare & dignum viſum eſt, quod labori præſenti colophonem imponat. Is enim vero artis uſu præſtantiſſimus quondam in Belgio Medicus præterquam quod theriacam ſacram navigantium anchoram paſſim appellat, inprimis notandum judicat, nautis & qui per mare diu navigant, non tam ſpirituoſa, volatilia, quam acida vel ſubacida convenire, imo inter medicamenta illis proficua oleum vitrioli omnibus palmam præripere, item poma citria, limona & ſimilia. Hæc vero omnia navigantium ærumnis mittigandis neutiquam ſufficere, ſed ſufficientem aquæ dulcis copiam una cum carnibus recentibus & ſimilis farinæ leguminibus omnibus reliquis præſidiis longe anteferendam, horum vero omnium aſſervationem in navibus diuturno itinere vectis, poſſibilem eſſe,

ſe, claſſes ex India reduces, & omni rerum ad vitam neceſſariarum apparatu ſufficienti inſtructæ, neque adeo morbis expoſitæ ſatis, opinor, evincunt. Hanc vero meſſem ulterius ingredi merito veremur, qui ſpicilegium non meſſem facere conſtituimus. Quare & ſpicas colligimus, & hoc quicquid eſt operis aliis majori ingenii felicitate judiciique acumine gaudentibus lubentes relinquimus.

F I N I S.

CCXXV.

BALT. JOH. DE BUCHWALD

ET

FRIDERICI DE BUCHWALD,

OBSERVATIONUM QUADRIGA

HAVNIÆ.

Novemb. 1740.

P R O OE M I U M.

M*Acrocoſmum infinitis fere luſibus varietatibuſque microcoſmus imitari ſolet. Ratio quoque non minus quam experientia dictitant, leges eaſdem principiaque haud diſcrepantia vigere utrobique, & ſagacibus naturæ myſtis in oculos incurrere, manifeſto indicio creata hæc omnia ex eodem emanaſſe fonte, eandem cuncta ſcaturiginem agnoſcere: verbo, principium dari tantum unicum, illudque ſummum, ad quod omnia referenda. Atque, ſi ſepoſitis argumentis, ex vaſtiſſimo ſcientiarum campo varie depromendis, tantum penſitationi ſubjiciamus hydroſtaticas & hydraulicas leges, nec non deſumenda ex mechanicis principia, adparebit facile intelligenti, eſſe hæc omnia in admiranda hominis fabrica, tanquam in compendio delineata. Poſito vero, ex diverſa legum principiorumque combinatione, variationes fere infinitas in macrocoſmo reperiri, utique fatendum erit, obſervationes rite inſtitutas & inſtituendas, multa inſolita, curioſa non minus ac utilia, in corpore humano, tam in ſtatu naturali, quam præternaturali conſiderato, detexiſſe & adhuc detecturas fore. Autopſia enim quotidiana, hic recte dicitur magiſtra, præcipue ſi accuratis ſæpiuſque iiſdem ſub circumſtantiis inſtitutis obſervationibus, fuerit innixa. Neque exiſtimandum nulla noſtro ævo obſervanda reſtare, quandoquidem adeo multa, forſan etiam infinita dentur, quorum adæquata deſtituamur ætiologia, atque de omnibus ſcientiis uſurpari queat veriverbium, ab Celeberrimo Winslowio, Anatomicorum Coryphæo, mihi ſæpius inculcatum:* Pulchra quæ videntur, pulchriora quæ ſciuntur, longe pulcherrima quæ ignorantur. *Cæterum neceſſitatem heic obſervationum medico-phyſicarum ulterius confirmare, foret laterem lavare; quoniam nemini, etiam qui a primo ut ajunt limine ſcientiam medicam ſalutaverit, ignotum eſſe poteſt, ſalutarem hanc artem, tam originis quam progreſſus ratione conſideratam, multum, ſi non omnia, obſervationibus debere. Dubius itaque non amplius hæſi, quodnam diſſertationis inauguralis loco, thema electurus eſſem, poſtquam Lutetiæ Pariſiorum uberrimam nactus fueram occaſionem, varia defunctorum corpora, examini anatomico practico ſubjicere, quo obſervationes mihi jam antea notas ſtabilire, ampliuſque confirmare, ignotas vero notis addere majori cum fructu liceret. Ex illis præſenti hac diſſertatione, quatuor præ cæteris notatu dignas, pro virium modulo in medium prolaturus ſum: quarum Ia. gradum haud minimum congeſtionis, inflammationis nec non viſcerum abdominalium coalitionem ſeu in unam maſſam concretionem, delineavit. IIa. hepar monſtroſæ magnitudinis cum circumſtantiis admodum ſingularibus, ſiſtet. IIIa. Univerſalem nobis obſervatam arteriarum in oſſa transformationem, proponet. IVa. Denique qualemcunque de ſacco cerebri membranaceo, colophonis loco an-*

nectam, & eruditorum ulteriori relinquam penſitationi. Cum vero omnis ordo, dummodo cum natura rei conveniat, ſit arbitrarius, ideo talem quidem in præſentia eligere in animum induxi, quo videlicet facilius tres priores caſus, ad claſſes morborum ætatis referrentur. Faciam itaque periculum remque aggrediar, periculum licet in tam ardua re ipſemet ſubiturus: atque in anteceſſum ſummum illud cæli terræque Numen ſupplex veneror, ut non ſolum veras rationes aſſequi, ſed expoſitionem etiam earundem dilucidam & perſpicuam, recte exſequi, largiatur.

OBSERVATIO I.

ANno 1740. Infans quinque circiter menſium, carne potius quam lacte nutritus, febricula quotidiana corripiebatur, ſponte tamen propemodum, prægterlapſis vix quatuordecim diebus ceſſante. Aſt nono poſtea die, febris quotidianæ paroxyſmis frequentibus cum inſomniis ſummaque inquietudine, de novo adficiebatur. Sequebatur mox ingens virium proſtratio tandemque tendinum ſubſultus: cumque infans nil niſi frigidam adſumere vellet, ex deficiente adpetitu, carnis etiam uſum reſpueret, tandem decima circiter die medicus accerſitur. Hic vero nimis tarde vocatus, fatebatur, contra vim mortis non eſſe medicamen in hortis, adeoque e vita exceſſit infans die inſequenti ſeptimo. Cadaver mihi poſtea caſu oblatum, ad Angiologiæ inſtituendam repetitionem, & quidem a vaſorum injectione auſpicandam. Verum laborem aggreſſus, irrita omnia deprehendi: etenim obſtructiones in abdomine, viſcerumque omnium in unam maſſam coalitio, ad eum fuere evecta gradum, ut liquor injectus vaſa primaria vix penetrare potuerit, ſed hinc & inde in cavitatem abdominis evacuatus & coagulatus, primo ſtatim adpareret adſpectu. Ideoque nec vaſa nec viſcera poterant inveſtigari, quia, ſicut deprehendebam, peritonæum, diaphragma, omentum, hepar, lien, ventriculus, totuſque canalis inteſtinalis, una cum meſenterio ita inter ſe cohærebant, ut non niſi violenta omnium dilaceratione a ſe invicem divelli potuerint. Aderat cerebri inflammatio & pulmones intimam cum pleura formabant unionem: verbo, omnia viſcera abdominis connexa & in unum corpus coadunata obſervabantur. Accedebant etiam hinc & inde inflammationis veſtigia.

ÆTIOLOGIA.

§. I.

HOminem totum a natalibus eſſe morbum adſeruit quondam Democritus apud Hippocratem *in Epiſt. ad Damag.* qua vero ratione, haud facile conſtat, ſi de corpore debita ſanitate prædito hoc adſertum ſtatuere velimus. Attamen hoc certum atque evictum manet, hominem innumeris morbis, ſub variis ſchematibus ſe exſerentibus poſſe adfligi, adlatamque Democriti ſententiam valere, quantum ad humani corporis diſpoſitionem organicam & craſin humorum, poſt lapſum naturaliter ad morbos proclivem. Corporis in morbos proclivitas omni equidem ætati communis, ſed non eoſdem ſemper producit morbos, neque omnes ob hanc proclivitatem ægritudinibus infeſtantur: multi quippe a congeſtionibus, inflammationibus, febribus &c. immunes vivunt. Hoc tamen in genere obſervare licet, nonnullos morbos infantibus, alios vero junioribus, & adhuc alios adultioribus & ætate provectioribus eſſe communes, ut taceam differentias ratione temperamentorum, vitæ generis, ſexus &c. Non exigit inſtituti ratio varios per diverſas illas ætates recenſere morborum adfectus: ſufficiat indicaſſe congeſtiones diverſas ratione loci, aut verſus caput, aut circa pectus & abdomen contingentes, hincque uni ætati præ alia magis proprias, notiones ſatis adæquatas ſuppeditare, ad ætatum morbos rite intelligendos & diſtinguendos. His poſitis, nonnulla principii loco, de congeſtione, verſus caput ut & inflammatione, ætatem infantilem reſpicientia, erunt præmittenda; ut nempe eo melius obſervationis præſentis pateſcat ſcopus, non quidem in novæ prorſus, ſed inſolitæ cujuſdam rei allegatione conſiſtens. Etenim id minime intendimus, ut exemplum congeſtionis & inflammationis, tanquam novi aliquid proponamus, ſed tantummodo effectum earundem ad ἀκμὴν provectum, omnem eludere medelam, demonſtremus, ſimulque in memoriam revocemus, quanti interſit, ejuſmodi occurrentibus circumſtantiis, methodo juſta principio obſtare.

§. II.

Conſiderata diligenter molliori in junioribus præ adultis cerebri compage, in aprico erit, reſiſtentiam in illis cerebri minorem quam in his eſſe. Jam vero neminem facile latebit, directionem fluidorum, majorem fieri verſus locum minus reſiſtentem; unde etiam patet congeſtionibus adfligi juniores, præ adultioribus. Cum itaque congeſtionis voce indi-

cetur juſto major ſanguinis ad partem unam præ alia adfluxus, qui, ſi verſus caput fiat, veluti ordinarie obſervare licet in infantibus, reſultabit hinc extenſio vaſorum, ſtipata cum compreſſione nervorum cerebri, haud raro ad totum genus nervoſum ſe extendente, propterea etiam morbos inde reſultantes & infantibus familiares, ad claſſem morborum primæ ætatis eſſe referendos ſtatuo.

§. III.

Jam vero ejuſmodi ex congeſtione oritur etiam vaſorum capillarium infarctus, tandemque ob continuum ſanguinis affluxum pars ejuſdem rubicunda, vaſa ſic dicta lymphatica arterioſa, intrare cogitur, unde partis adfectæ rubor tenſioque dolorifica. Hunc autem ruborem cum doloroſa tenſione, nominamus inflammationem. At inflammata alicubi parte aliqua ſanguifera, vicina ſana ab ingurgitatis premitur: hincque præſenti noſtro in caſu animadvertere licet, inflammationem majus in ſpatium increviſſe, nam ſanguifera inflammata reſpectu ſanorum vicinorum, vices obeunt corporum durorum, aut tenſorum & comprimentium. Licet autem ad inflammationem producendam fieri ſoleat ingurgitatio in exilibus ſanguiferis primario arterioſis, adeo ut hinc ſucceſſive etiam vaſorum lymphatico-arterioſorum oboriatur infarctus, non tamen inficiandum exiſtimo, etiam alium inflammationis modum, remedia longe alia quam ordinaria expoſtulantem, dari poſſe, quando nimirum lymphæ ductus primo, vaſa autem ſanguifera tantum conſequenter & tractu temporis ingurgitationem patiuntur, ſicuti obſervatur in lue gallica, in tumoribus frigidis, ſcrophuloſis &c. quale, quoque exemplum præbent meliceris, ſteatoma aliæque tumorum ſpecies: verum de ejuſmodi inflammationis modo non hic ſermo.

§. IV.

Latex vitalis qui omnia nutritioni ſecretioni &c. neceſſaria offert, peccare poteſt aut quantitate aut qualitate perverſaque craſi, atque ideo innumeris morborum varietatibus portam pandere. Nimiam enim ob quantitatem, ſanguinis lentor cum ſubſequenti ſpiſſitudine & viſciditare ob abuſum præcipue ſex rerum non naturalium oboriri ſolet. Uti vero nervi in infantibus majoris comparative ſunt diametri quam in adultioribus, ſic & idem de vaſis ſanguiferis, teſte frequentiori autopſia, dicendum venit.

Diameter vero vaſorum major evadit ob quantitatem ſanguinis ea extendentem, certo indicio majorem comparative dari in teneriore ætate ſanguinis copiam, excedentem facile, ſi adhuc lactentibus concedatur frequens carnium &c. eſus; nam ex eo ſtatus infantum, naturaliter ple-

plethoricus, non tantum augetur, majoremque producit in cerebro vaſorum dilatationem, ad compreſſionem uſque texturæ ſubtiliſſimæ cerebri; verum etiam obſtructio primarum viarum, ſecretiones & excretiones turbans, perquam facile oborietur.

§. V.

Si itaque lactens tali in ſtatu conſtitutus, ut effectum congeſtionum verſus ſuperiora perſentiſcere, primarumque viarum obſtructiones pati, maxima cum inquietudine cogatur, & hoc non obſtante, parentes ex præjudiciis maxime erroneis, ſed in Gallia ſane haud raris, tenerrimos infantes alliciant, invitent & quovis modo ad eſum aut potius abuſum carnium, fructuum &c. excitent, quid mirum ex duplici hoc fomite, congeſtione puta & obſtructione, quotidie adaucto, tandem inflammationem partium aliaque infinita redundare mala. Quibus tamen raro medela paratur ab initio, ſed morte imminente, medici efflagitari ſolet conſilium, adque ejus juſſum omnia fiunt, agnoſcuntur, damnantur, & quovis modo evitantur errores in Diæta &c. commiſſi: non amplius porrigitur infanti in febrili paroxyſmo frigida loco potus, ſumma a carnium eſu obſervatur abſtinentia &c. ſed omnia incaſſum eventuque plane irrito, quemadmodum allata ſatis docet obſervatio, nam *mala per longas invaluere moras.* Cerebri interim augetur inflammatio, viſcerum nobiliorum ſufflaminantur aut omnino ſiſtuntur ſecretiones, ſanguis qualitate etiam peccans, glutinoſitate ſua, ſtagnationes vaſa capillaria nimium dilatantes, partiumque fere omnium ſolidarum mollium, concretiones præternaturales, producit, tandemque ſtaſis cum inſequenti morte, ſcenam claudit.

§. VI.

Poſſet forte quis regerere, generalem adeo vix fieri viſcerum in unico ſubjecto labem, conjunctam cum univerſali & præternaturali eorundem cohærentia, utpote cum non in inſtanti ſed ſucceſſu temporis hæc fieri queant, & antequam ad illam concretionem pervenirent, potius vaſorum capillamenta rupturam paterentur, ita ut præcedere circulationis ceſſatio ipſaque mors deberet. Verum hæc ea ipſa ſunt nimirum, quæ prima hæc evincere noſtra poterit obſervatio, quæque ut eo magis eluceſcant ex allatis in §. 4. ulterius probanda veniunt: ſuppono itaque, majorem comparative dari in infantibus ſanguinis quantitatem quam in adultis; hinc addo, naturaliter inde conſequentem partium ſolidarum & mollium turgeſcentiam, infantibus, ceteris paribus, haud denegandam, quippe quam experientia, ni fallor, in aprico poſuit; deinde tranſpirationem inſenſibilem & quo ad partes internas, majorem in tenelli fore ætate

ætate quam comparative in alia; conſequenter etiam infantes majoribus ſimiliter eſſe inſtructos poris, quod & ipſum eorum ad ſudores pronitas ut & autopſia comprobant. Caſus itaque præſens ſi attente conſideretur, videre facile erit adfuiſſe congeſtionem verſus ſuperiora, ut & obſtructionem viſcerum nobiliorum, hincque imminentem tandemque exiſtentem debitarum ſecretionum defectum. Per hunc ſanguis ſenſim ſpiſſioris indolis evadit, adeo ut ſecedentibus ſucceſſive partibus ſeroſis a parte lymphatica, naturæ gelatinoſo mucilaginoſæ, ſanguis magis reddatur mucoſus & glutinis inſtar glutinoſus, ſimilemque viſcerum tranſpirationem producat. Aſt talis glutinoſa ſanguinis indoles, non diminuitur ſed potius augeri videtur abuſu ſex rerum non naturalium, præcipue ſi lactentibus varia carnium genera indiſcriminatim concedantur.

§. VII.

Si itaque in infantibus major vaſorum diameter, vaſa etiam plus ſanguinis continebunt, & conſequenter ſanguis in toto complexu ſumptus, majori exiſtet comparative copia. Ubi vero hæc adeſt partium turgeſcentia ceteris paribus, majorem tranſpirationem per apertiores poros requirit. Jam vero ſanguine exiſtente glutinoſo, tranſpiratio, quæ in viſceribus continuari poteſt ſub ſpecie tranſpirationis inſenſibilis, evadit, imprimis ſub quiete corporis, magis, glutinoſa: ergo tranſpiratio inſenſibilis glutinoſa, fit genuina dictæ coalitionis omnium viſcerum cauſſa: ergo infantes carne potius, quam lacte debito, nutriti, ad talem omnium partium coalitionem, præ adultioribus magis diſpoſiti exiſtimandi: ut taceam, me caſus ſimiles in infantibus obſervaſſe, nunquam vero in adultis.

Ex dictis ſimul diſpaleſcit, qua ratione viſcera hinc & inde inflammata fuerint. Spiſſitudo enim, ad quam pronus per ſe eſt ſanguis, fuit adaucta, unde ſanguinis lentor inducens obſtructiones, capillarium non minus quam vaſorum lymphaticorum arterioſorum, ideoque neceſſarius effectus, qualis eſt inflammatio, juxta definitionem §. 3°. allatam, non potuit non oriri.

§. VIII.

Jam denique poſſet quis expoſcere, ut febris, de qua antea locutus ſum, curationem, quomodo nempe ea fuiſſet inſtituenda, annecterem. Verum eam vix, ac ne vix quidem, ipſe medicus Pariſienſis, qui ſpiranti adhuc ægro adſtitit, utpote non ſub prima morbi initia, ſed imminente demum morte advocatus, dederit. Ipſam autem, quando præ foribus ſtat, humani generis vaſtatricem debellare, vinculumque illud

natu-

naturale inter animam & corpus reſtituere, fateor artem eſſe, cujus neque, ille neque ego myſteriis initiati ſumus, ſoli omnipotenti medico relinquendam.

Interim exiſtimandum judico, medicum ordinarium multa potuiſſe præſtare dummodo ſtatim ſub morbi initium fuiſſet vocatus. Signum enim boni ominis erat, febrem præterlapſis circiter quatuordecim diebus, ſola a carnis uſu abſtinentia & quiete, nullis aliis adhibitis remediis, ſponte evanuiſſe. Hoc ſcilicet eſt quod haut raro optimi dicere ſolent Practici, his verbis, *abſtinentia & quiete, multi magni morbi curantur:* & profecto non dubitandum, prima accedente febre, ſingularis fuiſſe efficaciæ abſtinentiam ab eſu carnis, adhibitis ſimul legitima methodo, remediis ſanguinem diluentibus, incidentibus, nec non temperantibus, interpoſitis ante inflammationem leniſſime laxantibus rhabarbarinis &c. partim ut inſpiſſatus glutinis inſtar ſanguis reſolveretur, reſolutus attenuaretur, & ab obſtructionibus primæ liberarentur viæ, ita ut humores, nimiam eamque glutinoſam viſcerum &c. tranſpirationem, excitantes, ab hoc tramite deſiſtendo aliorſum vergerent & eliminari poſſent. Inter diluentia, hoc in caſu tanquam primarium refero lac nutricis, minoris conſiſtentiæ, ſeu debita gaudens fluiditate. Officium enim medici eſt, non tantum nimiam lactis diſſuadere ingeſtionem, ſed & lac nimium nutriens ab alio minus tali diſcernere poſſe.

Ad temperantia & incidentia pertinent nitroſa item ſalia neutra, uti arcanum duplicatum, tartarus vitriolatus aliaque ſalium genera.

OBSERVATIO II.

Menſe Jan. Anno 1739. Subjectum quoddam, (ut ſolent loqui anatomici) ſexus fœminei, quod quinquaginta annos natum, diem obierat ſupremum, ad theatrum anatomicum Pariſienſe defertur: mihique id petenti ad curſum inſtituendum myologicum offertur.

Primo ſtatim intuitu, regiones, epigaſtrica, umbilicalis & hypogaſtrica, tumoris inſtar inſignioris elevatæ & duriſſimæ, ſenſibus ſeſe manifeſtabant, adeo ut totum fere abdomen induratum ab adſtantibus haberetur.

Detectis muſculis abdominalibus remotoque peritoneo & epiploo, tractum inteſtinalem, nondum mihi videre licuit; aſt remota mole incumbente ſub qua reliqua latitabant viſcera, deprehendi lienem una cum arteria ſplenica, exiguæ tantum formæ, ventriculum vero & inteſtina, licet preſſa, tamen illæſa & ordinariæ magnitudinis. Renes in ſtatu naturali & copioſa pinguedine obvelati adparebant. Contra ingenti mole conſpiciebatur ipſum hepar, coloris ex flavo albi, nullam in peripheria

cholidochi & duodeni demonſtrans alias ſolennem flavedinem, ab bilis tranſſudatione oriundam.

Nobile id viſcus adeo forma, mole & duritie erat adauctum, ut inter commilitones meos quamplurimi, an eſſet etiam hepar, hæſitaverint; attamen figura molis, ejuſdemque ſitus, & connexio, clare ſatis id indicabant. Examini ulteriori ſubjiciendo viſcus pergrande, & duritiei inſignioris, obſervavi venam portæ in hac dura ſubſtantia, incluſam & vacuam, ductum hepaticum, cyſticum & cholidochum, comparative fuiſſe exiguæ diametri; veſiculamque felleam, parietibus ſuis ob omnem bilis defectum, albam, adeo parvam atque hepati impreſſam, ut primo intuitu, viſum fugeret, vena cava etiam in hepate cujus fit mentio, minor obſervabatur: e contrario arteriæ hepaticæ diameter multum excedebat diametro naturali: vaſa lymphatica ordinario in ſuperficie hepatis conſpicua vix inveniri poterant. De cetero ſubjectum ſeu cadaver de quo loquimur, non erat emaciatum, copioſa quippe pinguedine, muſculi, magnitudinis ſatis conſpicuæ, erant obtecti.

ÆTIOLOGIA.

§. I.

Antequam ad exempli penſitationem me accingam, in anteceſſum præmonendum erit, reſpicere ipſum ætatem provectiorem, ſeu quod idem eſt, ad claſſem congeſtionum verſus abdomen obortarum referendum eſſe; cum vero doctrina de congeſtionibus in variis, variorum roſciorum in arte, ſcriptis, accurata ſatis tradita extet, ideoque in eadem fuſius enucleanda & repetenda, ſuperſedere omni opera poſſim; ea tantum in medium prolaturus ſum, quæ ad caſus præſentis dilucidationem & uberiorem indagationem inſervire poterunt: non equidem eo animo, quaſi novi quid orbi literato obtrudere velim, cum ſufficiat mihi, fideliter ea tantum attuliſſe, quæ ex frequentiori extiſpicio & examine cadaverum, me autopſia edocuit: ætiologias interea tam præſentis quam ſubſequentis caſus, ad theoriam medicam ut & praxin haud omnimode inutiles, maturo judicio & ulteriori indagationi L. B. relicturum.

§. II.

Suppono ut jamdudum notum demonſtratumque, bilem per ductum cholidochum, ad ſic dictum inteſtinum duodenum pervenire, ibique cum chymo miſceri, ut idem melius incidatur, miſceatur intime, & huic ideo ſit inſtar ſaponis, adeo ut partium heterogenearum coagulatio,

aliavo

aliave minus convenientia, non fieri, aut ſi facta, ceſſare tollique queant: ſicuti contingere ſolet in ventriculo capreoli, lacteam fere ſemper continente materiam coagulatam, quam tamen nunquam in duodeno invenire licet: manifeſto indicio, mutationem ſubire lac hujus animalis, quam primum bile permiſcetur in duodeno, uti & idem facere ſolent alia amara; hincque lac china chinæ coctum, haud facile in coagulum aut acidum mutatur.

§. III.

Bilis, communi omnium conſenſu, in hepate a ſanguine venæ portæ plenarie ſecernitur, & per ductum hepaticum partim defertur ad cholidochum, partim vero ut dicitur, regurgitat per cyſticum ductum in ipſam cyſtidem. Jam licet prius certum & evictum maneat, poſterius tamen ſtatuere velle, vetant partim naturalis folliculi ſtructura, partim frequentiſſima a me aliiſque inſtituta experimenta: inter quæ unicum, ſæpiſſime reiteratum, incidenter allegaſſe modo ſufficiat. Nimirum, nunquam obſervavi, quod ex cholidochi injectione arte inſtituta, ſubſecuta fuerit minima repletio veſiculæ felleæ: aſt injectione frequentiori ductus hepatici, ſemper videre licuit, veſiculæ peculiares ductus liquore repletos, certo ſatis indicio, bilem non per cyſticum ductum regurgitare, ſed longe alia via, nimirum per memoratos ductus ſingulares, majores in ſuperficie veſicæ, minores vero prope hepar adparentes, ad folliculum dictum deferri, ibique ob tractam moram, amaritudine & conſiſtentia majori pollere. Quæ cum ita ſint, explicatu alias difficillima obſervatio, evadet facillima: quomodo nempe calculo nonnunquam laborantibus, obſtructo veſicæ felleæ collo, fundo vero veſicæ aperto, bileque cyſtica evacuata, tamen nova bilis ex veſica, per vulnus in hypochondrio dextro obortum, jugiter fuerit exonerata.

Probabile ergo erit, bilem ſecerni partim in hepate, partim vero in folliculo dicto: qua occaſione formari præterea poſſet quæſtio: quomodo in veſicula ſecernatur? Similiter, an ſecretio bilis fiat ibidem a ſanguine venoſo? An vero ab arterioſo? Aſt hujus loci non eſt hiſce diutius immorari, adeoque uberiorem horum diſcuſſionem, ad aliam reſervaturus occaſionem.

§. IV.

Porro ratione ſtructuræ & mechaniſmi ea ulterius indaganda veniunt, quæ ad ſtatum hepatis naturalem pertinent, in quantum ad intelligendam caſus præſentis ſciagraphiam, neceſſaria judicanda. Naturalis hepatis mechaniſmus quemvis facile docuerit, nobile iſtud viſcus præ aliis adfici, morbiſque poſſe innumeris portam pandere. In aprico quippe po-

ſitum, ſanguinis per vaſa motum, iis potiſſimum in viſceribus fore omnium & tardiſſimum & difficillimum, in quibus ſecundum naturam, integritate corporis atque ſalute quam optime vigente, vi legum mechanico-hydraulicarum lentius ferri ſolebat, hocque eo conſilio, eumque in finem, ut bilioſus latex, qui profecto humor eſt omnium uſpiam a ſanguine ſecernendorum & craſſiſſimus & ponderoſiſſimus, in hoc viſcere eo facilius & commodius a ſanguinis conſortio ſegregari queat. Cum itaque naturalis hepatis ſtructura biliſque diſpoſitio, ita ſint comparatæ, ut ſanguis materiam bilis ſubminiſtrans, lentore quodam peculiari ſegregationem a parte bilioſa, ceu craſſiori & ponderoſiori, pati cogatur, ideo quoque evidens eſſe judicandum, quod ſi videlicet ex nimia congeſtione verſus abdomen, huic ætati præprimis ſolenni, ſanguinis naturalis rythmus ſufflaminetur, antequam aut venoſus ad venam portæ pervenerit, aut arterioſus ad arteriam hepaticam fuerit delatus, quod inquam exinde latex vitalis vi legis hydraulicæ, eo vergere debeat, ubi minor ſe ei oppoſuerit reſiſtentia; utpote congeſtione hepatis nondum ſuppoſita, & liquidis ſe comprimi non patientibus.

Hinc ſi nullus adhuc verſus venam portæ aut arteriam hepaticam infarctus adfuerit, neceſſario vitalis humor, majori copia & celeritate, ad hepar deferri debet: ex tali vero congeſtione reſultabit hepatis infarctus, & tandem obſtructio. Hanc autem cauſam memorati mali fuiſſe, a poſteriori liquido ſatis conſtat: utrum vero ſanguis arterioſus, aut venoſus, anſam huic congeſtioni hepatis dederit, ambiguum ſatis videtur.

§. V.

Jam ut circa hoc morbi exemplum mentem aperiam meam, eo deveniendum erit, ut vi oppoſitorum caſum præternaturalem æqua lance, & qua fieri poteſt, brevitate, ponderem. Notum eſt per antecedentia, majores fieri in ætate virili verſus abdomen congeſtiones, quam in ætate juvenili, in qua humores magis verſus pectus ferri ſolent. Hinc & ex dictis ſatis conſtat, ætatem illam procliviorem eſſe ad obſtructiones viſcerum præcipue ad hepatis inflammationes: ut orientem ex congeſtionibus ejuſmodi colicam, icterum, nephritidem, hydropem, inflammationem uteri, aliaque ſilentii peplo involvam. Ad inſtituti rationem ſufficere videtur, ſtructura & mechaniſmus hepatis ut & doctrina de congeſtionibus: ad intelligendam ſcilicet obſtructionum in hepate facilitatem, quemadmodum præter alios egregie confirmatum dedit celeberrimus Stahlius in diſſ. *de vena portæ, porta malorum.*

Majoris vero momenti erit ex probabilibus determinare, unde dicti hepatis infarctus originem traxerit. Verum hic Rhodus; hic ſalta; nodum quippe hunc gordium ſolvere difficile & arduum reputandum, utpote cum omnes cauſæ, a priori deducendæ, ratione temperamenti,

vitæ

vitæ generis, matrimonii, morborum prægreſſorum, ſtatuſque defunctæ ante mortem, me lateant fugiantque. Hoc tamen non obſtante, ea quæ a poſteriori quoad ſtatum hepatis allati, aliquomodo dijudicari & probabiliter concludi poſſunt, in medium proferam.

§. VI.

Subjecti de quo quæſtio, ſi conſideremus habitum corporis externum, minime adparentem macilentum, haud a vero abludere videtur, mulierem, dum inter mortales verſaretur, lautiori gaviſam fuiſſe victu; adde quod forte etiam more ſequioris ſexus, vitam degerit, ſedentariam, hocque modo plethoram exinde enaſcentem evitare non potuerit: ut alia incertiora ſilentio prætercam. Verum enim vero plethora in ſe conſiderata licet ab initio nihil mali portendat, ſucceſſu tamen temporis, ſufflaminato præcipue tributo lunari, multis idque ſæpius diris portam pandere ſolet adfectibus: quales dici poſſunt varii adfectus hyſterici, febris continua, tertiana, lactea &c. Inflammationes uteri, hepatis, ventriculi, lienis nec non cacochymia, eamque præter jam enumerata, concomitantia mala.

Sanguis enim abundans ſucceſſive vaſorum adauget diametrum, hincque mutua & inæquali preſſione inter ſolida & fluida, partium æquilibrium ſeu tonus, plus vel minus in hac vel illa parte deſtruitur, tandemque liber ſanguinis curſus facile ſufflaminatur in uno alterove loco: quo fit, ut cogatur ad locum magis patulum, ſeu minus reſiſtentem, reſilire ſanguis, aut devehi, tumque exoritur ſtatus communiter dictus præternaturalis.

§. VII.

De hepatis ſtatu præternaturali ejuſdemque ſtupenda magnitudine, etiam ad pondus uſque 12. 18. imo 27 librarum: conferantur *Ephemerides* G. N. C. præcipue Dec. I. A. I. obſ. 129. pag. 288. item Dec. 3. A. IX. & X. obſ. 241. pag. 424. item Dec. I. A. VI. & VII. obſ. 219. pag. 321. item Dec. I. A. IX. & X. obſ. 139. pag. 311. item Dec. II. A. VI. obſ. 203. p. 412. Præcipue vero refertur, hepar magnitudine excedens, fuiſſe cauſam reſpirationis difficilis, indeque ſubſecutæ ſuffocationis lethalis: Dec. II. A. II. obſ. 15. pag. 39. *ſequ.* Poſt tantum exemplorum illuſtrantium numerum prolatum, ſi quis ratione obſervationis a nobis nunc adductæ, ſedula mente trutinare velit: nutritionem totius corporis non defeciſſe, colorem hepatis non retuliſſe inflammationis criterium, & tamen ſtupendam adeo in molem excreviſſe hepar, hærebit forſitan animus in ferendo de tota re judicio. Attamen

unicum, quod relinquitur quodque ſpeciem probabilitatis ſuppeditare valebit, erit me judice ſanguinis arterioſi major juſto adfluxus.

Jam vero communis eſt omnium conſenſus, arteriam hepaticam nutritioni hepatis primario eſſe dicatam: notiſſimum etiam eſt, quod latex vitalis non deferatur ad hepar, niſi per arteriam hepaticam & venam portæ, (licet arteria gaſtrica, ramum haud infrequenter emittat ad ipſam hepatis ſubſtantiam) aſt aderat coarctatio venæ portæ, in ipſo etiam a quamplurimis dicto ſinu, diametrum illius valde diminuens, adeo ut iſta compreſſione ſanguinis per venam portæ, adfluxus non modo impediri; ſed & bilis ſecreta, ſucceſſive per cyſticum ductum ut & hepaticum in cholidochum, ita ut nihil fere bilis remaneret, excerni debuerit. Et ſi profecto unquam, bilis per cyſticum ductum in veſiculam regurgitaverit, hic nullatenus potuit; quod vel ejuſdem exiguitate nec non compreſſione potuit.

§. VIII.

Elegans, & ni fallor haud contemnendum, quodque ad præſentem obſervationem referatur, exemplum, præbet jecur anſerinum. Peregrinis enim in regionibus, ubi anſeres exquiſite ſolent ſaginari, (*die mit Nüdeln gefüttert*) ſæpius curioſitate allectus, hepar unum alterumve anſerinum adſpexi & examinavi, ſemperque fere hepar in grandiorem molem adauctum, obſervare licuit, coloris ejuſdem ac erat hepar, de qua agimus, humanum.

Et allatis, ut veritati quam maxime conſonis, luce meridiana clarius ut puto evadit, quod ſalva veritate, ſtatui poſſit, veram hujus mali originem a nimio ſanguinis per arteriam hepaticam affluxu merito eſſe derivandam. Hoc vero ſi *inficias ire* cuidam libuerit, in illum procul dubio onus incumbet docendi ac oſtendendi, undenam major ille ordinario arteriæ hepaticæ diameter? Cur ſtupendam adeo in molem excreverit ſecretioni bilis dicatum viſcus, adeo ut nullum bili veſtigium fuerit relictum? Et quæſo, qua via defertur latex vitalis ad hepar? Vix datur tertia inter arteriam hepaticam & venam portæ. Aſt hæc erat coarctata, una cum ductu hepatico; illa autem diametrum ſuperabat naturalem: manifeſto indicio, hanc, utpote hepatis nutritioni inſervientem, genuinam hujus ſingularis metamorphoſeos fuiſſe cauſam, ſi non primariam & efficientem, tamen occaſionalem, mutantem officinam bilis in cellarium largiſſimum, ſeu promum condum, totum nimium nutriens hepar, hocque ad eum uſque gradum, ut tandem immanis & monſtroſa moles, vaſorum infarctus, præternaturalis durities, ſcirrho haud multum diſſimilis, fortaſſe etiam ſuffocatio lethalis, non potuerint non inde reſultare.

§. IX.

§. IX.

Ne vero diſſertationis limites tranſgrediar, unius tantummodo rei adhuc mentionem injiciam: quod videlicet vix inducar ut credam inflammationem jecoris in caſu, de quo ſermo eſt, extitiſſe. Certum enim atque evictum eſt, omnem partis inflammationem, præcedentem habere valorum infarctum, aſt hunc non ideo ſemper ſubſequi inflammationem: certiſſimo indicio, infarctum a cauſa allata inductum, diu poſſe exiſtere ſine inflammatione. Interea nullus dubitans, libenter concedo, ſi exiſtente in vivis adhuc ægra, vel minima exorta fuerit inflammatio loci memorati, non tantum, uti probabiliter in dicto caſu, aliqualem dolorem, ſed & ſummos dolores & cruciatus in regione hepatis ejuſmodi inflammationem peperiſſe. Hæc vero neganti parata ſtatim erit reſponſio: verum quidem eſſe quoad congeſtiones a vena portæ obortas, aſt a vero omnino abludere quoad congeſtiones, infarctus hincque reſultantem inflammationem ab arteria hepatica productam. Talem quippe duplicem ſtatuendam eſſe inflammationem, judico, innixus argumentis tam a priori quam a poſteriori, depromptis.

His limitibus circumſcriptus, corollarii ſaltem loco ſubnectam; quod in danda morborum abdominis ætiologia & prognoſi, haud quaquam præcipitem ſe gerere conveniat, vel in adſtruenda vel in neganda hepatis inflammatione, ſiquidem aut obtuſus aut ſummus, verſus hepatis regionem obſervatur dolor.

Præterito anno Lutetiæ Pariſiorum ejuſmodi caſus ſe offerebat. Ægroto quodam de ſummo dolore in dextro hypochondrio conquerente, cui & aliquod adjunctum per intervalla, delirium, chirurgus firmiſſime *contebat* dolorem iſtum angoremque non eſſe adſcribendum hepati, ob ſubſtantiam hujus viſceris parenchymatoſam: medico tamen contrarium ſtatuente. Tandem, ubi vitam cum morte æger tranſmutarat, hepar inflammatum deprehenſum.

§. X.

Tradita adfectus ſciagraphia nec non propoſita qualitercunque ejuſdem ætiologia, per ſe patebit quod ſimili in ſtatu conſtituto alii cuivis ægrotanti, dari vix aliquod conſilium in arena poſſit. Exempla quidem allegantur queis docemur, fuiſſe interdum partem hepatis ablatam, ægro etiam ſuperſtite. v. g. *in Ephem.* N. 6. Cent. X. obſ. 49. pag. 339. ſeqv. refertur vulnus, cum amiſſione magnæ portionis hepatis, curatum.

Verum totius hepatis exciſio ἀδύνατον & remedium crudele nimis reputanda, partim ob inſigniora vaſa, partim ratione capſulæ Gliſſonii pri-

primaria hepatis vaſa ut & nervos, inveſtientis. Quid itaque tali in caſu conclamato faciendum, non video, niſi exacta & rigoroſa Diæta, remediis ſimul ſtipata diluentibus, loco curationis palliativæ, ut etiam ab initio, inſtituatur & ægrotanti ſevere injungatur. Sicut enim abſtinentia multorum ciborum, adjuncto inſuper motu corporis, omnes reddere emaciatas partes valet, ſimiliter & exiſtimandum aliqualem exinde poſſe effici hepatis, ratione molis diminutionem.

OBSERVATIO III.

GAlliam cum primum ingreſſus eſſem Anno 1737. atque de arteriis oſſeis, nonnullorum adſerta audiviſſem, videbar mihi non poſſe rectius judicare, quam ſi ad commenta referrem; certe plenam narrationi habere fidem non potui. Eodem vero anno Celeberrimum Winſlowium Præceptorem meum in anatomicis ſummopere Venerandum, Lutetiæ Pariſiorum hac de re interrogavi. Is ut quæſtioni meæ ſatisfaceret adſeveravit, ſe aortæ oſſificationem, licet raro obſervaſſe.

Sequente anno, menſe Decembri fortiore edoctus argumento, victas dare manus cogebar, ipſemet quippe in cadavere ad myologiam deſtinato, omnes arterias, præterquam in cerebro, oſſeas deprehendebam.

Viri ætatis decrepitæ cadaver mihi concedebatur. Ad muſculos abdominis plene perfecteque detegendos, cum me accingerem, quandam hinc & inde inſolitam in muſculis reſiſtentiam offendebam. Mox meliori licet rem aggredienti inſtrumento idem mihi accidebat, adeo ut certum aliquod punctum infra umbilicum, ſuper rectum dextri lateris muſculum ſeſe offerret, ubi non niſi ſecundo aut tertio ſcalpelli ictu, integumenta ſeparare poteram. Attentus ad hanc rem, tamen nihil adfirmare decrevi, niſi quod directus arte culter detecturus foret. Inveſtigavi itaque ulterius dictum locum, & inopinato deprehendere mihi licuit, oſſificatam arteriam epigaſtricam etiam in ipſa muſculi recti ſubſtantia.

Adſtantes permulti, admiratione & evidenti deſiderio perculſi, idem mecum examinabant. Poſtero die aperta cavitate abdominis invenimus arterias iliacas oſſificatas unacum ipſa corporis humani maxima arteria videlicet aorta, & ex illa orientem cœliacam, gaſtricam, hepaticam, ſplenicam nec non meſentericam, ſuperiorem & inferiorem: tametſi eædem ipſæ arteriæ, quoad earundem ramos & diſtributiones in viſceribus, tantum cartilagineæ hinc & inde videbantur; quemadmodum præcipue in hepatis ſubſtantia mihi adparebat, hanc enim incidendo reſiſtere quidem, ſed minus obſtinate, nec non hinc & inde leniſſimum ſtrepitum edere ſenſibus percepi, adeo ut nonnullis in locis hujus viſceris, ramificationes, non perfecte ſed ferme oſſeæ judicarentur. Aperto thorace detectiſ-

tectiſque aliquomodo colli muſculis, in conſpectum prodibant oſſeæ arteriæ, aorta ſcilicet, ut & arteria pulmonalis, non exceptis carotidibus, præcipue externis aliiſque per totum colli tractum. Hæ ultimæ etiam difficulter & fruſtulatim a me abſcindebantur; cum alioquin colli nonnullarunque aliarum, laringis pharingis ut & linguæ, muſculos, vix elaborare concinne potuiſſem. Notandum interim, aortam in loco, ubi ex ſiniſtro cordis egreditur ventriculo, ut & in magna ſua curvatura, cartilagini haud multum fuiſſe abſimilem; licet altero in loco, ubi nondum dicta definit curvatura i. e. ubi emittitur Carotidum arteria ſiniſtra, maxima hæc corporis noſtri arteria, verum conſtituere os inciperet. Iſtud vero os ſolidum, cum ramificationibus itidem oſſeis, per totam corporis peripheriam ſeſe diſtribuendo, continuabat uſque ad ultimos extremitatum receſſus. Cor adſpexi ſed non inſpexi quia me inſcio & invito auferebatur.

Attentionem meretur, unamquamque arteriam ab aorta ortum ducentem, interſtitiis tranſparentibus, & verſus extremitates, circularibus, ſcatere, in quibus nec cartilagineæ nec oſſeæ, ſed nude membranaceæ adparebant arteriæ; interim tamen diſſecta ſeu aperta per longitudinem arteria, interſtitia dicta, ſex aut octo linearum diametrum, conſtituentia, fuiſſe hinc & inde punctulis albis, duris & diſtinctis, arte quaſi factis, notata. Celeberrimus Dominus Ferren, Doctor Regens Pariſienſis, in demonſtrationibus ſuis anatomicis contendebat, memorata puncta ulteriorem oſſificationis progreſſum, indicare. Pulmonum in lobo ſiniſtro, materiam calcariam, friabilem, lapilli inſtar triangularis acuti, reperiebam. Ramificationes arteriæ pulmonalis partim cartilagineæ, partim vero uti & bronchia, oſſeæ, mihi videbantur. Singulare tamen erat, quod extremitatum arteriæ, quo magis ad manus & pedes accedebant, eo magis oſſificatæ fuerint, hocque ad impletionem fere cavitatis plenariam, crinis diametrum vix ſuperantis. Miraculum cuivis, talium curioſo demonſtrare ad oculum potis ſum: quippe qui ablatam inde ipſam illam aortam, una cum iliacis, nec non totam arteriam cruralem uſque ad ſuralis & tibialis arteriæ finem, adhuc ſervo.

ÆTIOLOGIA.

§. I.

ANtecedenter quam breviſſime annectere conſultum duco, aliorum Celeberrimorum virorum de arteriis oſſeis obſervata & literis tradita: inter quos anteſignani inſtar eminet, celebre tum temporis Daniæ in anatomicis lumen, Thomas Bartholinus. Is enim *cent.* 1. *hiſt. anat.* 50. inter alia ſequentem in modum mentem ſuam exprimit: *Membranoſum illud & denſum arteriarum corpus, interdum primo in cartilagineam poſtea vero in oſſeam abit ſubſtantiam.* Similiter laudatus vir, plurima oſſis rudimenta in aorta, ſigmodeiſque cordis valvulis, delineat: Cent. 2. epiſt. med. 97. etiam cent. 2. hiſt. anat. 45. exhibet os in corde humano. Præterea & refertur, Nobil. D. Antonium de Marchettis, Anatomicum Patavinum, publice recenſuiſſe, arteriæ magnæ truncum prope cor tam durum oſſeumque aliquando inventum fuiſſe, ut etiam mallei ictum eluderet. Sic quoque truncum aortæ deſcendentem oſſeum deſcripſit, Joh. Scultetus in Tract. de Frichiaſi admir. pag. 83. Item os cruciforme in liene exhibet Petrus Borellus cent. 1. hiſt. 4. Profert etiam Thom. Willis de *anima brutor. part.* 2. *cap.* 8. Arteriam Carotidem & Vertebralem dextram oſſeam ac imperviam factam: ut & cap. 7. de cerebr. anat. carotidem dextram plane oſſeam ſeu potius lapideam. Celeb. D. Joh. Jac. Wepferus in *obſ. anat. de apoplexia*, utramque demonſtrat internam carotidem lamina oſſea & tenera incruſtatam. Quibus ut alios prætermittam addi poteſt D. Lucæ Schrökii obſervatio, *de oſſiculis ex ſarcocele ſuppurata prodeuntibus*, uti videre eſt in Ephem. G. N. C. anni 3. dec. 2. p. 66. Similiter Lutetiæ Pariſiorum dyſenteriam obſervavi incurabilem, obortam ab apertura arteriolæ oſſificatæ in inteſtino colo &c.

§. II.

Columnas humani ædificii ſeu oſſa eboris inſtar dealbata, non ſatis laudare & admirari quondam potuit D. Simon Pauli; utpote cum genuinus oſſium uſus ex intentione Creatoris, in eo conſiſtat, ut fulcro, nec non diuturniori monumento, admirandæ totius fabricæ humanæ inſerviant: ſicuti etiam omnes nervi, muſculi, viſcera aliaque organa, non propter ſemetipſos, ſed in uſum hominis totius, merito fabrefacta dicenda. Hoc tamen non obſtante, quam mira, ſæpius ſtupenda & ſecundum noſtrum concipiendi modum vix homini neceſſaria exiſtimata, in regno naturæ occurrere ſolent, quæ & ideo ad naturæ luſus adnumerantur? Exem-

Exempli loco pauca tantum allegabo: obſervavit inter alia, Celeberrimus Winslow, quemadmodum oblatas per occaſiones ſæpius mihi retulit, cor infantis duplex, quorum utrumque duplici uti ſolet erat inſtructum ventriculo, vaſa ordinaria emittente; ita tamen ut aortæ, arteriæ pulmonales &c. poſt egreſſum e corde, tandem unicam aortam, & unicam arteriam pulmonalem &c. formaverint: quatuor aderant auriculæ teſte laudato viro, ſatis diſtinctæ. Similiter Lutetiæ Pariſiorum plus una vice, in cadavere quodam obſervabatur, duplex ductus Thoracicus, cum unica tamen ciſterna. Vidi præterea ibidem in alio, duplicem venam cavam cum duplici vena azygo: & ſi de nævis maternis eorumque frequentia, omnia allegare vellem, tempus & charta non ſufficerent omnibus enarrandis. Neque ultimo loco ponenda, obſervatio de ſororibus gemellis, ab oſſe ſacro monſtroſe ſibi invicem cohærentibus: in quarum memoriam, Programma, occaſione curſus anatomici Roſtochii habiti, eruditum non minus ac curioſum, publici quondam juris fecit; vir & arte & facundia inſignis, Celeber. Georg. Detharding: & programmati quidem hæc ſubjuncta leguntur diſticha:

Corpora binarum ſic concrevere ſororum;
Non niſi divina diſſocianda manu.
Amplexa eſt ulnis Helenam lucina priorem;
Horis deinde tribus nata Juditha fuit.
Exitus urinæ patet unicus, unicus alvo,
Obſervant numerum cætera membra ſuum &c.

Inter ſingularia quoque referenda obſervatio Joh. Dolæi, de puella bilingui facta elingui, recenſita in *Ephem.* G. N. C. *anni* 9. & 10. pag. 311. etiam in eodem Volumine pag. 320. mentio fit calculi ſub lingua oborti: conf. Petrus Foreſtus libr. 4. obſerv. & Zacutus Luſitanus, de Praxi med. admir. lib. 1. obſ. 72.

§. III.

Si variis ex cauſis reſultantes variationum in corpore noſtro miriadas, tam quo ad ſtatum phyſiologicum quam pathologicum, revocare ad animum velimus, perſpectum erit intelligenti, varia adhuc perſcrutanda reſtare, quorum cauſæ ſeu diſtinctæ cauſarum notiones nondum tenebris evolutæ, neque firmo ſatis ſtare videntur talo, adeo ut licet ſcientiæ ad ultimum fere gradum evectæ, a multis haud ſine ratione, exiſtimentur; tamen in verba viri quondam eruditiſſimi, erumpere adhuc cogamur, dicentis: *Tantum eſt quod ſcimus, ſed quantum eſt quod ignoramus?* Peculiares inter, non ſatis admirandas & rariſſime occurrentes in microcoſmo varietates, jure meritoque referenda ſingularis, eaque totalis,

arteriarum, de qua loquebamur, oſſificatio. Ejus genuinas cauſas, cum nihil ſine ratione ſufficienti, licet interdum ignota, rimari, mente proſequi, etiamſi nondum perfecte aſſequi, nunc propoſitum. Scopus ſummi artificis, artificioſe omnia conſtruentis, eſt haud dubie, ut vitalis latex, æquabili in microcoſmo tono & circulo ad omnes etiam minutiſſimas partes diſtribuatur, diſtributus vero, primo ejus centro motu retrogrado, de novo communicetur: ſicut prolixius explanare conatus fui: in diſſ. 3. *de uſu motus tonici* §. 24. habita in Collegio medico anno 1727. Aſt hic ordo hæcque elegantiſſima circulationis lex, in allato caſu tolli videtur, vaſa enim, liquidum vehentia & in uſum flexibilitatis pulſuque, per totam vitam duraturi, ex tunicis conſtructa, metamorphoſeos haud manent immunes, evadunt inflexibilia, rigida, cartilaginea, oſſibus non modo ſimilia, ſed & oſſeam induendo naturam, oſſa fiunt; dicat quiſpiam & aperiat nobis idoneam extraordinariæ variationis hujus rationem: pronunciet verum rei tam inſolitæ, quam certæ & indubitatæ uſum. Facile fortaſſis hoc primo adparebit intuitu; aſt quo magis nervo intendimus huic oneri ferendo, eo majores difficultates, eo graviora obſtacula nos offendere, etiam invitis confitendum erit. Cui in promtu erit aſſeverare, ejuſdmodi oſſa, ſi omnem eorum uſum ſpectaverimus, eo deſtinata, ut conſtituerent, imminentis partium ſolutionis & interitus præſagia? Quis denique cauſam hujus peculiaris phænomeni, tanquam infallibilem, ex mera fibrarum rigiditate derivare conabitur? Verbo, pleraque doctorum judicia quæ adferri hac de re poſſunt, nihil minus quam certa, aut veri inveſtigatori animo videntur ſuffectura.

§. IV.

Periculum tamen facturus, ea circa commemoratam obſervationem in medium proferam, quæ a veritate non multum abludere, aut ſaltem probabilia cenſeri poſſe exiſtimavi. Quemadmodum multarum cauſarum, unicus ſæpenumero exiſtere ſolet effectus, ſic & præſenti in caſu, unica cauſa inſufficiens erit, ad ſtatuendam generalem ejuſmodi arteriarum oſſificationem. Nam alias vaſorum in oſſa mutatio, cuivis ſeni decrepito, utpote fibris rigidioribus inſtructo, obtingere deberet, cui tamen tranſformationi, non ſuffragari videtur ſcientiæ medicæ magiſtra, experientia. Conjunctis vero, ſeu ſimul exiſtentibus cauſis variis, effectus talis oboriri poterit, & quis noverit, annon & ſæpius noſtris in regionibus extiterit, ſed ob defectum anatomes cadaverum, obſervari non potuerit, riteque examinari.

§. V.

Compacta adeo oſſium ſubſtantia, ſicut plurimum continet terræ, pin-

pinguedinis oleoſæ minus, aquæ vero longe minorem quantitatem, ita & factis rite experimentis idem exhibere ſolet. Si vero eorundem compoſitionem a poſteriori, paulo exactius contemplemur, duo hic conſideranda veniunt. Cœmeteria enim, elegantem eorundem atque ex lamellis conſtantem ſtructuram, demonſtrant. Machina vero Papiniana, eadem valet in liquamen, ſeu veram gelatinam, parvo temporis intervallo, leniſſimo adhibito igne, reſolvere. Hæc attentius penſitanti, in aprico erit, quænam ſint oſſium principia conſtitutiva, quænam ſit ſtructura ſeu fabrica eorundem naturalis, & in quod ultimum redigantur. Ad principia quod attinet, ex chymicis haud minus clareſcunt; ſi enim oſſa igni ac deſtillationi ſubjiciantur, promtius dictarum partium ſeparatio procedit; nam primo aquea humiditas, ſub portione phlegmatis pauca, deinceps ſubtilior terra, cum oleoſitate permixta, ſub ſalis volatilis oleaginoſi forma prodit, terra autem craſſior ſubſtantia, firmitatem atque duritiem oſſibus largiens, in retorta remanet.

§. VI.

De ſtructura atque lamellis oſſium, ceu oſſeis bracteis reticularibus, ut & de progreſſu filamentorum oſſeorum in fœtu, egregie jam ſuo tempore diſſeruit, oculatiſſimus vir Malpighius in libro de *Anat. Plantarum.* Varia etiam erudite ſatis proferuntur huc reſpicientia, in *anatom. oſſium* Dominici Gagliardi, licet vix inducar ut credam, allatas ibidem claviculas, ſquammulas aut lamellas connectentes, aliter quam (quod pace viri dixerim) ex lege imaginationis poſſe demonſtrari.

Omnium vero accuratiſſime maxima cum cura & peculiari aſſiduitate, hæc delineavit: Bernhard Sigfr. Albinus, in *oſteogeniæ hiſtoria* a celeberrimo Viro edita Leidæ Batavorum Anno 1737. Docte etiam ſcripſit Theodorus Kerkringius in *oſteogenia fœtus:* errare tamen videtur in eo, quod experientiam ſibi famulantem non demonſtret, ſtatuendo: oſſium rudimenta ſe habere ab initio inſtar membranarum: hincque cap. 1. pag. 213. inquit: *imo videtur totum corpus in embryonibus ex mera membrana conſtare:* hæcque membrana, ſecundum ipſius ſententiam, ſucceſſive in cartilagines tandemque in oſſa mutatur. Vidi equidem plus ſemel, membranam ſeu potius expanſum, naturæ cartilagineo membranaceæ, in oſſibus cranii ſuperioribus calvaria dictis: aſt, ni fallor, nunquam id in aliis oſſibus obſervare licet; quamobrem mihi adſtipulantem in *oſteogenia* Albinum, allegaſſe non pœnitebit; hujus enim verba pag. 150. ſequentis ſunt tenoris: *Mirabile eſt* inquit, *quomodo alia oſſium a principio natura ſit, alia deinde. Omnium cartilaginea primum, poſt oſſea. Nunquam autem membranacea, quanquam talis eſſe adpareat ampliorum ſimul & tenuium, quo tempore cartilaginea ſunt; ut quæ calvariæ ſuperiorem partem efficiunt; horum enim ſpecies membranacea eſt, natura cartilaginea: reliquorum ne*

 ſpecies

ſpecies quidem membranacea eſt &c. poſtea ibidem eleganter pergit, diſcendo: *ut deinde tenerrima hæc cartilago creſcit, ita ſe paulatim confirmat, ac ſimul ex albida fit ſenſim candidior, amittitque pelluciditatem ſuam. Poſtquam diu permanſit, dura eſt, candida, craſſa & concreta. Quædam autem cartilagines oſſeam naturam inchoant cum adhuc valde molles ſunt, & pellucidæ: aliæ demum cum jam duræ & concretæ. Cum in os abituræ ſunt, oſſei minutiſſimum quoddam alicubi intus in iis inchoatur, quo creſcente, ſeſeque diffundente, magis & magis occupantur; ipſis interim quoque creſcentibus cartilaginibus.*

§. VII.

Hæc ultima verba tantum incidenter allegare volui, partim ut pateſcat quodammodo quæ doctiſſimi viri de peculiari oſſium progreſſu, paucis verbis expreſſa ſit ſententia, partim vero ne omnia ab aliis de oſſibus tradita, tanquam fictitia reputentur. Verba enim allata, non ſolum accuratiſſime iconibus illuſtrata dedit, ſed inter varia alia, curioſiſſima non minus, quam utiliſſima, ipſe hæc omnia mihi Auctor laudatiſſimus in Fœtibus variæ magnitudinis, ſumma cum admiratione, nuperrime demonſtravit. Quo ſimul tempore maxima cum animi delectatione videbam, minutiſſimum illud, cujus allata jam verba mentionem faciunt, quodque mihi adparebat inſtar puncti, in medio hujus alteriuſve oſſis, licet ſuperne magis v. g. humeri, poſiti. Quæ puncta, cum adhuc cartilaginea albiſſima ac fere pellucida exiſtunt oſſa, interdum etiam hinc & inde in oſſe adhuc cartilagineo, diſperſa ſunt. Attamen unicam obſervabam in alii fœtus oſſe ileo, exceptionem; etenim in ileo non incipere videbatur per punctum aliquod, aut quemadmodum fit in promptioribus oſſificationibus per aliqua puncta citius adparentia, ſed in ileis oſſibus quantumvis cartilagineis, reperiebantur variæ lineæ ſtriatæ aut filamenta oſſea, non adeo alba & mollia ac ipſa cartilago. Præterea notatu dignum, primum quod in fœtu apparere ſolet os, exiguum eſſe illud Zygomaticum.

Inter oſſa capitis præcocia, maxillam inferiorem annumerat Theod. Kerkringius in oſteog. fœtus cap. 9. pag. 2. 34. Et Celeberr. Joſephus Hunauld Anat. P. P. Horti Regii Pariſienſis: monſtravit præterito anno, cranium infantis, præcocis adeo oſſificationis, ut cerebrum quod nondum proportionatam cum cranio nactum fuiſſet magnitudinem, ob juſto majorem cranii capacitatem, cranio non ſufficienter unitum, fere fluctuaverit, puellamque cui ultra tertium annum vixit, ſtupidam reddiderit.

§. VIII.

§. VIII.

Expoſitis breviſſime oſſium principiis, initiis & ſtructura, nunc ad ipſum deveniemus oſſificationis modum. Hic duo præcipue ſupponenda veniunt: imo oſſa poſſe redigi in gelatinam, ſeu conſiſtentiam acquirere ſpiſſiuſculam & gelatinoſo ſubmucidam: 2°. Naturali & ordinaria nutritionis lege, ſeu adpoſitione fibrarumque prolongatione, oſſa incipere, accreſcere & perdurare. Ne quid dicam de mutua partium inter ſe preſſione, haud parum etiam afferente: quod vel ex eo liquet inter alia, quod ſuccus nutritius provenire poſſit a peripheria membranæ circularis, redeuntis poſt trepanationem, aut alio modo circulariter ablata parte cranii, ita ut memoratus ſuccus tendat ad circuli centrum, ibidemque ſcilicet in centro, molecula nutricii ſucci, ob mutuam partium inter ſe preſſionem in quiete relinquatur, augeſcat & naturali calore exſiccetur: tale enim rariſſime occurrens cranium laudatus Celeberrimus Hunauld, ſæpius me præſente publice monſtravit, ubi nimirum in loco, in quo facta partis cranii ablatio, redierat membrana ex ipſo meditullio, foramen exacte claudens, & demonſtrans in ejus centro punctum oſſificatum. Unde etiam probabile mihi videtur, totam membranam potuiſſe hoc modo ſucceſſu temporis, in cranio, adulti hujus oſſificari, dummodo diutius ſuperfuiſſet homo.

§. IX.

Ea, quæ I. membro attulimus, facile ex antecedentibus putamus concedi: ideoque concludendum exiſtimamus, oſſa conſtare ex materia quadam gelatinoſa. Sin vero ſecundum non admitti poſſe videatur, quatenus nempe exinde ſequeretur, compactam odeo oſſium ſubſtantiam, in ipſiſſimo latitare ſanguine: reſponſio erit in procinctu: conſequentiam eſſe legitimam eandemque utpote principiis juſtis innixam, omnino eſſe adſtruendam.

Exemplum ne præbent quodammodo bombyces & araneæ? Ex eorum enim humore vitali ſecernitur liquidum quoddam, quod ore excernitur, aëre vero exſiccatur, conſolidatur & peculiari eorundem ſolertique aſſiduitate tandem elegantiſſima conficitur textura. Si itaque oſſa dicenda ſint ex materia quadam mucilaginoſa conflata, hæcque in humido hominis, vitali dicto, reſideat, nullibi certius eadem erit invenienda, quam in parte lymphatica. Novimus enim lympham non eſſe unicum ſimplex corpus, ſed compoſitum commixtumque ex diſſimilibus moleculis, utique nuncupandam; aptamque natam ſatis, ut ſuccum continere & promere queat, veluti commune nutrimenti genus, cuique parti, duræ non minus quam molli, idoneum atque convenientem. Quærenti vero modum mutationis lymphæ in ſubſtantiam duram, alia reponenda quæſtio: quomodo oritur humor cryſtal-

cryſtallinus? An mollis evadet, ſi calore aquæ aut per acida exſiccetur? Non tamen ideo refugiendum erit ad Aſylum quoddam inauditum, aut minimum ignotum, quale dici ſolent varia v. g. Gluten quoddam peculiare, vegetationis opifex ſegregans & aſſimilans ſuccum, mox carni, mox cartilagini tandemque oſſibus proprium: ſimiliter ſpiritus inſitus, Archeus, ſucci nutritii Rector, Dux aut fermentum, aliaque plura hujus farinæ commenta.

§. X.

Contra potius talia erunt offerenda, de quibus dici nequit, tritum illud: *verba ſunt prætereaque nihil.* Obſervatu itaque facile eſt, ſerum ſanguinis, leniori licet igne, non tantum in fibroſam compagem coire, ſed tandem cartilagineam, diuturnitate temporis vero corneam & fere oſſeam induere naturam: e contrario autem oſſa aliaque a gelatina originem ducentia, in idem reduci poſſe docet experientia §. 5. allata, adeoque evicta ſatis manet rei poſſibilitas, quod vero actu ita fiat, pateſcit ex allato oſſificationis caſu. Cadaver de quo agitur, erat viri decrepiti, fibriſque rigidioribus exſiccatis inſtructi: jam vero, teſte D. Hippocrate, oſſa calore indureſcunt: & ſalva manente veritate, quivis, contendere poteſt, quod mora quam facit lympha in oſſium poris, ubi non niſi lente admodum procedunt humores, adjuncto ſimul jugi calore naturali, ſufficiat ad conſolidandam aut concentrandam lympham, abeuntibus videlicet partibus ſeroſis & remanente tantum parte terrea oleaginoſa: adeo ut non tantum os ex humorum in cartilaginibus lento motu generari, ſed & debite nutriri queat: quemadmodum inter alia idem videmus in quovis ſcirrho indurato, & tractu temporis inſenſibili facto, ut & in locis callo obductis. Jam vero ad eum modum quo mora quam nectit lympha in meatibus oſſium, viſum fere fugientibus, ſufficit, una cum colore naturali, lymphæ conſolidandæ: quis inficias ibit, uſu etiam venire & accidere poſſe in ſtatu decrepitorum præternaturali, quam primum vel minima oſſificationi prona molecula, parietibus vaſorum fuerit adpoſita? & conſequenter in corpore cujus mentionem fecimus, contingere idem potuiſſe.

§. XI.

Cum vero ſenum oſſa non amplius creſcant; hincque non plus ſanguinis requirant, quam pro nutrimento ordinario ſeu debita conſervatione neceſſarium, ideo in propatulo eſſe, judicamus, quod ſi præſertim ſenes, Diæta lautiori abutantur, potionibus ſpirituoſis exareſcentiam illis naturalem, fibrarumque ſiccitatem hincque rigiditatem augentibus, tunc, diſſipata per corpus ſanguinis ſeroſitate, iiſdem non tantum, nimium illud nutrimenti varia incommoda pariat, ſed & abundans in ſanguine gelatinoſa pars, nimium terreo oleaginoſis moleculis inſtructa, quippe quæ in nutrimentum oſſium non amplius neceſſaria eſt, de novo recipi in vaſa ſanguifera cogatur,

uſque

uſquedum ſucceſſu temporis, una alterave molecula parietibus vaſorum adponatur, quæ ſucceſſive, nova adpoſitione facta, naturali colore exſiccatur, ſeſe vero exſiccando, tunicas vaſorum non modo conſtringendo ſenſim coarctat, ſed & ideo ipſam oſſificationem, ſuccum ad oſſificandum pronum magis concentrando, ibidem accelerare valet, adeo ut aboriatur filamentorum lamellarumque fibroſarum & oſſearum, vera & realis prolongatio.

§. XII.

Ultimum tandem quæritur: an ne totum conſervationis aut partium homogenearum adſimilatione? Si hoc non minus quam illa nuperrime adſtructa, concedatur, quod videlicet ſuperfluum ſanguinis non cedens in nutrimentum oſſium, ex oſſibus de novo ad vaſa deferatur ſanguifera, priſtinamque circulationis legem, experiri cogatur, finem præſenti ætiologiæ, abſque aliis longe petitis argumentis, imponemus. Legitima enim erit ſequela: ſive ab abuſu ſpirituoſorum vel quacunque demum cauſa in decrepitæ ætatis homine, oriatur major quam in aliis fibrarum ſiccitas, hancque concomitans earundem rigiditas, atque interim ciborum gelatinoſorum & nimium nutrientium, uſus continuetur, ſequitur neceſſario, partes homogeneas gelatinoſo-mucilaginoſas & primario nutritioni oſſium dicatas, ſed ſanguini de novo ſæpius communicatas, tandem utut abundantes, hinc & inde in vaſis ipſis deponi, & ſibi invicem uti ſtratum ſuper ſtratum adponi. Non aliter fere, quam aqua celebris fluvii, *Fürſten Brun* dicti, prope Jenam Saxoniæ, aliorumve fluviorum facere interdum ſolent; nam ſi lignum immiſeris in currentis fluvii aquam, atque poſt quadrantis horæ intervallum extraxeris, aqua licet adparente limpidiſſima, totam ligni ſuperficiem, materia calcaria obductam & petrefactæ ſimilem deprehendes. Atque hoc modo exiſtimo declarari poſſe, quare ſenex aliquis vaſa habere queat oſſificata cum in altero tamen, ætatis licet decrepitæ, parum aut nihil ejuſmodi deprehendatur.

§. XIII.

Interea alios majori arte & experientia inſtructiſſimos, ea qua par eſt obſervantia, rogatum volo, ut paucas, quas afferre ſuſtinui rationes æqui bonique conſulant: eademque opera ſcientiæ Machaoniæ Coryphæos audeo invitare, ut data in Praxi occaſione ulterius de hoc caſu inquirere; ejuſque ſi offeratur, examen velint inſtituere. Vidi equidem & perlegi varios authores, qui nec ulla de arteriarum oſſificatione annotarunt. Aſt nullum hucuſque vidi in cauſarum evolutione ſerio occupatum, multoque minus qui omnium arteriarum in oſſa transformationem delineaverit.

Ad me quod attinet, accuratiorem nequeo nunc exhibere ætiologiam, quam vero data uberiori exemplorum copia, dummodo in praxi occurerit, ulterius ſcrutari, indagandæ veritatis gratia, non ceſſabo. Hancque etiam

ob cauſam, nullum mihi cognitum ſpecificum, quod tamen miram in corpore humano metamorphoſin, ſicubi contigerit, valeat tollere, ita ut vaſa ad ſtatum priſtinum naturalem redeant. Interim ex ultimo allatis perſpicitur quodammodo, vi contrariorum, methodus, ſi non curatoria, tamen minimum præſervatoria, eaque a mali initio inſtituenda. Cæterum accuratiſſime ſuo ævo pronunciavit divus Hippocrates Sect. 5. aphor. 18. Frigida oſſibus inimica. Signa vero morbi, de quo nunc egimus, ad morbos ætatum & quidem decrepitorum, referendi, me latent, niſi hoc duntaxat, quod ex diæta perverſe inſtituta, fortaſſis etiam ex pulſu queant conjici.

OBSERVATIO IV.

Anno 1739. Deprehendi inter duram meningem & membranam arachnoideam, ſaccum membranaceum craſſum, ſub forma dimidiæ lunæ, affixum unice parti anteriori & poſteriori cerebri: hincque in medio incurvato, ut & in plano, cerebrum reſpiciente, liberum. Peculiare iſtud ſacci genus, alterum, & quidem dextrum cerebri lobum obtegebat, atque materiam continebat polypoſam, & quodammodo liquidam. Facta ejus aliquali evacuatione, adhuc reperiebatur uncia cum dimidia circiter, liquidi cujuſdam inſtar atramenti nigerrimi, in ſacco memorato contenti. Hujus rei teſtes fuere Pariſiis Celeberrimus Winslowius, aliique, quorum nonnulli hic Hafniæ jam præſentes. Et quidem tunc commonſtravi, quod ſacco ablato, arachnoidea, piam meningim ut & cerebrum adhuc obvelaret, manifeſto indicio, membranaceum iſtum ſaccum, præciſe inter arachnoideam & duram matrem, reſidiſſe.

Θεῷ δόξα.

STEPHANI

CCXXVI.

STEPHANI WESZPREMI

OBSERVATIONES MEDICÆ

Trajecti 15. Julii 1756.

QUandoquidem non jejunis ſpeculationibus, ſed obſervationibus rite captis ſalutaris ars noſtra medica ſuum debeat incrementum: operæ pretium me facturum exiſtimavi jam ab eo ipſo tempore, quo ſacra hæc primum ſalutavi limina, ut ea omnia, quæ vel propria didicerim experientia, vel auditione aut lectione acceperim, pro privatis meis uſibus referrem in adverſaria, ut artis hujus mihi olim compararem gazophylacium. In publicum pro more ſolito prodituros, collectarum obſervationum nonnullas ſpeciminis loco hic adpingam:

OBSERVATIO I.

Anno 1753. *ad d.* 13. *Februar.* Turici in Helvetia, virgo annis nata 30. ex hydrope dicto aſcite in publico ægrotantium hoſpitio fatis functa eſt, cadaver in theatro anatomico manu demonſtratoris Burckardi apertum eſt, vidimus in abdominis cavitate ſaccum inſigni magnitudine carnoſum unius fere libræ cum dimidia in eum modum formatum, ut eſt uterus femineus quarto quintove geſtationis menſe dilatatus, vel ut altero a partu die contractus, qui funiculo velut umbilicali quopiam connectebatur cum ſiniſtri lateris ovario majorem partem jam putrefacto, ligamentum utrumque teres & rotundum, & tuba fallopiana cum vicinis partibus ad fundum usque uteri omnia erant mirum in modum lacerata, ſed illæſa interim fimbria, morſus diaboli a nonnullis dicta, quæ in latere magnæ illius molis pendula hærebat carneo juncta vinculo. Ad monſtroſam hanc ovarii hydatidem properavimus incidendam, ex qua primum quoque croceum, viſcidum, & naribus ingratum eduximus liquorem, mox ex ejusdem cavo ſolidiſſime compactam, ſed variis cavitatibus hinc inde absque ullo ordine pertuſam, oſſeam manu noſtra extraximus concretionem, quæ in bilancem poſita uncias quinque & drachmas ſeptem pendebat, reliqua abdominis ut & thoracis contenta omnia permanſere illæſa, niſi quod color viſcerum naturalis in multis partibus maxime fuerit immutatus. Rapuit omnes ſpectatores in ſui admirationem tam inſolitæ rei ſpectaculum, & inſignem hanc varie philoſophantium turbam in ipſas fere triſtes archimedæas conjecit meditationes.

OBSERV. II.

Senex quidam octuagenarius, annis plurimis in ſchola triviali præceptor, lenta tabe fatigatus ad d. 16. Febr. anni 1753. in noſocomio reipublicæ Turicenſis exſpirat, inter triſtes liberorum, amicorumve lamentationes & certamina in theatrum deportatur, ſed interpoſita publica magiſtratus auctoritate tumultus compeſcitur, dum ad habendas præ-

lectiones ſplanchnologicas in cadavere præparationes inſtituimus, animadvertimus raro admodum exemplo pericardium cum reliqua muſculoſa cordis ſubſtantia intime concreviſſe. Ex dextro cordis ventriculo eum ex carne concretum extraximus polypum, cujus forma crucem ex aſſe referebat: altitudo baſeos novem, alarum quævis duos dabat pollices. Ubi inter operandum ad ſecundam tracheam perventum eſt, in canali arteriæ aſperæ lumbricus quidam teres albidus, octo pollices longus conſpiciendum ſe obtulit, & mox, ubi ad bronchia penetramus, in altero eoque ſiniſtro, priore non multo brevior hærebat lumbricus rigidus. An ſpiralis fiſtula, ejusque bronchia fuerint vermium, quo utebantur, hoſpitium, non videbatur ob prægnantiſſimas rationes tunc temporis nobis vero ſimile, licet aperturam laryngis lingula, dicta epiglottide, tam firme clauſam repererimus, ut difficile fuerit concipere, qua ratione poſt mortem ex inteſtinis per ventriculum & æſophagum in hanc cavernam potuerit delabi. Præterea vitio ſenectutis laryngis cartilaginem thyroideam & cricoideam potiſſimum in oſſeam mutatam fuiſſe ſubſtantiam mirabamur maxime. Uterque pulmonis lobus tam firme coſtis musculisque adhæſit intercoſtalibus, ut pleura, qua ſolet contegi, prius rumperetur, quam ut ab amica hac conjunctione commode potuerit avelli. In pleura hac morbida quoque Heiſteri illa adparuere tubercula plurima, quæ celebratiſſimus Cheſeldenus Anglus glandulas pleuræ adpellitare conſueverat.

OBSERV. III.

Sara Glandening, virgo annorum 17. Deptfordenſis ex agro Cantienſi, optimo corporis habitu prædita, anno 1754. menſe Septembre curata eſt ex febre intermittente, mox ita dira cœpit excruciari odontalgia, ut duo evellerentur molares, quo facto non modo inſignem animi perturbationem paſſa eſt, ſed etiam glandulæ maxillares majorem in modum intumuerunt; ad tollendum morbum poſt exhibita varii generis medicamenta, mercurius dulcis in uſum vocatus eſt, ut medicamentum dumtaxat alterativum, ſed dum ſua culpa & amicorum incuria ptyaliſmus excitaretur, & a ſiti interea urgeretur vehementius, lecto proſiliens arripuit vas, quod vinum continebat rubrum, largiſſimum ſicco gutture avide ex eo hauſit poculum: rediit in relictum nidum e frigidiore aëre, & ſenſit illico aliquam refrigerati ſtomachi moleſtiam, quam paullo poſt dolor non levis ad ſcrobiculum cordis e ſiniſtra regione inſecutus eſt; ab hoc tempore nata eſt ingerendorum difficultas, mox vomitus continuus, ut duorum menſium intervallo domi ſuæ omnem cibum potumque adſumtum illico per os redderet. Anno 1755. ineunte menſe Martio in noſocomium admiſſa cœpit tentari laxantibus, emollientibus, lubricantibus, cardiacis, opiatis, fomentationibus &c. ſed nullo

hic

hic quoque ſucceſſu: quare dum corpore jam eſſet emaciato, & viribus propter enediam exhauſta, enemata nutrientia ex oleo & ovo potiſſimum parata quotidie per anum injecta, ſic non modo inſignem urinæ quantitatem cœpit ſingulis diebus reddere, quum antea non niſi duodecimo quovis die ſolam excerneret unciam: verum priſtinus quoque vividus faciei color redditus, ſed redditus etiam eſt corporis vigor. Id ante obſervatum eſt, quoties cibum potumve vel medicamentum adſumeret, quodammodo ſe toties refocillari ſenſerit, licet exemplo non mutato colore, nec odore, vel ſapore id omne foras ejecerit. Quum non levis oriretur ſuſpicio cardiam ventriculi forte eſſe obſtructam, virgula exploratoria ter diverſis temporibus in ventriculum immiſſa eſt, ſenſit toties operatorum manus aliquam reſiſtentiam ad ſuperius ventriculi orificium. Quinque menſibus integris nullus cibus vel potus in medium deſcendere potuit ventriculum, & non niſi ſemel per tempus hoc omne menſtruo laboraverat. Habita ad extremum conſultatione tandem definitum eſt, ut tentaminis inſtituendi gratia pedes unguento inungerentur mercuriali: levis dum ſic per duas ſeptimanas producitur ſalivatio, & videt interea alias in ſuo contubernio avide cibum capere; petit ſibi quoqce offam ab aliis offerri, eam ſibi oblatam mox recto itinere in ventriculum ſine ulla moleſtia demittit famelica, idem tentavit ſub veſperam eodem cum ſucceſſu; verum ori ingeſta non amplius jam foras ejecerat, & mox die poſtero ipſa natura fæces alvinas ſua ſponteprotruſerat. Sic liberata a pertinaci morbo, & priſtinæ ſanitati reſtituta eſt virgo nubilis.

OBSERV. IV.

Rob. Rough, apothecarius, menſe Martio elapſo, atroci corripitur hemicrania, non certo alicui loco hicce dolor inſedit, ſed totam capitis partem dimidiam dextram periodice invaſit per duas hebdomadas ea lege, ut elapſa quaque hora quarta paroxyſmi nimium quantum exacerbarentur, & non niſi poſt bihorium ſedarentur, ita tamen, ut numquam dolor in paroxysmorum intervallis ex toto remitteret. Poſt inſtitutam venæ ſectionem leniter purgantia exhibita ſunt medicamenta, veſicatoria adplicata, &c. Aeger atrocitate doloris victus, quum trepanationem, periculoſam illam calvariæ perforationem, multis expeteret verbis, arteria quoque temporalis bis aperta eſt, ſed nullis remediis pertinax dolor demulceri potuit. Quum periodicam paroxyſmorum in orbes veluti revolutionem manifeſtam eſſe conſtaret, febre topica hemicranii hominem laborare conjectabam, hac fini brevem conſultatoribus medicis narro hiſtoriolam, quam ex celeberrimi in arte medica apud ultrajectinos profeſſoris, *Joan. Ooſterdykii*, fautoris & præceptoris optumi ore nuper admodum didiceram. Retulit, inquiebam, vir ille experientiſſimus in doctiſſima ſua prælectione de febribus publice habita, curæ ſuæ fuiſſe commiſſum

ſum honoratum quemdam urbis illius civem, qui in altero, eoque ſiniſtro, ut putem, pede in hunc fere modum pathognomicis per vices urgebatur febris intermittentis ſymptomatibus, fruſtra tentatis aliis remediis, ſola corticis exhibitione ſe ab hoc malo ægrum liberaviſſe. Aderat in cœtu noſtro non nemo, qui retulit ſimilia ſe quoque alicubi legiſſe exempla. Poſteaquam manibus pedibusve in meam itum eſſet ſententiam, inſtituendi tentaminis gratia peruviani pulveris uncia intra breviſſimum illud, quod inter duos paroxyſmos erat temporis intervallum, partitis doſibus exhibita eſt noſtro patienti. Numquam dolor amplius revertit.

OBSERV. V.

CAS. I. Eliz. Lawrence, puella an. æt. 14. ingreſſa, chorea S. Viti corripitur, die 18. Jun. 1755. adducitur, quotiescunque in inſtitutis per cubicula viſitationibus ſe mihi conſpiciendam præbuit, ipſiſſimum protheum mihi videre videbar, nam ita miras & inſtabiles habuit geſticulationes, ut in mille figuras ſe temporis momento transmutaverit, unde factu impoſibile exiſtimo univerſalem hanc totius corporis poſſe depingere convulſionem. Ex certiſſimis colligere licuit indiciis, eam non fuiſſe prorſus de ſtatu mentis ſuæ dejectam: inſignem tamen adfuiſſe doloris ſenſum ex animi pathematibus didici, nam quum ſubinde in riſum ſoluta cachinnum quodammodo edere tentaret, eumque ore hianti continuaret, extemplo corrugata fronte, & diſtortis mire labiis inſtar canis iracundi ringebat, pedibus manibusve interea circulatoris inſtar mira præſtabat, & toto ſe jactabat in omnem partem corpore. Dum ita diverſos invicem miſcuit animi adfectus, in ipſis quoque ſpectatoribus diverſi exoriebantur adfectus, neſciebant enim, riſune an commiſeratione potius eſſet dignior. Verbo dicam, ii fuerunt omnium muſculorum motus convulſivi, ii nervorum omnium innumeræ diſtorſiones, ut inficeta plebecula, quæ morbos a veneficiis ſuſcitari credit, ex ſolo adſpectu facile ſibi perſuaderi paſſi fuiſſe eam incantamentis, vel malis veneficarum muliercularum artibus corruptam. At quum vana hujusmodi opinio ad ſolas Hiſpanicas referenda ſit fabulas, curata eſt medicamentis domando huic morbo idoneis: ℞ Tinctur. Sacr. ℔j. Syr. e Mecon. ℥jſs. Sal. CC. ʒiij. ex Miſtura hac catholica quovis mane & veſpere unciam ſemis, ſeu cochl. j. ebibit. Ex pilulis ſaponaceis ſumſit gr. v. omni nocte hora ſomni. Ex tinctura vero fuliginis gutt. 30. ad 40. hora 11. matut. & 5. pomerid. ſumſit ex hauſtulo aquæ fontanæ.

CAS. II. Fuit alia puella ejusdem ætatis, Maria Wolfe, hæc ſegniori pede duxit S. Viti choream, nam mente ſibi conſtabat utplurimum, nec tam frequenter corpus indecore jactaverat, miras interim habuit ſuperiorum labiorum diſtorſiones immotis inferioribus; utraque manu tam laborioſa fuit præterea, ut fila quandoque ducere, eaque rupta connecte-

nectere, mox ſubito digitos contorquendo quidpiam numerare videretur, &c. Ad d. 21. Jan. anno præſente, incepit hac lege curari, ut ʒj ex pulvere Valeriano ter de die daretur: ℞. Pulv. Valerian. Silveſt. --- Viſc. querc. cinnab. factit. āā q. v. m. toties hauſit ex lacte ammoniaci cochl. duo, quorum ſingulis gutt. IV. de tinct. Thebaica ſunt inſtillatæ. Ad d. 18. Febr. in locum nominatæ ſtatim miſturæ ſubſtitutum eſt julapium. Volat. ad ℥j. ter. quotidie ſumendum ea lege, ut hic quoque quibusvis unciis miſceretur laudanum liquidum majore doſi ad gutt. XII. ſanitati reſtituta, finito Martio dimiſſa eſt.

OBSERV. VI.

CAS. I. Georg. Letſon, 28. ætatis annum numerat, robuſto ſatis eſt corpore, is mature diſcendæ arti pictoriæ animum puer addixit, quo id lucratus eſt infelix, ut anno abhinc tertio in colicam pictonum incideret. Uſu manuum is in tantum orbatus eſt, ut ad nutum ſuæ voluntatis eas commode dirigere nequiret: tentavimus ſubinde ludibundi, ut alterutram manuum dextræ noſtræ jungeret, quum id omni virium contentione præſtare vellet, non niſi mira in omnes partes manuum circumgyratione ſe diu fatigaverat, nec umquam id, quod petiit, potuit adtingere. Quum manuum ſuarum beneficio conaretur quidpiam exſequi, omnes illico digiti incipiebant rigere, & quum edulium inter digitos ab adſtantibus poſitum ori admovere tentaret eſuriens, inflexo licet ad genua fere capite, numquam tamen hiantis oris deſiderio potuit ſatisfacere ſine nutricis opera. Supra regionem umbilicalem neutram manuum potuit in altum adtollere. Salvis reliquis membris, vultu ſibi ſemper conſtabat hilari, animo ſatis excitato, de nullo viſcerum abdominalium tormine, huic alioquin morbo ſatis familiari, vel urgentibus aliis ſymptomatibus umquam conqueſtum fuiſſe meminerim. In depellendo morbo ea curandi methodus obſervata aſt, ut ad d. 15. Febr. anno præterito primum quoque ℥j. bis de die deglutiret ex miſtura cetacea ſeq. ℞ Sperm. ceti ʒj. Vitel. ovor. s. q. Aq. font. ℔jſs.-- Cinnam. ſimpl. ℔ſs. Syr. Balſam. ℥jjjj. m. Ex Iulepo Violat. eamdem menſuram haurire juſſus, quod tale eſt: ℞ Aq. fontan. ℔iſs. --- alexet. ſpirit. ℥ij. Syr. croci ʒjſs. Sal. volat. cc. ʒiiij. m. Ad d. 29. Febr. ad alias formulas tranſitum eſt, ex elect. Lucatel. bis quotidie ſumſit n. m. quantitatem ℞ Conſ. roſar. rubr. ʒjj. Balſam. Lucatel. ℥ſs. Spec. Tragac. ʒij. Syr. e Mecon. s. q. m. Superbibit toties cochlearia duo ex Emulſ. Oleoſa ſeq. ℞ Ol. oliv. ℥x. Syr. Balſ. ℥vj. Aq. font. ℔iſs. --- Cinnam ſimpl. ℔ſs. Spirit. volat. aromat. ʒj. m. Non neglectum interim, quin linimento illo ſaponaceo diligentius ambæ manus illinerentur, quod Helmontius chimærice Oppodeltoc pro more ſuo adpellaverat.

Tanta fuit medicamentorum horum efficacia, ut reſtituto manuum uſu ex integro, in Aprili dimitteretur cum ſalutari monito, ne artem ſuam pictoriam exerceret in poſterum: at quum aliter panem lucrari ſe non poſſe putaret, rediit ad tractandum opificium, ſed rediit quoque in noſocomium die 9 Jul. plenus animi mœrore, nam dextra manus tota evaſit paralytica, ſalva permanente ſiniſtra: quare Elect. Lucatel. & Mixt. Oleoſ. cum Linim. Saponaceo repetere juſſus eſt, quo facto poſt menſem elapſum denuo a malo liberatus eſt, ſed ad tempus tantum, nam dum ne nunc quidem ſalutaribus obtemperaret monitis, tertia vice gravius cœpit cum ſuo morbo conflictari, ad d. 28. Jan. anni labentis non modo de confirmata dextræ manus paralyſi, verum de periodicis quoque ventris torminibus miſere conqueſtus eſt. Tritam ſuperius viam ingreſſus, eam diligenter calcat, quo ſucceſſu, tempus docebit.

CAS. II. Joan. Edwards, vir quadragenarius, pictor, ab ipſa tenera ætate ſanus vixit ad an. æt. 38. usque, circa id tempus, ut retulit, toto cœpit immutari corpore, leves primum cœpit in medio ventre dolores perſentiſcere, qui mox ad regiones lumbares ſeſe diffuderunt accedente ſenſim dextræ manus tremore, prodromo in ea manu perfectæ paralyſeos: eam nonnumquam ſenſit capitis perturbationem, ut ſcotomate ſe laborare adſereret. A die 25. Nov. ad 9. Jan. anni labentis iis uſus eſt medicamentis, quibus Leiſonius. Hoc die cepit adſumere elect. cinnabarinum ſeq. ℞ Conſ. abſinth. mar. ℥jj. Cinnab. antim. ʒjſs. Gum. Guajac. ʒj. Cortic. Vinter. ʒſs. Syr. e Mecon. q. s. Superbibit cochlearia duo ex Emulſ. e ſenna oleoſa noſocomii. Uſus eſt interea matutinis perinde ac veſpertinis horis fotu parato ex ſeminibus ſinapi, quorum ℥vj. incoctæ ſunt aq. font. ℔vijj. ad tertiæ partis conſumtionem. Die 23. dicti menſis juſſus eſt ex pilulis ſaponaceis, Matthæi dictis, gr. v. hora decubitus ſingulis noctibus capere: ſed medio Febr. ex præſcripta noſocomii lege excedere juſſus eſt. Dolores quidem mitigati ſunt, dextra tamen paralytica, quod ingenue fatendum eſt, per id tempus curari potuit nequaquam: prout nec *Plumberius* ille, cujus nuper mentionem feceram in *tentamine de inoculanda peſte*, pag. 23. Nec mirum eſt; nam expugnatu quam difficilis ſit morbus, pridem omnis ævi docuit experientia. Notum eſt cinnabarim e mercurio, ceruſſam e plumbo; viride æris, ut nomen dictat, ex ære; ultramarinum ex argento parari, & omnes nobiliores colores ex regno minerali depromi. Has ita modificatas mineras dum nocturna diurnaque manu verſant pictores, noxios earum ſpiritus una cum aere ope inſpirationis in pulmones adtrahunt, qui a circulante ibi ſanguine mox abripiuntur, & tandem feruntur quaquaverſum in omnis generis canalibus, incipiuntque primum in nerveis meſenterii plexibus hoſpitari, conjecturam ſic faciente eggregio illo neurologiæ excultore, Williſio: ab hoc communi miſerorum centro per nervos amice inter ſe conſentientes beneficio ſpirituum animalium ad manus deter-

determinari & ibidem figi tanto facilius, quo ſæpius digitos tam noxia materia coinquinari patiuntur. Non mirum itaque omnes eos artifices, quicumque fruuntur aere metallicis vaporibus repleto, ut ſunt metallifosſores, alchimiſtæ, vitriarii, inauratores, ſpecularii, pictores, figuli, ſtannarii, murarii, gypſarii, &c. facile in aſthma, phthiſin, colicam convulſivam, apoplexiam, paralyſin, cachexiam, &c. incidunt, ut egregie nos docuit Bern. Ramazini in libro numquam ſatis laudato de morbis artific. a cap. 1. usque ad 15.

OBSERV. VII.

W. Conybeare, viro 30. annorum, ita a ſexennio inde caligabant oculi nullo externo in iis adparente vitio, ut objecta quævis per denſisſimam veluti nubem ſibi videri adſeruerit. Viſitavit is ex eo tempore nobiliora illa D. Thomæ, Bartholomæo, Georgio dicata tria hoſpitia, noſtrum quoque poſtremo ante biennium intravit infirmarium, ubique locorum tentatus eſt poſt exhibita alia medicamenta, ſalivatione quoque ab hydrargyro excitata ab hac gutta ſerena liberari. Defeſſis jam medicis, ægroto vero ſpem omnem abjiciente, curatius in ipſam morbi naturam quum privatim inquirerem, dixit totum medullæ ſpinalis proceſſum ſubinde perturbari eo potiſſimum tempore, quum inflexo corpore quidpiam exſequi conaretur: in tantum crura eſſe debilitata, ut vix ultra horæ minutam in fixo loco poſſit ſtando ſubſiſtere niſi ſuffultus adminiculis, totus enim illico incipit contremiſcere artubus, & ſcotomate tentari, memoriam vero in tantum labefactatam, ut ſe ſtupere alii quoque certo indicio animadvertant ſæpenumero, ſed vidi totum jam emaciatum eſſe corpore &c. His & ſimilibus inductus argumentis, ſuſpicor amauroſin illam, qua ſola laborare exiſtimabatur, non eſſe ipſum morbum, ſed tantum ſymptoma morbi longe gravioris, & inveterata tabe dorſali adfici: quare per ſacra obteſtor omnia ægrum, fateretur candide, nonne abominando illo Onanis vitio ſe contaminaverit, & balſamicis particulis nerveum liquorem exhauſerit. Poſt protractam longiorem moram ſumma cum verecundia id fateri cogitur, ad d. 20. Febr. itaque jubeo primum quoque hora ſomni deglutire pilulas duas calomelinas pro uſu publico paratas, quarum ſingulis inerant Merc. dulc. gr. vj. mane vero ſequente ſalis cathartici ℥j. adſumere. Quum id quater præterea repeteret duarum ſeptimanarum intervallo, & potu ordinario aqua uteretur liberante, juſſi ex præſcripto Hippocratis in ſimili caſu Lib. II. de Morb. quadraginta diebus integris uti ſolis lacticiniis in eum fere modum, ut in Miſcellan. Nat. Curioſ. Tom. I. Obſ. 141. me legere meminerim. Frictionibus interim, ut edocui, bis quotidie poſt evacuationes naturales ſe ipſum exerceat, pediluvium vero bis terve quavis hebdomada repetat lectum petiturus. Elapſo adſignato termino redit rure ſed multum hila-

Kkkkk 2 riori

riori jam adſpectu. In continuanda cura quum longius progredimur, ille balneum frigidum tribus hebdomadibus diligenter frequentat, cui alternis mane hora 8. mat. jejuno ſtomacho ſe immergit, mox ex electario minerali n. m. quantitatem bis quotidie ſumit ſuperbibendo toties Julapii volatilis ℥j. verum illud ita jubetur moderari, ut alvus bis de die dejiceret. Sic dum menſibus duobus dicto electario veſcitur, Julap. vero vero & aquam liberantem, ut ante, bibit, frictiones & pediluvia ſanctiſſime obſervat, in tantum convaluit, ut ad tractandum ſuum opificium jam redire cogitaverit; ſed auctor eram homini, ut aliud quodpiam vitæ genus eligeret, quandoquidem piſtoribus hoc præter alia incommoda magno eſt ſanitatis detrimento, quod volitantes florum farinæ particulas dum una cum aere adtrahunt, fermenteſcentes mox cum ſaliva, pulmones potiſſimum & ventriculum celebres illas officinas obſident, eas ſuis functionibus ſpoliant, unde inſpiſſatis ita humoribus, aſthmati, dyſpnœæ, & quibus non morbis inde reſultantibus viam aperiunt expeditam. Verum patiens noſter regulas ſibi præſcriptas longius quoque obſervare juſſus eſt.

OBSERV. VIII.

§. I. Non vacat eorum nomina e catalogo ægrotantium exſcribere, qui uſu balnei frigidi priſtinæ ſanitati reſtituti ſunt ab anno hujus ſæculi 40. quo infirmarium publicis uſibus apertum eſt. Si vel ſolas grallas, quas ſecum adportarunt, in monumentum recuperatæ ſanitatis adpendiſſent, totam fere iis jam impleviſſent domunculam balneatoriam, Floyerus egregie demonſtravit in ſua pſychroluſia, veterum Judæorum & Romanorum exemplis fuiſſe hanc gentem in id adductam, ut in depellendis pertinacibus morbis quam plurimis nec non conſervanda ſanitate balneo frigido uti incœperit ſub finem ſuperioris ſæculi: quod heic loci jam nunc tam frequenti in uſu eſt, ut vix nobiliorem aliquam plateam ea carere obſervare liceat. Ex mille obſervationibus a laudato Floyero & adſecla Baynardo publicatis conſtat luculentiſſime, nihil eo tutius adhiberi poſſe in ſcabie, epilepſia, melancolia, mania, hydrophobia, ictero, ſciatica, arthritide, rachritide, atrophia, nervorum & tendinum contracturis &c. in iis ſcilicet morbis omnibus, ubi juſta fibrarum elaſticitas reducenda, humorum viſcoſitas incidenda, attenuanda, glandularum ut & hepatis, lienis, pancreatis, meſenterii obſtructiones reſerandæ, urina movenda, ſpiritus animales excitandi, & per tubulos nervorum celeriore curſu impellendi ſunt, &c. Qua vero mechanica ratione tam ſtupendos edat effectus aqua hæc frigida, præter Meadium ſatis erudite demonſtratum dedit Wainewrightius in mecanica non-naturalium expoſitione, cap. 7. de balneo. Id ſaltim unice hic maximopere cavendum eſt, ne iis balneum hoc frigidum imperaveris, quorum viſcera exulceratione quapiam laborare noveris.

§. II.

§. II. Liceat hic infeliciſſimum caſum commemorare: ad d. 12. Martii, Car. Withead, epilepticus, in balneum frigidum ante ſtatutum tempus ſe immergit abſente famulo publico, cui balnei cura demandata eſt; mox ab hoc ille in mediis aquis ſuffocatus invenitur, extrahitur. Tentari non potuit, ut vitæ redderetur, nam per bihorium jam extra aquam in libro aere corpus hæſerat, quum factum chirurgis innoteſceret. Cadaver apertum eſt, ſed nullum liquorem in ullis diſſectis invenimus viſceribus: ubi arteria trachea perforata eſt, aerem in pulmone contentum cum levi quodam ſibilo erupiſſe audivimus. Tum demum ab experientia edoctus didici, ſuffocationis cauſſam veri nominis non ipſam aquam eſſe, ut vulgus imperitorum credit perperam; ſed aerem, qui repetita inſpiratione accumulatus veſiculas pulmonales ita diſtendit, ut ſanguis e dextro cordis ventriculo in arteriam expulſus ad vaſa capillaria deferri poſſit nequaquam, quare nec vena pulmonalis amplius debitam ſanguinis copiam in ſe colligit, ut eam in ſiniſtram cordis cavitatem poſſit infundere: ſic circulatio ſanguinis ad vitam ſuperſtitem neceſſaria ſufflaminatur, ut tandem ipſa mors ſequatur. Ut aer in vaſe vacuo & in medias aquas projecto negat liquori introitum, non abſimili modo de ſuffocatis, forte & ſtrangulatis nobis hic ſentiendum eſt. Unde clariſſime perſpicitur, quam falſo illi medicaſtri cum *Roderico a Caſtro* & *Feltmanno* in foro criminali de ſuffocatis interrogati renuncient, ſi nullam in pulmone, ventriculo & inteſtinis aquam repererint, non aquis eos ſuffocatos ſed in aere prius enectos, & ita mox in aquas fuiſſe ab impia manu præcipitatos.

OBSERVAT. IX.

Quum ad lunæ circuitus, ut ſolet, Tameſis ad diem XV. Kalend. Maji ingenti cum rapiditate ad veterem pontem reflueret, portitor quidam nomine *Jacobus Powel* aliis rebus, quam obeundo ſuo muneri, intentus, ex onerata navicula excutitur, quum prora ejusdem uni arcuum fortius allideretur; ſuffocatur illico in flumine, quæritur aliquamdiu, poſt quadrantem horæ cum dimidia invenitur, extrahitur, & nobis monitoribus omni veſte, quam potuit citiſſime exuitur, & ſicca de facto obtegitur, & in ædes vicinas in *Southwork* deportatur; ibidem corpus exanime ante accenſum focum, reclinato paullulum capite, pedibus vero modice in altum elevatis, in lecto diſponitur, ſtragulis probe cooperitur, vena in brachio utroque pertunditur, jugularis aperitur, fumus herbæ Nicotianæ ab adjutoribus enematis inſtar, ope fiſtulæ tabacariæ in inteſtina repetitis vicibus validiſſime per anum injicitur, abdomen a regione pubis, forti compreſſione urgemus verſus ventriculum; pannis ſpiritu vini tepido & oleo olivarum madefactis, omnes colli, dorſi, lumborumve vertebras, tamquam plurimorum nervorum originem, leniter

ter primum mox valentius diu multumque perfricamus; idem interea alii cum extremitatibus pedum manuumve ad ruborem usque faciunt; cordis ſcrobiculus, foſſa umbilici, partes genitales fomentabantur aceto & ſpiritu vini inter ſe commixtis, quibus cinnamomum, nux moſchata, & caryophilla aromatica incocta fuere, adjecta interim modica camphora ſed ſpiritu vini antea ſoluta. Ubi poſt longiorem moram ſpiritus ſalis ammoniaci volatilis affertur, irritamus eo ſubinde nervos narium, tempora vero una cum iis partibus, in quibus arterias cuticulæ viciniores eſſe probe ſciremus, plus vice ſimplici inungimus; ut penetrantiſſimus hic liquor in cavitate vaſorum delatus, animales ſpiritus & mox ipſum ſanguinem, ſoluto prius coagulo, in motum concitaret.

Hora integra jam elapſa eſt, quum tædioſam hunc in modum ſine ſucceſſu peragimus operationem, ad inſtituendam itaque deproperamus bronchotomiam, deeſt Troicar, quare cultello dumtaxat duobus pollicibus infra cartilaginem ſcutiformem, dictam pomum Adami, longitudinalem ſecimus in cute trans muſculos inciſionem, ibique per mediam cartilaginem transverſim perforatam, in ipſam aſperam penetravimus arteriam, absque interjecta ulla mora fiſtulam fumatoriam, loco canulæ, aperturæ commiſimus, & ejusdem beneficio, aerem per bronchia in lobos pulmonum iteratis vicibus impulimus, ut ſic inflatis veſiculis per venam pulmonariam ſanguis in ſiniſtram cordis auriculam inde in ejusdem ventriculum adigatur, & mox per aortam expellendus in totam corporis ſubſtantiam ſeſe diffundendo circuletur; ſed non neglevimus eadem opera aceti fortiſſimi ut & ſpiritus ſalis ammoniaci aliquot guttulas vulneratæ tracheæ inſtillare, ut quum particulæ utriusque hujus liquoris efficaciter operari ſoliti, una cum impulſo aere miſcerentur cum ſanguine, ſolverent ejusdem coagulum. Pertæſi jam longioris operationis, tandem inter examinandum admota pectori manus ſentit in regione cordis motum exortum eſſe quempiam, ſed maxime languidum; ſpe itaque meliore excitati, extemplo cœptum laborem alacri producimus animo, & dum hoc facimus, ſentimus iterum cordis pulſum, verum multo concitatiorem adeſſe tamquam ſignum præſentis jam vitæ indubium, nam ſternum quoque videmus jam certiſſimo indicio elevari in altius quodam modo, mox totum thoracem dilatari: quare gratulabundi plantis pedum iterum calefactos admovemus lateres, & ſtatim memoratos ſuperius operandi modos, fomentationes puta, inunctiones, frictiones &c. repetimus; fit tandem noviſſime, ut in ſiniſtro, mox dextro pede motus quospiam animadvertamus convulſivis ſimiles. Et ſic poſt elapſum bihorium *Deo* T. O. M. vitæ necisque arbitro opem nobis ferente, mortuus nauta in vitam revocatus eſt.

OBSERV.

OBSERV. X.

§. I. Quod Paſchalis in transactionibus philoſophicis, num. 202. propoſuit, falſum eſſe propria mea didici experientia, nam ſuperiore anno die 15. Febr. hora noctis 11. Item 13. Martii hora 1. pomeridiana. It. 14. April. hora 4. antelucana, & alias non vice ſimplici lucinam ſuo functam fuiſſe munere hiſce meis præſens ſpectaveram oculis, & commilitones de ea re ſerio admonueram, quum in collegio Smelliano reales ex ordine inter pupillos peragerentur operationes: at horas illas ad primam & tertiam nychthemeri hexadem referri quis infciabitur? Plures habeo tranſcriptas in adverſaria obſervationes, de ipſa quoque hominum morte captas, quæ cum primo & ſecundo fluxu ſenario conveniunt profecto minime. Quæ Paſchalis aſſertio, a Plinio, ut mihi videtur, mutuata ſi indubia potuiſſet confirmari experientia, incredibilem ex ea in artem medicam redundaturam fuiſſe utilitatem nemo non videt.

§. II. Anno præterito prid. Non. Junii, quum militis cujusdam gregarii uxor gemellos eniteretur, extractas ab operatore ſecundinas curatius dum examinavimus, vidit præſens collegium totum noſtrum Smellianum ita eas eſſe formatas, ut infantes ſuis quidem includerentur loculamentis ſepto intermedio diſtinctis: at placenta in nullos prorſus lobos erat diviſa, vaſa funiculorum umbilicalium in interna illius ſuperficie miras inter ſe habuerunt anaſtomoſes, ut injecta cera in arteriam unius repleret illico totam alterius quoque funiculi arteriam. Similem prorſus placentam nobis ſuis pupillis in prælectionibus oſtentavit experientiſſimus M. D. Wilh. Smellie, fautor optimus, cujus ipſe meminit in excellenti ſuo opere, quod *Treatiſe on the theory & practice of Midwifery* inſcripſit, Lib. I. c. III. ſect. 5.

OBSERV. XI.

CAS. I. Rob. Stephenſon vir quadragenarius per biennium fere integrum ſenſit abdomen in dies increſcere, ut ad extremum vix par eſſet portando tam monſtroſo oneri. Quum ex hydrope dicto aſcite laborare putaretur, valentiora licet ad movendam urinam propinata ſint medicamenta hydragoga, a pertinaci tamen illa, qua diu laborabat, iſchuria, liberari potuit nequaquam. Morbo victus dum ad d. XV. Kal. Jun. anno ſuperiori exſpirat, meis inductus precibus experientiſſimus M. D. Hibbinſius jubet cadaver aperiundum. Remotis omnibus abdominis tegumentis, videmus veſicam urinariam tribus pollicibus ſupra oſſa pubis prominere, quæ immiſſo catethere & expreſſo lotio mox flacceſcit. Quid ingens illa moles eſſet, quæ inteſtinis omnibus incumbebat tegendis, ſollicite dum examinamus, videbatur nobis omnibus velut uterus quispiam femineus ultimo geſtationis tempore maturo fœtu diſtentus, & ad ſcrobi-

ſcrobiculum cordis usque protenſus; cujus ſuperficiem externam longa tegebat peritonæi productio. Magnæ hujus veſicæ ſuccenturiatæ collum, quod inter veſicam urinariam & inteſtinum rectum excrevit, dum inciditur in orbem ea lege, ut non niſi peritonæum a reliquo cœtu ſepararetur, nullis ligamentis muſcularibus cum vicinis partibus connexam obſervavimus præter ſolam telam celluloſam. Dum operator in veſicam incarceratam cultellum adigit contenta exploraturus, ingens aquæ flaveſcentis & fœtidæ copia erumpit cum impetu: impoſita cavitati manu ſentit quasdam innatare hydatides; extrahit unam, quæ ovi anſerini formam ex aſſe referebat, alteram ovo gallinaceo, tertiam columbino ſimilem, quartam reliquorum maximam ab ovo ſtruthiocamelino non multum abludentem, ſed læſam in altero latere, quum chirurgus aliquantum imprudentius ſaccum perfoderet, quare contentus in eo liquor omnis effluxit. Singula vero ova hæc cruſta membranacea, eaque ſatis firma tecta ſunt, prout dum animalia ovipara abortire contingit. Operatori chirurgo Riſoliere pro præſtito labore adſignata ſunt in premium, quæ in ſpiritum vini rectificatum impoſita in privato theatro anatomico ſuis oſtentare cœpit auditoribus. Hunc dum errantis naturæ luſum præſentes intuemur, ita ego in media adſtantium corona voce aliquantulum ſublata exclamare incipio: en hominem Britonem! raro inter mortales exemplo oviparum! ſubridentibus amicis theatrum anatomicum Noſocomii hilari vultu relinquimus.

CAS. II. Recepta eſt in Noſocomium menſe Februario elapſo virgo firmo ſatis corpore, annos nata jam octo ſupra viginti, cujus abdomen a viceſimo tertio ætatis anno ſenſim in dies ita accrevit, ut menſurata ligaculo monſtroſi abdominis peripheria pedes quatuor & plus jam excedat: ſed, quod mirere, præter tanti oneris moleſtiam vivit ſana, de nullis umquam conqueritur doloribus, & quum cibi potusque adpetitus eam non deficiat, ſolitæ evacuationes naturales per urinam, alvum, & uterum omnes rite procedunt. Non eſt hydrops aſcites, ſæpius enim abdominis lateribus admotæ manus nullam aquæ fluctuationem in cavo ventris umquam ſenſere; ſed nec tympanitis eſt: num vero caſui ſtatim adſcripto ſit ſimilis, neſcitur; introſpicere natura negavit, cadaveris diſſectio olim docebit.

OBSERV. XII.

CAS. I. Maria Marſchal, virgo XXII. annos nata, exeunte anno ſuperiore in febrem incidit quartanam, quam dum ante tempus empiricus quidam medicaſter abegiſſet intempeſtiva corticis Peruviani exhibitione, incidit brevi poſt in morbum longe infeliciorem, elephantiaſin. Deportatur in Xenodochium exeunte menſe Novembre, cujus fœdam ſcabiem non ſine horrore primum intuebamur, quum manus pedesque totos nigricante cruſta ſquamarum piſcium inſtar contegi videremus,

crura

crura potiſſimum, eorumque partes exteriores tam monſtroſo gravari onere, ut turpis ſcabiei cruſta tres tranſverſos digitos in craſſitie adæquaret in locis plerisque ſulcis veluti quibusdam profunde hiantibus diſtincta. Præ vehementi, quo urgebatur, pruritu, corrugata fronte & alliſis fortiter ſibi invicem dentibus multum ſtridebat, mox ſublata voce ejulabat, & cruſtam inquietis unguibus ſcalpendo, dolore miſere exſtimulata, de loco ſæpenumero dejecit, aut eadem ſua quoque ſponte decidit. Hoc ubi, ut ſæpius, factum eſt, carnem pulchre vividam & rubicundam conſpicari licuit, quæ non multo poſt iterum tegebatur æque nigricante ſed craſſiore plerumque, ut prius obſervatum erat. Quum rarius tam triſte in hominum cœtu occurreret exemplum, ad Lazarum hunc inviſendum plures accurrerunt & medici & chirurgi ſubinde. Toto morbi decurſu ſquamoſæ corporis partes illinebantur linimento ſaponaceo, nonnunquam unguento e pice, alias e parietaria parato; pro potu ordinario aqua utebatur ſulphurata: duabus primis hebdomadibus horis matutinis quibusvis ex pulvere Doveri ʒß. veſpere vero ex pulvere Ari compoſito doſin eamdem addito toties julapio volatili adſumſit: ſequentibus tribus hebdomadibus electuarium datum eſt aperiens, cujus doſibus ſingulis bis de die repetendis mercurii alcaliſati ℈j. adjectus eſt. Primo anni labentis die emeticum, ex pulvere ipecacoanhæ cum crem. Tart. inter ſe commixtis paratum, eſt exhibitum: toto fere menſe Januar. elect. lenit. comp. cum electario cinnabar. æqua parte mixtis oblatum, & miſtura cardiaca propinata. Tentaminis inſtituendi gratia deformes illæ cruſtæ ultimo dicti menſis die linimento ex ſola ſaponis mollis ſolutione parato perungebantur, at tanta inſecuta eſt earum partium inflammatio, tantus dolor, tantus pruritus, quantus maximus eſſe potuit. Menſe Febr. elect. e caſtor. & miſt. Mindereri tentata ſunt plurima his ſimilia medicamenta in Noſocomio uſurpari ſolita ad initia uſque menſis Maji, quum nulla jam amplius cruſta in adfectis male partibus adparuit. Si eam nunc intuearis, non niſi ipſiſſimum videbis ſceleton ſola tectum cuticula, quum antea vaſto ſatis eſſet corpore: de nullis amplius queritur moleſtiis, quam quod pedes ad crurum flexus ita ad angulum rectum recurvi & facti ſunt rigidi, ut ad priſtinam in ambulando agilitatem difficulter reducantur; quare in lecto volutare miſere cogitur. Obſervatum eſt eam ante fuiſſe taciturniſſimam, nunc factam omnium ſui ſexus loquaciſſimam.

CAS. II. Suſanna Goſton, mulier major quadragenaria, cujus manus utrasque ad carpum usque easque ſolas dumtaxat ſquamoſa hæc ſcabies occupaverat ſic inæqualiter, ut cruſtas in plerisque locis unius fere pollicis altas in cutis ſuperficie protruderet ingenti cum pruritu connexas. A die 27. Nov. iisdem, quæ prior, utebatur medicamentis ad d. 13. Febr. quo dimiſſa eſt; ſed recruduit morbus poſt elapſum menſem cum capillorum defluvio. Hanc ego ſimpliciſſimam in ea curanda adhibui me-

thodum, ut poſt peractam V. S. primum quoque caperet bolum purg. ex gr. xv. merc. dulc. cum conſ. roſar. rubr. paratum, tandem ſumeret de pulvere æthiopico ℈ſs. bis de die ſuperbibendo toties hauſtum decocti liberantis. Hac vero lege pulverem mineral. in ejus uſus ipſe paraveram. ℞ Antim. crudi in pollinem redacti ℥jſs merc. puriſſ. ℥jj. Fl. ſulphur. ℥j. m. f. pulv. ſubtiliſſ. Poſt quintam hebdomadam ab lepra hac liberata eſt. Id maxime nos omnes hic adtentos reddidit, quod utraque harum patientum poſt febrem intermittentem cortice Peruviano intempeſtivius ſuppreſſam in infeliciſſimum hunc morbum præcipitata eſt. Quo vero modo id ipſum contingere potuerit, ex obſervationibus Albertini, deſcriptis in actis Bononienſibus, non male nuper demonſtraſſe videtur Nihellus de pulſu, part. II. c. IV.

OBSERV. XIII.

§. I. Infantes expoſiti curæ agreſtium muliercularum commiſſi ad annum ætatis usque quartum ruri paſſim ſumtibus benefactorum aluntur, ſed antequam in hoſpitium publicum, Foundling hoſpital nuncupatum, admittantur, omnibus ac ſingulis nullo neglecto in vico Leather-lane dicto variolæ per inoculationem inducuntur. An. 1755. menſe Aprili factum eſt, ut ex hoc infantum genere quatuordecim puellis venenum hoc contagionis variolarum infunderetur ex artis hujus ſalutaris præſcripto. Una ſola fuit corpore præ ceteris præpingui, cujus ulcuſculum in dextro brachio excitatum altero ſtatim die circatrice obductum eſt, nec materie variolarum purulenta virus ſuum in ejusdem corpore exſeruit: quare ſecuturæ operationi committenda fuit. Reliquæ omnes ita benignas easque diſtinctiſſimas nactæ ſunt variolas, ut neutrum obſervaverim in tota corporis ſuperficie plures quam triginta vel quadraginta numeraſſe puſtulas. Videre licuit ibidem plures infantes ſexennes ſeptennesve in certa ædium parte a reliquorum cœtu ſegregatos, qui ſcorbuto, phthiſi aſthmatica, conſumptione & aliis morbis chronicis laborare incipiebant miſeri ex eo, quod in prima morbillorum invaſione venæ ſectionem jubere dedita opera neglexerint medici tentaminis ſolius inſtituendi gratia: e parte contraria, a quibus quatuor quinqueve ſanguinis unciæ pro inflammationis ratione repetitis vicibus detrahebantur, & medicamenta e nitro potiſſimum parata uſurpabantur, ſalvi & incolumes evaſerunt periculum. Ad diem ſecundam Julii Inslingtoni in æde inoculatoria viginti quatuor fuerunt virgines inoculationis tentamini ſubjectæ, quarum aliæ decimum, viceſimum aliæ, nonnullæ vero triceſimum quoque jam numeravere ætatis annum. Die ſequenti jubentur deduci in Noſocomium, quod iis unice curandis deſtinatum eſt, nullo alio inter mortales exemplo, qui a variolis & morbillis corripiuntur. Duo notatu maxime digna hic mihi occurrebant ſpectanda, quorum neutrum ante in ullis inoculandi

actibus

actibus vel obſervaverim, vel libellis in hanc rem ſcriptis unquam legere meminerim. Primum eſt, quum reliquas omnes pro more ſolito octavo nonove die febricula variolarum prænuncia invaderet, unam inventam eſſe provectiorem ætate, cui die demum elapſo duodecimo febris cum horripilatione conjuncta inſtantes denunciaverat variolas. Vulnuſculum artificiale in brachio non coaluit, adfuit levis ejusdem, ut ſolet, inflammatio, quæ reliquas omnes multo ſuperaverat. Altera fuit puella multo junior, huic vulnus infra muſculum deltoidem inciſione excitatum die ſtatim tertio cicatrice obductum eſt, quare eam nunc extra periculum conſtitutam arbitrabamur, inſecuturæ operationi deſtinantes: at opinione noſtra eramus miro modo decepti; nam octavo die labente febris eam adorta, & iis omnibus vexata eſt ſymptomatibus, quæ morbo huic propria eſſe quibusvis notum eſt. Diſcretas hæ quoque ſingulæ habuere variolas. Rarum profecto eſt exemplum, ubi confluentes eas videre contingat: hinc fit illud, ut inoculationi ſubjecti feliciſſime ſinguli mortis evadant periculum. Anno quadrageſimo ſexto hujus ſeculi hoc Noſocomium fundatum eſt munifica Evergetarum liberalitate, in hunc usque annum labentem recepti ſunt in hocce hoſpitium curandi bis mille octuaginta duo, quo modo ordinario variolas contraxerunt, at horum decem ſupra quingentos nunc jacent ſepulti. Quingenti ſexaginta ſeptem numerantur in catalogo, quibus variolæ per inoculationem inductæ ſunt; quorum, mirari ſane licet, nonniſi duo exſtincti ſunt, ſed horum quoque alteri inteſtinales vermes fuerunt exitio, ut ex diſſectione patuit evidentiſſime; alter vero prius a contagione via naturali correptus eſt, quam ipſa variolarum inſtitueretur inſitio; nam ante diem octavum jam propullulaverunt puſtulæ. Quam ſalutare ſit generi humano artis hujus exercitium, vel ex ſolo hoc luculentiſſime evincitur argumento.

§. II. Subticendum interea certe non eſt, inter eos, quibus Inslingtoni in domo inoculatoria, labente hoc anno, variolæ inſertæ ſunt, fuit Catharina Burdon, virgo annorum octodecim, cujus vulnuſculum, in brachio ſiniſtro levi inciſione excitatum, illico coaluit, nec ab artificialibus correpta eſt variolis: quare poſt elapſas hebdomadas ſex cum pluribus aliis iterum tentamini ſubjecta eſt, ſed ne nunc quidem inſertæ variolæ virus ſuum in ejus corpore poterant exſerere, dimiſſa itaque eſt ſine omni, quod in aliis fiebat, ſucceſſu. Non longe poſt tempore venit commendata in noſtrum hoſpitium, queritur de nimia ſiniſtræ manus inflammatione cum acutiſſimis conjuncta doloribus: duo mox formati ſunt abſceſſus in brachio ad muſculum bicipitem infra eam regionem, ubi ad implantandas variolas bis inſtituta eſt inciſio; quorum alter adplicatis emollientibus tandem ſua ſponte, alter ſcalpello apertus eſt; hunc poſteriorem gangræna ſecuta eſt, quæ repetitis ſcarificationibus difficulter potuit exſtirpari. Erant aliqui in cœtu noſtro, qui dum eſſent inoculationis adverſarii, maximopere ſibi gratulabantur ſuper hac

patientis infelicitate, orta ex infauſto hoc & ſingulari prorſus inoculationis tentamine: quærebatur quippe, qui fieri potuiſſe infuſam illam materiem veneratam non niſi ſolum brachium, nec totam ſanguinis & reliquorum humorum maſſam infeciſſe? Monebamur ſimul, caute admodum nobis omnibus hic eſſe mercandum, ubi ad variolarum inſitionem noſmet accingimus, nam id non prius ſine omni periculi metu poſſe peragi, quam cognoverimus latens in corpore variolarum ſemen primigenium ad eam jam perductum eſſe maturitatem, ut natura ſufficientibus inſtructa viribus commode id in ſuis latibulis excitare, & inde eliminare valeat. Ita ſane videtur, nam plurium inoculatorum conſtat mihi quoque exemplis, ubi omnia externa inſertarum variolarum ſigna diſparuerunt, poſt elapſam unam alteramve hebdomadam effloruerunt in brachiis, cruribus, pectore, dorſove potiſſimum miliares quædam puſtulæ, aqueis repletæ humoribus, iisque corroſivis; qui expreſſi, moleſtam ſatis ob ſuam acrimoniam in cutis ſuperficie excitarunt inflammationem, ſed poſt paucos dies evanidam. Sunt, qui hoc phænomenon ei cauſſæ forte adſcripſerint, quod cito pede ad lautiorem diætam tranſilierint? Liberum ſane eſt, ſi lubet, ita ſentire. At quis ita lynceus eſt, dices, ut uniuscujusque corporis humani idioſyncraſian tanta cum accuratione cognoſcat, ideoque tempus ad inoculandum maxime opportunum definiat? Ita tibi hoc hominum genus reſpondebit: hoc opus, hic labor eſt!

Epiſtola ad RICH. IAMESIUM, M. D. *experientiſſimum.*

Diſſertationem tuam de curandis febribus & morbis inflammatoriis vulgatam ſumma cum voluptate legi: quot quantasque animas pulvere tuo antifebrili ex inferorum faucibus eripueris, innumeræ paſſim in orbe captæ obſervationes luculentiſſimo id teſtantur documento; pulchre hinc illud jam intelligo, cur regio quoque confirmaretur diplomate, & univerſo, qua late patet, orbi, ſerio commendaretur. Licuit mihi quoque ita eſſe felici, ut præparandi formulam ab optimo tuo amico H. mihi vero fautore præſtantiſſimo hac ſerie acceperim: *Take antimony, calcine it with. &c.* Sed ita ſcriptam eam eſſe video, ut mirari deſinam, cur plerorumque induſtriam multum exercuerit non ſine temporis & ſumtuum diſpendio, immo ſæpius cum præſentiſſimo ægrotantium quoque periculo. Quum probe ſciam non debere jatrochymicos in ullis præparationibus metallicis, ne mercurio quidem excepto, iisque præſcribendis tam eſſe circumſpectos, quam in ſtibiata hac medicamentorum claſſe, quos itaque pulvis hicce animo ſovendos injecit ſcrupulos, hac ſerie, ſi placet, accipe, inde tamen pro ſolita tua humanitate eximendos: antimonium ſulphure vulgari, & glebe conſtat metalloide, pro varia ejus permixtione, varium eſſe novimus: in omnibus tamen illius præparationibus, quantumvis mille circumferantur, id unice agimus, ut partes metal-

metallicam glebam conſtituentes igne chymico a ſuo ſeparemus correctore. Metallica portio ex innumeris longis, rigidis, utrimque haſtatis componitur ſpiculis, iisque a centro in ſuperficiem horizontaliter directis, ut adoranda magnorum alchymiſtarum ſtella docet ad oculum evidentiſſime: hæc ſpicula ſulphuris flocculis tecta & velut totidem vaginis incluſa, tamdiu manent obtuſa & inermia, quoad iis fuerint denudata, quare arſenicum quoque ad conſtituendum ſtibium ſuam conferre ſymbolam, non niſi chymicorum redolet fabulam. Firmo hoc poſito fundamento, pace tot hyperaſpiſtarum chymicorum dicere liceat, miſſis illis faſtuoſis angelicis, ſeraphicis antimonialium præparationum titulis, unam forte earum commode poſſe ſufficere, eamque ſimpliciſſimam nullo adhibito ſale, oleo, cera. Hac fini eligo antimonium arte docimaſtica exploratum, fiat id ex. gr. natum in Galliis, cujus partes conſtituentes metallicæ & ſulphureæ eadem inter ſe quantitate permixtæ ſunt: hic materiem metallicam igne non fundente per trihorium ex artis præſcripto uſtulo, quoad omni, quantum quidem per artem licet, ſulphure depuratum reddo, ut nanciſcar vitrum antimonii virulentiſſime, immo lethaliter, *Boerhavio* teſte, emeticum, & non niſi ab hippiatris uſurpandum: deme ex tribus uſtulationis horis dimidiam, una ſexta ſulphuris pars permanſit unita cum metallica materie, quare habebis emeticum priore mitius, crocum metallorum, vel hepar antimonii: urge per bihorium, una tertia ſulphuris pars e ſinu excuſſa eſt, habebis antim. catarcticum: urge per horam integram, ſudores provocabit, deme tantillum ex hoc tempore, antimon. diaphoreticum vel dulce impetrabis: exhibe crudum, vix ac ne vix quidem quidpiam operabitur. Unde tanta operandi diverſitas? quo diutius torruiſti, tanto plus ſulphuris expuliſti, involucris denudaſti, ſpicula armaſti, quæ deglutita prout nervos fibrarum muſcularium œſophagi, ventriculi & inteſtinorum, ut ſunt irritabiles maxime, magis minusve convellunt, ſic nauſeam, vel catharſin creant pro ſpaſmodicarum ejusmodi convulſionum ratione; ſi vero ſulphure minus denudaſti, ſenſim illa cum fluidis abſorbentur, in itinere nerveas fibras placidius aggrediuntur, earum oſcillationem excitant, fluidorum motum accelerant, per ſubtiliſſimos canales pellunt ad ſua emunctoria, ut ſudores, diaphoreſin dumtaxat generent. Dictis fidem facit emeticum Glauberi poculum, in furno ſuo philoſophico part. V. deſcriptum, in quod peritus practicus tantam infudit vini copiam, & in tantum antimonio illud ſaturavit, quantum cognita prius a ſe & morbi & ægrotantis & medicamenti natura poſtulabat: non modo evacuantium ſed alterantium & reſtaurantium medicamentorum loco adhibebatur: unum integris familiis per vitam ſufficiebat poculum: dolendum quod pridem imperiti medici fregerint hoc ſalubre poculum. In præparationibus antim. adjiciuntur ſales: ad facilitandam forte fuſionem? At absque iis quoque id fieri poſſe, docet experientia, licet tardius tantillo temporis intervallo: aut forte ad acidum

ſulphuris abſorbendum? At acidum foſſile ſulphuris in antimonio, diu in flammis agitatum, & volatile redditum, ignis vehementia in auras avolat non minus quam pars oleoſa inflammabilis. Quemadmodum nitrum in fuſione antim. antequam in alcali convertatur, ut aptum reddatur ad acidum ſulphuris ſibi intime uniendum, oportet acidam ejusdem partem in igne conſumi, ita multo minor acida ſulphuris portio nullo negotio expellitur ignis vehementia, ſiquidem non niſi decimam ſulphuris partem præ altera conſtituere celebr. ſupputavit *Hombergius* Ac. Reg. Sc. 1703. p. 31. ſeq. Vapor ille, qui in antim. calcinatione, & accenſo quovis ſulphure exhalat; ſi in pulmones adtrahatur, ſpaſmos & convulſiones ſubinde excitat in vicinis partibus, id vero acido cauſticotato & nervis impacto tribuendum eſſe nemo negaverit. Oleum animale jubes ultimo loco addendum in pulveris præparatione, ſed ſit illud animale, vegetabile, vel foſſile, ſingula hæc antimonio nupta regulinarum partium ſpicula pro naturæ ſuæ denſitate magis minusve obtundunt. Hinc videre nulla poſſum ratione, qui fiat, dum ſulphure vel oleo, idem enim utrumque eſt inflammabile principium, conaris ſtibium depurare, non contentus eo, quod intime natura univerat, plus ſulphuris addendum præcipis: vis reguli ſpicula armare, ea in vaginam recondis; addis oleum animale, ut nitri & ſalis beneficiis, poſtquam in igne fuſa alcalinam adſumſerunt naturam, iterum tanto majore demas labore. Sed forte digito labellum! aliquod tamen Hippocraticon θεῖον pulvis tuus in ſe continere dum videatur, per tuam te rogo humanitatem quam obnixiſſime, quæ potiſſimum in ejus præparatione mihi veniant obſervanda, doce me. Quod dum a te impetravero, fide polliceor pannonica ſanctiſſime, &c. Subticere non poſſum me conſuluiſſe D. *Seehlium*, pyritrum excoctorem in Blackwald, de pulvere ſuo ſpecifico, cujus gr. XII. omnes febres intermittentes fugare longa omnium conſtat experientia. Artem empiricorum noſti ſolam eſſe negotiationem, repulſam me tuliſſe, noli mirari. Germanorum medicorum bubula eum arare diſces ex Quincii Novo diſpenſatorio part. II. c. 10. Dolendum eſt ſalutarem hunc pulverem ab ipſis quoque ſutoribus publice diſtrahi: ſed quid illi eſt negotii cum catapodio? En ſpecimen tui pulveris a me elaborati, cujus ℥j. in theca hac chartacea ad te exmitto. Vale, & feliciter age. L. ad d. XVI. Kal. April. An. 1756.

Præter præſtita humanitatis officia tale accepi reſponſum, quod non niſi ab empirico exſpectari poterat. Nobilis eques C. W. diligentiſſimus naturæ indagator, myſtici hujus pulveris præparationem ſub ſacra ſilentii fide ab auctore revelatam communicavit cum *Mich. Morriſio*, M. D. celeberrimo chymiæ profeſſore, fautore meo præſtantiſſimo, qui pro ſingulari ſuo, quo in me ducebatur, amore ſubticere non potuit. En dives decantatum illud chymiatri myſterium! deſcribendo longiore præparationis illius proceſſu meas maculare nolo, nam nihil aliud eſt, quam ipſiſ-

ſimum

ſimum antimonium emeticum mitius *Boerhavii*, temperatum cum tantillo olei animalis, quo nuperus in germania medicinæ ſtator, *Frid. Hoffmannus*, in fugandis febribus miracula præſtitiſſe creditur. *Seehlianus* vero pulvis Tartarus emeticus eſt, cujus granis VI. vel VIII. corrigendis adjicitur ſal quidpiam alcalicum: en expono aeri, quem poſſideo, ruit in deliquium.

OBSERV. XIV.

Puer octennis, ſalvo auditus organo, ut vacca ad novam portam, ſtupebat ad omnia: in diſſecto cadavere dextrum renem mire figuratum invenimus; detegere vero non potuimus ullos nervi intercoſtalis ramos a plexu cervicali ad cor & præcordia tranſmitti, quorum beneficio præter vagum par in animalibus ratione præditis cerebrum & cor mutuo inter ſe intime communicant. Unde facile foret rationem reddere, cur puer hic ſtupidus ad rationis uſum pervenire potuerit nequaquam: brutis quoque animantibus ſapientiſſimus rerum conditor quo naturæ mechaniſmo ratiocinationem negaverit: niſi haberem, quod calamo meo ſilentium hic merito imperat. Ob id nec ſuperatam pertinacem paſſionem iliacam, nec mulierem ebrioſam, *Holbergiana* methodo feliciter curatam, aut plura id genus alia, ex adverſariis huc tranſcribere jam licet.

Dubia medica, in actu diſputationis decidenda.

I. *Empiricine, an rationaliſtæ fuerint in curandis morbis olim feliciores? ſi illi, an ſola rationaliſtarum diſerta loquacitas eos reddidit in hominum cœtu ſic exoſos, quum empirici quoque præſtantiſſimos in defendenda ſua cauſſa nacti ſunt declamatores, Serapionem, Appollonios, Glauciam, Heraclidem, alios?*

II. *Poſſumusne nobis de temporum noſtrorum felicitate gratulari ſupra omnes antiquos Græcorum, Latinorum, Arabum medicos? eorum ſcripta eane ſolum fini a nobis legenda, ut veteris medicinæ infantiam inde cognoſcamus.*

III. *An medicamentum poſſit agere ex intentione medici? Si hoc abſurdum, cui bono conſlantur omnes in medicina hypotheſes?*

IV. *Cur ſolum Don Quixotum commendavit Sydenhamus legendum tironibus? an quod ipſe deſertis caſtris ſine prævia præparatione exauctoratus miles acceſſerit lucrandi panis gratia ad faciendam medicinam? vel quod omnes auctores ſyſtematici e manibus tironum ſint excutiendi?*

V. *Ad comparandum nomen in medicina omnesne* CCXL. *a Boerhaavio commendati auctores neceſſario ſint evolvendi?*

VI. *Angline, vel Galli, aut Germani plus in arte medica præſtiterint?*

VII. *Hippocratis* §. XXXI. *Sect.* V. *Boyle periculoſum eſſe clamitat; Sydenhamus ſuum Laudanum in lochiorum obſtructionibus non vult reiterandum,*

dum, ſi res pro voto prima vice non ceciderit, quod Fullerus pernegat; Silvius in apoplexia a vomitoriis abſtinendum præcipit, quæ divinam opem adferre Dolæus adſerit: nonne ſic ſcepticiſmus introducitur in praxin medicam?

VIII. *Rectene ſeparatur chirurgia nobiliſſima medicinæ pars a reliquis ſuis partibus, quandoquidem eos fuiſſe novimus optimos medicos, qui ſimul utramque exercuerunt?*

IX. *Ars obſtetricia cur relinquitur ſoli imperitarum muliercularum fæci exercenda? Cur medici & horum adminiſtri chirurgi auxiliatrices ſuas manus hic ſubtrahunt? nonne ita peſſime conſulitur reip. quum multæ matrum infantumve myriades ob neglectum artis hujus debitum exercitium ad inferos detrudantur?*

X. *An accurata linguarum, anatomiæ, chymiæ, matheſeos, theoriæ medicæ & naturalis philoſophiæ cognitio ſit neceſſaria ad faciendam rite medicinam?*

XI. *An ſola in anatomicis enterologia, vel cum veteribus brutorum animantium inſpectio ſufficiat ad exercendam medicinam & chirurgiam?*

XII. *Poſt detectam per Harveum ſanguinis circulationem quod emolumentum acceſſit praxi medicæ, nam ſcarificationis, ſinapiſmi, derivationis, V. S. arteriotomiæ uſus tam apud veteres fuit frequentiſſimus?*

XIII. *Nonne poſt tantam botanicis, anatomicis &c. illatam lucem, inductamque novam tot artibus faciem, veterem nos ubique agnoſcere oporteat medicinam?*

XIV. *In originibus & cauſſis morborum proximis detegendis, cur nos talparum inſtar cæcutire oporteat?*

XV. *Oſtende mihi virum, infenſiſſimum licet condendarum hypotheſium adverſarium, qui ab omni prorſus vacuus ſit novæ theoriæ hypotheſi?*

XVI. *An ſola morborum hiſtoria, & fixa curandi methodus omne ferant punctum in medicina?*

XVII. *Freindii emmenologiam falſam eſſe dicit Quincyus; Mortoni theoriam ridet Meadius, quam ipſe mox ſequitur; chimæricas Williſii ſpeculationes quis æquo ferat animo? & ſexcenta ejusmodi dubia a Boerhaavio, Ooſterdykio, Hallero in inſtitutionibus propoſita nonne Pyrrhoniſmum inducunt in ipſam theoriam medicam?*

XVIII. *Quid ſtatuendum eſt de ventilatis illis in Germania noſtri ævi ſyſtematibus, organico ſcilicet Stahlii, & mechanico Hoffmanni? Quod horum ſecuriorem nobis pollicetur therapiam?*

XIX. *Rectene faciunt Stahliani, ut tanto magis naturæ autocratiam extollant, dum heroica medicamenta omnia fere exſulare jubent?*

XX. *Cur, ne eruditæ quidem ſocietates potuerint ſpecificas medicamentorum virtutes definire, in quo eæ potiſſimum conſiſtant? Quomodo cortex aut antimonium curet febres? Opium ſit narcoticum? Cantharides veſicam adficiant? Quomodo rubia tinct. tingat oſſa rubro colore intactis cartila-*

ginibus

ginibus &c.? An peritorum artificum hic culpanda imperitia? Aut invicta natura patiatur ſe ſub jugum mitti nequaquam?

XXI. *Helmontii ne & Bontekœi opinio verior eſt, ſtatuentium venæ ſectionem hominum eſſe carnificinam, eaque incomparabilem vitæ theſaurum profundi; vel vero Botalli, & Stahlii dicentis præſervativum potius eſſe adverſus omnis generis morbos acutos non minus quam chronicos, ne iis quidem febribus acutis exceptis, quæ exanthematicæ, varioli, morbilli, petechiales, purpuratæ, audiunt?*

XXII. *Daturne univerſalis medicina? Inter tot tantasque decantatas omni ævo panaceas, & jactata arcana, quæ hoc nomine digna potiſſimum?*

XXIII. *Danturne ſpecifica unicuique morbo profligando remedia ſine ulla exceptione? Fiat ita, quæ illa? Unicum dumtaxat, ſi placet, proferatur in medium?*

XXIV. *Si quatuor ſint medicamentorum claſſes, ut nupero placuit medicinæ dictatori; ſpaſmi, atonia, febres, &c. convulſiones; cur tollendis his malis non ſufficiant totidem remediorum formulæ? Aut pauciſſimæ, miſſa ſuperficiaria illa medicamentorum farragine, qua pharmacopolia ſordere novimus?*

XXV. *Cur jucundiſſima illa & utiliſſima ſimul de criſibus doctrina ab ipſis Hippocratis & Galeni temporibus jacuerit fere neglecta, ſi pr. Alpinum cum Dureto excipias, & nuperum Solanum cum ſuis corrivalibus, Nihello potiſſimum? An quia doctrina hæc nullo nitatur fundamento? Aut improbo adquiratur labore? vel forte fatendum, plusquam ſupinam hic arguendam eſſe medicorum omnis ævi negligentiam?*

XXVI. *Quid de noto illo in vulgus proverbio ſentiendum eſt:* qui ſpeculantur, non medentur?

XXVII. *Theologosne, an philoſophos, vel juriſconſultos vexant plures præ medicis controverſiæ?*

XXVIII. *Quid obſtat, quominus liceat verbi divini præconibus medicinam facere?*

FINIS.

CCXXVII.

GEORG. FRIDERICI RICHERZ,

OBSERVATÆ VISCERUM ABDOMINALIUM LABIS BREVIS EPICRISIS.

Leydæ 13 Maij 1757.

Non placuit mihi centies dicta variata utcunque ſermonis ſorma repetere, aut anxie conquirere quæ novitatis aliquam haberent ſpeciem. Simplicitatis cultor, a fucatis æque ac futilibus abhorreo, nec honeſto Medico adeo curandum eſſe crediderim, quid vulgo tandem ſingulari quadam commentatione perſuadere, quam quid improbo laore re ipſa in toto artis ſuæ ambitu præſtare poſſit. Itaque operoſioris opuſculi loco, quod conſuetudo poſtulare videbatur, incomtas aliquot proponere conſtitui obſervatiunculas, quæ hieme præterlapſa captæ in promtu erant, & derivatis inde corollariis eruditæ velitationi anſam præbere poſſent. Si cui inſtitutum minus placet, nil contra moneo. Quilibet per me abundet ſenſu ſuo. Mihi ſatis eſt, minimum temporis feciſſe diſpendium, neque deproperata ſcriptione affectaſſe gloriam, cujus me olim pœnitere poſſet.

OBSERVATIO I.

Oſcheocele cum ſummo inteſtinorum gangrænoſo.

INitio præteritæ hiemis cadaver viri mediæ ætatis examinaturus, inſignem totius corporis maciem, præcordia valde retracta, dextri hypochondrii maculam pollicaris diametri cum nitore flavam, ſcrotum a ſiniſtra vehementer protuberans cum cole quincunciali ad dextram devoluto, primo quidem intuitu animadverti. Sublatis ordine poſt cutem muſculis abdominalibus apertoque peritonæo, dictam modo maculam a veſicula fellea tranſſudaſſe liquido apparebat; inprimis autem viſcerum pro parte ſqualor turbatæque ſedes luſtrantis feriebant oculos. Inteſtina quippe tenuia vaſis turgeſcentibus obſcure rubra, ſummum etiam eorum, quod jam duodenum appellant, livoris gangrænoſi. Tum ventriculus ſub ſiniſtro hypochondrio fere ad perpendiculum dependens: coli autem miri anfractus. A ſynchondroſi enim oſſium pubis ad ilia aſſurgens, ſub veſicula fellis levi ſiniſtrorſum flexu cavum hepatis ſubiens transverſum fere ſeptum attingebat; hinc acutiſſimo angulo ſupra marginem concavam ventriculi ejuſque exteriorem ſuperficiem reflexum paulo ad dextram mox ſemilunari ambitu ſiniſtrorſum inter convexam ventriculi marginem & coſtas protenſum, recta dein ad pubis ſiniſtrum latus deſcendebat, & per annulum funiculi ſpermatici magna ſui parte ſcroto immergebatur.

Poſt hæc viſcera exemturus, colon ex ſcroto protrahere conabar. Hærebat id quidem in univerſo annuli ambitu liberum, trahenti tamen renitebatur. Cujus cauſam ut curatius ſpecularer, diſſecta ſub annulo ad latus cute, omnes ordine membranas ſeparabam quarum mox fiet mentio, interiore ad aliquot pollicum longitudinem aperta. Tum licuit inteſtinum in ambiente ſacco, ut ut fæcibus turgens, ab omni parte liberum integrumque ſpectare. Dein eviſcerato abdomine, jejunum quidem & ileum poſt unam alteramque lotionem albeſcebant, at duodenum, per plures etiam ſeptimanas pura quotidie affuſa maceratum, nigreſcentem continuo ſervabat livorem.

Reliqua abdominis viſcera ad ſpeciem illæſa; quin & in thoracis cavo nil adeo vitiati, niſi quod pulmo dextra ſuperiore fibra leviter pleuræ accretus, cor perquam pallidum & ne mica pinguedinis donatum eſſet. Adhæc cerebri medulla ſolito magis flaveſcens; quod tamen non æque morbo quam ſævienti gelu & temporis moræ tribui poſſe videbatur.

Hinc ad ſacci hernialis contemplationem advertebam animum. Erat autem hujus profunditas pollicum circiter 6, circulus interior maximus poll. fere 9, peripheria annulli poll. 3.

In recenti tunicæ præcipuæ tres; exterior, propago celluloſæ; media, aponeuroſeos muſculi obliqui externi, ut videbatur, continuatio; interior, peritonæi expanſio morboſa. Inter mediam interioremque, ad limbum annuli hernialis exteriorem, Cremaſter, fibris manifeſte carneis inferius valde diſtractis fere ad tunicæ vaginalis initia procurrens. Sub hoc, funiculus ſpermaticus ſua diſtinctus celluloſa inde a poſtico annuli latere ad externam ſuperficiem tunicæ interioris valide agglutinatus, laxiori gyro extrorſum primo, hinc 3 circiter poll. ab annulo antrorſum tum introrſum prorepens, teſticulo inſerebatur. Fundus ſacci interiori ſolum tunica circumſcriptus, ſubjecti teſticuli epididymibus arcte incumbebat.

In macerato diutius ſacco, funiculum ſpermaticum cum celluloſa ſua intumeſcentem, maximam partem ad teſticulum uſque ſeparare licuit. Simul tunica, quam exteriorem dixi, in plures lamellas tenuiores celluloſam referentes telam ſecedens ſenſimque ſeparata, eam quæ dartos vocatur ſecum traxit. Patuit tum hujus quoque longe maximam partem mere celluloſam eſſe, & vaſorum in eam magno numero pertinentium collapſos canales muſcularium fibrarum mentiri ſpeciem.

Præter hæc in ſacci tunica interiore, parte qua corpus ſpectaverat, pollicari circiter ab annulo diſtantia, circularis plicatura, qualis ex clauſo foramine ovali in ſinu cordis dextri notatur, ſed longe major, diametri ſcilicet $1\frac{1}{4}$ pollicis.

Plicatura hæc maxime ſuperius prominens latitudine fere $\frac{2}{12}$ pollicis, ſenſim ad latera anguſtior, ad infimam peripheriæ particulam evaneſcenti ſimilis, limbum anterius fluctuantem tunicæ peritonæi, a qua profectus erat, fibris ſubinde tomentoſis funiculorum inſtar adſtrictum monſtrabat. Immiſſo funiculorum interſtitiis tubulo cuniculi paſſim inter ea ad $\frac{1}{4}$ pollicis plus minus progredientes apparuerunt. Inflatus aër ad interiora ſacci vel circularis plicaturæ aream revertebatur. Quod cum limbi continuitatem cum ſacci tunica interiore indicaret, ea quoque uno alteroque funiculorum ſoluto clarius patuit.

Nec prætereundum eſt tomentoſos ejuſmodi funiculos variis locis extra circularem plicaturam libere fluctuaſſe; quos quidem incluſi quondam coli lateribus implicatos fuiſſe quis ſuſpicari poſſet, verum caute, ut monui, eximendo inteſtinum nullum remoræ indicium nihil abrupti obſervare licuit. Cæterum ſoluta limbi parte, plicatura circularis non duplicata membrana ſed ſimplex peritonæi proceſſus eſſe videbatur; neque is poſtea ulla arte ſive flatu ſive cultello nec diuturna maceratione in lamellas dividi poterat.

Teſticulus extra ſaccum poſitus propria ſibi incluſus erat vagina; quæ, ut alias jam obſervaveram, duabus membranis conſtabat, exteriore cremaſteri nexa, atque interiore cui albuginea continuata, pulcherrime candicans foveolisque inſtar teſtæ ovi diſtincta.

Neque adeo præter rem eſſe videtur paucis addidiſſe: veſiculas ſeminales

les perquam turgidas gratiſſimo mihi ſpectaculo tres diſtincte lamellas, externam tenuem albam æquabilem, mediam craſſiorem multo & omni ſpecie muſculoſam, intimam albeſcentem tenuiſſimam vaſculorum ramificationibus turgentem favoſque veſicularum diſtinguentem, oculis objeciſſe.

Hæ antequam dividerentur preſſæ, copioſum liquorem per unum idemque oſculum, linearis fere amplitudinis, ad ortum carunculæ, quam gallinaginis caput dicunt, hians eructabant. Vacuato autem liquore diſtincta intus deferentium vaſorum foramina duo, communi tantum hiatus limbo comprehenſa apparuere.

Valida plenioris inteſtini a fæcibus obſtructio, omnes arteriarum meſentericarum fluctus ad tenuia impellens, facile horum inflammationem, & permanente cauſa, gangrænam excitat lethalem (11. 33).

Non firma prognoſis eſt, ægrum ab imminente morte liberatum iri, ubi juſta encheireſi integrum e ſcroto inteſtinum in abdomen revolvi poteſt. Orta inde jam ante operationem immedicabilis ſuperiorum labes, ſpem ſæpe faciet irritam.

Oſcheocelen majorem firmatamque ſacco herniali illæſo tolli poſſe, ob probabilem tunicæ interioris cum reliquis conglutinationem (56), quam maxime dubium videtur, quicquid etiam celebres nonnulli Pariſiis chirurgi, labente ſæculo ea de re diſputarunt. De parva, ſæpius & diligenter revoluta, meliora ſperare licet.

In Oſcheocelotome non adeo metuenda videtur vaſorum ſpermaticorum læſio, ſi anterius mox ſub annulo ſacci hernialis ſectio fiat. Sive enim ab interiori latere prorepat anterius, quod frequentius fieri Günzio obſervatum memini, ſive ab exteriori ut in noſtra hernia (55), ſectioni indicato loco ſpatium remanebit præ aliis opportunum.

Ut ut opportunus eligi poſſit in oſcheocelotome locus, tamen nec ſatis ſecurum eſſe dixerim, quod laudatis in arte viris placet, ſaccum per totam longitudinem aperire. Ita enim vix evitari poſſet, ne vaſa ſpermatica ſimul diſcinderentur, ſi ea, qualem nos obſervavimus, directione procurrerent (45. 57).

Qui tantopere inculcant, funiculum ſpermaticum cultello ſolvendum eſſe ubi ſectioni impedimento eſt, ſecuritati pulchre proſpiciunt; at difficultatem illæſæ ſeparationis ſæpenumero crediderim inſuperabilem (56. 61).

Qui vero inveteratæ herniæ ſaccum, non prævia illius a funiculo ſpermatico ſeparatione, fortiter conſtringunt, illi ſimul ſubjacentem ſuffocant teſticulum, qui parum, recidivæ non proſpiciunt. Hinc nec Sermeſio laudata methodus vitio caret, & vel caſtrationis effectu lædit, vel medelam tamen facit imperfectiorem.

Antiquorum placitis oſcheocele fere ſolum a ruptura, recentiorum, magis a relaxatione peritonæi, explicatur. An temerarium ſit aſſerere, ambas ſubinde cauſas concurrere poſſe, hic jam non prolixe diſquiſiverim.

Fate

Fateor tamen mihi hanc tertiam cauſarum oſchecceles ſpeciem circularis illius plicaturæ [71. ſ.] contemplatione in mentem veniſſe, atque eam in poſterum ubi occaſio datur attenta obſervatione dignam videri.

Cæterum ex allata hiſtoria obiter collegiſſe liceat; eximiam eſſe bilis in penetrando vim atque ſubtilitatem [4. 9], pulchroque hinc exemplo conſtare, firmas craſſaſque etiam animalium partes nulla canalium ope a fluidis irrigari poſſe;

Fallacem ſæpenumero eſſe de ſede dolorum ſuſpicionem, cum coli eſſe poſſit, qui hepati aut ventriculo tribuatur [15]:

Denique, nec majores hernias penis ſemper brevitatem ponere [6], neque etiam in parte affecta, compreſſis licet valide veſiculis ſeminalibus, ſecretionem ſeminis ceſſare (54. 100.),

OBSERVATIO II.

Vomica hepatis in pectoris dextram cavitatem aperta.

ILlatum erat initio labentis anni theatro publico quod jam F. B. Albini cura floret, cadaver viri mediæ ætatis, demonſtrandis muſculis dicatum. Aderam viri ampliſſimi æque ac humaniſſimi venia præparationi, quam dicunt, cunctaque curatius ſpeculabar quæ ad demortuum corpus dexterrimamque adminiſtrandi rationem pertinebant.

Erat habitus cadaveris toroſus, cutis cum nitore leviter ex albo flaveſcens, ſubjecta huic celluloſa pinguedine admodum referta, muſculorum læta facies.

Aperto abdomine, in viſceribus nil adeo vitiatum apparebat, niſi quod inteſtina tenuia, præſertim ileon, paſſim ſolito arctiora vix digiti amplitudinem æquarent. Adhæc hepar altius prominebat, ut vix pollicem ab umbilico diſtaret, & ſiniſter præprimis lobus juſto durior punctiſque albicantibus ſcirrhoſis diſtinctus erat. Omentum mediocriter pingue.

Cum eximerentur viſcera, hepatis lobus dexter ſolito latius gibba parte diaphragmati accretus levi tractione occaſionem præbere videbatur, materiæ ex abſcondito adhuc abſceſſu profluenti. Erat materies illa ex albido cinerea, pure fluidior, inodora, niſi quod ſub finem conſiſtentiæ paulo majoris & leviter olens appareret.

Preſſo pauliſper hepate fluxus largior ultra horæ ſpatium continuus, ut collecta tandem materies 10 circiter librarum menſuram æquaret.

Inter hæc hepar & diaphragma ad cavum pectoris dextrum, ſinuoſa, lacera; quin & diaphragma ad cavum pectoris ſiniſtrum laxe propendens licet integrum.

Exemto hepate lobi dextri dorſum fere dimidiam partem in cruſtam denſiorem ſubalbicantem abiiſſe viſum eſt, ſub qua cavum vomicæ tertiam circiter

citer

citer ſubſtantiæ lobi partem æquans. Cavum illud undiquaque materie mere purulenta tenaciore oblitum, vaſorum oſcula clauſa habebat. Capacitas vix quartæ parti exhauſtæ materiei par. Cætera ex cavo pectoris dextro profluxerant.

Explorantibus cavum pectoris ſtylo dexter pulmonis lobus adſumtus videbatur; verum aperto poſtea thorace idem, cætera integer, in exiguum ſpatium compreſſus apparuit. Tum pleura quoque denſa, albicans, laxa, purulenta materie macerata & partim impleta patuit.

In ſiniſtra cavitate pulmo cum pleura integer. Adhæc cor quidem flaccidum ſed illæſum & ſatis multa pinguedine coronatum.

Nec prætereundum eſſe videtur, interiora vaſorum ſub vomica a purulento latice fuiſſe immunia, atque cyſtidem felleam flava bile pleniſſimam.

Jam miretur quis, præconceptam veterum, de ſanguinis fonte, opinionem, acutiſſimum alias Aretæum induxiſſe, ut, reclamante experientia, hepati magnas vomicas denegaverit. Sed parcamus tanti viri manibus. Nos ſolam fere bilem ab hepate derivantes, redarguet forſan ſerior ætas, ubi viſceris fabrica penitius perſpecta atque exactior eorum quæ ſanguinem reficere poſſunt computatio facta fuerit.

Hippocrates, ictericos ab hepate ſubalbidos, a ſplene obſcurius flaveſcentes eſſe, edixit. Hanc diagnoſin haud adeo curare videntur recentiores, qui morboſam flavedinem frequentius ab hepate repetunt. Favet tamen priori Hippocratis placito hiſtoria modo recenſita (9), poſteriori, ut alia taceam, illuſtre exemplum quod ante aliquot menſes in fœmina vidi, cui lien valde induratus enormi longitudine inde a transverſo ſepto fere ſupra totum renem ad os uſque ilei ſiniſtrum propendebat, & ſuprema parte, reliquis paulo craſſiore, ambitu ſuo minimum pollices æquabat tredecim. Sed lubenter fateor hæc tantis componendis litibus non ſufficere. Cumulatioribus in re obſcura exemplis opus eſt.

Ubi vomica hepatis alte ſub diaphragmate deſedit, atque ipſum parenchyma late devaſtavit (30), vix certiorem a ſectione quam medicamentis curationem ſperari poſſe autumo. In reliquis forſan potior a ferro ſalus. Crediderim tamen non adeo contemnendum eſſe Thieullier conſilium, ut explorandi cauſa perforetur antea locus, quem ſcalpello incidendum putamus.

Vicit, ni fallor, poſt Hippocratem Bœrhaavius, condendo breves de morbis aphoriſmos, omnium quotquot novi induſtriam. Neque tamen in tanti magiſtri verba jurare juvat, ut ut ſummo acumine polita. Sunt quæ illuſtrari, quæ ſuppleri poſſe videntur. Et fere dixerim, recenſitam modo obſervationem ſuppurati jecinoris exitum (§. Aphoriſ. 936.) & empyematis fontes (§. Aphor. 1185.) reddere locupletiores.

Aretæo jam dudum obſervatum memini, hepar inflammatum diaphragma detrahere. Et tamen mihi in tota hiſtoria nihil adeo crucem figit,

 quam

quam quod ſub illæſo a ſiniſtra pectoris cavo integrum diaphragma laxe propendens viderim (28). An forſan occulti cuniculi aërem admiſerunt?

OBSERVATIO III.

Ventriculus ſphacelo correptus.

ANni labentis menſe aprili cadaver puellæ circiter ſemeſtris, perquam gratæ mihi anatomicæ exercitationis cauſa comparaveram.

Color corpuſculi maximam partem albicans, ad latera thoracis rubicundior; habitus inter macilentum & pinguem ambiguus; abdomen elatum; caput amplum; vertex ſordibus inquinatus. Demtis ordine muſculis abdominalibus apertoque peritonæo, quicquid præcordia & pubem ſpatii interjacet inteſtinis tenuibus plenum apparebat. Erant illa diſtenta admodum atque flaveſcente paſſim coagulo repleta, cæterum coloris pulcherrime ex roſeo albicantis & quoad ſpeciem ſaniſſima; nec in pleniori quippiam alienati. Quibus ſuſpenſa manu ad præcordia ſublatis, hepar in gibba ſubrubellum in concava paſſim obſcurius virideſcens, veſicula autem fellea coloris porracei atque in averſa colli parte adeo expanſa ut fere majoris ibi quam in fundo capacitatis eſſet.

Quæ licet attentione haud indigna viderentur, lurida tamen ventriculi facies magis oculos in ſe convertit. Erat quippe inde ab ore ſuo ſuperiore uſque ad diſtantiam aliquot pollicum a pyloro ex fuſcò nigreſcente colore tinctus, nullo ſplendore & flaccidus inſtar macerati.

Quem cum leviter attingerem ut averſa mihi pateret ſuperficie, continuo rumpebatur medius, liquoremque pultaceum coloris e cinereo nigricantis grumis albidis avellanæ partim magnitudine diſtinctum perenni fluxu eructabat.

Exceptus vaſe liquor leviter rancidum ſpirabat, grumi vero digitis triti verum lactis oſtendebant coagulum. Ceſſante fluxu lacerum eximere conabar ventriculum; aſt præter cardiam cum vaſis majoribus a margine concava in pylorum protenſis, huicque adhærentem laciniam inſigniorem, nihil protrahere poteram. Reliqua partim ſinui ſplenis firmiter agglutinata, partim in glutinoſum leviter olentem mucum collapſa erant. Lacinia illa pyloro continua curatius examinata ad extremum limbum quo fundum effecerat, faſciam monſtrabat ab interiori tunica uſque ad muſcularem ita corruptam, ut villoſa cuticulam referret facile dehiſcentem, quales in pultaceis cernere licet, nervea vero ſolito craſſior & gelatinæ mollioris inſtar tremula muſculari incumberet; quæ, illis leniter ablatis, exteriori inhærens clarius multo circulares quas vocant fibras ſponte oculis objecit quam arte unquam præparari poſſunt. Erant illæ ſublutei coloris, leviter pli-

plicatæ, latitudine, ortu, fine, directione tantillum diſcrepantes, neque ulla earum pleno arcu procurrebat. Partem ſanam poſtea continuo aqua maceravi; verum ea adhuc integra permanſit, ut ut facta ſit tumidior & in laceratis marginibus tandem deliqueſcenti ſimilis.

Juvat paucis addere, quæ morbo principi lucem affundere videntur. Et Splen quidem perquam parvus & flaccidus, memoratam ventriculi laciniam per totum ſinum tam late ſibi accretam habebat ut vix conſpicua vaſorum illius oſcula paterent, & tam valide, ut laciniæ exteriorem tunicam abſque ſua non dimitteret. Ex pelvi tuba utriculi ſiniſtra cum ovario plane in eum pubis ſinum ſeceſſerat, qui ſecundum naturam ligamenta quæ vocantur rotunda excipere ſolet. Diaphragma ab omni parte integrum, validum, fibris carneis inſigniter plicatis. In thorace pleura haud leviter inflammata, pulmo vehementer in bullulas expanſus, cor ſanguine ſuffuſum, arteria pulmonalis nec non aorta deſcendens tenacibus eximiis polypis refertæ. Cranii ſuturæ pro ætate paulo latius hiantes, cerebri vaſa ſpiſſo ſanguine perquam turgida, cætera ſanum nec in cavis ſuis morboſo latice ſuffuſum. Fere oblitus eram, ductum hepaticum inde a minimis ramis, quos acutiore cultello aperire oculisque diſcernere licuit, ſimili porracea bile madidum fuiſſe quam veſicula capiebat.

Ut ut cadaveroſus fœtor abſit, eas tamen partes corporis ſolidas verum occupaſſe ſphacelum dixerim, quæ ſoluta compage mechanica in tabum colliquere (34. 37).

Apertis ulcere ventriculis nonnullos per longam annorum ſeriem traxiſſe animam, memorabilibus Etmülleri Wenkerique hiſtoriis credimus. Qui ſiderato plane ventriculo diu vixerint equidem, quod ſciam, haud memorantur, neque etiam auctoribus facile haberetur fides.

Levis etiam ventriculi inflammatio diras ſæpenumero excitat tragædias, vehementiores gangræna & ſphacelus. Hinc ſplenis (51) pulmonum (60) cordis (61) cerebri (63) ſuffocationes, hinc inflammatio pleuræ (60), cyſtidis felleæ convulſio (16), inteſtinorum intumeſcentia (10), herniarum ortus (55), & innumera alia facile intelliguntur.

FINIS.

DISPUTA-

DISPUTATIONUM AD HISTORIAM ET CURATIONEM MORBORUM PERTINENTIUM,

TOM. V. PARS IV.

AD FEBRES.

CLI.

GEorgii Erneſti STAHL & *Godofrid.* MEYER *de tertiana febri genium univerſum manifeſtante* Hal. 1706. Plures Ill. STAHLII diſputationes, & eam inprimis alii deſiderabunt, quæ de autocratia Naturæ agit. Verum legem mihi olim ſcripſi, eamque in præfatione indicavi, me theorias etiam elegantiſſimas, optimæque dictionis, aut ingenii etiam vi conſpicuas, nunquam admiſſurum, niſi cum naturæ obſervatæ hiſtoria conjungatur. Quare illos quidem STAHLII libellos omiſi, qui hypotheſi in univerſum ornandæ dicantur, aliquas vero inter multas ſelegi, quæ phænomenorum quaſi picturam aliquam tradunt. Has inter iſta eſt, quæ curioſam omnino ſymptomatum tertianæ enarrationem continet; deinde Ill. auctoris ſententiam manifeſtiſſime declarat, qua ventriculi aliquod vitium pro cauſa mali, vomitus at reliqua vero ſymptomata pro naturæ ſe vindicaturæ conaminibus habet. Quare corticem chinæ chinæ, tamquam oppreſſorem inſurgentis naturæ omnino rejicit, in ſalibus vero digeſtivis, cum abſorbentibus, potius quam in vomitu ſpem ſuam ponit. *pag.* 1

CLII. J. *Godofr.* de BERGER & *Henrici David* STIFLER *Chinachina ab iniquis judiciis vindicata* Witteberg. 1711. Cum motus febrilis a STAHLIANA ſchola pro ſalubribus naturæ conatibus haberetur, & in Germania potiſſimum populari odio cortex Peruvianus premeretur, hac eloquente & gravi diſſertatione vanos hos terrores diſſipat Auctor, unaque cum Tortio monet, ſufficiente & aliquot dierum ſeptimanis continuata corticis copia, ipſoque potius dato pulvere, quam extracto quocunque, febres tuto domari. Ipſa dies & experimentorum multitudo ſenſim docuit, nullum medicamen blandius, ſecurius, certius a natura generi humano datum eſſe. Non perinde certum eſt, qua poteſtate cortex beneficam virtutem expediat; amarum eſſe, & ſolvere una & adſtringere docet BERGERUS. Verum & quæ multo magis adſtringunt, & quæ immenſum amarore ſuperant, multo, quam chinachina, inertius febribus obſiſtunt. Liceat paucis verbis vim ſaluberrimam hujus medicaminis grato animo recordari. Podagrico dolore leniſſime adfectus, caſu improviſo frigori expoſitus, ſub exitum menſis Martii, ſubito febre vehemente, & erumpente de facie, intra paucas horas, eryſipelate pene oppreſſus fui. Cum tamen febris vehementiam aliquot matutinis & quotidianis horis remittere perciperem, nihilque ſumma copia acidorum contra vim febris poſſet, & eryſipelas in dies magis per totam capitis capillatam cutem ſe diffunderet, denique die ſexto poſt breviorem paroxyſmum, & parcam remiſſionem, novus & vehementiſſimus viginti quatuor horarum inſultus, cum vehementiſſimo calore me invaderet,

cum,

cumque venæ ſectio, quam ſuadentibus amicis invitus dederam, dolorem equidem pedis revocaret, cæterum febrem ne unico quidem inter 124 pulſu minueret, continuo, nihil territus ab eruptoria illa ſanguinis depuratione, prima diei octavi remiſſione celeriter uſus, corticis ſemuncem abſorſi: cumque multo celerior, ut fere ſolet, mitiorque alter paroxyſmus rediret, unciam corticis in proxima remiſſione ſumta, deinde ſenſim diminutis, diu tamen continuatis, divini remedii doſibus, abſque ullo incommodo, aut reliquiis ullis, inter blandos reparatæ podagræ dolores, morbo ſum defunctus. Ut conſtet, etiam in exanthematicis febribus, dum certa ſit, & alicujus conſtantiæ remiſſio, corticem perinde ſalubriter exhiberi, ac quidem in febribus vere intermittentibus datur. Remiſſio vero tunc certa eſt, quando febris ad pulſus in primo minuto centum redit, & melior certiorque ſpes eſt, ſi ad 94 uſque deſcenderit, quem fere numerum in tertianæ diebus, qui vocantur liberi, in diverſiſſimis ægrorumcorporibus obſervavi. *pag.* 41

CLIII. *Honorii Wilhelmi* KASTENHOLTZ *conſectaria theoretico practica ex hiſtoriis quatuor febrium tertianarum intermittentium deprompta* Altdorf. 1745. Ex his ſuis febris tertianæ hiſtoriis deducit vir Cl. facile in alios & alios morbos has febres tranſire: neque vomitum, etiam a natura motum, ad fidam curationem ſufficere; & emetica utiliter quidem exhiberi, poſcere tamen prudentem medici manum, & graviſſime ſubinde nocere, ſi alieno loco data fuerint: a febribus porro intermittentibus hactenus nervos adfici, ut ſpaſmi aliquando, & alias atonia, ab earum declinatione ſuperſint; demum eas febres a motu elaſtico & vitali potiſſimum pendere. 61

CLIV. J. *Frid.* CARTHEUSER *de febribus intermittentibus epidemicis* progr. Francof. ad Viadr. 1749. Epidemicas febres deſcribit Vir Cl. cum ſudore debilitante conjunctas, ſanguine ſæpe viſcido. Chinam chinam nocuiſſe IDEM monet, emetica vero & purgantia medicamenta ſalutaria fuiſſe. 83

CLV. *Caroli* GIANELLA, Praxeos nunc profeſſoris Patavini, *de admirabili Ipecacoanhæ virtute in curandis febribus tum autumnalibus tum lentis, tum aliis ſive continuis ſive intermittentibus ſedem in primis viis habentibus* brevis diſputatio Patavii 1754. Infuſum hujus radicis aquoſum propinat in febribus autumnalibus; tum in febribus lentis, cum nauſea & conatu ad vomendum conjunctis. Eas febres hæc radix abſque recidivæ metu ſanat, ex viri Clar. experimento. 91

CLVI. J. *Henrici* SCHULZE & J. *Gottfrid* GRÆVII *de mercurialium uſu in febre quartana curanda* Hall. 1742. Quartanam deſcribit Vir olim eruditiſſimus, uti varia in variis hominibus facie adparet: etiam cum viſcerum tabe, hinc cum tuſſi, cachexia, aliiſque malis conjuncta: exempla deinde profert felicium curationum quæ breves dulcis mercurii doſes, abſque ſaliva potenter mota exhibitas, ſecutæ ſunt. Rubrum etiam & præcipitatum mercurium diapnœen movere, & hactenus paria facere, album ſalivam potius ciere addit. Eum mercurium cum ſulfure aurato antimonii conjunctum dudum, ante Edimburgenſium laudes, in Germania datum fuiſſe nos docet. Aliam febrem quartanam in juvene, ſolo emplaſtro ſplenetico cum ſaponato miſto, & quatriduo geſtato, vidit ſuperatam fuiſſe. 101

CLVII. *Pauli* le ROY & J. *Baptiſtæ* HATTE diſp. in hæc verba *Ergo febri ſubintranti Kinakina* Paris 1753. Febrem, & erudite, deſcribit, & ex periodicarum grege eſſe, hinc a cortice Peruviano domari confirmat. Vim in amarore ponit, hinc cum cortice fraxini Peruvianum comparat, impar par pugilum. 115

CLVIII. *Henrici Wilhelmi* ARNOLDI *de febre ſtomachali epidemica* diſſ. Marpurg. 1727. Febris periodicæ modo continuæ remittentis, & modo vere intermittentis, cum tertianæ periodo, peculiari vero dolore, continuo, & vehemente, in præcordiis coſtarumque oppoſitarum intervallo, tamquam charactere conjuncto, hiſtoriam

dat. Non mediocre periculum ſuperabatur ſanguinis miſſione & emetico, quibus auctor ſolita ejus imprimis ævi temperantia addit, & abſorbentia, fractaſque vires vino jubet ſuſcitari. *pag.* 129

CLIX. J. *Andreæ* FISCHER & *Godofredi* KULBEL *hepatitis Pegaviæ in circulo Lipſienſi epidemice graſſans obſervata & curata* Erford. 1718. Brevior juſto neque ſatis plena morbi hiſtoria, hic tamen recenſetur, quod utilitati publicæ me fauturum ſperaverim, ſi quam plurimas epidemicorum morborum hiſtorias ederem. Ita & res ipſa ſuadebat, & extiterunt, qui volentem hortarentur viri Clari. Pegavienſis morbus epidemica febris fuit, cum vomitu bilioſo, dolore hypochondrii dextri pungente, reſpiratione difficili, & facie pallide citrina, & urina glutinoſa, ad vitrum vehementer adhærente. Venæ inciſio aut nocuiſſe dicitur, aut morbi certe tempora protraxiſſe. 143

CLX. Melioris notæ inter Stahlianas viſa eſt ejus *de febribus bilioſis* diſp. quæ reſpondente *Erneſto Petro* MEUDER Halæ prodiit 1701. Cauſa morbi omnino ſerio in bile ponitur: ſymptomata recenſentur, quæ dicam: languor univerſi corporis, anxietas, nauſea, horror vehemens, tunc æſtus, dolor capitis, febris: ſalubris nonnunquam, & febrem jugulaturus vomitus bilioſus, aut ſubſequens diarrhæa; porro faucium ſiccitas, virium proſtratio, agrypnia, delirium furioſum. Additur poſt graves iras imprimis ſupervenire. Curationis ſpes fere unice in nitro ponitur. 153

CLXI. *Alberti* v. HALLER, & auctoris medici & chirurgi Petropolitani G. C. PAPPELBAUM *de febre maligna per gangrænam pedis dextri in regione malleoli externi critice ſoluta* Gotting. 1743. Titulus fere hiſtoriam declarat, quam Clar. vir deſcribit, aliqua vero ſpe terrorem mitigat, quem gangræna ſuperveniens plerumque nec immerito, injicit, datque exemplum abſceſſus, quem pauciſſimi medici inter criticos retulerint. 177

CLXII. *Guidonis* FANOIS *de morbo epidemio hactenus inaudito præterita æſtate anni 1669 Lugduni Batavorum viciniſque locis graſſante* Leid. 1671. Hiſtoria morbi nimis quidem brevis eſt, neque artificem ſapit. Febris mali moris erat cum anxietate præcordiorum, & ſenſu ponderis ventriculo impoſiti, cum perpetua nauſea, aphthiſque: vis ad perniciem magna, ut 7000 homines Leidæ abſtulerit. Curationis, quam morbi melior eſt deſcriptio, cum auctor & 2000 ægrotis adſtiterit, & morbum ipſe ſit perpeſſus. Vomitum movebat, venam etiam repetito ſecabat, ſudoriferis abſtinebat, quæ pernicioſa eſſet expertus. 201

CLXIII. J. de KOKER *de morbo epidemico anni* 1719. Leid. 1720. Rarum opuſculum debeo humanitati præſtantiſſimi viri *Hieronymi David* GAUBII. Morbum ex diario BOERHAAVIANO deſcribit auctor poſt calidam hyemem per æſtuoſam ſqualidamque æſtatem natum, ex corrupta, ut credebat PRÆCEPTOR, bile. Febris erat cum atroci cephalalgia conjuncta, in funeſtas nonnunquam & colliquativas dyſenterias terminata: aut in icterum: aut in rheumaticos dolores. Curabatur farinoſis, acidis, fructibus horæis, emetico aut purgante pharmaco, in ipſis morbi principiis dato: nocebant acria quæque & alexipharmaca, ipſeque Peruvianus cortex, quem Cl. auctor pro anodyno medicamento habet, cujus vi irritabilis nervorum natura ſopiatur. 217

CLXIV. *Georgii* DETHARDING, & *Georgii* HANNÆI diſp. *de febribus Eideroſtadienſibus epidemicis vulgo ſtoppelnfieber* Hafniæ 1735. Eleganti diſputatione exponitur tractus, quem Eydera adluit, inaquoſa & per æſtatem ſicca indoles: aquæ putealis aut paludoſæ gravitas, & ſedimentum lixivioſum. Febres in ea regione endemiæ ſunt ex periodico genere tertianarum, ſed continuæ aliæ, aliæ duplices, aut anomalæ: denique catarrhales benignæ aut malignæ, quarum febrium aliquæ ſingulis fere annis graſſantur. Vitium partim in primis, quas vocant viis eſt, & anxietates, nauſeaſve, aliaque ejus generis ſymptomata facit: modo

modo in ſanguinem tranſit, & petechias, eryſipelas, cephalalgiam, virium proſtrationem, pulſus inæquales. *pag.* 247

CLXV. *Franciſci Joſephi* Molitor & *Henr. Andr. Joh.* Mayer *de febre continua & intermittente tertiana utraque ad Rhenum ann* 1734 & 1745 *epidemica & caſtrenſi* Heidelberg. 1736. In utroque exercitu hæc lues ſæviit, in gallico etiam magis: febres vere malignæ, ex genere petechialium, miti ſub primos dies facie, inde in cephalalgias enormes, ſopores tranſibant mortemque, poſt narium hæmorrhagias, congeſti in caput ſanguinis indices. Neque raræ erant, infrequentes aliam inter febrium ſymptomata, paralyſes. Frigus etiam ab intermittentibus aberat. Urina crocea erat, neque rarus icterus. Militum numerum incredibilem, & majorem adfecit, quam peſtis ſolet, ut ex centuria aliquando unicus ſalvus ſuperfuerit. 263

CLXVI. *Simonis Pauli* Hilscher & *Immanuel Friderici* Schaver *de febribus malignis in regione Rombildenſi a menſ. Dec. ann.* 1740 *ad Auguſtum uſque anni* 1741 *graſſatis* Jenæ 1741. Iterum de maligniori gente, cum æſtu aliiſque ſymptomatibus modicis, pulſu cum frequentia parvo, appetitu ciborum proſtrato: tuſſi, doloribus variis, etiam lumborum, cute arida, vigiliis contumacibus, convulſionibus, exanthematibus, purpura utraque, petechiis, vermium mortuorum egeſtione. Intercedebant longiſſimæ febrium periodi, & ægri fuerunt, quibus 28 die purpura alba erupit, & 27 aliis diebus febris ſuperfuit. Curationem, pro theoria ejus ævi, medici fere abſolvebant diaphoreticis. 275

CLXVII. *Hermanni Pauli* Juch & J. *Jacobi* Zuberbuhler *de febre catarrhali epidemia cum tuſſi & coryza complicata menſibus vernalibus anni præteriti in pluribus Germaniæ Provinciis graſſante* Erford. 1743. De levi illa febre catarrhali ſermo eſt, quæ annis etiam 1711 & 1733 late dominata, ægros fecit plurimos, ſtragem fere nullam edidit. 295

CLXVIII. *Philippi Conradi* Fabricii & J. *Daniel* Fahrenholz *obſervationes quædam circa conſtitutionem epidemicam anni* 1750 *adnotatæ* Helmſtad. 1751. Præter aliqua ad hiſtoriam naturalem agri Helmſtadienſis pertinentia, brevemque plantarum ſpontanearum catalogum, deſcribit Vir Ill. ſynochum putridam, ſatis etiam cum affectibus ſoporoſis & tendinum ſubſultu funeſtam, quæ venæ ſectione, nitroſis, aliiſque lenibus medicamentis ſanabatur, ea enim gens fere ſola mitia fert, & fortibus remediis offenditur. Inde febrem intermittentem, & variolas ejuſdem anni deſcribit. 315

CLXIX. *Henrici* Maii & *Arnoldi Philippi* Kopff *de febre caſtrenſi quam vulgo cephalalgiam epidemicam vocant* Rinthelii 1691. Etſi dictio non eſt nuperi ſaporis, poteſt tamen utiliter legi deſcriptio morbi, qui in reliqua Europa rarus eſt. Febris eſt acuta, cum univerſi corporis fatigatione, nauſea, intolerabili pene cephalalgia, & cardialgia opprimente, abſque certis in pulſu aut urina ſignis. Curatio, ad ſeculi genium, a bezoardicis & calidis medicamentis petitur. 341

CLXX. *Michaelis* Alberti & *Georgii* Schuller auctoris *de morbo hungarico hagymaz ejuſque cura præcipue per ſpecificum* Hall. 1726. Idem morbus deſcribitur, qualis in patria regione graſſatur. Additur prioribus natura contagioſa, color faciei pallidus & livens, parotidum eruptio; & laudatur empirica curatio, Hungaris familiaris, qui unice decocto ononidis vulgaris caput lavant & confricant. A methodica deinde curatione rejicitur camphora, & quidquid eſt calidorum. 361

CLXXI. J. *Antonii Joſephi* Scrinci & *Guilielmi* Bache *de febre maligna caſtrenſi gallorum, quæ cum ingenti eorumdem ſtrage per totum regnum Bohemiæ maxime vero Pragæ inter eoſdem graſſabatur* Prag. 1743. Unice decerpſi morbi hiſtoriam, quo triginta millia Gallorum unico anno exeunte 1742 dicuntur exſtincta fuiſſe. Petechialis erat ingenii, curantibus tamen medicis gallis negat auctor

unquam

unquam exanthema adparuiſſe. Carpit eorum conſilia, ſanguinis miſſionem nimiam, emetica, etiam ſexto & ſeptimo die repetita, emulſiones. Inquirit in cauſam, voracitatem accuſat, quæ fami ſupervenit, frigus nocturnum, corruptum a nimia ægrotorum copia aerem &c. *pag.* 385

CLXXII. *Joſiæ* Weitbrecht *de febrili conſtitutione petechizante Petropoli an. 1735. graſſante* Regiomonti 1736. Hoc libello accurate ſcripto, traditur febris continua, aut in purpuram abitura, aut maculas expulſura petechiales, cui id ſingulare fuit, quod in declinatione ſalutaris ptyaliſmus ſuperveniret. De inconſtantia queritur aeris Petropolitani, cum alias rerum ſeptentrionalium ſcriptores ſoleant conſtantiam hiemis inter prærogativas orbis borealis recenſere. Noſter vix triduo aut æſtatem, aut hiemale genus ſibi conſtare adfirmat, ſubitoque & in frigus æſtum, & in egelidum teporem brumam degenerare. Frigus a propria materie naſci ideo ſuſpicatur, quod longe alia ſit aeris natura, quando frigori tepor ſuccedit, quam fuit, eodem cum ſtatu thermometri, quando autumnali tepori primum gelu ſupervenit. Inter rariora phænomena etiam pulſum venarum verum, & conſtantem producit, quem vidit cum purpura alba conjungi. In curando Vir Clar. abſtinebat a miſſione ſanguinis, ab emeticis: utebatur plurimum caſcarillæ quidem odorato cortice ad grana decem quater de die dato, quo vitæ vires ſuſtentabat. Eadem, ſed cum altero potentiore Peruviano cortice conjuncta, anxietates mitigabat, exacerbationes in ordinem redigebat, ordinatas denique febres tollebat, & in univerſum ſalutifero hoc medicamine etiam continuæ febres labiguntur, dum non ſint inflammatoriæ. Purgantibus vetat corticem miſcere (eo rectius, quod ipſe cortex alvi eam laxitatem præſtet, quæ ſufficit). Camphora non quidem deliria jam nata tollebat, ſed cavebat venturis. Nitro utebatur, & denique, pro ſudorifero fine, pulvere de chelis cancrorum compoſito. Cantharides primis diebus ſalubriter imponi comperit. Cum ſaliva ſaluberrime flueret, gargariſmata, qua cientur, neceſſario requirebantur. Enemata in dolore maxime capitis proderant. 395

CLXXIII. *Friderici* Brandhorst caſtrenſis medici *hiſtoria febris caſtrenſis petechialis epidemicæ* Leid. 1746. Morbus in exercitu Boruſſico annis 1741 & 1742 ſæviit, ex febrium continuarum genere, cum petechiis conjunctus. Prima ſymptomata in capite apparebant, dolor nempe capitis obtuſus, & ſoporis pene ineluctabilis neceſſitas; apoſitia, ſapor putredinis ex carnibus quibuſcunque: deinde febris vehemens cum difficili ſpiritu, vigiliæ, aut ſopor perpetuo ingraveſcebant, & delirium, & intenſiſſimus æſtus, oſque & fauces aridæ & inflammatæ, cutis ſicca, rigida, aliaque ardoris interni ſymptomata: ſudor acidum ſpirans, die 14 erumpebat criticus: petechiis nulla ad ſervandum ægrum vis erat. Inter cauſas proegumenas luem veneream recte recenſet, qua utcunque infecti difficillime ex acutis febribus ſe extricant, deinde inter externas pluviam, hiemem, & itinera per medias aquas militaria, tentoria in nivibus tenſa, vitam caſtrenſem, vina calidiſſima. Inter auxilia venæ ſectio vix locum habebat, quod a quarto die parum utiliter adminiſtretur, ante eum diem miles vix in militare noſodochium transferatur. Emetica & purgantia minus feliciter propinabantur, felicius cedebant acida, aquoſa, nitroſa. Inter corollaria primum memorabile eſt, quo auctor adfirmat, petechialem febrem gonorrhœam virulentam, condylomata, & alia venerei mali ſymptomata ſuſtuliſſe. 421

CLXXIV. *Godofredi* Welsch & *Sigiſmundi Ruperti* Sulzberger *hiſtoria medica novum iſtum puerperarum morbum continens, qui ipſis der Frieſel dicitur* Lipſ. 1655. Memorabilis libellus, incunabula novi morbi tradit, qui ab eo tempore per ſeptentrionalem Europam tyrannidem ſuam extendit, neque auſtrali penitus parcit, cum Reginam Sardiniæ non ita dudum exſtinxerit. Lipſiæ fere anno 1652 primum innotuit, jam tunc ſævus, & in puerperas inclemens. Deſcriptio non

non multum ab eo morbo diſtat, quem toties in Germania vidi, cariſſimis mortalibus funeſto, & quo ipſo pene oppreſſus fui. Ichorem, vocem obſcuræ ſignificationis, accuſat, qui hujus malignæ & miliaris febris cauſa ſit. *pag.* 447

CLXXV. *Polycarpi Gottlieb* SCHACHER & J. *Georgii* STEINFELD *de febre acuta exanthematica ægram quinquies ſerie non interrupta invadente* Lipſ. 1723. Vere ſingularis hujus feminæ calamitas fuit, quæ quater maligna purpura, benigna ſemel, & variolis perinde ſemel, pene abſque intervallo defuncta vitalis, ex tantis malis evaſit. 481

CLXXVI. J. *Godofredi* SALZMANN *Joh. Fil.* *Hiſtoria purpuræ miliaris albæ cum primis Argentoratum & viciniam ante biennium fere infeſtantis* Argentor. 1736. Febrem miliarem in genere, deinde eam peculiariter deſcribit, quæ in exercitu gallico, poſt obſidionem Pilippiburgi ſævit, interque cives pariter graſſata, medicorum magnum numerum interemit, ut certo memini. Vere contagioſam fuiſſe recte negat, eo certe ſenſu vocis, quo vulgo ſumitur. Virium proſtratio, & anxietas, ſub ipſa morbi principia aderant, redibant, poſt remiſſiones aliquas, novæ ſubinde exacerbationes, abſque refrigeratione. Accedebat pondus pectori grave, & animi inquietudo, & obſcurius delirium; & perpetuo duratura diarrhœa. 499

CLXXVII. *Wilh. Ulrici* WALDSCHMIDT *de ſingularibus quibuſdam peſtis holſaticæ* Kiel 1721. Vere ſingularia multa continet, etſi peſtis Kiliæ pepercit, cum vicinam Holſatiam devaſtaret. Etiam hac in regione medici naſcentem morbum parum agnoverunt: contagium, per certas hiſtorias, veſtium ope & ipſorum nummorum ſpargebatur, lac tamen matris nonnunquam innocuum fuit, neque malum brutis animalibus penitus pepercit. Nullos ſecum graſſaturos morbos hic tyrannus tulit: bubones exigui, incerta medendi methodus, theriacæ noxa utiliter hic confirmantur: & id quidem medicaminis genus magiſtratus Gedanenſis etiam edicto proſcripſit. 547

CLXXVIII. *Antonii* COCCHI l. *de morbo variolari quo adfecta eſt prænobilis monialis Maria Livia Burgheſia ſub finem ann.* 1739. Ne doctiſſimi viri hic brevis molis labor interiret, recuſum dare viſum eſt. Sanguinis miſſionem, ſub principia morbi, & alvi laxationem, & frigidiuſculam diætam Sydenhami laudat. 563

CLXXIX. *Caſp. Guilelmi* BEUSSER & J. *Theodori* FABRI diſſ. *ſiſtens hiſtoriam morbi & ſectionem cadaveris variolis confluentibus defuncti cum epicriſi* Heidelberg. 1731. Utilis hiſtoria morientis ex variolis principis, in cujus inteſtinis nulla puſtula, ſed inflammatio late ſparſa & gangrænam minitans reperta fuit, ſimileque in ſepto tranſverſo malum, inque inteſtinis pus effuſum. Neque ego unquam, tot in cadaverum morboſorum inciſionibus, infra pharyngem puſtulas reperi. 575

CLXXX. *Nicolai* ROSEN Archiatri, & *Petri Jonæ* BERGII, celebris clinici, *de variolis curandis* diſſ. Upſal. 1754. Aliquot curationum ab auctore peractarum hiſtoriæ hic continentur, quibus corticis Peruviani in confluentibus cum parvo & celere pulſu variolis, inque febre ſecunda cum putredine & debilitate conjuncta, ſalutares vires confirmantur: Exhibebat autem Vir. Cl. corticem ad ſcrupulum. Sinapiſmus pedibus admotus variolas in pedes revocavit. 585

CLXXXI. J. *Gothofredi* BERGER & J. *Theodori* NEUKRANZ *de uſu venæ ſectionis & clyſterum in curatione variolarum* Witteberg. 1711. Novam in Germania curandi methodum eo tempore propoſuit Vir Cel. quo præter calida & ſudorifera vix quidquam hoc in morbo exhibebatur. Contra venæ ſectionem laudavit, quoties febris, ad eruptionem requiſita, nimia foret, non adeo poſterioribus diebus. Clyſmata vehementer commendat. 603

CLXXXII. *Georg. Chriſtoph.* DETHARDING & *Tobiæ Philippi* HILKEN *de facie a variolarum inſultibus præſervanda* Roſtoch. 1754. Aliorum conſilia recenſet; negat, qui ſemel veras variolas paſſus ſit, eum genuinis variolis ſecundum

adfici: non valde improbat GUNDELSHEIMERI repetita ſub morbi principium emetica medicamenta, cum catharticis conjuncta: neque Cl. VERDRIES veſicatoria cervici admota: præfert tamen ſcarificationem partium a capite remotiorum; obſervat, circa ea vulnuſcula numeroſiores puſtulas prodire, exempla adducit felicis eventus, tempus definit, ante eruptionem, & ſub eruptionis primordia. *pag.* 627

CLXXXIII. *Franciſci* CLIFTON *de diſtinctis & confluentibus variolis* inauguralis diſp. Leidæ propoſita 1742. Vir doctiſſimus, qui per alios labores celebritatem eſt conſecutus multam, partem hujus morbi repreſſæ perſpirationi tribuit: laudat eas curationes, in quibus materies mali evocatur ad cutis ambitum: felicem ſanationem prædicat, quæ refectis unice puſtulis facta eſt, ipſe vero balnea aquæ calidæ laudat. 651

CLXXXIV. ***Matthiæ Ernesti*** **BORETII** ***obſervationum exoticarum ſpecimen primum ſiſtens famoſam Anglorum variolas per inoculationem excitandi methodum, cum ejuſdem phænomenis & ſucceſſibus prouti nuper in carcere Londinenſi Newgate auctoritate publica in ſex perſonis capite damnatis feliciter fuit inſtituta*** Regiomont. 1722. Longo titulo fere omnia exprimuntur, quæ in libello exſtant. Cum nempe regina Carolina experimenta novæ curationis fieri juſſiſſet, quibus ejus ſecuritas innoteſceret, auctor iis experimentis teſtis adfuit, quæ feliciſſime ceſſerunt. Qui variolas naturales paſſus erat, nihil ab inſititiis morbi ſenſit. Perinde fuiſſe videtur, ſive unicum in vulnus venenum mitteretur, ſive in duo. 671

CLXXXV. *Thomæ* FREWEN *de inſitione variolarum* diſp. Ultrajecti 1755. Decem nunc annis hanc curationem exercuerat, quando ſua experimenta publice propoſuit VIR Cl. Medicationem ad inſititias variolas requiri fatetur, quæ Sydenhamianis præceptis proxima accedit. Copioſo aquæ potu varioloſum propriorum liberorum morbum, non blandiſſimum, feliciter ſuperavit. Variolas naturales, confluentes, peſſimæ ſpeciei anodynis curavit. Ante inoculationem aut emeticum medicamentum ſumi jubet, aut mineralem æthiopem. 682

CLXXXVI. J. *Nicolai* MILLIN de la COURVEAULT & *Petri Joſephi* MORISOT des LANDES auctoris theſis in hæc verba *Ergo Pariſiis variolarum inoculatio* Pariſ. 1755. Pariſiis maligni generis cryſtallinas variolas frequenter ſævire queritur, juſcula carnoſa recte damnat, inoculationem commendat, duoque in Gallia felicia exempla laudat. Imperitia cæterum & temeritas chirurgorum, in corporibus cacochymicis, ipſiſque fluentibus menſtruis, tamen variolas inoculantium, hanc ſaluberrimam curationem Gallis denuo, recentiſſime, exoſam reddidit, etſi ferox contra anglicam medicationem Pariſiis propoſita diſputatio auctoritate publica ſuppreſſa fuit. 695

CLXXXVII. *Andreæ Ottomari* GOELICKE & J. *Othonis* BRUKNERI ***de lue contagioſa bovillum genus nunc infeſtante*** diſp. Francofurti ad Viadr. 1730. Inflammationis ventriculi ſecundi, tertii & quarti cum magna veſicula fellea conjunctæ, utilis hiſtoria, quæ plurimis annis ſæviit, neque hactenus fideliter exſpiravit. Inciſiones cadaverum habet, morbique ſymptomata. 713

CLXXXVIII. *Burcardi David* MAUCHART & *Chriſtophori Henrici* KLEMM *de lue vaccarum Tubingenſi* diſp. Tubing. 1745. Eundem morbum, pluſculos poſt annos, deſcribit vir olim clariſſimus. Infectoriam poteſtatem hujus mali multis argumentis, & aliquot evidentiſſimis hiſtoriis confirmat: deinde curationem methodicam proponit: acida, nitroſa, diluentia, commendat. Sedem morbi in tertio maxime ventriculo ponit, neque miſſionem ſanguinis ſpernit, quæ vaſtæ animalis moli reſpondeat. Subinde lini etiam mitigans decoctum dedit, ſetacei loco, ut vulgo ſolent. Hellebori nigri radice utitur, unguentique fere veſicas cientis meminit, ex ſcarabeis unctuoſis facti. Priorem diſſ. ejuſdem argumenti invitus deſidero, ſupplemento adjecturus, ſi mature ad manus venerit. 745

CLXXXIX. *Abrahami* ENS *diſquiſitio de morbo boum Oſtervjcenſium pro peſte non habendo* Halberſtatt 1746. Inflammationem etiam & gangrænam tertio in ventriculo reperit, laudat miſſionem ſanguinis, & potiones refrigerantes & emollientes, ſpernit emetica, & calida theriacalia. Denique negat quidquam contagioſi in eo malo eſſe, additque neque morbum a variis ægrotantibus, in ſanas vaccas ejuſdem ſtabuli participes tranſiiſſe, neque carnes enectorum boum cuiquam noxam intuliſſe. *pag.* 771

Cæterum hoc loco minime illaudatam oportet eam operam dimittere, quam mihi Vir Clar. HAMBERGERUS, Societati Reg. ſcient. Göttingenſis a ſecretis, & Bibliothecæ cuſtos, nuper navarit, cum ex BERGERIANA copioſiſſima diſputationum collectione, quæ in Bibliothecam GEORGIÆ AUGUSTÆ tranſiit, inſignem numerum deſideratarum diſputationum mecum communicavit: quarum aliæ hoc ipſum opus ornabunt, aliæ certe, etſi non recuduntur, deſiderio tamen meo hactenus ſatisfecerunt, ut de iis judicare poſſem. Sed etiam *Andreas* FLOTTWELL Viri Clar. & Prof Regiomont. humanitatem gratus adgnoſco, qui deſideratiſſimam ZIESNERI diſſertationem liberaliter ad ignotum hominem miſit. Bernæ d. 15 Novemb. 1757.

TABULA DISPUTATIONUM AD HISTORIAM ET CURATIONEM MORBORUM PERTINENTIUM.

PARS QUINTA. TOM. VI.

Ad morbos corporis obſidentes univerſitatem.

CXC. & CXCI.

JOh. ZELLER, & auctoris *Chriſtophori Abrahami* RUOFF, diſp. *de morbis ex ſtrictura glandularum præter naturam natis* Tubing. 1694. Pars prior varias obſervationes minime inutiles continet, ſuppurationem criticam ex meatu auditorio, aliam ex ſinu frontali recte a medico adjutam, aliam in ſinu maxillari dextro pure ſolutam fœtido: deglutitionis impedimentum cujus cauſa a morte nulla adparuit, glandularum meſenterii, & aliarum in rachitide ſcirrhos, cum oſſium mollitie conjunctos. In parte poſteriori hæc varia mala ex acido glandulas obſidente derivantur. *pag.* 1

CXCII. *J. Valentini* CHUDEN *de methodo præſervandi & curandi atrophiam* Gotting. 1746. Patris ſui ſchediaſma ann. 1724 editum medicus nunc caſtrenſis clariſſimus recudit, notiſque adjectis contra BOELII præſide viro Cl. *Michaele* ALBERTI ann. 1729. editam refutationem defendit. Summa hypotheſeos eſt, pueros in materno utero parum tranſpirare, hinc in cute ſordes ſeboſas colligi, quæ pro crinonibus habeantur: ex ejuſdem perſpirationis impedimento, in edito fetu ſuperſtite naſci in meſenterii glandulis obſtructionem, hanc atrophiæ puerilis veram cauſam eſſe. Spem curationis poni in balneis inprimis, aliquoties poſt partum repetitis. Eadem opera venenum varioloſum hactenus domari, ut vix unquam in confluentem ſpeciem erumpat. 37

CXCIII. *Michaelis Erneſti* ETTMULLER *de ſcabie* programma Lipſ. 1731. Enormioris ſcabiei ſubinde repullulantis hiſtoriam tradit, in qua veſiculæ ad ovi gallinacei magnitudinem pervenerunt. 56

CXCIV. *Caſimiri Chriſtophori* SCHMIEDEL & *J. Chriſtiani* VOIGT diſſ. *de lepra* Erlang 1750. Non adeo intercedit his morbus, quin ſubinde exempla invenias, & audio a Cl. *Franciſco* THIERRY per Aſturias inprimis vulgo veros leproſos reperiri. Quos Cl. SCHMIEDELIUS deſcribit, ii vera lepra adfecti fuiſſe videntur, capite enim fuerunt tumido, rubente, pleno tuberculis, facie albiſſimis cruſtis tecta, tactu pene nullo, obtuſo pariter aut viſu aut auditu cuticulæ pungentibus ſquamis decidentibus, ut nova perpetuo pro priori cuticula ſubnaſceretur. 61

CXCV. *J. Friderici* BACHSTROEM *obſervationes circa ſcorbutum ejuſque indolem cauſas ſigna & curam inſtitutam eorum præprimis in uſum qui Groenlandiam & indias orientales petunt* Leid. 1734. Non longum libellum, per obſervationes natum, recudere viſum eſt. Exemplo ſcorbuti, qui Thorunii præſidium fere delevit, & exercitui Auſtriaco in Dacia Ripenſi funeſtam cladem intulit, deinde navium remotas terras petentium, oſtendit, morbi cauſſam eſſe, cibi vegetabilis defectum, cum ii omnes, quibus ejuſmodi cibi copia ſuppetiit, a ſcorbuto liberi manſerint, & reſtituto olerum commeatu morbus exſtinctus fuerit, navigatores denique in terram depoſiti, reddito uſu ſtirpium recentium, vulgo convaleſcant.

Blanda autem & pene inſipida, ſucculenta tamen olera, deinde acida, denique nimis jam acria de genere naſturcino laudat, ſatoque late naſturcio, aut ſiſymbriis de palude petitis, obſidionum, & navigationum tædia ſperat ſe ſuperaturum. Borealibus regionibus gravem ideo incumbere morbum putat, longam hiemem, olerumque raritatem, balænarum denique & piſcium eſum. Non ſatis, probabili cæterum hypotheſi, Grœnlandorum exemplum convenit, qui abſque omni vegetabili cibo vitam a ſcorbuto liberam tolerant. Aquam navigantibus infuſo mororum cortice temperat, additis etiam aliquis ſpiritus ſalis guttulis. *pag.* 89

CXCVI. *J. Georgii Henrici* KRAMER diſp-epiſt. *de ſcorbuto* ad Ill. virum *Chriſt. Jacob.* TREW Noriberg. 1737. Prima pars opuſculi continet hiſtoriam ſcorbuti, qui in Cæſareo exercitu, per Hungariam caſtra tendente, graſſatus, & poſt febres inprimis intermittentes ſecutus eſt, verus utique omni ſigno ſcorbutus, cum facili gingivarum cruentatione, artuum rigiditate, dolore, oriſque demum fœtore. Paluſtribus locis ea lues ſævit, ſoli militi gravis, præfectiſque, meliori vitæ ratione uſis, parcitura. Varia molitus auctor *J. Franciſcus* FABER, cum plurimi milites mota ſaliva periiſſent, pleraque vero auxilia vulgo laudata fruſtra adhibuiſſet, ipſe feliciſſime infuſo ſummorum ramorum pinaſtri pinique, & cortice peruviano malum ſuſtulit. Sequitur Viennenſis facultatis medicæ conſilium, & denique KRAMERI proprium opuſculum. Repetit Idem, vix unquam invadere id malum, niſi poſt febrium diuturnarum recidivas: vidit ſcorbuticas maculas nunquam niſi a ſomno erupiſſe: paludibus proprium malum eſſe, a ſanguinis putredine natum. Succo naſturtii hortenſis, & cochleariæ ad tres uncias bis vel ter quotidie dato certe ſanari, aut iiſdem herbis in conſervam redactis, calida vero olea nocere & ſpiritus, eſſentiam etiam peruviani corticis utiliter exhiberi. Frequentes in Hungaria hypochondriorum poſt febres infarctus tangit, qui puriori in aere ſponte evaneſcant. 127

CXCVII. *Georgii Erneſti* STAHLII & *Georgii Daniel* THEBESII *de ſcorbuti & venereæ luis diverſis ſignis & medicinis* Hall. 1706. Ad pathologiam pertinet. 158

CXCVIII. *Eberhardi* ROSEN & *Johannis* BORG *de ſymptomatibus purpuræ chronicæ ſcorbuticæ* Londini 1756. Nuperum morbum eſſe, & a calidi potus uſu natum, qui ſcorbuti materiem ad cutim pellat: cæterum malignum morbi genus, quod ægrotum vix unquam deſerat, quem ſemel occupavit. Occultum latere malum, inque alia & alia ſymptomata ad Protei modum erumpere IDEM obſervat. Curationis ſpem in perſpiratione reſtituta ponit, & mixturam antiſcorbuticam WERLHOFII laudat. 138

CXCIX. *Samuel Theodori* QUELMALZ progr. *quo frigoris acrioris in corpore humano effectus expendit* Lipſ. 1755. In homine frigore extincto ſanguinem in vaſis coactum reperit, & apoplexia exſtingui perſuadetur, quos frigus enecat. 203

CC. *Georgii Chriſtophori* DETHARDING & *Joan. Daniel* SCHÆFFER *de corticis chinæ chinæ efficacia in gangræna & ſphacelo adhuc dubia* Roſtoch. 1746. Diſſertatio non penitus titulo reſpondet, neque enim negat Vir Cl. corticis peruviani uſum vim habere in gangræna coërcenda, neque ægrotorum hiſtoriæ omnes eam vim dubiam reddunt. Nam in alio quidem ægroto mortem cortex ſex integris menſibus diſtulit, in alio, etſi recidivo morbo ſit exſtinctus, primum tamen gangrænæ inſultum fregit: in alio morbi vim coërcuit, ut ſolo antiſcorbuticorum remediorum uſu æger convaleſceret: bis denique omnino fruſtra eſt exhibitus. 219

CCI. *Philippi Friderici* GMELIN & *Achatii* GAERTNER *ſpecifica methodus recentior cancrum ſanandi cujus hiſtoriam analyſimque chemicam & medico practicam exponit* Tubing. 1756. Remedium ad atrox malum perinde fere atrox a Cl. viro *Antonio Ribeiro* SANCHEZ excogitatum eſt. Mercurii ſublimati grana 4 in 48 unciis ſpiritus vini ſolvuntur, ejus venenati ſpiritus bis in die uncia ſumitur, & emolliens decoctum ſuperbibitur, ſudorque exſpectatur. Cancroſæ mammæ vitrioli

cyprii exiguum momentum, & aliquantum ſalis ammoniaci; ex aqua roſarum & aceto inponitur. Poſt id fomentum, lithargyrium & ſaccharum ſaturni, in mammam illinitur. Cl. auctor hinc in naturam cancri, inde ſublimati mercurii inquirit, oſtenditque, qua ratione id veneni genus adgnoſcatur, quando miſto arſenico magis deleterium factum eſt. *pag.* 236

CCII. *J. Petri* BUCHNER *de rachitide perfecta & imperfecta* Argentor. 1754. Frequens ſatis Argentorati malum eſt, in urbe humili, cui paludes plurimæ ſubjectæ ſunt. Familiæ rachiticæ mala deſcribit, oſſa fragilia, corpuſcula flaccida. Vitriolo cyprio in vini ſpiritu ſoluto auctor feliciter uſus eſt; bilis etiam uſum laudat, quæ ægrotis fere nulla eſt, & vitæ rationem, quæ ſiccet & adſtringat. 275

CCIII. *Georgii Auguſti* LANGGUTH & *Samuel Gottlieb* EICHLER *de polypo infantis rachitici* diſ. Witteb. 1744. Morboſi & rachitici corpuſculi inciſionem exponit, oſſa contorta, hepar duplo majus, venas cordis tumidas, polypum; demum non morbum quidem, merito tamen repetendam obſervationem duræ membranæ cerebri undique cranio interius adnatæ. Hæc cum Gliſſonianis morbi notis comparat. 301

CCIV. *Chriſtian Gottlieb* LUDWIG progr. *quo obſervata in ſectione cadaveris feminæ cujus oſſa emollita erant proponit* Lipſ. 1757. Utilis per ſingula deſcriptio feminæ, cui unica fere in extremo oſſe lamella, hinc oſſa mollia, & maxime vertebræ, tum artus, molleſque coſtæ, & intortæ claviculæ, & pro medulla ruber intus ichor. 325

CCV. *Polycarpi Gottlieb* SCHACHER progr. *circa materiam oſſificationis præter naturam factæ* Lipſ. 1726. Appendicem mucronatæ cartilaginis bifurcam, & induratam; os latum in pleura: aortam oſſeis ſquamis variam deſcribit. 335

CCVI. *Abrahami* VATER progr. *de oſſificatione* Witteberg. 1726. Valvulas cordis oſſeas, quas pro oſſe cordis cervi habet, aortam late oſſibus interruptam, carotides arterias & vertebrales oſſeas, & ſtrias in dura matre oſſeſcentes proponit. 342

CCVII. *Rutger Gottlieb* HOERNIGK *de induratione partium præter naturam* Lipſ. 1750. Omiſſa theoria unice oſſis in diaphragmate, aut celluloſa potius pleuræ tela inventi figuram conſervavi & deſcriptionem. 344

CCVIII. *Car. Friderici* HUNDERTMARK & *Friderici Jacobi* TITTMANN diſp. *de caſu rariori oſteoſteatomatis* Lipſ. 1757. Horridus in facie morbus, cortice primo oſſeo, deinde lardo denſiori factus, quod oſſeæ fibræ pererrabant. Alius etiam pene ejuſdem naturæ tumor ex ore prominebat, qui de palato pullulabat. Ejus etiam cortex cartilagineus, interior facies lardoſa erat. Ea mala cum aliis, ſimilibus fungis, comparat doctiſſ. auctor, additque rationem, qua potuerint, ſed in ſuis principiis, a medico debellari. 347

CCIX. *J. Erneſti* HEBENSTREIT & auctoris, clar. nunc medici, & per egregia ſcripta noti *Gottl. Caroli* SPRINGSFELD, diſp. *de partium coaleſcentia morboſa* Lipſ. 1738. Propria exempla malorum hujus generis multa producit, loborum cerebri connatorum, quod idem mali genus ſæpe vidi; pulmonis ad pleuram; hepatis ad peritonæum innati: tum ſteatomatis ingentis meſenterii, ductus ſalivalis ſtenoniani coaliti. 375

CCX. *Caroli Frid.* KALTSCHMIDT progr. *de raro coalitu hepatis & lienis in cadavere invento* Jenæ 1752. Præter id malum, calculi erant in fellis veſicula. 396

CCXI. *Henrici* BACHERACHT *de morbis ligamentorum* diſp. Leid. 1750. Lato ſenſu hic etiam membranacea partium mollium ligamenta intelligit Auctor: capitis femoris ex acetabulo, a cauſa interna expulſi exemplum profert: aliumque oris uterini in partu rupti. 399

CCXII. *J. Alberti Henrici* REIMARI, eruditiſſimi olim *J. A.* FABRICII nepotis, diſp. *de tumore ligamentorum circa articulos fungo articulorum dicto* Leid. 1757. Etſi ad celebris præceptoris ſui MONROI auctoritatem Vir Cl. perioſteum, & vincula articulorum ſenſu carere negavit, etiam exemplis, ſed non ſatis definitis, adla-

adlatis, non ideo non laudaverim inſignem Cl. juvenis in morbis parum notis eruditionem & induſtriam, numeroſaſque morborum hiſtorias, quas in ea ætate propriæ experientiæ unice debuit Vir Cl. Fungum, confuſum hactenus morbi genus, caute definit, ab adfinibus malis ſeparat, ancyloſium varia genera exponit, & utilium certe obſervationum plus habet, quam hoc loco liceat repetiiſſe. 425

CCXIII. *Georgii Erneſti* STAHL & *J. Conradi* TIEFFENBACH *de podagræ nova pathologia* Hall 1704. Bonam morbi hiſtoriam tradit, cauſam a ſanguinis collectione derivat, quem oportuerat per hæmorrhoides eliminari 477

CCXIV. *J. Godofredi* de HAHN *hiſtoria podagræ* P. L. CARDINALIS de SINZENDORFF Noriberg. 1751. Integram hiſtoriam octo annorum eruditiſſimus olim HAHNIUS producit: deinde retroceſſionem veneni podagrici ex ira & faſtidio, cum vomitu omnium ingeſtorum, ſopore & funeſta gangræna interna. 501

CCXV. *J. Friderici* BAUER & *C. J. Mich.* OTTO Ex. *de ſcarificatione certo & ſecuro remedio antipodagrico* Lipſ. 1732. Scarificationem, cum cucurbitulis, tertio quoque menſe repetitam podagricum venenum exhaurire, morbumque de ipſa radice averruncare perſuadetur, & exempla aliqua in rei geſtæ fidem proponit, niſi ſupra quatuor nunc annos ægrotum tenuerit. 523

CCXVI. *J. Adriani Theodori* SPROEGEL, anatomici nunc berolinenſis, *experimenta circa varia venena in vivis animalibus inſtituta* Gotting. 1753. In Theatro olim anatomico Gottingenſi noſter commenſalis & auditor, labore non exiguo, neque abſque ſumtu, numeroſiſſima experimenta fecit, ut venena in ventriculum obtruderet, aut per venas demum in ſanguinem cominus mitteret. Omnia repeti nequeunt. Inter herbarum genera opii vis maxime memorabilis viſa eſt, quæ iridem reddit immobilem, & ventriculi irritabilem naturam plerumque ſopit. Maxima atrocitas fuit argenti vivi ſublimati. Multo leniora venena in venas miſſa ſubito necare viſa ſunt, acetum ipſum, ſaturni ſaccharum, & denique aër. 545

CCXVII. *Abrahami* VATER & *Friderici* GEISLER *de antidoto novo adverſus viperarum morſus præſentiſſimo in Anglia haud ita pridem detecto.* Witteb. 1735. 593

CCXVIII. *Joſ. Exuperii* BERTIN & *J. Fr.* CLEM. MORAND theſis in his verbis concepta *Ergo ſp. ſ... viperæ morſus antidotum alkali volatile* Periſ. 1749. VATERUS quidem hominem a vipera morſum oleo olivarum ſanatum producit, BERTINUS alium, cui ſal vol. viperæ ſalutari eventu datus eſt In utroque exemplo liceat de vere venenata vi viperarum frigidioris Europæ dubitaſſe. 610

CCXIX. *J. Henrici* SCHULZE & *J. Georgii* KRUMNAU diſp. *qua corporis humani momentanearum alterationum ſpecimina quædam expenduntur*, inque cauſam earum inquiritur Hall 1741. Præter aliquas, non penitus firmæ fidei narrationes, habet experimenta in medulla ſpinali inſtituta; ſuppreſſas a ſtyptico DIPPELIANO, tum alio ex hæmatite & aceto parato medicamine, hæmorrhagias: vim ſopientem olei animalis: profundi ſoporis, qui parciſſimæ opii doſi ſupervenit &c 617

CCXX. *Danielis* LANGHANS *de conſenſu partium corporis humani* Gotting. 1749. Partem Pathologiæ tractat, quæ pene neglecta jacuerat. Conſenſuum genera quinque ſtatuit, etiam primum, quæ fit per cellulaream telam: per eam aqua inferius migrat, & emphyſema, & abſceſſus, qui in alium corporis humani locum tranſit. Per vaſa aut rubra aut tenuiora conſenſus fiunt inflammationum, delirium febrile, phthyſis a pure reſorbta, curatio ulcerum per urinam; ſcirrhi a morbis acutis, & ea mala, quæ veneream luem ſequuntur. Per nervos in alias aliaſque corporis partes tranſeunt adfectuum animi effectus: colica dolore a retento calculo: hyſtericæ convulſiones: oculi alterius dolor & inflammatio, dentium ab ingratis ſonis ſtupores: paralyſes, hemiplegiæ. Per continuatas membranas progreditur dolor calculorum, a veſica ad glandem penis: prurigo naſi a vermibus: vomitus in hernia incarcerata. Denique ſimilitudinem duorum partium lactis ab utero ad mammas, atque mammis ad uterum iter interpretaverat: & diarrhœas a ſuppreſſa perſpiratione: & ſcrophularum ad loca remota translationes. 619

CCXXI.

CCXXI. *Samuel* SCHLMATTER *Morbi circa Tobinium familiares cum caſibus nonnullis & obſervationibus rarioribus* Baſil. 1751. Ex patris, non incelebris practici, obſervationibus has morborum hiſtorias collegit. Varios pro diverſitate regionum morbos endemios, frigidam funeſto eventu potam; paludum noxiam vim: inter morbos helvetis familiares recte numerat hypochondriacum, hernias, hepatis tumorem: negat locum ſtrumis, quas ſolent helvetiæ imputare: negat frequentes eſſe aut intermittentes febres, aut alias deterioris ingenii; medicationes ſibi expertas variorum morborum exponit. 687

CCXXII. *Guſtavi* HARMENS & *Jos.* FIELLSTRÖM *medicina Laponum* Londin. Goth 1734. Victum primo deſcribit Laponum, cujus maxima pars a carnibus repetitur: frequentes inde morbos enumerat, pleuritides, catarrhos, rheumatiſmos, oculorum mala. Inde medicamenta dicit, angelicam, lichenem, Eryngii folia, pini reſinam, fel urſi ad oculos, agaricorum fomitem ad cauteria. 711

CCXXIII. *Eberhardi* ROSEN & *Laurentii* MONTIN *Medicina Laponum Lulenſium* Londin. Goth. 1751. Iter ipſe in Laponiam ſuſceperat Cl. MONTIN: pigros ait eſſe, parumque laboris patientes. Sale omnino non abſtinent. Meticuloſi ſunt, & ex animi adfectu vehementer percelluntur. Febres, ſcorbutum, apoplexiam, epilepſiam ignorant. Puerorum multi, ex rigido forte frigore intereunt. Verminoſos etiam rheumatiſmos patiuntur. Medicamentis utuntur vehementiſſimis, laureolæ baccis, vomica nuce Perniones levant oleo de caſeo rangiferino ſtillante. Alvum exuviis viperarum ducunt quas mireris in Laponia reperiri. 731

CCXXIV. *J. Henrici* FURSTENAU & auctoris *J. Philippi* PARMANN *ſpicilegium obſervationum de indorum morbis & medicina* Rentel. 1735. Indiam Belgicam Javamque potiſſimum adiverat auctor. Morbos, qui per eas regiones dominantur, partim ex BONTIO priſciſque ſcriptoribus enumerat, & ex propria annotatione alios, eorumque cauſas. Peſtem veram negat in India notam eſſe, neque nephritidem, febres vero exanthematicas, peſtilentiales, ſæpe etiam Bataviæ ſævire fatetur, tum in Bengala poſt fluvii inundationes. Sed etiam nervorum tenſio frequens malum eſt, & alvi fluxus, etiam hepaticus & dyſentericus. Luem veneream cum lepra confundit, eamque ab Indis ſuffitu cinnabaris chinæque decocto docet curari. Bengalenſia noſocomia laudat. Phlebotomiam, olim neglectam, nunc vulgo adminiſtrari monet. Puerperia facile chirurgia carere vidit, quæ expedite fere abſolvantur. Inter medicamenta Indica quadrati lapidis meminit, aureis diſtincti micis, ad calculum, atque partum difficilem ſibi compertæ virtutis. Americæ fere eoſdem, quos India alit, morbos eſſe perſuadetur. 744.

CCXXV. *Balthaſaris Joſ* de BUCHWALD & *Friderici* de BUCHWALD *obſervationum quadriga* Hafniæ 1740. Prima pueri eſt, cui viſcera abdominis conſerbuerant; altera hepatis peramplí; tertia aortæ & aliarum arteriarum oſſeæ degenerationis; ſacci polypoſa materie pleni in cranio reperti. 777

CCXXVI. *Stephani* WESZPREMI *obſervationes medicæ* Trajecti 1756. Varias tradit non vulgaris ſaporis obſervationes: œſophagi obſtructi per ſalivæ excitatum fluxum aperti, ſubmerſorii, quos credit ab aere in pulmones congeſto ſuffocari, innoculationis variolarum utilitate: nonnullis per Angliam laudatis remediis, quæ ſpecifica eſſe dicuntur. Scabie lepræ adfini, pericardio cum corde connato &c. 803

CCXXVII. *G. Frid.* RICHERZ, *obſervata Viſcerum abdominalium labis brevis epicriſis.* Lugd. B. 1757. Herniæ accuratam deſcriptionem: abſceſſum hepatis unde pus in pectus tranſirat: Ventriculi nigra bile pleni ſphacelum. 827

FINIS TOMI SEXTI.